UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Acta Sanctorum Octobris Tomus Quintus

urn:nbn:de:hbz:466:1-71246

Visual Library

ACTA SANCTORUM

OCTOBRIS

TOMUS QUINTUS

DIES DECIMA

SANCTI, QUI VI ID. OCTOBRIS COLUNTUR

Sanctus Pinitus Episc. Conf. Gnossi in insula Creta.

S. Eusebius,
S. Eraclius seu Heraclius,
S. Dionysius,
S. Septimus seu Septima aut Septimia,
S. Secunda,
S. Salsa
S. Caitius,
S. Quintasius,
S. Septiminus seu Septimus,
S. Venustus,
S. Beatus,
S. Secundus,
S. Donatus,
S. Serenus,
S. Crescentius,
S. Nicetius,
S. Vitalis seu Natalis,
S. Firminus,
S. Eraclius seu Heraclius,
S. Eusebius
SS. Gereon et alii CCCXVIII;
SS. Victor ejusque Socii; item
SS. Cassius, Florentius et alii plures

MM. in Africa.

Martyres.

MM. Coloniæ Agrippinæ et in ejus vicinia.

S. Clarus Ep. Conf. Namnetæ in Britannia Armorica.
SS. Eulampius et Eulampia eorumque Socii MM. Nicomediæ in Bithynia.
S. Bassianus Conf. Constantinopoli.
S. Cerbonius Episc. Confes. Veronæ in Italia.
S. Cerbonius Episc. Conf. in Ilva, Hetruriæ in mari Thyrreno insula.
S. Paulinus Archiepisc. Eboracenfis Conf. in Anglia.
S. Teclechildis seu Telechildis V., prima abbatissa Jotrensis in Gallia.
S. Tancha V. M, in diœcesi Tricassina in Campania Galliæ.
S. Nuncius Conf, in comitatu Namurcensi.
S. Venantius Eremita, pro Martyre cultus, in Artesia Belgii provincia.
S. Paulinus Episc. Conf. Capuæ in regno Neapolitano.
S. Joannes Conf. Ordinis Canonicorum Regularium in diœcesi Eboracensi in Anglia.
B. Robertus Malatesta Conf. tertii Ordinis S. Francisci Arimini in ditione Pontificia.

S. Franciscus

A **S. Franciscus Borgia Conf. Societatis Jesu tertius Generalis Romæ.**

S. Ludovicus Bertrandus Conf. Ordinis Prædicatorum Valentiæ in Hispania Tarraconensi. D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Sancti Adelardi abbatis et confessoris elevatio *hodie signatur in Florario nostro Ms., idemque etiam fit in Benedictino, quod vulgo* Grollus *dicitur, Musei nostri Menologio itidem Ms.; quod vel idcirco hic observo, quia observatum haud fuit ad diem, quo de sancto illo Corbeiensi Abbate apud nos jam actum,* 2 Januarii.

S. Atticus, episcopus Constantinopolitanus, *hoc die, quod tum e vivis excesserit, celebratur in Mrl. Germanico Canisii, in Usuardo*
B *Greveni et in Generali Ferrarii Catalogo; verum de Constantinopolitano isthoc Patriarcha, cujus sanctitatem Cuperus ante tom.* I *Augusti in Patriarchis Constantinopolitanis adversus Tillemontium vindicavit, in Opere nostro actum jam est ad diem, quem ei sacrum Græci in Menæis sanxerunt,* VIII Jan.

S. Severinus abbas *hodie in Sanctorum aliquot, quos illustrissimus et reverendissimus D. Decius S. R. E. Cardinalis Carafa, archiepiscopus Neapolitanus, in civitate ac tota diœcesi Neapolitana celebrari jussit, Catalogo memoratur. Id haud dubie fit, quod tunc sacrum* Severini *corpus e Lucullano Neapolim anno* 909 *fuerit translatum; verum sancti hujus Noricorum Apostoli natalis incidit in diem, quo de illo cum Mrl. Romano jam egimus,* VIII Januarii.

Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. Sophiæ dedicatio *hodie notatur in Chronico Alexandrino. Fecit illam anno* 415 *S. Atticus, uti in Opere nostro videre est ad diem, quo de sancto isthoc Constantinopolitano episcopo egimus,* VIII Januarii.

C S. Jacobus asceta *memoratur hoc die in Menologio Basiliano et in Mss. bibliothecæ Ambrosianæ, quorum penes nos excerpta exstant, Menæis. Ex elogio, quod et hæc et illud adjungunt; palam est, fieri sermonem de* S. Jacobo, *eremita in Palæstina,* qui post lapsum diu in sepulchro pœnitentiæ causa latuit et clarus miraculis migravit ad Dominum, *ut habet Martyrologium Romanum hodiernum, cum quo de illo jam egimus, die* XXVIII Januarii.

B. Mariani abbatis, cognomento Inclusi, *Ratisbonæ memoria hodie in Menologio Scotico signatur a Dempstero; verum de illo Ordinis S. Benedicti Abbate jam egimus,* XI Februarii.

S. Austrebertæ inventio *hodie in Bruxellensi S. Gudilæ, quod inter Usuardina Auctaria a Sollerio refertur, Martyrologio memoratur, uti etiam in Musei nostri Menologio Benedictino Ms., quod vulgo* Grollus *dicitur; ast de sancta isthac Virgine actum apud nos est ad diem, qui ei natalis est,* X Februarii.

Pago Matiscensi, monasterio Cluniaco, exceptio sanctorum Valentini presbyteri et martyris atque Felicis pontificis et confessoris, qui apud Arvernum episcopalem cathedram tenuit, *ita hodie in Caudiacensi Usuardi apud Sollerium Auctario. Ac* Felix *quidem, de quo agitur, haud dubie est is, qui seculo septimo, media sui parte jam elapso, Arvernensem seu Claromontanam cathedram occupavit. Ita autumo, quod nominis ejusdem Episcopus alius in tribus diversis, quorum primum in Gallia Christiana Sammarthani Fratres, alterum in Gallia Christiana aucta Dionysius Sammarthanus, tertiumque in Originibus Claromontanis* E *Savaronus exhibent, episcoporum Arvernensium seu Claromontanorum Catalogis haud inveniatur. Verum in duobus horum prioribus nec* Sancti *nec* Beati *titulo* Felicem *Sammarthani exornant; etsi autem id in tertio Savaronus faciat,* Felici *tamen cultum ecclesiasticum centum annis ante celebrem Urbani VIII bullam fuisse delatum, nulla ratione probat. Nec id merito concludas ex Usuardi Auctario hic memorato; hujus enim ætas latet, et quamvis etiam trecentis amplius annis sciretur antiquum, dubitari tamen posset, an ei verba, quibus,* Felicem *reliquiarum suarum ad monasterium Cluniacense translatione honoratum fuisse, prodit, recentiori manu haud fuerint adjecta. Cum itaque res sic habeat, de* Felice, *Arvernensi seu Claromontano episcopo, in Opere nostro agere nondum possumus, id tamen loco maxime opportuno facturi, cum de ejus cultu sufficientique hujus antiquitate nobis constiterit. Porro quod modo ad* Valentinum *presbyterum et martyrem spectat, cum S. Valentini presbyteri martyris,* F *anno* 269 *Romæ passi, reliquiæ (Operis nostri tom.* 2 *Februarii pag.* 753, *num.* 9 *videsis) in Belgium et Galliam fuerint allatæ, facileque adeo factum esse queat, ut harum pars aliqua cum monasterio Cluniacensi fuerit communicata, vix dubitandum apparet, quin in Caudiacensi Usuardi Auctario hic memorato sermo sit de* Valentino *isthoc, Romano presbytero ac martyre, de quo nos jam egimus ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno aliisque omnibus Fastis sacris memoria ejus recolitur* XIV Februarii.

Cassii et Florentii cum pluribus, quorum Victor Trecassis et Florentius Veronæ *(nempe* Bonnæ) depositi requiescunt, *hodie legitur in Rosweydiano Usuardi apud Sollerium Auctario;* sed quid ille Victor huic Florentio conjungitur, *petit hic Sollerius; neque vero immerito: Victor enim, qui* Trecassis *seu in diœcesi Tricassina depositus requiescit, non est Victor martyr, hodie in Hieronymianis apographis aliisque quamplurimis Fastis sacris ac ab ipso Usuardo etiam celebratus, sed*

A *Victor presbyter confessor, de quo actum apud nos jam est ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno recolitur,* XXVI Februarii.

S. Virgilius episcopus Arelatensis, *qui hodie ab ecclesia Arelatensi colitur, hodie etiam Usuardo Greveni, qui anno* 1521 *Coloniæ Agrippinæ prodiit, et generali Ferrarii Catalogo exstat insertus; verum de eo jam egimus ad diem, quo a Lerinensibus colitur sacrisque Benedictinorum Fastis exstat insertus,* V Martii.

S. Pauli, Leonensis episcopi, translatio *hodie in Britannia Gallica signatur a Saussayo in Martyrologio Gallicano. De Sancto illo jam egimus ad diem, quo in pluribus Fastis sacris recensetur,* XII Martii.

Acepsimæ martyris *hodie meminerunt, quæ penes nos exstant, e Mss. Bibliothecæ Ambrosianæ seu Mediolanensis Menæis excerpta. Idem porro in Martyrologio suo Universali etiam facit Castellanus, luculentissime indicans,* Acepsimam *martyrem, de quo agit, alium non esse quam* Acepsimam *episcopum martyrem, quem die* X *Octobris ad Superos*

B *migrasse, perhibent ejus Acta, quæ jam dedimus ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno recolitur,* XXII Aprilis.

S. Richarii memoria *hodie signatur in Adone Ms. Lobiensi, in Beda itidem Ms. Leodiensi S. Lamberti et in Ms. Benedictino domus S. Salvatoris Kalendario; ast de sancto isto Centulensi Abbate jam egimus ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno signatur,* XXVI Aprilis.

S. Comgelli *seu* Comgalli Acta *ad hunc diem dare statuerat Colganus. Ita scilicet e duodecima, quam die* I *Februarii de S. Catano suppeditat, Annotatione colligitur. At de sancto illo Benchorensi in Hibernia Abbate egimus ad diem, quo ab Aberdonensi Scotiæ ecclesia colitur cultusve certe olim fuit,* X Maii.

Dedicatio Ordinis Cælestinorum *hodie a Molano, Wiono, Menardo aliisque hagiologis memoratur. De S. Petro Cælestino, Ordinis illius fundatore, actum apud nos est ad diem, quo in Mrl. Romano hodierno annuntiatur,* XIX Maii.

S. Maximi, episcopi Æmoniensis et martyris,

C *hodie in Catalogo suo tum generali, tum particulari Sanctorum Italiæ meminit Ferrarius, dilucide autem ex elogio annotationibusque, quas subministrat, liquet, eum loqui de* S. Maximo *martyre, Civitate-nova in Istria, ubi etiam hodie in Castellani universali Martyrologio annuntiatur, Venetias translato ac in Opere nostro jam locum inter Sanctos adepto ad diem* XXIX Maii.

S. Aldrici episcopi et confessoris *memoriam hodie in Benedictino suo Martyrologio celebrat Menardus; verum de sancto isthoc Senonensi Archiepiscopo, de quo interim etiam Sæc.* 4 *Benedict. part.* 1 *a pag.* 566 *usque ad pag.* 575, *itemque a pag.* 576 *usque ad pag.* 578 *videsis, actum apud nos jam est ad diem, quo ab ecclesia Senonensi colitur ac a pluribus hagiologis refertur,* VI Junii.

Apud urbem Narniensem, sancti Cassi ejusdem urbis episcopi, et sancti Florentii cum aliis septem *hodie legitur in Florentino Usuardi apud Sollerium Auctario. Hujus auctor per Octobris Tomus V.* Veronam, *ubi hodie Cassium et Florentium* D *eorumque Socios in antiquioribus aliquot sibi prælucentibus Fastis sacris annuntiatos vidit, non Bonnam, Germaniæ urbem, ut horum auctores, sed Veronam, Italiæ civitatem, intellexerit, hincque et quod ibi Sanctum, nomine* Cassium, *haud inveniret, in Fastis illis agi de S. Cassio, Narniensi episcopo, existimarit; verum hic, qui in pace obiit confessor, nec socios, quibuscum sit passus, habuit, nec hodie Fastis sacris exstat inscriptus, sed die, quo propterea de eo cum Mrl. Romano egimus,* XXIX Junii.

S. Martialis episcopi Lemovicis in Gallia translatio *hodie memoratur ab Additionum soluta oratione ad Wandelbertum auctore, a Molano et Bellino editionis Parisiensis, itemque a Martyrologii Germanici, quod vulgo Canisii dicitur, concinnatore et a Ferrario in Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo; verum de hoc sancto Lemovicensium Apostolo et Episcopo jam egimus ad diem, quo in Romano hodierno signatur,* XXX Junii.

S. Joannis Gualberti abbatis Florentiæ translatio E *a Ferrario hac die annuntiatur in Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo; verum de hoc sancto Ordinis Vallumbrosani Fundatore actum a nobis jam est cum Martyrologio Romano hodierno ad diem* XII Julii.

S. Mamantis martyris brachii susceptionem *hodie Lingonis signat in Martyrologio suo Gallicano Saussayus; est autem de* S. Mamante *reliquiisque ejus Lingonas translatis, de quibus etiam Claudius Roberti in Episcopis Lingonensibus num.* 52 *tractat, apud nos jam actum ad diem, quo sanctus ille Martyr in Mrl. Romano hodierno recolitur,* XVII Augusti.

S. Cosmæ episcopi translatio Panormi *signatur hac die a Ferrario in generali Sanctorum Catalogo et ab Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo; verum de sancto illo Africano Archiepiscopo in Opere nostro actum jam est ad diem, quo a binis iisdem hagiologis ejus etiam Panormi* depositio *celebratur,* X Septembris.

S. Firminum episcopum martyrem *Marietta ad hunc diem refert in Ecclesiastica sua de* F *Sanctis Hispaniæ Historia; verum de hoc Sancto in Opere nostro actum jam est ad diem, quo in Romano hodierno ac plerisque aliis Martyrologiis Ambiani in Gallia annuntiatur,* XXV Septembris.

S. Theophilus monachus confessor *hodie cum prolixiori elogio celebratur in Magis Græcorum Menæis excusis, idemque etiam fit tum in Menologio, quod Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, vernacula Græcorum hodiernorum lingua expressit, tum etiam in Sirletiano, quod Henricus Canisius vulgavit. Ex hoc porro ac forsan etiam e laudatis Menæis in generalem suum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogum Ferrarius quoque hodie transtulit* Theophilum; *ast, etsi eruditissimi, qui Martyrologium Romanum hodiernum reformarunt, viri non paucos in hoc Sanctos e Menologio Sirletiano intulerint, hodie tamen Theophili haud meminere. Hunc sci-*

A *licet cum* Theophilo, *quem secunda Octobris die jam commemorarant, unum esse atque eumdem existimarint, reque etiam vera id ipsum non tantum Raderus in Mss. suis in Menæa excusa Observationibus, sed et Indiciis, Menologio Sirletiano adjecti, auctor, utpote* Theophili *nomen, utut secunda iterumque deinde decima Octobris die in hoc memoratum, semel dumtaxat in illo ponens, indubie sensit: neque immerito: etenim, præterquam quod hodie pariter Theophili mentio nec in Græcorum Anthologio, nec in Cryptæ-ferratæ Ordinis S. Basilii Horologio seu Typico, nec in Menologio Basiliano, nec denique in Ms., quod habemus, Sirmondi Synaxario occurrat, omnia fere, quæ de Theophilo, in Menologio Sirletiano et Menæis hodie relato, narrantur, adeo congruunt cum iis, quæ de Theophilo, die secunda Octobris pluribus adhuc aliis Fastis sacris inscripto, referuntur, ut appareat, non nisi cum erroris periculo duos hic statui posse Theophilos diversos. Theophilus quidem, qui die secunda Octobris in*

B *pluribus Fastis sacris memoratur, in exsilio, in quod ob sacrarum imaginum cultum pulsus fuerat a Leone Isauro; contra autem Theophilus, qui hodie in Menologio Sirletiano et Menæis recensetur, non in exsilio, sed in monasterio, in quo, priusquam sacrarum imaginum causa pateretur, monachum egerat, diem extremum clausisse in iisdem Menæis et Menologio Sirletiano asseritur; verum (Operis nostri tom.* I *Octobris pag.* 492, *num.* 3 *videsis) Synaxarii Sirmondiani auctor, significare volens, Theophilum, cum periculum esset, ne jam-jam præ tormentis sibi inflictis moreretur, a tormentis ulterioribus liberum fuisse dimissum, in elogio, quo eum secunda Octobris die celebrat, sic scribit:* Cum autem jam prope moriturus esset Sanctus, dimissus est. *Quid si ergo hæc ipsa verba in documento, quod Menologii Sirletiani et Menæorum auctoribus præluxit, fuerint reperta, hique ex illis perperam intellectis, Theophilum non tantum a tormentis ulterioribus, sed et ab exsilio liberum ad monasterium suum fuisse remissum,*

C *judicarint, atque hinc simul sit factum, ut eum ibidem, vita sanctissime acta, ad Dominum migrasse, litteris mandarint? Utut sit, dubium equidem apparet, an brevius elogium, quo Theophilus hodie in Menologio Sirletiano ornatur, e prolixiori, quo hodie pariter in Menæis recolitur, elogio haud profluxerit; etsi itaque Theophilus non tantum, ut dictum est, in Menæis, quibus parum fidimus, verum etiam in Sirletiano, quod paulo pluris facimus, Menologio hodie celebretur, nos tamen, omnibus modo rite perpensis, agere non audemus de eo veluti indubie distincto a Theophilo, quem cum Martyrologio Romano jam dedimus die* 2 Octobris.

S. Evodium Rothomagensem episcopum Trecis *hodie annuntiat Ferrarius in generali Sanctorum Catalogo, citatisque, quarum notitiam haud præbet, ecclesiæ Trecensis tabulis, natalem ejus die* XXII *Decembris celebrari, in Annotatis adjunxit; verum, etsi forsan id tum Trecis fiat ac porro* Evodius *in civitate isthac ob sacras suas reliquias, in S. Lupi monasterio ibidem servatas, cultum* D *ecclesiasticum aliquando obtinuisse videatur, eum tamen die isto migrasse ad Superos, nihil probat; etsi autem hodierna etiam die ejus depositio in recentiori anni* 1670 *Rothomagensi Martyrologio memoretur, nos tamen de hoc sancto Rothomagensi Episcopo cum Martyrologio Romano hodierno jam egimus ad diem, quo obiisse passim creditur,* VIII Octobris.

S. Domninus martyr *hodie in Adone Ms. Lobiensi, ac in binis Usuardinis apud Sollerium Auctariis recolitur; sed actum de eo apud nos jam est ad diem, quo in Mrl. Romano hodierno recensetur,* IX Octobris.

S. Gislenus abbas *hodie in Kalendariis aliquot et in Adone Lobiensi Ms. memoratur; sed de eo cum Martyrologio Romano jam egimus die* IX Octobris.

S. Sabinum eremitam *hodie in Mrl. suo Hispano commemorat Tamayus; ast nos cum aliis hagiologis de Sancto illo egimus die* IX Octobris.

Loth propheta *ab Adone, Notkero et Wandelberto hodie celebratur, idemque etiam in* E *Romano Parvo seu Veteri ac in variis Usuardinis Auctariis fit; ast, cum* Loth *in Mrl. Romano hodierno nuspiam locum habeat, vide quæ de eo ad diem præcedentem in Prætermissis dicta sunt.*

Ecclesiæ Turiasonensis in Aragonia,
Ecclesiæ metropolitanæ Genuensis,
Ecclesiæ cathedralis Calagurritanæ in Hispania,
Itemque Ecclesiæ B. Mariæ de Tribus-Fontibus, Clarævallis primogenitæ filiæ,
} *dedicatio*

hodie notatur, prioris nimirum in Officiis hujus propriis, secundæ et tertiæ in generali Sanctorum Catalogo apud Ferrarium, ac quartæ demum in Sanctorum et Beatorum Ordinis Cisterciensis serie apud Chalemotum.

Eubrachius *in Usuardinis aliquot apud Sollerium Auctariis hodie post hæc verba* In Britannia sancti Paulini rpiscopi et confessoris *annuntiatur sequentem in modum:* Et Eubrachii; *ast, cum Sanctus, qui fuerit vocatus* Eubrachius, *notus haud sit, Sollerius sane, licet etiam in codice Camberiensi legatur* In Britannia apud Eboracum beatorum F Pauli *(Paulini)* præsulis et Eubrachii confessoris, *merito putavit, non dubitandum, quin et in hunc codicem et in alia Usuardina Auctaria irrepserit* Eubrachii *pro* Eboraci, *quo nomine in pluribus Fastis sacris exprimitur civitas, cujus S. Paulinus fuit in Britannia episcopus.*

Gislebertum in Sylva Nigra abbatem *hodie annuntiat in generali suo Sanctorum Catalogo Ferrarius, per Annotationem, qua annuntiationis hujus fontes assignat, clare indicans, loqui sese de* Gisleberto, *qui Benedictinum Sueviæ monasterium, a S. Blasio dictum ac ibidem in Nigra seu Hercinia sylva situm, sub seculi* XI *finem abbas rexit, ut Bucelinus Germ. sacræ part.* 2, *pag.* 16 *docet in monasterii istius abbatum serie, quos inter nullus, nomine* Gislebertus, *præter jam laudatum occurrit. Ast, etiamsi illum* Beati *etiam aut* Sancti *titulo Ferrarius et quidam alii exornent, hunc tamen illi haud tribuit mox dictus Bucelinus, cumque*

præterea

A *prætereа nec abs hoc, nec abs aliis Benedictinis hagiologis in sacris, quos concinnarunt, Fastis* Gislebertus *celebretur, huic San-Blasiano Abbati, nisi prius, quod hactenus factum haud reperio, publicus ejus cultus fuerit probatus, locum inter Sanctos in Opere nostro dare haud possumus.*

Jordanum Hemmenrodensem ex Ordine Cisterciensi in diœcesi Trevirensi monachum *hodie cum* Beati *titulo in Menologiis a se contextis commemorant Henriquez et Bucelinus, idemque etiam facit in novissimo expanso Sanctorum Ordinis Cisterciensis Catalogo Sigismundus Alberti. Verum, etsi quidem* Jordanus, *ut duo horum hagiologorum priores aiunt, insolita abstinentia corpus suum afflixerit, miraculorumque etiam gratia effulserit, nihil tamen vel apud hosce vel alibi reperio, quod cultum publicum, quo, ut vere Sanctus aut Beatus, honoretur honoratusve aliquando sit, utcumque certum efficiat.*

Henrici principis Lusitaniæ Ordinis Equitum
B religiosorum, sub Regula S. Benedicti de Christo nuncupati, in Hispania obitum *hodie in Menologiis suis signant Henriquez et Bucelinus. Ac ille quidem sacræ hujus militiæ Minister generalis, qui, multis in reipublicæ Christianæ commodum præclare gestis, anno Christi* 1460 *obiisse dicitur a Bucelino, sanctitatis fama exstitit celebris et a Sigismundo Alberti, a quo pariter in novissimo expanso Sanctorum Ordinis Cisterciensis Catalogo hodie celebratur,* Beati *etiam titulo afficitur, ast non itidem a laudatis hagiologis Henriquez et Bucelino; certeque caret cultu, qui, ut in Opere nostro Sanctis accenseri queat, exigitur.*

Lupita soror S. Patricii *a Camerario cum* Sanctæ *titulo memoratur hoc die; ad quem propterea a die* XXVII *Septembris, quo pluribus Fastis sacris exstat inserta, remissa fuit a Decessoribus nostris, pollicentibus fore, ut nunc de* Lupita, *si cultus ejus probari posset, ageretur; verum, cum hunc hactenus a nemine probatum inveniam, de illa S. Patricii Sorore nec hodie est agendum.*

Sereni incertæ sedis episcopi et Remiscendis vir-
C ginis *hodie cum* Sancti *ac* Sanctæ *titulo Raissius in suo ad Molani Sanctorum Belgii Natales Auctario meminit, idemque etiam faciunt in Hagiologii Belgici Compendio Willotus, et in Ecclesiæ Leodiensis Floribus Fisenus; qui posterior partim etiam ea, quæ in ejusdem ecclesiæ Historia ad annum* 450 *de* Sereno *jam dixerat, ita repetit :* Res ab illo *(Sereno)* gestas nobis antiquitas non reliquit. Hoc tantum : acta sanctissime vita, Hasteriæ conditus, cælitum honoribus colitur. Ita cœnobii *(Hasteriensis scilicet)* conditorem Widericum testamenti sui tabulis inseruisse testatur Molanus; nec alia uspiam est S. Sereni memoria; *verum prætermissos in Opere nostro ad diem* VII *Junii ac ipsummet in Natalibus Sanctorum Belgii Molanum videsis, inveniesque, hodierno die ibidem in S. Nuncio martyrologum hunc non id, quod verbis recitatis ait Fisenus, sed contra asseverare,* D Serenum *Hasteriæ natalem non habere seu non coli; cum autem id ipsum ibidem etiam de* Remiscende, *quam prætereа apud Raissium perperam vocari Sigeberti regis filiam, Valesius tom.* 3 *Rerum Francic. pag.* 190 *et seq. contendit, idem Molanus asserat, nec ullum cultus publici, qui alibi eis deferatur, delatusve olim fuerit, reperiatur indicium, in Opere nostro locum nec* Sereno, *nec* Remiscendi, *utut etiam ab Arturo in Gynæceo sacro et a Lahiero in sanctarum Virginum Menologio hodie relatæ, dare possumus. Pommerayus quidem* Sereni, *cui* Sancti *titulum adscribit, reliquias Rothomagum sub Guillielmo I archiepiscopo allatas, in sua Archiepiscoporum Historia cap.* 6, *num.* 5 *scribit; ast cum nuspiam, cujus Sereni hæ essent, edicat, dubitari sane non immerito potest, an S. Sereni conf., de quo* 2 *Octobris egimus, haud exstiterint.*

Corona Domini *seu* Dominica *hodie in Kalendariis aliquot memoratur; isthæc autem* Corona, *quæ ad Coronæ seu Rosarii Mariani* E *similitudinem tornatis orbiculis seu globulis figuratur, orationes Dominicas triginta tres salutationesque angelicas quinque in annorum vitæ Domini nostri ac Vulnerum ejus commemorationem recitando contexitur, fuitque nova hæc orandi methodus, indulgentias etiam iis, qui pie religioseque hanc observarent, Leone X Pontifice maximo concedente, a Michaële Florentino, eremita Camaldulensi, divinitus, ut aiunt, monito excogitata. Atque hic quidem die* XXI *Januarii, qua, ut Thomas de Minis in totius Ordinis Camaldulensis Sanctorum et Beatorum Catalogo editionis anni* 1606, *pag.* 22 *testatur, vitæ suæ cursum anno* 1522 *terminavit, in Sanctorum Fastis a Dorgaino, Wione, Menardo et Ferrario signatur; verum, etsi etiam tum ab his, tum ab aliis* Beati *titulo decoretur, fuit tamen ad dictum Januarii diem a Decessoribus nostris, quod, an publico legitimoque cultu gaudeat, haud satis haberent perspectum, inter Prætermissos relatus, cumque, an cælitum honoribus alicubi afficiatur, nondum etiam nunc alicunde discere obtigerit, ac futurum forsan* F *sit, ut de* Michaële *in Opere nostro numquam agatur, qui plura de* Corona Domini, *ab eo inventa, nosse cupit, adeat in Tusciæ Sanctis et Beatis Sylvanum Razzium part.* I, *pag.* 821, *in eremi Camaldulensis Descriptione, typis Romanis anno* 1570 *vulgata, Andream Mugnolium pag.* 9 *et ad diem* XXI *Januarii in Menol. Bened. Bucelinum, qui, quæ præcipue ad* Coronam Domini *spectant, nitide juxta ac breviter ibidem describit.*

Deiparæ Virginis Apparitio *quædam hodie in ecclesiæ Novocomensis Sanctuario seu Martyrologio memoratur. De ea, si opportunum visum fuerit, agi poterit, ubi ad totius Operis calcem de sanctissima Virgine Maria ex instituto tractabitur.*

S. Brunonem archiepiscopum Coloniensem *hodie in Anno Sancto Habspurgo-Austriaco proponit Joannes Schönleben; verum vide, quæ de isthoc nominis hujus primo Coloniensium Antistite, Ottonis I imperatoris fratre, ad* VI *Octobris diem in Prætermissis sunt dicta.*

Hugonis episcopi Autissiodorensis *memoriam hodie*

A *hodie in Martyrologio suo Benedictino celebrat Menardus; cum autem eam* Pontiniaci *signet, haud dubie, contra ac Castellanus per errorem, quem postea correxit, initio existimarit, loquitur de* Hugone, *qui, quod Matiscone in Burgundia natus,* Matisconensis *solet vocari, quique, e primo Pontitiniacensi abbate Autissiodorensis factus episcopus, anno* 1151 *die* x *Octobris apud Pontiniacum, uti ad hunc annum Manrique in Annal. Cisterc. cap.* 7, *num.* 1, *et Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 12, *col.* 293 *docent, excessit e vivis; verum etsi quidem hic Autissiodorensium Antistes a laudato Menardo hodie, et ad diem* XXI *Januarii, prout jam ibidem in Prætermissis est dictum, a Chrysostomo Henriquez* Beatus, *imo etiam Sanctus a Bucelino appelletur, a Saussayo tamen dumtaxat recensetur inter Pios; neque vero immerito, cum cultu publico ac legitimo, ut apparet, nec gaudeat, nec aliquando fuerit gavisus.*

Ptolemachus et Fratres ejus martyres *annuntiantur in Fastis Coptitarum et Æthiopum*
B *apud Ludolfum; verum in Martyrologio Coptico apud Seldenum de Synedriis pag.* 380 *legitur :* Abtalmonis et Sororis ejus martyrum. *Hicne forsan Ludolfus, qui,* Abtolamonem *pro* Ptolemacho *haberi hoc loco apud Coptitas, in Annotatis monet, Seldenum hallucinari ac proin, ut sæpius alibi, corrigendum existimarit? Utut sit,* Ptolemachum *equidem et* Fratres ejus martyres *in Martyrologium suum Universale intulit e laudatis Fastis Castellanus; sed* Ptolemachus Abtalmon*ve aut* Abtolamon *ejusque seu Soror seu Fratres nobis satis noti haud sunt.*

Paulus et Zacharias ascetæ *apud eumdem Ludolfum in Fastis Æthiopum hodie occurrunt; verum hi nobis æque sunt ignoti, licet etiam postremus in Mss., qui penes nos exstant, Martyrologii Coptici Indicibus recenseatur.*

Martyris unius e Monte-martyrum caput *asservatur Ipris apud Carmelitissas, ibidemque idcirco hodie de Martyre isthoc anonymo Officium sit, uti docent litteræ, a Sanctimonialium illarum præfecta R. M. Verrycken*
C *Ipris Tornacum ad P. Willot scriptæ indeque abs hoc ad Decessores nostros anno* 1659 *transmissæ.*

Joannem ab Hercudero, *ab hæreticis pro fide occisum, hodie in Bohemia, ac alibi alios adhuc aliquot sanctitatis fama illustres S. Francisci alumnos, addito singulis* Beati *titulo, in Martyrologio Franciscano recenset Arturus, iisque nonnullos præterea ejusdem Instituti Viros, Sanctitatis fama pariter illustres, Hueberus, ubique tamen a titulo illo abstinens, in Menologio suo Franciscano adjungit; verum hosce illosve inter nullus, cujus vel qualemcumque etiam cultum publicum sat certo probes, occurrit, sit* Robertum Malatestam, *quem etiam idcirco damus, exceperis.*

Virginem anonyman, *seu cujus ignoratur nomen, in Amarantino, quod in territorio Braccarensi situm est, S. Claræ monasterio hodie cum* Beatæ *titulo Arturus tam in Gynæceo sacro, quam in Martyrologio Franciscano commemorat, idemque etiam, sed absque illo titulo, Hueberus in Menologio Franciscano facit; verum cultus ecclesiasti-* D *ci, quo Clarissa isthæc anonyma gavisa aliquando fuerit, indicia nec apud binos illos hagiologos, nec apud Barrezium aliosque Ordinis S. Francisci scriptores, qui de illa pariter loquuntur, occurrunt.*

Demetrii Albani, tertiarii Franciscani, prope Spoletum sepulti *Vitam hodie in Sanctorum et Beatorum Umbriæ Vitis proponit Jacobillus, qui, cum ibidem dicat, duxisse* Demetrium *per annos quinquaginta in eremo Montis-Luci prope Spoletum vitam eremiticam, sermonem haud dubie facit de* Demetrio *eremita, a Decessoribus nostris inter Prætermissos jam relato ad diem* XXI *Aprilis, cui eum in Martyrologio Franciscano Arturus adscripserat. Ac id quidem, ut modo intelligimus, indubie hic hagiologus fecerat, quod* Demetrium *eremitam seu qui vitam eremiticam duxit, existimarit eumdem cum altero ejusdem nominis, in conventu Montis-Luci, itidem prope Spoletum, sepulto, hicque, de quo Gonzaga part.* 2 *prov. S. Francisci conv.* 7, *Marianus lib.* 5, *cap.* 30, *Marcus Ulyssiponensis lib.* 7, *cap.* 17 *et* E *Waddingus in Minorum Annal. ad annum* 1459, *num.* 31 *agunt, die* XXI *Aprilis, ut Jacobillus hodie in laudatis Vitis docet, obierit. Verum is a* Demetrio *eremita certissime est distinctus. Habitum quidem eremiticum Tertiarii S. Francisci in Italia (adi Ordinum tom.* 7, *cap.* 29 *et* 30 *Heliot) ad annum usque* 1448, *quo hisce illum mutare Nicolaus V Papa permisit, gestasse inveniuntur, nec vero est absimile, diu etiam post nonnullos adhuc ibidem S. Francisci Tertiarios, in locis desertis habitantes, eodem uti eremitico habitu perrexisse; verum, etsi id ita sit, habitusque proinde, a Franciscano valde diversus, sub quo* Demetrius *eremita in imagine sua, anno* 1671 *in æde S. Pauli juxta Spoletum deprehensa, exhibetur, nulla omnino ratione* Demetrium *hunc, contra ac Decessores nostri loco proxime cit. æstimasse videntur, vel ante Institutum a S. Francisco Ordinem floruisse, vel certe Franciscanum haud fuisse, persuadere queat, alia tamen, quæ* Demetrium *eremitam a Demetrio, per Gonzagam aliosque locis mox citt. memorato, distinctum esse* F *probant, occurrunt. Primo enim hic Mediolani seu in Insubria, ille vero in Albania est natus : secundo hic Franciscanorum Observantium Regulam fuit professus; ille vero sub Tertiariorum S. Francisci Instituto vitam eremiticam egit : tertio hic anno* 1459 *die* XXI *Aprilis; ille vero anno* 1491 *die* X *Octobris excessit e vivis; quarto hic prope Spoletum in Franciscana S. Catharinæ ecclesia, in summitate Montis-Luci sita; ille prope Spoletum itidem, sed in altera Franciscana S. Pauli ecclesia, haud procul a radice ejusdem Montis-Luci sita, jacet sepultus. Atque hæc quidem omnia Scriptores Monumentaque, quorum hodie in Vitis supra laudatis Jacobillus in margine meminit, dilucide docent : verum nihil adjungunt, quod publicum alterutrius* Demetrii *cultum, celebrem Urbani VIII bullam annis centum prægressum, sat certum efficiat.*

Jacobus a S. Petro, vulgo Samper, e Prædicatorum Ordine, ab Agarenis anno 1516 die x Octobris

A x Octobris in Catalonia pro Christo occisus, *hodie cum* Beati *titulo celebratur in Anno Dominicano a Lafon; verum, quod laudat, Cæsar-Augustani conventus, cujus* Jacobus *filius fuit, Martyrologium a titulo illo abstinet, idemque etiam facit in Dominicanis Martyribus Malpæus. Adhæc venerabilem istum Virum, qui non citius quam anno* 1516 *occubuit, centum annis ante celebrem Urbani VIII bullam, anno* 1625 *datam, cultu publico fuisse gavisum, nihil omnino probat; cum autem res sic habeat, locum ei inter Sanctos in Opere nostro non magis dare possumus, quam nonnullis aliis Viris, nonnullisque item Mulieribus, pietate præstantibus atque a Lafono pariter hodie, sed absque* Beatæ *aut* Beati *titulo, in Anns Dominicano relatis.*

Evantium archidiaconum Toletanum Toleti in Carpetania *hodie cum* Sancti *titulo in Martyrologio suo Hispano signat Tamayus; verum, præterquam quod* Evantium, *pro quo monumenta dumtaxat fictitia allegat, in Tabulis ecclesiasticis non reperiri ipsemet fateatur, nullum omnino cultus, qui ei defe-*
B *ratur delatusve aliquando fuerit, affert indicium.*

SS. Flori et Marcelli *corpora, quæ e Romanis SS. Calisti et Calepodii cœmeteriis fuerant extracta Cameracumque transmissa, ibidem hodie solemnitate quam maxima anno* 1655, *ut libellus ea de re tunc editus penesque nos exstans fidem facit, per urbem fuerunt circumlata; verum cum de Sanctis hujusmodi nihil fere aliud, quam quod sanguinem pro Christo effuderint, habeatur compertum, de iis in Opere nostro, nisi singularis quæpiam ratio contrarium suaserit, agere non solemus.*

Gondisalvum Ordinis Cisterciensis in Bracarensi Portugalliæ archidiœcesi abbatem *in Menologio Cisterciensi Henriquez, in Sanctis ac Beatis Cisterciensibus Chalemotus, et in Menologio Benedictino Bucelinus hodie celebrant, idemque in Martyrologio Hispanico facit Tamayus,* Sanctum *etiam appellans, quem hi ac Sigismundus Alberti in expanso Sanctorum ac Beatorum Ordinis Cisterciensis Catalogo* Beati *dumtaxat titulo*
C *condecorant. Ac monasterium quidem, cui* Gondisalvus *seu* Gundisalvus *præfuit,* Juniense, *si recte scribant, fuerit vocatum; verum Jongelinus in Abbatiarum Ordinis Cisterciensis Notitiis lib.* 6, *cap.* 33, *abbat.* 7 Buriense *pro* Juniensi *in Menologio Cisterciensi legendum affirmat. Jongelino porro in Annalibus Cisterciensibus favet Manrique, utpote ibidem ad annum* MCLX *cap.* 7 *monasterii* Bourensis *seu* Buriensis, *ac nuspiam* Juniensis *mentionem faciens; contra vero, cum Dacunha, Bracarensis in Portugallia seculo proxime elapso archiepiscopus, optime verosimiliter, qui archiepiscopatus sui monasteria appellarentur, habuerit perspectum, ac nihilominus monasterium, cui* Gondisalvus *præfuit,* Juniense in *Ecclesiastica seu de Archiepiscopis Bracarensibus Historia part.* 2, *cap.* 68 *appellet, haud parum sane illustrissimus hic scriptor laudatis hagiologis suffragatur. Ast quocumque demum modo monasterium istud sit vocandum,* Gondisalvum *præterea, quod huc potissimum facit, quotannis ibidem officio* D *ecclesiastico coli, Henriquez, Bucelinus et Tamayus in elogiis, quibus eum exornant, memoriæ produnt, idque in Ursariensi, in quo priusquam ad Juniense seu Buriense transivit, monanasticum institutum* Gondisalvus *fuit professus, Gallæciæ monasterio pariter fieri, loco supra cit. affirmat laudatus archiepiscopus, qui etiam, quamvis ipsemet* Beati *dumtaxat titulum* Gondisalvo *adscribat, eum tamen vocari* Sanctum *magnoque ad caput ejus venerandum, cum id certis anni diebus in monasterio Juniensi exponitur, accolarum concursu honorari, adjungit. Minime itaque, quin* Gondisalvus *cultu ecclesiastico gaudeat aut saltem olim fuerit gavisus, est dubitandum; ast quid, cum res ita habeat, hic statuamus? Notus est et alius Ordinis Cisterciensis abbas, nomine* Gondisalvus, *qui Azebeyrensi apud Gallæcos monasterio præfuit, atque ab Henriquezio, Chalemoto et Bucelino ad* VI *Junii diem, ad quem quoque Ordinis Cisterciensis Kalendario, Divione anno* 1617 *excuso, exstat insertus, annuntiatur; hunc autem ad diem* XIX *Julii, quo a Menardo etiam recolitur, inter Prætermissos recensuerunt decesso-* E *res nostri, simulque indicarunt fore, ut res tota de alterutrius vel utriusque jam memorati* Gondisalvi *sanctitate, miraculis et cultu hodie examinaretur. Atque hoc quidem pro viribus modo exsecutus, non id tantum, quod dixi, de* Gondisalvo *Juniensi seu Buriensi comperi, verum etiam qui vitæ sanctitate juxta ac miraculis exstiterit illustris; ast, cum eum anno demum* 1501 *excessisse e vivis Dacunha loco supra cit. scribat, nec addat, quandonam cultus, quo, ut jam monui, gaudere eum affirmat, initium acceperit, dubitari non immerito potest, an is jam ante annum* 1525 *fuerit inceptus ac proin an celebrem Urbani VIII bullam, anno* 1625 *datam, centum annis præcesserit; quod cum ita sit, in Opere nostro, nisi omnis prius ea de re dubitandi ratio fuerit sublata, de* Gondisalvo *Juniensi agere non possumus; quod autem ad* Gondisalvum *alterum seu Azebeyrensem jam spectat, ea quidem, quæ de hujus abbatis sanctitate et miraculis Henriquezius, Chalemotus et Bucelinus ad* VI *Junii diem memorant, non parum confir-* F *mari inveni ex ejus Epitaphio, quod in Annalibus Cisterciensibus ad annum* MCLXX, *cap.* 8, *num.* 13 *Manrique, itemque, sed nonnihil contractum, in Ecclesiastico de Castiliæ ecclesiis Theatro, tom.* I, *pag.* 9 *Davila recenset; ast, quamvis etiam Azebeyrensis, de quo hic, abbas anno* 1466 *obiisse in præfato Epitaphio dicatur, facileque adeo factum esse queat, ut cultus, quo quotannis Azebeyri, ut idem monumentum perhibet, Dominica* Quasi modo *seu prima post Pascha Gondisalvus gaudet, centum annis jam supra memoratam Urbani VIII bullam fuerit prægressus, de isthoc tamen Azebeyrensi Abbate in Opere nostro non agendum, Decessores nostri, optantes, ut tuta, priusquam id facerent, veros Ordinis Cisterciensis Sanctos ac Beatos a reliquis discernendi ratio a Cisterciensi aliquo assignaretur, loco supra cit. duxerunt; cum autem hæc ita habeant, talisque necdum ratio nobis fuerit suggesta,*

necdum

A *necdum etiam nos de* Gondisalvo *Azebeyrensi ad præsentem diem, cum præterea nec hoc uspiam Fastis sacris exstet insertus, in Opere nostro inter Sanctos agendum arbitramur.*

SS. Taracus, Probus et Andronicus *martyres hodie iterum vel partim vel omnes recurrunt in Hieronymianis apographis; verum vide, quæ de illis ad diem præcedentem in Prætermissis sunt dicta.*

S. Galla vidua et martyr, *cujus corpus Roma Vercellenses in Italia Carmelitæ acceperunt, hodie abs his colitur cultave certe olim fuit. Ita e pag.* 233 *manuscripti, penes nos exstantis, quo suam Romæ anno* 1661 *moram reditumque in Belgium Papebrochius descripsit, intelligo. Verum hic decessor noster nihil omnino, unde Sancta ista satis innotescat, adjunxit, nec quidquam de ea aliunde habemus compertum.*

SS. Danielis, Samuëlis, Angeli, Donni, Leonis, Nicolai et Ugolini in Lusitaniam translatorum *hodie meminit Maurolycus. Nos de septem*

B *hisce Ordinis Minorum Martyribus agemus ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno celebrantur,* XIII Octobris.

S. Geraldum abstinentia, sanctitate et miraculorum gloria clarum *hodie commemorant Dorgainus, Wionus, Ferrarius in generali suo Catalogo et Maurolycus; verum an recte eum vocant* monachum? *Cum Ferrarius et et Wionus in Annotatis, quæ* Geraldi *annuntiationi subnectunt, Equilini Catalogi lib.* 9 *cap.* 45 *citent, palam est, eos agere de* S. Geraldo, *qui in Auriliacensi, cujus comes seu toparcha erat, fundo monasterium exstruxit. Anne autem hic exstiterit monachus, definiendum erit ex ejus Vita, a S. Odone, secundo Cluniacensi abbate, litteris mandata. Hanc e Bibliotheca Cluniacensi, in qua a col.* 65 *recensetur, depromptam Gallicoque idiomate donatam D. Compaing, Savenensis in diœcesi Tolosana pastor, decimo quinto seculi hujus anno typis Auriliacensibus vulgavit; e præfatione autem, quam ei præmisit, credendum apparet,* Geraldum *e vita hac mortali, contra ac Equilinus statuit, ad immortalem transisse die, qua propterea de eo cum Bucelino aliisque*

C *nonnullis hagiologis erit agendum,* XIII Octobris.

S. Germanus eremita, *qui in Arverniæ prioratu, abs illo nomen sortito, vitam eremiticam duxisse fertur, hodie ibidem coli in Ms., quæ penes nos exstat, notitia asseritur; ast cum pauca de Sancto illo hactenus habeamus comperta, futurumque forsan sit, ut temporis lapsu plura edoceamur, expedit enimvero, ut, seposita tantisper ista notitia, Mabillonium in Actis Benedictinis hic sequamur, ac proin ut de* S. Germano *non agamus ante diem, in quem cultus ejus ab* D *auctore illo ibidem Sæc.* 6, *part.* 2 *pag.* 109 *in notula, huic subjecta, differtur,* XVI Octobris.

S. Troësii abbatis, qui plenus dierum migravit ad Dominum, *memoria hodie Nivernis signatur in duobus Usuardinis apud Sollerium Auctariis, altero Victorino, reginæ Suciæ altero; verum, cum hic Sanctus, qui aliter etiam* Trojecius, *Gallice* Troé, *vocatur, nobis hactenus parum sit notus. futurumque forsan Nivernensium hagiologorum opera sit, ut temporis lapsu notior evadat, præstat sane, ut de eo non agamus ante diem, quo a Castellano in Martyrologio Universali memoratur atque a Nivernensibus colitur,* XVII Octobris.

S. Pierius presbyter Alexandrinus *hodie a Maurolyco et Galesinio, itemque in Mrl. Germanico,* Canisii *vulgo dicto, et a Ferrario in Generali Sanctorum Catalogo celebratur; verum de eo agemus ad diem, quo in Martyrologium Romanum hodiernum est illatus,* IV Novembris.

S. Victoriam virginem martyrem *Marietta hodie refert in Tabula, Ecclesiasticæ suæ de* E *omnibus Hispaniæ Sanctis Historiæ præfixa; verum, cum hujus deinde lib.* 4, *cap.* 43, *ubi de sancta illa Virgine tractat, fuisse gladio in S. Ursulæ Sociarumque martyrum consortio obtruncatam, affirmet, silque de hisce a nobis die* XXI *Octobris cum Martyrologio Romano hodierno agendum, tum forsan major de* S. Victoria *lux affulgebit, poteritque proinde, si id fiat, commodius de ea agi ad diem, quo, ut Marietta loco cit. docet, corpus ejus, Colonia Agrippina in Hispaniam advectum, in cathedrali Burgensi ecclesia honorifice fuit depositum,* X Novemb.

Patricianum episcopum *hodie in Scotia signat Ferrarius in generali Sanctorum Catalogo, idemque etiam facit in Menologio Scotico Dempsterus, notis litterariis adjectis pro se citans Breviarium Scoticum et Hectorem Boëtium; verum, etsi quidem hic Scotorum historicus* Patricianum *episcopum impense laudet, eumque beatissimo fine quievisse, Hist. Scoticæ lib.* 8 *sub finem affirmet, nihil tamen affert, unde elicias, eum cultu publico aut gaudere aut aliquando fuisse gavisum;* F *nec scio, quale sit Breviarium Scoticum, quod a Dempstero laudatur. Certe in Sanctorum, e Scotico Aberdonensi Breviario acceptorum, Catalogo Ms., qui penes nos exstat,* Patriciano *locus non est, ut vel hinc de publico ejus cultu saltem dubitari non immerito queat. Quod si tamen hunc forsan sufficienter quis probarit, de* Patriciano *agi poterit ad diem, quo a Camerario celebratur ut Sanctus,* XXVIII Novembris.

DE

A

AUCTORE J. B. F.

DE S. PINITO EPISCOPO

CNOSSI IN INSULA CRETA

SYLLOGE

Ætas et cultus.

CIRCA ANNUM CLXXXX. *Antiqua Sancti memoria apud Eusebium*

Eusebius Pamphilus lib. 4 *Historiæ Ecclesiasticæ late prosequitur, quæ sub imperio, M. Aurelii Antonini cum fratre suo L. Ælio Vero regnantis, id est, ab anno* 160 *ad annum* 180, *venerunt memoratu digna; et cap.* 21 *de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui tunc floruerunt, ista habet:* Iisdem temporibus in Ecclesia floruit Hegesippus, *de quo egimus* VII *Aprilis*, et Dionysius Corinthiorum episcopus, *cujus virtutes et Acta elucubrata sunt in nostro Opere ad diem* VIII *Aprilis*, Pinytus quoque Cretensium episcopus, Philippus præterea et Apollinaris ac Melito : Misanus etiam et Modestus, ac potissimum Iræneus *. Quorum omnium libri, sinceram Apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes, ad nos usque pervenerunt. *Sequentibus capitibus de singulis seorsum agit Eusebius, ac cap.* 23, *ubi de S. Dionysii epistolis tractat, has inter unam ad* S. Pinitum *Cnossi episcopum missam, hujusque ad S. Dionysium responsum recenset, cujus verba hic transcribo:* In eodem volumine continetur etiam epistola ad Gnossios, in qua Pinytum ecclesiæ illius episcopum monet, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus tamquam necessarium imponat, sed ejus, quæ in plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat. Cui epistolæ respondens postea Pinytus, admiratione quidem ac laudibus effert inprimis Dionysium; sed tamen hortatur, ut solidiorem cibum tandem impertiat, et, transmissis iterum perfectioris doctrinæ litteris, plebem sibi com missam alere velit: ne forte lacteis sermonibus perpetuo innutriti homines, in infantili quadam disciplina paulatim consenescant. Quæ quidem epistola et rectam Pinyti fidem et sollicitudinem de profectu plebis ipsi commissæ, eloquentiam quoque et peritiam rerum divinarum, velut tabella quadam picta, egregie commonstrat.

B

*Irenæus

2 *Hunc sanctum Cnossiæ urbis, quondam regiæ (de qua videndus Strabo Geographiæ lib.* 10) *nunc destructæ, Antistitem ad diem* X *Octobris martyrologi celebrant, ac inprimis Romanum parvum Martyrologium, cujus annuntiationem hic accipe:* In Creta, Pinyti inter episcopos nobilissimi. *Cum eodem fere elogio ejus indicavere natalem Ado et Usuardus. In Martyrologio vero hodierno Romano exornatur hoc encomio:* In Creta insula beati Piniti inter episcopos nobilissimi; hic Gnossiæ urbis Episcopus sub Marco Antonino Vero et Lucio Aurelio Commodo floruit, et in scriptis suis, velut in quodam speculo, viventem sui reliquit imaginem. *Quæ phrasi simili aut aliquantum alia referuntur apud Maurolycum, Felicium, Ghinium, Galesinium, Canisium et in nonnullis Mss. Atque hæc pauca de Sancto nostro potui reperire: reliqua vero, quæ nobilissimum Gnossi Præsulem scripsisse, tradunt Eusebius et jam laudati martyrologi, inter deperdita recensentur.*

et martyrologos. E

C

DE SS. EUSEBIO, ERACLIO

F

DIONYSIO, SEPTIMO SEU SEPTIMA

AUT SEPTIMIA, SECUNDA ET SALSA MM.

IN AFRICA.

C. B.

EX MARTYROLOGIIS.

SEC. I AUT ALIQUO E TRIBUS SEQQ. *Sancti, qui, etsi etiam heri annuntiati, ad hunc diem spectant,*

Sex Martyres, in titulo hic propositi, qui omnes hodie, si Septimum *seu* Septimam *aut* Septimiam *exceperis in, Epternacensi apud Florentinium Hieronymiano apographo asbque aliis, de quibus infra sumus acturi, incerti loci Martyribus annuntiantur, heri etiam, hisce additis, nec* Septima *seu* Septimo *omisso, in eodem Epternacensi apographo ita recensentur:* Africæ *(alia Hieronymiana apographa habent* In Africa*)* Eusebi, Eradi, Dionysii, Septimæ, Secundæ, Salsæ. *Ast, cum in omnibus prorsus aliis Hieronymianis Fastis, a quibus Martyres isti aut partim aut omnes referuntur, hodie dumtaxat id fiat, heri eos, uti etiam*

AUCTORE C. B.

iam jam dictos, cum et hi in omnibus aliis Hieronymianis Fastis aut partim aut omnes hodie dumtaxat referantur, loci incerti Martyres loco non suo in Epternacensi apographo memorari atque ad hunc diem pertinere, Florentinius in Notis recte observat. Atque id quidem certum apparet, uti etiam non tantum Dionysium, *qui in omnibus Hieronymianis codicibus non contractis hodie signatur, verum etiam* Eusebium *hodiernis Africanis Martyribus in Epternacensi apographo recte accenseri; etsi enim hic nec in majori quod Florentinius in Notis suppeditat, Corbeiensi apographo, nec in vetustissimo apud Dacherium, quod S. Hieronymi nomine insignitur, Martyrologio inveniatur, in ipso tamen etiam Hieronymiano Florentinii textu, in Gellonensi apud Dacherium apographo ac denique apud Marteneum tom.* 3 *Anecdot. in Martyrologio, annis circiter mille sub S. Hieronymi nomine compacto, reliquis omnibus, de quibus hic, Martyribus, veluti horum dux et antesignanus, præponitur.*

partimque aliter in Florentinii textu, aliter in Epternacensi apographo efferuntur.

2 *At vero in dicto Florentinii textu legitur:* In Africa Eusebii, Eraclii, Dionisi, Septimi, Scien-di, Salsi; *hinc autem dubitari potest, primo quidem an cum hoc Hieronymiano apographo* Eraclius, *an contra cum Epternacensi* Eradius *vocandus sit, qui secundo hic numeratur inter Martyres Africanos loco; deinde vero, virilisne, an contra feminei sexus, qui tres horum posteriores sunt, aliterque in Epternacensi apographo, quam in Florentinii textu scribuntur, exstiterint. Ast cum figura, quæ ex littera* l, *inferne cum littera* c *conjuncta, exsurgit, ad figuram litteræ* d *quam proxime accedat, facillime fieri potest, ut littera* d *seu potius hujus partes, si inferne haud satis connectantur, pro litteris* c *et* l, *aut contra ut hæ, si inferne altera cum altera propemodum conjungatur, pro littera* d *accipiantur; postremum autem, quod nominis* Heraclii *seu* Eraclii *littera* l *in Ms., quod librarius describebat, inferne cum littera* c *propemodum esset conjuncta, fuerit verosimillime hic factum. Ita autumo, non tantum quod* Heraclii *nomen admodum vulgare sit, verum etiam, ac præsertim quidem, quod in plerisque Hieronymianis apographis, ab Epternacensi distinctis, non* C Eradi *seu* Eradii, *sed* Eracli *seu* Heraclii *legatur. Hinc porro jam fit, ut, cum pariter in plerisque Hieronymianis codicibus, non* Scien-di *et* Salsi, *ut in relato Florentinii textu fit, sed* Secundæ *et* Salsæ *legatur, nominibus hisce non viros, sed mulieres designari opiner, utque præterea, cum* Septimi *non minus sæpe, quam* Septimæ *aut* Septimiæ *in Hieronymianis codicibus occurrat, nondum etiam, re licet studiose discussa, virne. an mulier nomine isto designetur, determinare queam, meumque idcirco de modo, quo id exarandum sit, dubium in titulo indicarim.*

contractioribus etiam Hieronymianis aliisque recentioribus

3 *Atque hæc ex Hieronymianis apographis non contractis jam dicta de sexu nominibusque Africanorum nostrorum Martyrum sufficiant. Aliquot porro ex his in contractioribus etiam apud Sollerium codicibus inveniuntur. In Richenoviensi quinque sic memorantur:* In Africa Eusebii, Eraclii, Dionisii, Secundæ, Septimi. *In Augustano itemque in Labbeano quatuor* D *dumtaxat recensentur, sed iis, quod et in supra laudatis Gellonensi apud Dacherium et vetustissimo apud Marteneum Martyrologiis fit, mox duo tresve adduntur alii, e sequenti in codicibus non contractis classe perperam accepti, vocibus interim* et alibi, *quæ in hisce post Martyres nostros reperiuntur, hosque seorsum ab aliis, qui sequuntur, passos indicant, omissis. Ceterum, ut jam adductis codicibus contractioribus breviorem etiam, qui et ipse a Sollerio exhibetur, Corbeiensem adjungam, in hoc ita habetur:* In Africa Eradi, Dionysii, Septimiæ. *De omnibus porro et singulis hisce tribus, imo et de aliis itidem tribus supra memoratis Africanis Martyribus silent omnes, qui* VIII *et* XI *seculo floruerunt, martyrologi; at non similiter omnes, qui aliqua deinde horum Martyrologiis addidere. Apud nos ante tom.* 2 *Martii in Barberiniano Bedæ Auctario legitur:* In Africa natale SS. Eusebii, Eraclii, Dionysii. *Accedit Additionum soluta oratione ad Wandelbertum auctor. Hic sic habet:* In Africa Eusebii, Heracli. *Grevenus et qui Florarium nostrum Ms. concinnavit, duos hosce Martyres pariter memorant; sed et ipsi, eadem, quam mox carpsi, agendi ratione servata, perperam cum eis* E *conjungunt S. Venustum, alterius classis martyrem, continuo cum aliis, ad hanc spectantibus, infra hic dandum.*

Festis sacris partim exstant inserti.

4 *Atque ita quidem duo hi hagiologi; Galesinius porro, qui hic denique etiam memorandus venit, annuntiationem adhibet hujusmodi:* In Africa sanctorum martyrum Euboraci, Eusebii, Sereni et Probi; *ita autem non unum dumtaxat, ut isti, sed duos alterius classis Martyres, quorum alter Probus cum Tharaco et Andronico in Cilicia, alter Serenus, cum pluribus aliis, ut mox infra videbimus, loco incerto est passus, cum duobus classis, de qua hic agimus, Martyribus* Heraclio et Eusebio, *aut certe cum horum posteriori perperam pariter conjungit. Ac primum quidem fecerit, si pro* Heraclio *seu* Eraclio, *ut Florentinius in Notis suis suspicatus est,* Euboracum *corrupte exararit, postremum vero, si forsan, cum vel ipse vel alius, quem ipse deinde fuerit secutus, sequentia isthæc verba,* S. Paulini episcopi, Eboraci, Eusebii, Sereni et Probi, *in Hieronymiano quopiam apographo legisset, nomen* F Eboraci *seu* Euboraci, *quo ibidem designantur notissima Angliæ civitas, per errorem seu debitæ attentionis defectum, uti illos, qui S. Paulini, Eboracensis in Anglia archiepiscopi, annuntiationi Eubrachii confessoris memoriam in Usuardinis aliquot apud Sollerium auctariis adjecerunt, certo fecisse, in hodiernis Prætermissis jam vidimus, pro nomine martyris acceperit, huncque una cum Sereno et Probo, quod eos cum martyre Africano* Eusebio *conjungi videret, in Africa signarit. Utut sit, plura, quæ de sex nostris Africanis Martyribus dicam, haud invenio, cumque etiam præ monumentorum, quæ de iis tractent, penuria ne determinatum quidem, quo passi sint, seculum assignare queam, hinc supra in margine Sec.* I *aut aliquo e tribus seqq. adscripsi.*

DE

A

AUCTORE C. B.

DE SS. CAITIO, QUINTASIO

SEPTIMINO SEU SEPTIMO, VENUSTO, BEATO, SECUNDO

DONATO, SERENO, CRESCENTIO

NICETIO, VITALE SEU NATALE, FIRMINO

ERACLIO SEU HERACLIO, ET EUSEBIO MM.

EX MARTYROLOGIIS ET ANTIQUISSIMO KALENDARIO CARTHAGINENSI.

SEC. INCERTO. *Sancti, in quorum annuntiatione ab Hieronymianis hic memoratis Epternacense*

Corbeiense apud Florentinium in Notis Hieronymianum apographum hodie post sex, de quibus jam actum, Africanos martyres duo isthæc vocabula Et alibi, *quibus non eodem, quo hi, loco passi esse, quos subdit, Martyres alii indicantur, mox ponit ac ita prosequitur:* Caiti, Quintasi, Septimi, Venusti, Beati, Secundi, Donati, Sereni, Crescenti, Taraci, Probi, Androni ci, Niceti, Natalis, Firmini, Heracli, Cassi, Eusebi, Florenti, Victoris. *Corbeiensi ad amussim consonat vetustissimum apud Dacherium, quod S. Hieronymi nomine insignitur, Martyrologium. Nec abs hoc et Corbeiensi Florentinii textus seu Lucense apographum, simodicum quantum ad modum, quo nomina aliquot aliter in hoc, quam in illis, efferuntur, discrimen exceperis, multum dissentit, utpote post Martyres in Africa annuntiatos sic habens:* Et alibi Caiti. Quintasi. Septimini. Venusti. Beati. Secundi. Donati. Serene. Criscenti. Taraci. Probi. Andronici. Niceti. Vitalis. Firmini. Eracli. Cassi. Eusebi. Florenti. Victoris. *Ast Epternacense antiquissimum a tribus hisce jam adductis apographis nonnihil discrepat: præterquam enim quod Martyrum incerti loci classem, quam hæc hodie annuntiationibus modo datis memorant, perperam heri, ut mox in Martyribus Africanis*

C *monui, recenseat, Probum, qui in illis annuntiationibus Andronico præponitur, omittit, Victorique, qui in iisdem annuntiationibus locum ultimum occupat, Jocundum substituit; qua quidem in re hic illud, quod solum sit, sequendum haud duxi.*

discrepat, ob rationem hic allegatam seorsum ab aliis dantur,

2 *Adhæc has voces et* alibi *post* Eraclium *repetit, itaque martyres, quos mox subdit, non eodem, quo idem* Eraclius *cum aliis ei præmissis martyribus, passos esse loco, significat. Neque vero postremo hoc in capite carpendum videtur. Utut tamen sit, certe equidem e Martyribus, quos* Eraclio *præmittit, duo ut minimum, Tarachus nimirum et Andronicus, alio prorsus loco, quam Cassius et Florentius, quos eidem* Eraclio *subjungit, sunt passi. Hi enim, uti infra hoc ipso die in Martyribus, Coloniæ Agrippinæ et in ejus vicinia passis, videbitur, una cum Victore in Germania; illi vero seu Tarachus et Andronicus, uti ex eorum Actis, ad diem proxime sequentem, quo in Martyrologio Romano memorantur, Operi nostro in Octobris Tomus V. serendis, constat, una cum Probo in Cilicia vitæ suæ cursum, fuso pro Christo sanguine, consummarunt. Hinc porro jam consequitur, ut, quibus locis sex illi martyres, Tarachus videlicet, Probus, Andronicus, Cassius, Flo-* E *rentius et Victor, passi sint, habeamus compertum: cum autem id ita sit, locumque contra, quo Martyres quatuordecim, supra in titulo propositi, martyrium subierint, penitus ignoremus, vel idcirco de hisce solis, utpote distinctam incerti loci Martyrum classem, quæ propterea nec sex illos, utut cum istis quatuordecim in Florentinii textu, in vetustissimo Dacherii et in Corbeiensi apographo conjunctos, complectatur, constituentibus, seorsum hic agimus. Ast ut plerumque alias, dum de Martyribus, sola fere Hieronymianorum codicum ope notis, tractatur, evenire solet, ita etiam hic, quæ de quatuordecim nostris Martyribus dicamus, ægre invenimus.*

nonnullisque de modo, quo vocandi sint aliqui, præmissis,

3 *Etenim eorum martyrii non tantum palæstra, sed et epocha in obscuro est, tantumque abest, ut, quæ gesserunt, vel utcumque sint nota, ut ne modus quidem, quo quorumdam efferenda sint nomina, sat certo innotescat. Interim, etsi* Nicetæ *et* Firminæ *in Epternacensi Hieronymiano apographo legatur, aliis tamen, in quibus* Niceti *et* Firmini *invenitur, Hieronymianis omnibus apographis potius, quam uni Epternacensi, adhærendum putavi; quamvis autem* Serene *seu* Serenæ *non tantum in Epternacensi, sed et in Gellonensi* F *apud Dacherium apographo ac in ipso Florentinii textu occurrat, alia tamen, in quibus* Sereni *habetur, Hieronymiana apographa numero plura sunt nec autoritate inferiora, hincque ea, quibus etiam Galesinius et additiones, soluta oratione ad Wandelbertum factæ, suffragantur, sic sum secutus, ut duorum simul Martyrum, quorum alter tertium, alter undecimum quatuordecim inter, de quibus hic agimus, locum obtinet, nomina in titulo sub disjunctione expresserim, quod, quamvis quidem e geminis modis, quorum altero* Septiminus *et* Vitalis, *altero* Septimus *et* Natalis *duo isti Martyres vocantur, prior in Florentinii textu et in Epternacensi apographo fundetur, posterior tamen haustus sit e Corbeiensi apographo et vetustissimo apud Dacherium S. Hieronymi nomine insignito Martyrologio, quæ Epternacensi et*

auctore C. B.

Florentinii textui auctoritate et pondere vix cedunt. Hodie quidem Vitalis *in aliquot Kalendariis etiam legitur, sed hæc tantæ auctoritatis non sunt, ut propterea Hieronymianos codices, in quibus* Natalis *scribitur, mendi insimulem, aliisque, in quibus habetur* Vitalis, *certo standum affirmem.*

Fasti alii, quibus partim sunt inscripti,

4 *Aliter loquendum censerem, si præterea, ut in duobus præfatis Hieronymianis apographis non contractis, ita etiam in aliquot contractis scriberetur* Vitalis; *verum hæc* Vitalem *seu* Natalem *nuspiam memorant, omissoque etiam* Septimino *seu* Septimo, *e quatuordecim nostris Martyribus paucos tantummodo recensent, Morbacense nimirum, quod apud Marteneum tom.* 3 *Anecdot. exstat, solum memorat* Serenum; *Augustanum autem apud Sollerium itemque Labbeanum, cum* Sereno *non nisi adhuc unum,* Venustum *videlicet, Africanis aliquot Martyribus, de quibus supra egimus, perperam immixtum, proponit, iisque, quod apud eumdem etiam Sollerium reperitur, Richenoviense, utut hic reliquis omnibus contractis copiosius, quatuor tantummodo alios,* Beatum *nempe,* Secundum, Donatum, *et*
B Crescentium, *adjungit. Atque ita quidem Hieronymiana omnia apographa tum contracta, tum alia, qnæ vel de uno e Martyribus, ad hanc, de qua hic agimus, classem spectantibus, loqui comperi, modo enumeravi; quod autem ad Bedam, Adonem aliosque, qui seculo* VIII *aut* IX *floruerunt, martyrologos jam pertinet, hi de nostris illis omnibus incerti loci Martyribus altum silent: at non itidem omnes, qui Martyrologia, abs illis contexta, post auxerunt.*

recensentur, addito etiam Carthaginensi Kalendario,

5 *Certe apud nos ante tom.* 2 *Martii in Atrebatensi et Tornacensi Bedæ auctariis duo saltem ex illis,* Venustus *nimirum et* Crescentius, *utut Africæ horum palæstra perperam adscripta, una cum S. Victore, alterius classis martyre, memorantur hoc modo:* In Africa natale SS. Venusti, Crescenti *et* S. Victoris martyris. *Accedunt Additiones ad Wandelbertum, soluta oratione factæ. Harum auctor statim atque Eusebium et Heraclium in Africa annuntiavit, subjungit:* Et alibi Sereni et Crescenti, *itaque simul binos hosce Martyres, non in Africa, sed alio in loco fuisse coronatos, cum Hieronymianis melioris notæ codicibus recte indicat. Grevenus et Florarii nostri Ms. auctor*
C *e quatuordecim nostris Martyribus saltem unum,* Venustum *nempe, qui hosce inter quartus censetur, hodie etiam commemorant; ast eum, utpote quem ab Eusebio et Eraclio, quos in Africa signant, vocibus* et alibi *interjectis haud sejungant, Africanum cum duobus supra relatis Hieronymianis codicibus contractis, Augustano nimirum el Labbeano, perperam faciunt. Duobus hisce recentioribus hagiologis addendus adhuc est Galesinius. Hic quidem non* Venustum, *sed pariter saltem unum e nostris Martyribus,* Serenum *nempe, qui octavum hosce inter locum tenet, hodie etiam celebrat, etsi interim eum et ipse eodem modo, quo illi* Venustum, *Africanum perperam faciat. A Martyrologiis, quibus hactenus inhæsimus, veniamus modo ad antiquissimum ecclesiæ Carthaginensis Kalendarium.*

6 *Id, quod Mabillonius Observationibus a se illustratum tom.* 3 *Veterum Analect. editionis anni* 1682 *publici juris fecit, ac seculo septimo antiquius sub earum initium pronuncia-*

cui insertus est Quintasius, a nostro verosimillime haud diversus.

vit, sic habet: VI Id. Oct. sancti Quintasi; *in hunc autem monumenti istius certe vetustissimi locum laudatus Mabillonius sic observat:* In eodem Hieronymi Martyrologio, *vetustissimo scilicet Dacherii, in quo, ut statim dixit,* III Kal. Octob. *habetur:* „ Et alibi Januarii, Sosii „ etc. „ VI Id. Octob. notatur inter alios Quintasius hoc modo: „ In Africa Æraclii, Diony- „ sii, etc. Et alibi Caiti, Quintasi etc, „ cujus dies huic loco respondere videtur. *Ita ille, sibi nimirum* Quintasum *seu* Quintasium, *Kalendario Carthaginensi hodie inscriptum, cum* Quintasio, *quem hodie pariter vetustissimum Dacherii aliaque, ut supra vidimus, Hieronymiana apographa non contracta celebrant, unum atque eumdem videri, non obscure indicans. Et vero, quod Mabillonio hac in re visum est, mihi etiam verosimillimum, imo prope certum, apparet; ut vix ac ne vix quidem ambigendum putem, quin etiam unus saltem e quatuordecim nostris loci incerti Martyribus in antiquissimo, de quo hic nobis sermo, Kalendario hodie memoretur. Nec obstat, quod Hieronymiana apographa* Quintasium, *quem celebrant, alio loco, quam in Africa, passum prodant; neque enim Kalendarium Carthaginense vel Quintasii, quem memorat, palæstram* E *in Africa collocat, vel solos Martyres, ibidem passos, commemorat.*

Eum ex episcopis homonymis, quos memorat, alterutrum

7 *Quod si itaque, quæ ad Quintasium, Kalendario Carthaginensi hodie inscriptum, spectant, noverimus, ea simul, quæ ad* Quintasium (Quintisium *legit solum Epternacense) vetustissimo Dacherii aliisque supra relatis Hieronymianis apographis hodie insertum, pertinent, nos habere comperta, vix non indubitanter poterimus asserere. Atque hinc quidem modo non inepte sic argueris: Dictum ecclesiæ Carthaginensis Kalendarium hunc præfert titulum:* Hic continentur dies natalicionum Martyrum, et depositiones episcoporum, quos ecclesia Cartagenis anniversaria celebrant;* *cum autem, uti hinc nemo non concludet, Kalendarii Carthaginensis Quintasius cultu seu festo annuo celebratus ab ecclesia Carthaginensi fuerit, consectarium fit, ut verosimillime eumdem etiam in hac honorem Hieronymianorum* Quintasius, *utpote a Kalendarii Carthaginensis Quintasio verosimillime, ut dixi, haud diversus, fuerit adeptus. Verum quis posterior hic Quintasius? Mabillonius post verba, supra ex ipso huc transcripta, ita* F *prosequitur:* Epistolæ Patrum Arelatensium, Silvestro Papæ datæ, complures subscribunt episcopi, quos inter non paucos ex Africa istuc convenisse, non dubium. His Quintasius accensetur, cujus sedes nobis incognita. Adhæc inter Mauritaniæ Cæsariensis episcopos, qui cum ceteris ab Hunnerico Carthaginem acciti sunt, Quintasius Mutecitanus locum habet.

* Carthaginensis annuatim celebrat

suspicatur Mabillonius: quam quidem suspicionem merito, uti hic

8 *Mabillonius ergo, uti ex his ejus verbis apparet, propendet, ut credat, Quintasium, Kalendario Carthaginensi hodie inscriptum, ac proin etiam* Quintasium, *in Hieronymianis apographis hodie pariter memoratum, alterutrum ex episcopis, quos hic memorat, exstitisse. Neque vero prorsus immerito scriptorem illum ita animo affectum pronuntiare ausim. Etsi enim in Carthaginensi, de quo hic, Kalendario præter episcopos, quos pro martyribus accipere præpositum iis* Depositionis *nomen haud cogit, non alii, quam Martyres, ut Kalendario isti præfixus*

A *fixus moxque huc transcriptus titulus suadet, memorare videantur, ibidem tamen martyris nomen non tantum pro stricti nominis Martyribus, qui tormentis sibi pro fide inflictis sunt immortui, sed etiam pro iis, qui tormentis pro fide diu toleratis superstites in pace tandem quievere, accipitur, uti vel ex Felice Nolano, eidem Martyrologio ac Romano hodierno ad* XIX *Kalendas Februarii inscripto, qui certe, uti ad hunc diem in Opere nostro videre licet, tormentis sibi inflictis immortuus haud est, manifestum evadit. Jam vero, cum res ita habeat, est sane, cur merito, an Kalendarii Carthaginensis seu Hieroymianorum* Quintasius *cum alterutro ex episcopis homonymis, supra a Mabillonio memoratis, unus idemque haud sit, revocari saltem queat in dubium.*

adducta suadent,

9 *Etenim, etsi quidem Patrum Arelatensium epistola, Silvestro I Papæ data, cui cum aliis, ut Mabillonius ait, Quintasius, ignotæ sedis episcopus, subscripsit, anno* 314, *uti e Pagii in Baronium ad hunc annum Critica nemo non colliget, fuerit conscripta, nec post annum* 313, *quod tum diu pace gavi-*
B *sa fuerit Ecclesia, passum esse hunc episcopum, verosimile sit, fieri tamen potest, ut, Ecclesiam paulo ante id tempus Diocletiano ac Maximiano persequentibus, non paucas pro fide ærumnas pertulerit, iisque diu ac patienter toleratis superstes, post pacem Ecclesiæ redditam beato fine migrarit ad Dominum. Quod autem ad Quintasium, Mutecitanum episcopum, jam spectat, nec hunc invenio vitam terminasse martyrio, seu tormentis, quibus sit immortuus; verum, cum Catholicis Africæ episcopis, qui, ut Persecutionis Wandalicæ lib.* 4 *Victor Vitensis refert, ab Hunnerico, Wandalorum rege, acciti, Carthaginem pro reddenda fidei suæ ratione anno* 484 *venere, in Provinciarum et Civitatum Africæ Notitia accenseatur, fieri potest, ut etiam inter horum quadraginta sex, qui, eodem Victore teste, in Corsicam relegati tum fuerunt, locum habuerit, ibidemque post multas ærumnas, pro fide toleratas, diem extremum clauserit.*

10 *Cum itaque, uti e jam dictis consequitur, factum esse queat, ut pro Martyribus, nomine isthoc in strictiori significatione haud*
C *accepto, habiti ab ecclesia Carthaginensi fuerint ambo episcopi, a Mabillonio supra memorati, enimvero, an horum alteruter non exstiterit S. Quintasius, Carthaginensi Kalendario hodie velut martyr inscriptus, dubitari non immerito potest. Ac ego quidem magis propendeo, ut de posteriori potius, quam de priori e duobus dictis episcopis dubium illud moveri posse opiner, quod, cum ille facile in Corsica, uti e jam dictis pronum est colligere, obiisse queat, haud difficulter isthæc opinio possit componi cum altera, qua Kalendarii Carthaginensis Quintasium, unum atque eumdem puto cum Hieronymianorum apographorum* Quintasio, *qui alibi, quam in Africa, in hisce signatur. Ast erit fortassis etiam, qui idem dubium de Quintasio, incertæ sedis episcopo, moveri potius posse contendat, tum quod nihil omnino, quo minus hic alibi quoque quam in Africa passus seu mortuus credatur, impediat, tum quod* Quintasius *aliique incerti loci Martyres, qui cum eo hodie in antiquissimo apud Dacherium, quod S. Hieronymi nomine insignitur, Martyrologio supra plus semel jam laudato annuntiantur, prima huic manu, ut Ruinartius in suis in Africanæ ecclesiæ Notitiam Observationibus pag.* 365 *indicat, videantur fuisse inscripti, recentiorque sit Quintasius Mutecitanus, quam ut id in ipso locum habuisse facile credatur.* E

AUCTORE C. B. *concepisse videtur; ast cum certo vera haud sit, tempus, quo Quintasius*

11 *Utut res habeat, tempus equidem, quo Hieronymianorum* Quintasius, *utpote a Kalendarii Carthaginensis Quintasio, verosimillime, ut dictum est, haud diversus, mortuus sit aut passus, sat prope e tempore, quo secundum jam dicta præfati duo episcopi floruerint, determinari modo hic posset, si horum alterutrum non tantum existere potuisse, quod e jam dictis consequitur, sed et re etiam ipsa exstitisse Kalendarii Carthaginensis Quintasium, solide ac certo probari alicunde posset. Verum, cum id fieri haud queat, nihilque obstet, quo minus Quintasius alius, qui et Kalendario Carthaginensi et Hieronymianis apographis, pro Christo fuso alibi quam in Africa sanguine, meruerit inscribi, seculo* I *aut aliquo e tribus seqq. existere potuisse credatur,* Quintasii *nostri non magis, quam aliorum tredecim, quos cum eo hic dedimus, martyrum passionem seu obitum determinato seculo ausim innectere, hincque supra in margine* Seculo incerto *adscripsi.* F

et qui cum eo hic dantur, passi sint, manet incertum.

DE

AUCTORE C. B.

D

DE SS. GEREONE ET ALIIS CCCXVIII

DE SS. VICTORE EJUSQUE SOCIIS

ITEM DE SS. CASSIO, FLORENTIO ET PLURIBUS

ALIIS MARTYRIBUS

COLONIÆ AGRIPPINÆ ET IN EJUS VICINIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Palæstræ diversæ, quas Sancti nacti sunt; cur de hisce omnibus simul hic agatur, et qualia sint, quæ edituri sumus, eorum Acta.

E

B

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

S. Gereon et Socii Coloniæ Agrippinæ,

Martyres, in titulo hic propositi, qui an omnes exstiterint Thebæi, infra examinabitur, difficultates sane, ut hodie in Usuardo, a se illustrato, Sollerius observat, offerunt perquam implexas. Ut igitur in hisce utcumque enodandis ratione et via, ut convenit, procedam, de tribus diversis ad Rhenum urbibus, quarum quamque aliqui ex illis glorioso pro fide certamine illustrarunt, nonnulla præmitto. Primum hasce inter locum tenet Colonia Agrippina, omnibus passim adeo nota ac in Opere nostro, adductis, quæ ad illam illustrandam facerent, notitiis, tam sæpe memorata, ut necesse non sit, hic plura afferre, quo lectori notior evadat. Ibi porro SS. Gereonis *Sociorumque ejus trecentorum decem et octo palæstra a Floro, Adone, Usuardo et aliis plerisque martyrologis hodie signatur, nec his, quibus etiam Martyrologium Romanum hodiernum consentit, refragandum apparet. Etsi enim campi, quos* Gereon *Sociique ejus fuso pro Christo sanguine, ut traditio juxta ac horum Acta num.* 14 *perhibent, rigarunt, intra ipsammet Coloniam siti haud sint, adeo tamen civitati celeberrimæ sunt vicini, ut, quod gestum in illis fuit, fuisse quodammodo in hac gestum reputari queat. Adhæc locus, quo, ut infra videbimus, sanctissimi isti Martyres, statim a martyrio in puteum projecti, sepulturam post nacti sunt, magnificaque modo ecclesia, a* S. Gereone *nomen sortita, conspicitur, haud procul a loco, quo sunt passi, fuit remotus, Coloniensibusque mœnibus nunc includitur. Hæc ex infra dicendis magis illucescent.*

C

S. Victor et Socii in Sanctenses, quod inde etiam, non vero,

2 *Ad alteram modo e tribus hic memorandis urbibus, ad quam* S. Victor *ejusque Socii martyrio coronati sunt, progrediamur. Hanc, quæ ab incolis* Santen *seu* Zanten *vocatur, Latine* eruditi Sanctos, vulgus Xantem appellat. *Ita in suis in Fortunati lib.* 2 *Notis pag.* 45 *Browerus; ex illa autem, quam, ut, ait, Sanctensi oppido vulgus tribuit, appellatione ortum reor, ut quidam medio ævo aut nonnihil serius, qui præpostero antiquitatis amore abrepti vel ab ipsismet Troianis, in Germaniam post Troiæ excidium appulsis, vel certe a Francis, origine, ut fabula ferebat, Troianis, conditum fuisse Sanctense oppidum, temere credebant, nomen huic* Xanti, *cum* Troia Minor *in majoris excisæ memoriam nuncupatum primo a suis conditoribus fuisset, inditum post fuisse, perperam existimarint, a fluvio quodam, qui, ut comminiscebantur,* Xantus, *nomenclatione a cognomini Troados fluvio accepta, vocatus fuisset, oppidumque Sanctense olim alluisset. Otto Frisingensis, qui seculo* XII *floruit, in Chronico suo lib.* 3, *cap.* 45 *sic scribit:* Victorem etiam cum CCCLX in urbe Troia, quæ nunc Xantis dicitur, interemerunt. *Nec ab hoc chronographo hodie in Martyrologio suo dissentit Grevenus, utpote* Victorem apud Troiam, quæ nunc *(verba ejus sunt)* Xanctis dicitur, *passum affirmans; id autem, quod jam dixi, sese existimasse, Adolphus, dux Cliviæ, qui Ms. Sanctense, hic infra pluribus memorandum, seculo* XV *concinnavit, luculentissime omnium prodit.*

Ut Sanctenses quidam putasse videntur,

3 *Etenim nonnulla primum, jam ab aliis conficta, de Priamo Juniore, Priami Magni Troianorum regis nepote, ejusque post Troianum excidium in Italiam, indeque, transmissis Alpibus, in Germaniam ad partes, Rheno vicinas, adventu in ista lucubratione sua præfatus, ita deinde in hac pag.* 18 *de eodem Juniore Priamo loquitur:* Civitatem prægrandem ædificavit, quam Troiam Minorem, quæ nunc Xanctis a quodam fluvio ibidem quondam circumfluente dicitur, nuncupavit. *Joannes Michael vonder Ketten, monasterii S. Mariæ Floris Ordinis S. Birgittæ intra Calcariam Prior, infra adhuc memorandus, in epistola, ad Papebrochium anno* 1692 *die* 7 *Maii scripta, ita fere quantum ad substantiam memorat. Apud Virgilium lib. Æneid. sequentibus hisce versibus:*

F

Procedo et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ,

Æneas, cum in Epirum ad Helenum, qui ibidem urbi, a se post Troiæ excidium conditæ, Troiæ Parvæ *fluvioque præterfluenti* Xanthi *nomen indiderat, appulisset, loquens inducitur; illos autem cum Sanctenses quidam antiqui, qui Francorum a Troianis originem credebant, legissent,*

AUCTORE C. B.

A *legissent, occasionem hinc, ut suspicor, arripuere dicendi seu potius comminiscendi, oppidum suum vocari* Xanthum, *quod a Troianis fuisset conditum, quodque, cum hi illud* Troiam Minorem *fluviumque præterfluentem vocassent* Xanthum, *factum tandem temporis lapsu esset, ut a fluvio illo oppidum, priori nomine antiquato, nomenclationem accepisset* Xanthi.

a Xantho fluvio, qui id aliquando alluerit,

4 *Ita ille; verum quidquid sit de suspicione, quam vir de Museo nostro plus semel bene meritus hic suggerit, fluvius equidem, nomine* Xanctis *seu* Xanthus, *qui undis suis Sanctense oppidum rigarit, nuspiam vel apud geographos vel apud scriptores alios fide dignos memoratur, cumque id ita sit, factum esse, ut illud a fluvio hujusmodi nomen suum acceperit, quis credat? Purum ac putum commentum esse, Pighius in Hercule prodicio et post hunc Fleyus in Circ. Westph. Annal. pag.* 269 *affirmant. Nec est, quod præterea dicas,* Troiæ *equidem nomine antiquitus distinctum inveniri Sanctense oppidum, facileque adeo fieri posse, ut, quamvis non a fluvio Xantho, qui id aliquando alluerit, a cognomini tamen Troadis*

B *fluvio, a quo haud procul (adi Geograph. Antiq. tom.* 2, *pag.* 37 *Cellarium) abfuit Troia Major, appellationem* Xanthi *acceperit; etsi enim vere istud oppidum non tantum in Actis edendis num.* 15 Troia, *verum etiam in pluribus vetustis tum Latinis tum vernaculis litteris, ibidem asservatis,* Troia Minor, *aut etiam, prout in suis Cliviæ Annalibus Teschenmacherus part.* I, *pag.* 21 *ait,* Francorum Troia *vocetur, id tamen, ut nonnulli contendunt,* Troiæ *nomen traxit non a Troia Majori excisa, sed a colonia Romana, e cujus et vicinorum sibi Veterum Castrorum ruinis emerserit.*

aut ab altero cognomini Troadis flumine,

5 *Hæc enim, quæ apud Cluverium Germ. Antiq. lib.* 2, *pag.* 90 *in Antonini Itinerario* Colonia Trajana *appellatur, Rhenumque descendendo Veteribus subjicitur, ibidem apud eumdem Cluverium in Tabula Itineraria per errorem* Colonia Trojana *nuncupatur, hincque, ut volunt, est factum, ut, visa Tabula hujusmodi, Sanctenses quidam, sat etiam antiqui, qui oppidum suum aut a Troianis aut a Francis, origine Troianis, conditum jam credebant, minime id vel* Coloniam Trojanam, *vel* Troiam

C Minorem *vel* Francorum *etiam* Troiam *appellare dubitarint. Verum Coloniam Trajanam procul abfuisse a loco, quo modo situm est Sanctense oppidum, hocque adeo ex illius ruinis haud emersisse, Cluverius aliique contendunt; cum autem id ita sit nec eorum opinio videatur improbabilis, modo etiam, Sanctenses antiquos, qui oppidum suum aut* Troiæ Minoris *aut etiam* Francorum Troiæ *nomine distinxerant, nomenclationem isthanc non a Colonia Trajana, per errorem* Troiana *vocata, sed ab ipsamet Troia Majori seu, ut dux Adolphus in Ms. supra laudato pag.* 51 *et Helinandus in Actis edendis num.* 15 *loquuntur,* a Majorum suorum sedibus *repetiisse, concedamus, neutiquam tamen consequens hinc erit, ut* Xanti *nomen, quo a vulgo, ut Browerus ait, appellatur idem oppidum, a Xantho, Troadis fluvio, fuerit deductum. Ita arbitror, quod ne quidem Troia Major, etsi etiam fuerit haud procul abs hoc, ut jam dixi, sita,* Xanthi *uspiam nomine inveniatur distincta.*

nomen accepit, Cliviæ oppido,

6 *Jam vero, cum res ita habeat, neque etiam, ut jam supra ostendi, Sanctense oppidum a fluvio Xantho, qui id olim alluerit, nomenclationem suam sit sortitum, reliquum est, ut hæc a* S. Victore *ejusque Sociis, ibidem martyrium passis, sit repetenda. Atque hinc, uti e Miræo in Fastis Belgicis et e Fleyo in Circulo Westphalici Annalibus pag.* 288 *disco, in ecclesiæ Sanctensis vestibulo sequens etiam titulus seu inscriptio,* Ad sanctos Martyres, *olim legebatur. Porro e jam dictis ulterius modo consequitur, ut, quamvis etiam, non tantum a vulgo, ut Browerus censuisse videtur, sed et ab eruditis nonnullis ac inprimis a Baudrando in Geographia, Cliviorum prope Rhenum, de quo hic disputamus infraque adhuc* § IV *sermo recurret, oppidum* Xanthi *appellatione donetur, potiori tamen jure* Sancti *aut* Sanctum *sit vocandum, nisi, ut fert parœmia, errare cum multis, quam sapere cum paucis, hic etiam fortassis præstet. Ceterum loquendi modo minus stricto usus* SS. Victoris *et Sociorum ejus palæstram in vicinia Coloniæ Agrippinæ, etsi interim ab hac illa seu Sanctense oppidum duodecim ut minimum Septemtrionem versus milliaribus Germanicis absit, constitui: qua de re lectorem hic adhuc monuisse contentus ad ultimam e civitatibus hic memorandis, Bonnam nimirum, jam progredior.*

ac demum SS. Cassius et Florentius, quos Veronæ in Hollandia

7 *Hæc itaque, quæ Moguntiam inter et Coloniam Agrippinam Rheno adjacet, quatuorque a postrema hac civitate milliaribus Germanicis distat, sacro* SS. Cassii, Florentii *ac plurium aliorum sanguine, pro fide effuso, fuit rigata. Ita constans ac perpetua, cui non pauca mox alleganda suffragantur, fert traditio. Verum hanc falsam esse seu* Cassium, Florentium *ac eorum Socios nequaquam Bonnæ pro fide occubuisse, Miræus hodie in Fastis Belgicis et Burgundicis contendit; id autem facit, quod per Veronam, ubi in Martyrologio Romano, priusquam in Urbani VIII jussu corrigeretur, sanctissimi illi Martyres hodie annuntiabantur, non Bonnam, sed Veterem illam Veronam, olim ad Rhenum haud procul ab Alcmaria, Hollandiæ oppido, sitam et* Vrongeist *nuncupatam, designari existimarit. Ac recte quidem, olim ad Rhenum seu potius fluentum e Rheno productum, in Hollandia Septemtrionali haud procul Alcmaria opulentum, quod anno* 1303 *fuit excisum, exstitisse oppidum, nomine* Veronam, *ex Hadriano Junio et Suffrido Petro probat; ast ibi* SS. Cassium F *et* Florentium *eorumque Socios martyrium subiisse, ex Actis hic edendis seu ex Helinando, qui hæc, ut infra videbimus, ex antiquioribus documentis conscripsit, neutiquam evincit. Etsi enim Helinandus, qui ad hoc præterea satis antiquus non est, sese per Veronam, ubi illos martyrio coronatos, num.* 13 *notat, designare Bonnam, nuspiam edicat, eum tamen ibi de Verona, Hollandiæ olim ad dictum fluentem oppido, haud posse intelligi, ex ordine, quem in rebus narrandis servat, fit perspicuum.*

Miræus perperam collocat,

8 *Etenim, hoc spectato, satellites, quos post legionis Thebææ cædem Agauno ad milites, ex hac adhuc superstites, trucidandos Maximianus misit, non adversum utique, sed secundum Rhenum sequendo instituere iter, idque facientes ad locum prius, quo mox* Cassium *et* Florentium *ac alios, quam Coloniam Agrippinam, ubi dein* Gereonem *ejusque Socios necarunt, pervenere; cum id autem, si* Cassius *et* Florentius *eorumque Socii Veronæ in Hollandia fuissent occisi, adstrui ab Helinando, veritate salva, haud potuisset, consectarium fit, ut, dum horum martyrium Veronæ collocat,*

de

AUCTORE C. B.

de Verona Hollandiæ non tantum non queat, sed et debeat de civitate altera, Rheni fontes inter et Coloniam Agrippinam sita, intelligi. Quod cum ita sit, nec præter Bonnam civitas alia, quæ Verona *etiam fuerit vocata, Rheni fontes inter et Coloniam Agrippinam reperiatur, nihil superest, quam ut de Bonna, ubi* SS. Florentius *et* Cassius *eorumque Socii pro fide occubuisse passim creduntur, Helinandum intelligamus.*

Bonnæ ad Rhenum, quæ etiam,

9 *Reponet quidem forsan non nemo, nec Bonnam* Veronæ *nomine ab antiquis auctoribus donari, itaque dumtaxat ex inscitia nominatam fuisse a quibusdam sequioris ætatis libraríis, qui, cum antiquam Historiam, qua S. Ursulæ Sociarumque ejus profectio e Britannia insula pertexitur, legissent ac ex illa, hasce hinc solventes Veronam vi tempestatum fuisse appulsas, intellexissent, nec Veronam aliam, quam Italicam, nossent, absurdum, quod referri videbant, rati sunt, hincque pro Verona Bonnam supposuere; verum nullam prorsus S. Ursulæ ejusque Sociarum antiquam Historiam vel Bonnæ vel Veronæ meminisse, Crombachius, qui rem sane diligentis-*

B *sime examinarat, in suis Ursulanis Vindiciis tom.* I, *lib.* 2, *cap.* XV *docet; etsi autem Bonna nec a Tacito, nec ab Ammiano Marcellino, nec denique ab ullo alio primariæ antiquitatis scriptore* Verona *nuncupetur, hoc tamen ei nomen uno aut altero post scriptorum illorum ætatem seculo attributum haud fuisse, pro certo quis asserat? Eorum quidem, qui Bonnam ad Rhenum aliquando dictam tradunt* Veronam, *falsa esse testimonia, Cluverius Germ. Antiq. lib.* 2, *pag.* 82 *affirmat A st, an recte?* Quam jam inde, *inquit,* a Neronis principatu eodem *(Bonna scilicet)* adpellata sit vocabulo, quo nunc etiam; quis credat, medio inter hæc sæculo aliud eam habuisse nomen?

ut probatur, seculo XI

10 *Ita ille; verum an quod hic vult, certo est amplectendum? Ita equidem mihi haud apparet; ast, utcumque res habeat, Bonna equidem sec.* XI *ac seqq. vocata etiam fuit* Verona. *Id e jam nunc dicendis patescet. Apud Surium die* IV *Decembris in S. Annonis Coloniensis archiepiscopi, Vita seculo conscripta, lib.* I, *cap.* 21 *legitur:* Duobus quoque peregrinis... apud Ve-

C ronam, quæ etiam Bonna dicitur, hospitantibus apparuit in visu magnæ claritatis scala: *ne vero textus hujus verba, quæ huc faciunt, fuisse forsan in codicem, qui Surio præluxit, a posterioris ævi interpolatore intrusa, suspiceris, in dicta S. Annonis Vita lib.* 2, *cap.* 19 *narratur etiam miraculum, in homine Bonnæ habitanti patratum, quod, quamvis quidem Surius, qui eo loco primævum auctoris stylum phrasesque mutavit, sine ulla* Veronæ *mentione recenseat, in altero tamen Vitæ ejusdem exemplari, quod codex noster OMS.* 12 *sub finem exhibet, diserte id homini,* in Verona, quæ dicitur Bonna, *habitanti; accidisse asseritur. Bonnam itaque seculo* XI *dictam etiam fuisse* Veronam, *quis adhuc, viso isthoc Vitæ Annonianæ testimonio, eat inficias?*

ac post Verona fuit vocata, palæstram

11 *Quod autem ad secula sequentia jam spectat, alteri e duobus monumentis lapideis, quibus sex e* SS. Cassii *et* Florentii *societate Martyrum ossa in collegiata Bonnensi ecclesia includuntur, aut certe ante inconoclasticum hæreticorum sec.* XVI *furorem erant inclusa, sequentes hi duo versus,*

Hæc socium sacræ me clusit * petra cohortis,
Quam, Verona, tibi vasta Thebæa dedit,

* clausit *vel* claudit

haud serius quam anno 1166 *fuerant inscripti. Ita litterarum, quas Joannes Hartmannus, ecclesiæ Bonnensis decanus, ad Miræum post visos hujus Fastos Belgicos anno* 1622 *Bonna dedit, excerptum, cum Rosweydo communicatum ac penes nos exstans, me docet, uti etiam in Engelberti Secundi, qui anno* 1274 *obiit, aliorumque aliquot posteriorum Coloniensium archiepiscoporum sepulcralibus inscriptionibus* Veronæ *nomine Bonnam distingui. Atque hæc, e quibus Bonnam non modo sec.* XI, XII *et* XIII, *sed et duobus proxime seqq. appellatam etiam fuisse* Veronam, *non immerito æstimes, verosimillime aut partim, aut omnia Grevenus et Molanus habuerint perspecta, hincque, cum* SS. Cassii *et* Florentii *cum Sociis suis martyrium Veronæ ab Helinando collocari conspicerent, illos hac in urbe, additione explicativa,* Quæ et Bonna dicitur *aut* Quæ et Bonna dicitur, *adjecta, hodie in Martyrologiis suis sec.* XVI *editis annuntiare haud formidarint.*

sunt adepti, etsi autem ita

12 *Neque vero etiam absque additione hu-*
E *jusmodi illos ab Helinando in Actis et a Petro in Catal. lib.* 9, *cap.* 46 *Veronæ, seu, ut a posteriori hoc auctore etiam scribitur, Beronæ perperam consignari, cum Baronio in hodiernis in Martyrologium Romanum Notis pro certo consideratis omnibus, quæ jam allegavi, asseverare ausim, præsertim cum et Helinandus et Petrus, Veronam seu Beronam, de qua loquuntur, ad Rhenum sitam fuisse, adjungant, narrationisque ordine a Verona Hollandiæ sat etiam distinguant. Verum, etsi ita animo comparatus sim, hæc tamen verba* Verona, quæ nunc Bonna dicitur, *a Surio hodie Sanctorum nostrorum Actis in margine adscripta, approbare haud queo; iis enim, Bonnensem urbem fuisse* Veronam *prius, quam* Bonnam *appellatam, non obscure absque ullo antiquitatis testimonio indicatur; cum autem id ita sit, possitque insuper, an vel jam tum, cum* Cassius *et* Florentius *passi sunt,* Veronæ *etiam nomine Bonna venerit, haud immerito, uti e jam supra allegatis nemo non intelliget, revocari in dubium, melius etiam facere reor scriptores, qui illorum cum Sociis martyrium, non Veronæ seu Beronæ, sed Bonnæ simpliciter collo-*
F *cant. Ast, utcumque hæc habeant, Bonnæ equidem seu prope Bonnam, quod hic eodem recidit,* Cassium *et* Florentium *cum Sociis suis subiisse martyrium, vel ex eo liquet, quod ibidem, uti infra videbimus, in collegiata abs ipsis nuncupata ecclesia omnia eorum ossa, paucis dumtaxat exceptis, hodieque asserventur, nec eo umquam vel Verona Hollandiæ, vel aliunde allata fuisse inveniantur.*

locis diversis passi sint, hic tamen ob Acta communia simul dantur.

13 *Accedit, illorum palæstram non alibi, quam Bonnæ, collocari ab omnibus, si Miræum, a quo, ut supra vidimus, Veronæ in Hollandia signatur, et nonnullos alios martyrologos, præsertim classicos, a quibus vel subticetur vel haud sat distincte exprimitur, exceperis. Verum, cum res ita habeat, ac proin, uti e jam dictis consequitur, alio loco* Cassius *et* Florentius *cum aliis pluribus, alio loco* Gereon *cum Sociis suis alioque item* Victor *cum suis passi sint, ut quid tamen hosce nostros Martyres hic omnes simul, utut etiam tribus diversis annuntiationibus in tres diversas quodammodo*

AUCTORE C. B.

A *dammodo classes in Fastis sacris divisos invicemque sejunctos, in uno ac solo de rebus, ad harum singulas spectantibus, Commentario conjungimus? Ita hic contra morem, a nobis servari similibus in casibus solitum, procedendum duxi, tum quod, quæ ad eosdem nostros Martyres spectant, tam arcte sint connexa, ut qui de horum uno alterove agit, is quodammodo de reliquis omnibus simul agere non raro compellatur; tum quod fortissimi isti Pugiles Acta habeant communia, seu in quibus de hisce omnibus,* Gereone *nimirum,* Victore, Cassio, Florentio *eorumque Sociis conjunctim tractatur.*

Hæc Helinandum qui sec. XIII floruit, habent auctorem;

14 *Hæc, quæ hodie apud Surium exstant, ac, ut Tillemontius tom.* 4 *Monument. Eccles. pag.* 429 *observat, sermonis, festiva Martyrum nostrorum luce in ipsamet Coloniensi urbe habiti, speciem præferunt, Helinandum, Frigidi-Montis* (*Gallice* Froimont) *Ordinis Cisterciensis in diœcesi Bellovacensi monachum, habent auctorem. Ita Vossius de Historicis Latinis lib.* 2, *cap.* 55, *pag.* 445, *Dupinus in Auctoribus Eccles., Loiselius in Monumentis*

B *Bellov. pag.* 202 *aliique affirmant, ea verosimillime ratione ducti, quod Vincentius Bellovacensis, Helinando æqualis aut certe suppar, ex Actis illis in Spec. Hist. lib.* 12, *cap.* 4, *pag.* 457 *multa de verbo ad verbum transcribat, hæcque Helinando diserte attribuat. Porro hic scriptor, qui ab aliis etiam* Helmandus, Elinandus *aut* Helmundus *vocatur, annoque* 1020 *claruisse a Trithemio de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 2, *cap.* 123 *perperam asseritur, seculo demum duodecimo ac ineunte tertio decimo floruit, uti manifestum evadit ex iis, quæ de eo Vincentius Bellovacensis mox laudatus in suo, quod anno* 1244 *absolvit, Spec. Hist. lib.* 29, *cap.* 108, *Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi pag.* 141, *Tissierus in Bibliotheca itidem Cisterciensi tom.* 7. *pag.* 73 *ac demum etiam Henriquez in Menologio Cisterciensi ad tertium Februarii diem memoriæ produnt; cum autem res ita habeat, multisque proinde seculis a Martyrum nostrorum qui, ut infra videbimus, sub Diocletiano ac Maximiano passi sunt, ætate Helinandus abfuerit, merito enimvero vel hinc fit, ut quæ de illorum martyrio adjunctisque id comitatis in litteras misit, haud multum auctoritatis*

C *ac fidei apud censores, minus etiam severos, inveniant.*

etsi autem ex Actis antiquioribus quæ,

15 *Ambigendum quidem non apparet, quin Helinandus, qui, aliis adhuc lucubrationibus, a se elaboratis, clarus, morum etiam ac vitæ probitate, uti vel ex Opere nostro ad tertiam Februarii diem in Prætermissis palam fit, exstitit illustris, e monumentis antiquioribus aut omnia aut saltem præcipua, quæ de Martyribus nostris memorat, deprompserit; verum anne hæc ipsa sat etiam, quo fidem certam atque indubitatam facerent, fuerunt antiqua? Exstant quidem etiam apud Mombritium tom.* 1, *pag.* 218 *versa breviora quæpiam Sanctorum nostrorum Acta; verum hæc, utpote nihil, quod in Actis Helinandæis non contineatur, complectentia, dumtaxat esse videntur ipsamet Helinandi Acta, in compendium, prologo et epilogo rescissis, contracta. Quod si itaque antiquiora quæpiam, quæ de rebus, ab Helinando narratis, fidem facere nata exstiterint, Martyrum nostrorum Acta scriptori isti vere præluxerint, oportet sane, ut a Mombritianis fuerint distincta. Et vero quæpiam saltem Sanctorum nostrorum aut, si mavis,* S. Gereonis *Acta, a Mombritianis distincta, quæ fuerint Helinandæis antiquiora, olim exstitisse, e S. Norberti apud nos ad* VI *Junii diem Vita, haud diu, ut ibidem docuimus, post Sancti hujus mortem, ac proin, cum hæc anno* 1135 *evenerit, ante Helinandi ætatem conscripta, concludendum apparet.*

uti ex hic allegatis apparet, olim exstiterint,

16 *In hac enim sec.* XII *lucubratione, num.* 49 *circa medium, ubi de corpore, quod a S. Norberto Coloniæ Agrippinæ in Gereonæa ecclesia anno* 1121 *fuit inventum, indicioque, quo id* S. Gereonis *a pluribus fuit creditum, sermo instituitur, sequentia isthæc occurrunt verba:* Et ne quis dubitet, ipsum *(inventum scilicet corpus)* S. Gereonis non esse, sciat pro certo, verum agnitionis ejus fuisse indicium, quod de morte et martyrio ejus legebatur, quod pars capitis, et non totum caput esset abscissum. *Quæpiam itaque, uti ex his Vitæ Norbertinæ verbis, simulque e jam supra de hac allegatis apparet, olim exstiterint Martyrum nostrorum aut saltem* S. Gereonis *Acta, verosimillime, si non multo citius, aliquamdiu saltem ante sec.* XII *conscripta ac proin Helinando præluxere? Id enimvero mihi haud apparet, imo contra, cum mortem* (*verba, e S. Norberti Vita mox relata, videsis*) S. Gereoni, *capite dimidio abscisso, fuisse illatam, tradant, id saltem quod nihil simile Helinandus prodat, scriptori huic illa haud præluxisse, qualicumque argumento est.*

E

haud multum fidei acquirant, hic tamen edentur,

17 *Nec, etsi secus foret, Actaque illa præluxisse Helinando, omnino etiam haberetur compertum, multum inde auctoritatis ac fidei, quod, quo tempore, qua fide et a quo scripta illa sint, adhuc lateret, accederet ad Acta, quæ Helinandus contexuit. Quod cum ita sit, hæc sane, utpote ipsamet, ut supra ostendi, auctorem, longissimo temporis spatio a rebus, de quibus agunt, remotum, habentia, exiguo dumtaxat in pretio sunt habenda. Verum, etsi sic habeat, ea tamen, quod meliora haud suppetant, in capita ac numeros pro more nostro divisa notisque subjectis, ubi id fuerit necesse, illustrata, e codice nostro PMS.* 159, *facta hujus cum editis a Surio et Ms. Audomarensi collatione, ad Commentarii hujus calcem re-*

F *cudam, etsi autem Mombritiana, quorum supra notitiam dedi, Martyrum nostrorum Acta pariter recudere, quod, ut supra dixi, Helinandæorum dumtaxat sint compendium, visum haud sit ea tamen, sicubi forsan id expedire judicaro, in Commentarii hujus decursu adhibiturus etiam sum.*

nec quæ in Lucubrationis, de cujus auctore,

18 *Nec velut prorsus inutilem negligam membranaceum, ut in titulo vocatur, antiquæ capituli et ecclesiæ* S. Victoris *oppidi Sanctensis bibliothecæ librum, jam supra a me sub* Ms Sanctensis *nomine citatum, itaque deinceps ut brevitati studeam, infra etiam, quotiescumque id res tulerit, citandum. Hic, quem anno* 1692 *a se descriptum Joannes Michael vonder-Ketten supra laudatus ad Papebrochium nostrum misit auctorem habet Adolphum, primum e Cliviæ comite regionis ejusdem ducem. Ita hic ipsemet, libri illius seu lucubrationis, quam hic complectitur, pag.* XI, *me docet, mox etiam compendio exponens, quænam in isthac*

cui

AUCTORE C. B.

cui scribendæ, ut pag. 21 *indicat, anno* 1420 *operam dabat, præstiterit. Ea, ut, quo loco habendum sit Opusculum, patescat, lectori ob oculos pono. Auctor perquam illustris, qui velut princeps numeris omnibus absolutus a Teschenmachero in Cliviæ Annal. part.* 2, *sect.* 2 *laudatur, in prima e partibus quinis, in quas Opus suum partitur, nonnullorum de origine, quam Franci a Troianis trahant, nominibusque, quæ hi Sanctensi oppido indiderint, commenta amplexus, quadrigentis ac quinquaginta quatuor id annis ante Romam conditum statuit; quod sane nemo admittat.*

argumento

19 *Ast, quæ in reliquis Operis sui partibus memorat, proponamus. In secunda mox SS. Mauritii Sociorumque Thebæorum MM., de quibus apud nos ad diem* XXII *Septembris jam actum, ac dein* SS. Victoris, Gereonis, Cassii, Florentii *Sociorumque item MM., quorum pars in oppido illo martyrium subiit, Passiones, sub Diocletiano et Maximiano toleratas, prolixe exponit; in tertia non pauca, quæ ad Constantinum Magnum imperatorem matremque ejus S. Helenam spectant, perstringit; in quarta de ecclesiis, abs hac, ut vult, Co-*

B *loniæ Agrippinæ, Sanctis ac Bonnæ in Sanctorum nostrorum, quorum corpora ibidem invenerit ac terræ mandarit, honorem extructis, tractat, ac in quinta denique varios ecclesiæ collegiatæ Sanctensis casus adversos, plurium in hac corporum, quæ, ut putat, Sociorum* S. Victoris *exstitere, ibidemque a S. Helena fuerant humata, inventiones, reliquiarum ejusdem* S. Victoris *translationes aliaque, ad ejus potissimum ac partim etiam* S. Gereonis *cultum seu gloriam posthumam pertinentia, commemorat.*

ac fide hic disseritur.

20 *Verum omnia, quæ partium harum secunda, tertia et quarta (neque enim etiam de prima, cum commentitia, quæ hac memorantur, certo sint, loquendum hic est) memoriæ prodit, quintum æræ Christianæ seculum, uti e jam dictis facile colliges, sunt prægressa, cum autem res ita habeat, ac proin in illis duæ Adolphus, qui a seculo isto, utpote anno* 1448, *ut Teschenmacherus loco supra cit. docet, vita functus, mille amplius annorum spatio abfuit, majorem certe quam sit documentorum, e quibus hausit, fidem haud mereatur, enimvero, quantum ad sua illa in tribus dic-*

C *tis partibus narrata, haud magnam, cum hæc vel ex Helinandæis Sanctorum nostrorum Actis, vel ex aliis, quorum notitiam haud præbet, incertæ ætatis ac fidei documentis dumtaxat acceperit, lucubrationi suæ, quæ pietatem alioquin ubique fere spirat, auctoritatem adjungit.*

parte quinta narrantur, parvo usui sunt futura.

21 *Hinc illa rebus, quæ ad Sanctos nostros spectant, illustrandis aut nulli aut certe admodum exiguo erunt præsidio; ast aliter quantum ad ea, quæ in postrema seu quinta Opusculi illius parte narrantur, res habet. Talia enim hæc sunt, ut pleraque, si conspecta ab Adolpho haud fuerint, ei saltem vel e traditione, a tempore, quo gesta erant, haud nimium, remota vel ex authenticis ecclesiæ oppidive Sanctensis, quæ subinde citat, facileque sibi, cum in hoc haberet imperium, comparare potuit, monumentis explorata verosimillime exstiterint. Quid quod Adolphus supplicationem, sollenni ritu institutam, in qua ipsemet, ut scribit,* S. Victoris *reliquias humeris suis portavit, in dicta etiam ultima seu quinta Opusculi sui parte commemoret? Etsi itaque* D *hanc prelo integram hic mandandam haud censeam, ac vix, quæ complectitur, adhibiturus in hoc Commentario sim, ea tamen magna ex parte haud parvo mihi, quod præcipue ad* S. Victoris *ac partim etiam ad* S. Gereonis *cultum spectent, usui sunt futura, dum de posthuma Sanctorum nostrorum gloria tractabo; quod, cum Helinandæa horum Acta Commentario huic subdidero, sum facturus, addita ad calcem, velut coronidis loco, epistola, qua corporis, quod* S. Gereonis *creditum passim fuit, inventionem, Coloniæ Agrippinæ anno* 1121 *factam, Rudolphus abbas Trudonopolitanus, qui ipsemet rei interfuit, exponit.*

§ II. Martyrologiorum antiquiorum in Martyribus nostris annuntiandis confusio et descrimen, difficultatesque, quæ inde nascuntur. E

Quatuor Hieronymiana, quæ hic proponuntur, apographa

Ut quam confusi ac a sese dissoni in Sanctis nostris annuntiandis Fasti sacri antiquiores sint, facilius juxta ac dilucidius lector perspiciat, annuntiationes, quibus illos horum præcipui celebrant, juverit hic ei veluti unico spectandas intuiti proposuisse; ut autem id præstiturus a quatuor majoribus seu non contractis probatioris notæ Hieronymianis apographis, quorum tria, Epternacense videlicet, Lucense et Corbeiense Florentinius quartum vero quod et vetustissimum *vocatur, Dacherius tom.* 2 *Spicilegii suppeditat, ducam initium, non tantum ad hodiernos, sed et ad pridianos ac ad antepridianos dictorum apographorum laterculos oportet recurrere. Horum enim tria, Lucense nimirum, et Corbeiense, antiquissimumque item Dacherii, quæ hodie unanimi consensu* SS. Cassium, Florentium *ac* Victorem *cum aliis celebrant, pari etiam consensu heri* CCCXVII, *quorum nullum nominant, Martyres, Coloniæ Agrippinæ cum* S. Gereone *passos, commemorant; etsi autem hic tribus illis Hieronymianis apographis Epternacense, utpote quod* F *hosce quidem, unius etiam,* Gereonis *nempe, nomine expresso,* VIII *Octobris die, illos vero hesterna signet, haud consonet, sicque Sanctos nostros, quos duobus hisce diebus memorat, loco suo non magis, quam duos Martyrum classes, jam supra tomo huic insertas, consignet, binæ tamen, quibus id facit, annuntiationes ad finem mihi hic propositum non minus conducunt, quam aliæ, quibus partim heri, partim hodie Martyres nostros præfata tria Hieronymiana apographa recensent.*

in suis, quæ hic dantur, anuntiationibus

23 *Itaque ut has, sic etiam illos, et quidem eodem, quo in quatuor jam dictis Hieronymianis apographis occurrent, dierum ordine lectori ob oculos pono. Epternacense die* VIII *Octobris quamplurimos anonymos* Gereonis *Socios, expresso hujus nomine, sic annuntiat:* Galliæ civitate Coloniæ Agrippinæ Sācti Gereon et aliorum CCCXCII. Martyrum; *die vero ejusdem mensis* IX *post annuntiatos Martyres de quorum parte jam supra actum, prosequitur hunc in modum:* Et alibi Cassi, Eusebii, Florenti, Jocundi.

Agrippinæ

A grippinæ depositio sanctorum martyrum Maurorum cum aliis CCCXXX. *Ita laudatum, quod hodie inte vim nullum plane e Sanctis nostris recolit, Hieronymianum Epternacense apographum; quod autem ad Lucense, Corbeiense ac vetustissimum Dacherianum modo spectat, Lucense, in quo heri seu* IX *Octobris die, omisso* S. Cereonis *nomine, legitur,* In Gallia civitate Coloniæ. Agripini Natalis sanctorum CCCXVII, quorum nomina Deus scit, *hodie sic habet:* Cassi. Eusebi. Florenti. Victoris. Agripini. Marusi cum aliis CCCXXX; *Corbiense vero, itemque vetustissimum Dacherianum, quæ heri, omisso itidem* S. Gereonis *nomine, habent,* Colonia Agrippina civitate natalis sanctorum trecentorum septemdecim Martyrum, *hodie signant:* Cassi, Eusebi, Florenti, Victoris, Agrippinæ, Mallusii cum aliis trecentis triginta Martyribus.

confusa admodum sunt ac invicem dissona,

24 *Tales sunt annuntiationes, quas jam dicta quatuor majora seu non contracta Hieronymiana apographa suppeditant. Animadvertat nunc studiosus lector, quam hæc in illis sint confusa ac invicem dissona. In omnibus*

B *præfatis apographis* Cassium *inter et* Florentium *ponitur Eusebius, sed cum Martyr, nomine* Eusebius, *qui* SS. Cassii et Florentii *socius exstiterit, haud noscatur, locusque etiam, quo passus sit, ignoretur, eum ego incerti loci Martyribus, de quibus supra jam egi, accensui. Idem tamen facere visum non est quantum ad Jocundum, qui post* Cassium, *Eusebium et* Florentium *in Epternacensi signatur; cum enim in Lucensi, Corbeiensi et vetustissimo Dacheriano pro Jocundo legatur* Victor, *lectionem hanc retinendam, solaque librarii, nimium festinantis, oscitentia factum existimavi, ut in Epternacensi, cui præterea nulla alia Hieronymiana apographa favent, Jocundus pro* Victore *reperiatur. Pari porro propemodum modo accidisse etiam reor, ut in Lucense* Agripini, *quo nomine Martyr designari videtur, pro* Agripinæ, *quod nomen civitatis est, irrepserit. Nec erroris immunes pronuntiare ausim notas arithmeticas, quibus anonymorum* S. Gereonis *Sociorum numerus in Epternacensi exprimitur. Hic enim antiquissimo huic Hieronymiano apographo non tantum tria alia mox iterum laudata Hieronymiana apographa non contracta, quæ* S.

C Gereonem *non nominant, sed etiam, quæ Santum hunc diserte recensent, Richenoviense, Augustanum et Labbeanum Hieronymiana apud Sollerium apographa contracta, Gellonenseque item, quod apud Dacherium tom.* 2 *Spicil. exstat atque ad Hieronymianorum classem reducitur, Martyrologium adversantur; etsi autem hæc ipsamet in sociorum, quos* S. Gereoni *adjungunt, numero varient, omnia tamen quantum ad hunc ab Epternacensi dissentiunt.*

cumque omnes Sanctos nostros non una eademque die memorent,

25 *Verum hac de re, uti et de* Maurorum, *quod, Hieronymianis aliis apographis haud suffragantibus, in eodem Epternacensi legitur, vocabulo opportunius infra tractabitur, dum, quo numero et qua e natione exstiterint* S. Gereonis *Socii, ex instituto examinabo. Hic itaque haud plura, quibus codicum Hieronymianorum in Sanctis nostris annuntiandis confusio et dissensus patescat, adjungens, ad alios Fastos sacros invicem pariter dissonos, nec cum Hieronymianis codicibus concordes, jam venio. In præfatis, ut jam insinuavi, Lu-*

censi, Corbeiensi et Dacheriano Hieronymianis apographis quidam e Sanctis nostris, anonymi scilicet trecenti septemdecim, Coloniæ Agrippinæ die hesterna; quidam vero, Cassius *nimirum,* Florentius *et* Victor *cum Sociis suis, palæstra non expressa, hodie signantur; idcirco autem, uti e Sollerii nostri ad Usuardum Præf. num.* 22 *fas est colligere, verosimillime id fit, quod hi quidem dierum illorum posteriori, illi vero priori, quo et in Richenoviensi, Augustano et Labbeano, quæ mox laudavi, Hieronymianis apud Sollerium apographis contractis, et in Gellonensi, quod itidem mox laudavi, Dacherii Martyrologio, addito ubique* S. Gereonis *nomine, reperiuntur, sint passi. Verum, cum primo quidem, ut Elinandus in Actis edendis num.* 13 *et seq. memoriæ prodit,* Cassius et Florentius *aliique plures, deinde vero Martyres, Coloniæ Agrippinæ passi, seu* S. Gereon *ejusque Socii anonymi fuerint necati, enimvero necesse est, ut vel Helinandus in ordine, quo primum* SS. Cassium et Florentium *aliosque plures, ac dein* S. Gereonem *ejusque Socios trucidatos scribit, hallucinatus sit, vel ut, contra ac alias fieri solet, hi quidem* IX, *illi vero* X *Octobris die in dictis Hieronymianis apographis annuntientur, quod priores hac, posterio-* E *res illa, non martyrii palmam, sed aliquando cultum fuerint adepti.*

hac in re, uti et in aliis adhuc cum Adone et Usuardo,

26 *Utut sit,* Beda *equidem, Florus, Ado, Usuardus aliique fere omnes antiquiores ab Hieronymianorum codicum scriptoribus distincti martyrologi, qui vel unum e Sanctis nostris celebrant, una eademque hodierna die id faciunt. Ac eo quidem, dum interim Notkerus heri* S. Gereoni *Socios* CCCXIX *adjungit, Mallosigue et* Victoris *hodie meminit, hac ratione Ado et Usuardus, qui præcipue hic memorandi sunt, amboque Sanctos nostros aut omnes aut plures saltem ex his celebrant, verosimillime fuerint impulsi, quod, quamvis quidem, an uno, an contra, ut Helinandus num.* 23 *loquitur, duobus diversis diebus martyrium subierint, sit incertum, consueludo tamen, ut* una die, id est, sexto Idus Octobris, festivitate congrua *colantur, Coloniæ Agrippinæ obtineat. Verum, quaqumque id de causa fecerint, ita equidem ab Hieronymianis, utpote in quibus Sancti nostri, ut vidimus, haud una eademque die omnes memorentur, codicibus discrepant. Nec alia majoris etiam momenti, in quibus præterea et ab*

F *hisce et a seipsis dissoni inveniuntur, hic desunt. Hæc annuntiationum, quas hodie duo illi martyrologi suppeditant, instituta inter se ac inter codicum Hieronymianorum annuntiationes, jam supra huc transcriptas, collatio docebi. Quo itaque commodius fieri hæc queat, huc illas, quod præterea ad institutum nostrum haud parum conducant, pariter transcribo.*

quorum amba invicem etiam dissonæ annuntiationes hic dantur,

27 *Ado primum sic habet:* Apud Coloniam Agrippinam natale sanctorum martyrum Gereonis et aliorum trecentorum octodecim, quos ferunt Thebæos fuisse, et cum legione illa beati Mauritii, inde jussu Maximiani imperatoris in Gallias transitum fecisse atque circa Rheni littora consedisse et funestum tyranni imperium respuendo pro vera pietate colla patienter gladiis subdidisse; *ac deinde, postquam Loth ac Pinitum annuntiavit, prolixiori commemoratione Mallosum dumtaxat et* Victorem *absque ullis, quos hisce attribuat, Sociis sequentem cele-*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

brat in modum : Item apud Agrippinensem urbem natalis sanctorum martyrum Mallosi et Victoris; quorum prior, cum longo tempore, ubinam sepultus fuerit, latuisset, sancto episcopo ejusdem loci ex divina revelatione manifestatus est, cumque corpus ejus ex loco abdito levaretur, tanta odoris suavitas emanavit, ut adstantes fideles velut immensi aromatis fragrantia replerentur. *Ita qui, præterea* Cassium et Florentium *eorumque Socios nuspiam nominat, laudatus martyrologus, prout purior a Rosweydo est editus; Usuardus autem, utut omnes Sanctos nostros simul commemoret, tribus tamen id facit sequentibus hisce annuntiationibus diversis* : Civitate Agripinensi sancti Gereonis martyris, cognomento Mallosi, cum aliis trecentis decem et octo, qui persecutione Maximiani tyranni pro vera pietate colla patienter gladiis subdiderunt. Item in territorio ejusdem urbis sancti Victoris martyris et aliorum decem et septem. Item sanctorum martyrum Cassii et Florentii cum aliis pluribus.

haud conveniunt, hincque difficultates hic propositæ nascuntur.

28 *Tres has, studiose lector, Usuardi annuntiationes cum annuntiationibus aliis, quas jam supra ex Adone codicibus que Hieronymianis adduxi, nanc confer, videbisque ex harum*
B *tum a sese, tum abs illis dissensu difficultates nasci perquam implexas. Ac primo quidem, cum vel hinc ex iis, quæ Ado memorat, Sanctos nostros exstitisse Thebæos, suspicari quis queat; inde vero, ut Florentinius in hodiernis suis in Mrl. Hieronymianum Annotationibus observat, hodie de Mauris martyribus agi, vetustissimum, quod supra laudavi, Epternacense seu Antverpiense Hieronymianum apographum moneat, nec tamen vel Adoni vel Hieronymiano huic apographo Hieronymiana apographa alia et Usuardus ullo modo suffragentur, Thebæine, an Mauri, vel potius an partim ex hac, partim ex illa natione exstiterint Sancti nostri, revocari potest in dubium. Secundo cum Malloso, qui, ut infra ostendam, a* Gereone *verosimillime distinguitur a cum* S. Victore *martyrium Sanctis obierit, in omnibus prorsus Hieronymianis apographis Socii adjungantur* CCCXXX, *totidemque* Victori *in Sanctorum nostrorum Actis, in quibus absque Malloso memoratur, num.* 16 *tribuantur, de Usuardo, qui illi haud plures quam decem et*
C *septem adnumerat, quid censeamus? Tertio cum Ado de Malloso, veluti de Sancto, qui a* S. Gereone *sit distinctus, loquatur, qui factum, ut pro hujus dumtaxat cognomento nomen* Mallosi *Usuardus, qui Adonem vidit, acceperit? An Usuardo forsan Sanctorum nostrorum Acta, Helinandæis antiquiora, hæcque illum, quod de* Mallosi *cognomento,* Gereoni *imposito, scribit, docuerint? Utcumque res habeat, hæ equidem haud mediocres, uti e jam dictis consequitur, difficultates sunt, quæ e codicum Hieronymianorum tum a sese, tum ab Usuardo imprimis ac ab aliis antiquioribus Fastis Sacris dissensu nascuntur; iis autem discutiendis ac porro, quantum fas erit, dilucidandis enodandisque tres, qui proxime sequentur, §§ subservient.*

D

§ III. Maurine, an Thebæi, vel an potius partim ex hac, partim ex illa gente Martyres nostri exstiterint.

Martyres nostros, qui, quemadmodum rationibus,

Martyres nostros omnes, tam qui Bonnæ, quam qui Coloniæ Agrippinæ et Sanctis subiere martyrium, natione Mauros Petrus de Natalibus lib. 9, *cap.* 46 *et binis seqq. facit, eosque non nisi trecentos sexaginta, quorum septem una cum* SS. Cassio et Florentio *Bonnæ, trecentos decem et octo cum* S. Gereone *Coloniæ Agrippinæ ac tandem triginta cum* SS. Victore *et Malloso in oppido Sanctensi seu Sanctis passi sint, exstitisse scribit. Verum ei nec traditio nec ullum suffragatur monumentum antiquum.* Gereonem *enim,* Cassium, Florentium et Victorem *eorumque Socios exstitisse Thebæos, constans fert, quæ tam apud Sanctenses et Bonnenses, quam apud Colonienses viget, traditio.* E *Nec est, quod reponas, Martyres illos dici abs hisce Thebæos, non quod e Thebæorum gente, sed quod milites e legione Thebæa exstiterint; Mauros enim exstitisse legionis Thebææ milites, a verisimilitudine, ut Tillemontius tom.* 4 *Monument. Ecclesiast. pag.* 431 *recte ait, abhorret. Quod autem ad antiquum, quod Petro suffragetur, monumentum spectat, nullum ego hactenus reperire quivi hujusmodi. In pridiano quidem, qui, ut jam supra cum Florentinio observavi, ad hunc diem pertinet, antiquissimi Antverpiensis seu Epternacensis codici Hieronymiani laterculo sequentia isthæc, quæ supra adhuc retuli, leguntur verba :* Agrippinæ depositio sanctorum martyrum Maurorum cum aliis trecentis triginta.

in medium hic adductis,

30 *Verum ut primo, mendum hic in antiquissimo isto codice non cubare, tantisper dem, Mauri martyres, quos hic memorat, exstitisse* SS. Gereon, Cassius, Florentius et Victor *eorumque Socii haud queunt. Isti enim Mauri martyres vel sunt vel non sunt iidem cum Mauris martyribus, qui tum in eodem Epternacensi,* F *tum in aliis Hieronymianis codicibus decima quinta mensis hujus die annuntiantur; si iidem sint, enimvero, spectatis iis, quæ ipsemet Petrus ait, exstitisse* SS. Gereon, Cassius, Florentius et Victor *eorumque Socii haud queant; hi enim, uti ipsemet hic scriptor statuit, partim Bonnæ, partim Coloniæ Agrippinæ ac partim denique Sanctis; illi vero omnes, ut constans traditio juxta ac S. Annonis, quæ apud Surium die* IV *Decembris exstat, Vita, seculo* XI *scripta, Hieronymiana apud Florentinium apographa non contracta die* XV *Octobris ac denique Elinandæa Sanctorum nostrorum Acta num.* 16 *fidem faciunt, Coloniæ Agrippinæ fuerunt occisi. Quod si autem Mauri, qui hodie in codice Epternacensi præfato signantur, iidem non sint cum Mauris, qui die* XV *Octobris in eodem codice annuntiantur, illi sane nec in hoc casu, spectatis pariter iis, quæ Petrus scribit, esse potuerunt* Gereon, Cassius, Florentius, Victor *eorumque Socii martyres. Hi enim, ut Petrus scribit, exstitere trecenti sexaginta;*

A *sexaginta; ut, si vere pro Mauris, qui in hesterno Epternacensis Hieronymiani codicis laterculo annuntiantur, essent habendi, consectarium fieret, ut hi quoque trecenti sexaginta existerent, utque proinde, cum Martyres alios, numero* CCCXXX, *qui in plerisque aliis Hieronymianis apographis etiam comparent, in laterculo præfato sibi habeant adjunctos, Martyres in hoc nonaginta supra sexcentos celebrarentur; cum autem tot Martyres, qui heri et hodie Coloniæ Agrippinæ, Bonnæ et Sanctis passi sint, in nullis prorsus aliis seu monumentis seu Hieronymianis codicibus memorati inveniantur, enimvero consequitur, ut, quamvis etiam a Mauris martyribus, qui* XV *mensis hujus die in Hieronymianis aliisque Fastis sacris signantur, diversi statuantur Mauri, in Epternacensi Hieronymiano apographo heri annuntiati, hi tamen, spectatis iis, quæ Petrus scribit, martyres nostri* Gereon, Cassius, Florentius, Victor *eorumque Socii esse haud queant.*

contra Petrum de Natalibus probatur,

B 31 *Adhæc si secus foret, seu si Martyres nostri pro Mauris, in hesterno codicis Epternacensis laterculo annuntiatis, possent haberi, consectarium foret, ut* Cassius *et* Florentius, *qui in hoc nominatim etiam ante Maurorum annuntiationem comparent, bis eodem die in Hieronymiano Epternacensi codice annuntientur; quod cum admitti haud possit, Martyres nostros pro Mauris, in codice isthoc heri annuntiatis, esse accipiendos, admitti pariter non potest; ne vero id quidem quantum ad aliquos, at non itidem quantum ad omnes Martyres nostros verum esse, quis forsan adhuc contendat ex eo, quod Mauri equidem heri in Hieronymiano Epternacensi codice signentur,* Maurorum *vocabulum per errorem in pridianam illius annuntiationem, quod secus habere tantisper dedi, irrepsisse, eique nomen* Mallosi, Mallusii, Malosi *aut denique (variis enim modis id scribitur)* Maurosii *substituendum, probare modo aggredior. Omnia et singula tria, quæ supra laudavi, Hieronymiana apographa non contracta, Corbeiense nimirum, Lucense et vetustissimum Dacherianum, hodie non* Maurorum, *sed* Mallusii, *aut* Marusi cum aliis CCCXXX, *uti illorum, quas num.* 23 *huc transcripsi, annuntiationes inspectæ docebunt, commemorationem unanimi consensu instituunt.*

Mauri exstitisse haud videntur,

C 32 *Istis porro Hieronymianis apographis non contractis duo alia jam supra etiam laudata, Augustanum videlicet et Labbeanum, quæ apud Sollerium tom.* 7 *Junii exstant, Hieronymiana apographa contracta, Gellonenseque item, jam supra pariter adhuc laudatum, quod Dacherius tom.* 2 *Spicil. exhibet, Martyrologium ad amussim consonant. In hoc quippe hodie legitur :* Mallosi cum aliis trecentis triginta; *quod autem ad duo, quæ mox nominavi, Hieronymiana apographa contracta jam spectat, Augustanum habet :* Malusii cum CCCXXX; *Labbeanum vero :* Malasi cum aliis trecentis triginta. *Ita, quos jam allegavi, Hieronymiani codices : nec, quantavis facta indagine, invenire ullum quivi, in quo hodie* Maurorum, *ut heri, Martyribus nostris, prout jam dictum, loco non suo relatis, in Epternacensi fit, mentio instituatur. Quod cum ita sit, enimvero e codicum illorum consensu sat certum apparet,* Maurorum *vocabulum ex errore in hesternum codicis Epternacensis laterculum, aliunde etiam erroris suspectum, irrepsisse, hujusque adeo annuntiationi, num.* 23 *iterumque num.* 29 *huc transcriptæ, in qua id reperitur, sequentem hanc aut certe haud multum absimilem substituendam :* Agrippinæ depositio sanctorum martyrum Maurosi et aliorum CCCXXX. *Librarius scilicet, qui codicem Epternacensem e codice antiquiori transcripsit, inveniens in hoc characteribus, quos legere haud facile poterat, nomen* Maurosii *exaratum,* Maurorum *pro hoc vocabulum facili errore exararit. Jam vero, cum hæc ita habeant, nec Petro, ut Mauros faciat nostros Martyres, Epternacense, de quo jam satis superque disputatum, Hieronymianum apographum multum prodest, nec, ut apparet, facere etiam potest, ut vel aliquos ex his Mauros exstitisse, credamus.*

AUCTORE C. B.

Helinandus facit Thebæos, eique favet traditio;

33 *Examinemus modo, an Thebæi pariter Sancti nostri haud exstiterint. Hosce omnes legionis Thebææ, de cujus martyrio apud nos* XXII *Septembris die cum Martyrologio Romano jam actum, milites fuisse, Helinandus in Actis edendis num.* 10 *et quinque seqq. luculentissime docet, eique, qui certe, utpote scriptor sec.* XII *haud antiquior, fidem indubitatam hic promereri non potest, ecclesiæ* E *Coloniensis suffragatur traditio; etsi autem particularibus ecclesiarum traditionibus sat tuto semper fidi haud queat, eas tamen* non contemnendas esse, sed plurimi faciendas, *Benedictus XIV de Sanctis quibusdam Bononiensibus cap.* 26 *in S. Floriano num.* XI *monet. Et vero isthoc monitum rationi consonum autumo, ac proin traditiones hujusmodi statim atque dubium aliquod iis opponi potest, haud temere rejiciendas. Ac id quidem fieri tum præsertim non potest, cum earum initium haud nimium a tempore, quo res, circa quas versantur, gestæ asseruntur, noscitur remotum. Verum, anne hoc quantum ad* SS. Gereonem *ejusque Socios (de solis enim hisce Sanctis nostris agere primum lubet) locum hic obtinet? Ado in suo, quo illos hodie celebrat, elogio supra huc integro transcripto ita de iisdem loquitur :* Quos ferunt Thebæos fuisse et cum legione illa beati Mauritii, inde jussu Maximiani imperatoris in Gallias transitum fecisse, atque circa Rheni littora.... pro vera pietate colla patienter gladiis subdidisse.

etsi autem hæc sec. IX antiquior forte non sit,

34 *Cum itaque is martyrologus, ut Sollerius noster in sua ad Usuardum Præfatione num.* 151 *docet, Martyrologium suum circa annum* 858 *concinnarit ac proin sec.* IX *vixerit, ex hisce ejus verbis, eodem isthoc seculo traditionem, quæ* SS. Gereonem *ejusque Socios facit Thebæos, locum obtinuisse, apparet, idque ipsum etiam eruitur ex Notkero, qui, quemadmodum e laudata Sollerii Præfatione num.* 67 *docemur, eodem, quo Ado, seculo* IX *floruit, hujusque vestigiis inhærens annuntiationem, qua* S. Gereonem *ejusque Socios in Martyrologio suo heri celebrat, sic claudit :* Quos fertur de legione beati Mauritii *(Thebæa nimirum)* fuisse. *Ast an traditio illa haud citius etiam, quam seculo* IX *initium accepit? Ut in rem hanc accuratiori, quo fieri id posset, modo inquirerem, non tantum, quæ partim jam laudavi, partim sparsim edita inveni, Hieronymiana omnia apographa, verum etiam Kalendaria monumentaque omnia, Adone seu seculo* IX *antiquiora, quæ de* S. Gereone *ejusque Sociis agere suspicabar, diligentissime discussi; ast hæc inter nullum inveni, quod vel*

AUCTORE C. B.

vel S. Gereonem *ejusque Socios appellet* Thebæos, *vel traditionis, de qua hic nobis sermo, meminerit; ut, cum præterea Beda, et Florus, qui tamen apud nos ante tom.* 2 *Martii* S. Gereonem *ejusque trecentos octodecim Socios disertissime hodie in Bedæ Auctariis commemorat, id pariter haud faciant, dubitari non immerito queat, an traditio, quæ, et* S. Gereonem *et ejus omnes Socios exstitisse Thebæos, fert, diu ante Adonis ætatem seu seculum* IX *acceperit initium. Et vero de hoc Usuardus, qui Adonem præ oculis habuit, re etiam ipsa dubitasse videtur, utpote, traditione illa insuper habita,* Gereonem *ejusque Socios in Martyrologio suo hodie* Thebæos *haud appellans.*

multo tamen citius, quod hic recitata

35 *Ast, etsi res ita habeat, traditio equidem, quæ, si non simul et* S. Gereonem *et omnes ejus Socios, aliquot saltem ex his fecerit Thebæos, diu ante Adonis ætatem seu seculum* IX *viguisse videtur. Etenim Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 62 *sic scribit :* Est apud Agrippinensem urbem basilica, in qua dicuntur quinquaginta Viri ex illa legione sacra Thebæorum pro Christi nomi-
B ne martyrium consummasse. Et quia admirabili opere ex musivo quodam modo deaurata resplendet, Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt. Quodam autem tempore, Eberegisili episcopi, qui tunc hujus urbis erat antistes, capitis medietas validis doloribus quatiebatur; erat autem tunc temporis in villa, oppido proxima, quo dolore, ut diximus, valde attenuatus, misit diaconem suum ad Sanctorum basilicam. Et quia in ipsius templi medio puteus esse dicitur, in quo Sancti post martyrium pariter sunt conjecti, collectum exinde pulverem detulit sacerdoti. Verum, ubi exinde caput adtigit, extemplo dolor omnis exemtus est. *Itaque, cum Gregorius Turonensis, ut Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom.* 3, *pag.* 372 *et* 375 *docent, annis quinquaginta et uno natus, anno* 595 *excesserit e vivis, jam inde a seculo* VI, *uti ex his ejus verbis consequitur, obtinuit traditio, quæ prodebat, quinquaginta e sacra Thebæorum legione viros martyrium pro Christi nomine Coloniæ Agrippinæ consummasse. Ast quinam per hosce intelligendi? Maurine, qui* XV *mensis hujus die Hieronymianis aliisque Fastis sacris exstant inscripti, an* S. Gereon *ejusque Socii trecenti octodecim, qui hodie in horum plerisque*
C *celebrantur?*

Gregorii Turonensis verba,

36 *Ado quinquaginta, qui a Gregorio laudantur, legionis Thebææ Viros interpretatus est Mauros Fastis Hieronymianis die* XV *Octobris insertos. Horum enim, quod et ipse eodem* XV *Octobris die suppeditat, elogium sequentibus hisce verbis, e Gregorii mox huc transcripto textu partim acceptis, concipitur :* In Galliis apud Coloniam Agrippinam sanctorum Maurorum de militibus sancti Gereonis. Qui ex legione sacra Thebæorum, cum essent numero quinquaginta, apud eamdem urbem martyrium consummantes, conditi sunt in basilica, quæ admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet; unde et incolæ SANCTOS AUREOS eos vocitare consueverunt *Ita Ado, qui, quamvis quinquaginta, quos hic memorat, legionis Thebææ milites* S. Gereoni *subdat, eos tamen a Sancti hujus Sociis trecentis octodecim apertissime vel ex eo, quod alio hosce, alio illos die celebret, distinguit. Verum eosdem quinquaginta legionis Thebææ Viros, a Gregorio laudatos, Helinandus, nullo omnino, quod Mauros eos exstitisse prodat, verbo adje-* D *cto, interpretatus est* S. Gereonem *ejusque trecentos octodecim Socios, aut certe fuisse hosce, quod de quinquaginta Viris suis Gregorius ait, in puteum post martyrium projectos, in Actis edendis num.* 14 *affirmat, deinde etiam num.* 19 *et seq. adjungens, fuisse a S. Helena supra eorum corpora magnificentissimam exstructam ecclesiam, quæ præ auri, quo emicabat, fulgore* Ad Aureos Sanctos *fuerit vocata.*

de quorum interpretatione

37 *Verum utra hic interpretatio amplectenda? Illane, qua de* S. Gereone *ejusque, qui Mauri haud exstiterint, Sociis, an contra altera, qua de Mauris, qui legionis Thebææ sub* S. Gereone *milites fuerint, Gregorius explanatur? Cum legionis Thebææ Viros, de quibus Historiæ Francorum parens loquitur, quinquagenario dumtaxat numero abs hoc definiri Ado conspiceret, simulque (adi supra huc transcriptum, quo* S. Gereonem *ejusque Socios hodie in Martyrologio suo exornat, elogium) multo plures, quam quinquaginta,* S. Gereonem *ejusque Socios exstitisse, admitteret, ita verosimillime est factum, ut posteriorem (mox recitatum, quo Mauros celebrat, elogium vi-* E *desis) e duabus dictis Gregorii interpretationibus sit amplexus, quod, quamvis quidem hic historiographus quinquaginta, de quibus loquitur, legionis Thebææ Viros nuspiam appellet* Mauros, *hosce tamen vel in Hieronymianis, vel in aliis Fastis sacris determinato numero expressos haud inveniret, nec quidquam alicunde occurreret, quod, quo minus, quinquaginta legionis Thebææ Viri, a Gregorio laudati, Mauri exstitisse crederentur, impediret. Verum Mauri, quorum numerus nec in Hieronymianis codicibus, nec in ullis monumentis aliis, Adone antiquioribus, exprimitur, trecenti sexaginta fuisse, apud Surium* IV *Decembris die in S. Annonis Vita, supra adhuc laudata, lib.* 2, *num.* 17 *asseruntur; etsi autem hæc, quæ, quemadmodum Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 766 *loquuntur, auctorem gravem habet monachum Sigebergensem anonymum, non citius quam duobus circiter post Adonem seculis elapsis fuerit conscripta, multa, tamen citius traditio seu fama, quæ Mauros eodem numero definit, apud Colonienses (neque enim alioquin pro hoc illam S. Annonis biographus mox laudatus citaturus fuisse videtur) verosimillime* F *obtinuit, certeque Elinandus vel ex ista, vel ex Annonianæ Vitæ scriptore Maurorum numerum, quem pariter ad trecentos sexaginta num* 16 *in Actis edendis auget, didiceret.*

hic plura

38 *Jam vero, cum res sic habeat, ut quid per quinquaginta legionis Thebææ Viros Gregorium potius de Mauris, qui* XV *mensis hujus die, quam de* S. Gereone *ejusque Sociis, qui hodie in Fastis sacris memorantur, locutum arbitremur? Anne forsan, quod quinquaginta illos Viros in basilica, quam vocitarunt* Sanctos Aureos, *martyrium passos, prodat, idque de* S. Gereone *ejusque Sociis trecentis octodecim asseverari haud queat? Verum, cum basilica illa, per quam omni dubio procul Coloniensis* S. Gereonis *ecclesia intelligitur, nondum tunc, cum quinquaginta, de quibus hic loquimur, legionis Thebææ Viri passi sunt, esset exstructa, ibidem indubie horum palæstram Gregorius, anticipatione loquendive modo minus stricto usus, locarit, quod fortissimos Pugiles*

eo

A *eo loco, quo ætate sua Gereonæa stabat basilica, necatos fuisse, audivisset, locumque illum pro solo spatio, quod intra ædificii istius muros erat contentum, acciperet. Ac ita quidem locus, quo sacra quæpiam ædes stat, potest accipi; verum cum, communi spectato vocabulorum usu, nihil etiam obstet, quo minus et pro spatio, quod intra ejus muros concluditur, et simul pro altero, quod hisce in circuitu adjacet, accipiatur, Gregorium priori modo locum, quo et ætate sua stabat* S. Gereonis *basilica, et Viros e legione Thebæa quinquaginta occisos fuisse, audierat, perperam accepisse, idcirco induco in animum, quod per quinquaginta istos Viros vel* S. Gereon *ejusque Socii trecenti octodecim vel SS. Mauri citra omnem controversiam intelligantur, ac tam hi quam illi, non intra ipsosmet ecclesiæ* S. Gereonis *parietes, sed dumtaxat, ut ob omnibus semper æstimatum fuit, in illius ædifici vicinia fuerint necati.*

adducuntur in medium, 39 *Audi, qui Gelenius in Opere, quod* de Coloniæ Agrippinæ Magnitudine *inscripsit, lib. 3, syntagm. 2, § 2 de* S. Gereone *ejusque*

B *Sociis trecentis octodecim ac de SS. Mauris loquatur.* Passi sunt autem, *inquit*, inclyti Martyres, Coloniæ imposterum futuri præsides, circa eum locum, ubi Gereonæa basilica conspicitur, et extant etiamnum vestigia nominum, quæ ad cædem hanc intelligendam manu ducunt, siquidem ex una parte ecclesiæ, ortum versus, sita est curia SS. Maurorum dicta in vetustis diplomatibus, nunc S. Andreæ vinea, vulgo Marthoff dicta; ad Occasum vero extra urbem ædes sacra, et olim etiam monasterium ad Martyres, nunc Mæchteren, S. Gereonis præposito subjecta parochiola. *Ita ille. Nec est, quod reponas, nullum inveniri monumentum litterarium sat antiquum, quod, ut Gelenius facit, SS. Mauros eo ipso spatio, quod intra basilicæ Gereonææ muros concluditur, haud fuisse occisos, memoriæ prodat; id ipsum enim etiam quantum ad* S. Gereonem *ejusque Socios trecentos octodecim obtinet locum. Quare, etsi etiam, quinquaginta, de quibus Gregorius loquitur, legionis Thebææ Viros fuisse intra mox dictum basilicæ Gereonææ spatium occisos, modo hic darem, hinc tamen, scriptorem illum per hosce de Mauris potius, quam*

C *de* S. Gereone *ejusque Sociis trecentis octodecim, intelligendum, inferri haud posset.*

non de Mauris, sed de S. Gereone 40 *Ast, cum hæc ita habeant, quid tandem hic statuamus? Cum certo equidem Gregorius, uti inter omnes convenit, per sua de quinquaginta legionis Thebææ Viris supra recitata verba vel de Mauris vel de* S. Gereone *ejusque Sociis trecentis octodecim loquatur, Ado, ut jam innui, hinc simul et ex eo, quod scriptorem illum de* S. Gereone *ejusque Sociis, utpote numero pluribus, quam quanquaginta, intelligi haud posse arbitraretur, necessario illum de Mauris, e quorum numero, utpote tunc nondum per quemquam determinato, nihil certi contra adduci posse cernebat, intelligendum esse, conclusit. Verum quid ni etiam Gregorius, si non universim de* S. Gereone *ejusque omnibus et singulis Sociis de horum saltem parte queat intelligi? Quid si enim e* S. Gereonis *trecentis octodecim Sociis quinquaginta exstiterint legionis Thebææ milites? Quid si porro, ut hosce solos commemorarit S. Gregorius, summa Thebæorum celebritas effecerit, reliquique nihilominus, fama temporis lapsu, ut fieri solet, crescente, pro Thebæis etiam, quod eodem, quo hi die, eamdemque ob causam essent occisi, habiti omnes postea fuerint? Enimvero id, ut potest, re etiam ipsa esse factum, mihi sat verosimile apparet, primo quidem, quod ita facile intelligatur, qui fama seu traditio, quæ inter Martyres, Coloniæ Agrippinæ sub Maximiano coronatos, quinquaginta dumtaxat, Gregorio Turonensi vivente, numerabat legionis Thebææ milites, postea tamen, Adonis ætate, uti e supra huc transcripto, quo hic martyrologus* S. Gereonem *ejusque Socios hodie celebrat, elogio liquet, sese ad hosce omnes extenderit; deinde vero, ac maxime quidem, quod nequaquam, ut jam supra cum Tillemontio monui, verosimile appareat, Mauros exstitisse legionis Thebææ milites.*

AUCTORE C B.

ejusque, contra ac Sollerio visum fuit, 41 *Ast, inquies, Sollerius in sua in Usuardum ad* XV *mensis hujus diem Observatione sequentem ratiocinatur in modum:* Hactenus Pugilum istorum *(Maurorum Martyrum)* numerum proditum non reperio. Utrum Thebæorum et Maurorum classes, quas Florentinius ex Elinando sive Helinando, seculi XIII scriptore, distinguit, satis subsistant, alterius est indaginis; uti E et, an hi fuerint ex legione Thebæa, quod disertissime asserit Ado, et ex eo Usuardus ac Notkerus; an potius classis alia, ex Africæ oris Coloniam advecta, ut Grevenus et alii scriptores populares contendunt. Equidem de numero et gente nullam invenio antiquiorem atque adeo certiorem notitiam illa, quæ apud Gregorium Turonensem exstat lib. de Gloria Martyrum cap. 62, ex quo elogium suum *(de Mauris)* plane desumpsit Ado. *Gregorius sane, uti ex ejus verbis, quæ supra huc e libro hujusque cap. hic cit. transcripsi, liquet, luculentissimam de Virorum, quos ibidem commemorat, numero notitiam præbet. Ast an pariter de gente? Si sic habeat, haud aliter certe, quam legioni Thebææ eos adscribendo, id facit, consectariumque proinde erit, ut natione seu gente Thebæi (neque enim eos exstitisse Mauros, quis inde concludat) secundum Gregorium exstiterint. Quod cum ita sit, iis sane, qui Mauros faciunt quinquaginta, quos hic scriptor laudat, legionis Thebææ Viros, nihil superest, quam ut horum gentem seu nationem per dicta, quæ supra huc ex Gregorio transtuli, verba non indicari, sustineant. Ast, si ita habeat, ut quid hæc de Mauris intelligenda, contendunt? Certe nihil continent, e quo*

F *Mauros exstitisse legionis Thebææ Viros, a Gregorio memoratos, concludas, nec uspiam etiam ita hosce vocat is scriptor.*

Sociis intelligenda, ut apparet, 42 *Iis quidem, qui de Mauris, quos* XV *mensis hujus die codices Hieronymiani celebrant, Gregorii textum, supra huc transcriptum, exponendum affirmant, assentirer lubens, si, hosce e legione Thebæa exstitisse, alicunde possem probare. Verum nihil prorsus, quo id faciam, occurrit. Nec ad rem facit, Hieronymianorum Mauros* XV *mensis hujus die ab Adone citra ullam controversiam commemorari; etsi enim hic, exstitisse illos e legione Thebæa, disertissime etiam asserat, id tamen dumtaxat facit, quod verba, quibus loco supra indicato de quinquaginta legionis Thebææ Viris Gregorius loquitur, non aliter quam de dictis Mauris intelligi posse existimarit, cumque id, ut modo ostendi, secus habeat, non est, cur hic Adone, huncque, re haud satis, ut apparet,*

AUCTORE C. B

ret, discussa, secuto Notkero standum arbitremur; quod autem ad Usuardum spectat, is enimvero Hieronymianorum Mauros e legione Thebæa exstitisse, disertissime, ut Sollerius ait, non affirmat; ast contra, anne ex hac fuerint, haud parum sese dubitare prodit. Ea sedet sententia, quod ex Adoniana, quam ante oculos habuit, de iisdem Mauris annuntiatione num. 36 huc transcripta Maurorum vocabulum, substituto altero Martyrum vocabulo, sustulerit, idque verosimillime, ut consideranti patescet, haud aliam ob causam fecerit, quam quod, fuissentne, an non, e legione Thebæa Mauri, quos ab Adone celebrari videbat, dubitarit. At vero, inquies, Usuardus equidem, utpote quinquaginta a Gregorio memoratos legionis Thebææ Viros eodem, quo ab aliis memorantur Mauri, XV mensis hujus die recensens, eosdem etiam Mauros vel sic celebrat, vel, si res secus habeat, consectarium fit, ut celeberrimos hosce Martyres, utpote quos nec alio die in Mrl. suo recolat, nuspiam commemoret.

sint, obtinuisse quantum ad illorum aliquos videtur, hosque proinde re ipsa

43 Fateor, sic habet atque hinc etiam partim fit, ut, cum equidem, an Mauri exstiterint quinquaginta sæpissime jam memorati Viri, martyrologus ille, ut dixi, dubitarit, reque etiam ipsa hosce haud exstitisse Mauros, rationes aliæ supra adductæ suadeant, mihi omnino inducam in animum, primo quidem Usuardinæ ad XV mensis hujus diem annuntiationi, in qua Mauri haud nominantur, Hieronymianorum ejusque diei annuntiationem, Adone et Usuardo antiquiorem, in qua Mauri paucis hisce, prout in Epternacensi, legitur, verbis, Coloniæ Agrippinæ natalis Maurorum, diserte laudantur, nec tamen, prout in annuntiatione Adoniana fit, cum quinquaginta, de quibus per verba huc transcripta Gregorius loquitur, legionis Thebææ Viris confunduntur, esse substituendam: deinde vero, hosce sub S. Gereoneejusque trecentis octodecim Sociis comprehendi, ac proin de horum parte verba illa interpretanda. Atque ita quidem, cum eadem verba, uti cuique hæc legenti patescet, e fama seu traditione in litteras miserit Gregorius, modo etiam consequitur, ut hæc, si non citius, saltem non serius, quam jam inde a sexto, quo hic scriptor floruit, seculo ac proin diu etiam ante Adonis ætatem obtinuerit locum.

C Quod cum ita sit, ac proin, aliquos seu, uti ejam dictis statues, quinquaginta e S. Gereoneo Sociis legionis Thebææ exstitisse milites, a decem amplius seculis creditum jam fuerit, rem etiam vere ita habuisse, sat probabile apparet; quod autem ad reliquos ex ejusdem S. Gereonis Sociorum numero jam spectat, hi quoque omnes legionis Thebææ milites, spectata sola, quæ Adonis ætate viguit, ac abs hoc et Notkero in S. Gereonis ejusque Sociorum elogiis affertur, traditione seu fama, exstiterint.

fuisse Thebæos sat probabile apparet, nec omni etiam,

44 Verum hæc tum, ut jam supra innui, ultra veritatis limites temporis lapsu accreverat, nec sibi vel Hieronymianos codices vel Usuardum aliosve ullos seu scriptores seu martyrologos habet faventes. Adhæc cum e Martyribus, Coloniæ Agrippinæ sub Maximiano passis, Gregorii Turonensis ætate seu seculo sexto quinquaginta dumtaxat, uti e jam dictis colligere fas est, crediti fuerint legionis Thebææ, nec, si e trecentis octodecim S. Gereonis Sociis, non quinquaginta tantummodo, sed omnes etiam reliqui e legione illa exstitissent, futurum id fuisse videatur, consectarium D vel hinc fit, ut, e legione illa hisce exstitisse, credendum haud sit. Ast etsi res ita habeat, milites equidem fuisse, una omnium est opinio; ut, cum præterea spectasse ad legionem non unam queant, verosimillime una cum quinquaginta legionis Thebææ Viris, a Gregorio Turonensi memoratis, agmen, e diversarum legionum militibus conflatum, formarint. Ac Gereonem quidem, tam quinquaginta a Gregorio memoratis, quam Sociorum suorum reliquis præfuisse ducem, sat certum apparet; ast quanam hi postremi e legione seu turma exstiterint, edicendo non sum; quod cum ita sit, nec plura, quæ de iisdem nominatim hic dicam, occurrant, ad veteros nostros Martyres, videlicet, Florentium, Victorem ac Cassium eorum Socios sermonem modo converto.

SS. Cassium, Florentium et Victorem cum Sociis suis exstitisse Thebæos,

45 Hosce omnes etiam exstitisse legionis Thebææ milites, Bonnensium et Sanctensium, imo et Coloniensium constans et immorabilis, seu cujus ignoratur initium, fert traditio, in edendis etiam Sanctorum nostrorum Actis consignata. Ast quantum quidem et hisce et illi tribuendum? S. Mauritius ejusque Socii Thebæi, E de quibus apud nos ad XXII Septembris diem jam actum, Agauni idcirco, uti in sanctissimorum horum martyrum, quæ ibidem edidimus, Actis S. Eucherius testatur, fuerunt occisi, quod Maximiano imperatori, qui opera eorum ad persequendos Christianos uti volebat, obtemperare hac in re detrectarint. Quare, cum præter Thebæos potuerint esse etiam alii, qui Christo simul et imperio militarint, quique, cum idcirco, quod Maximiano, opera eorum pariter ad persequendos Christianos uti volenti, parere hac in re noluissent, fuissent occisi, posterioribus seculis pro Thebæis, quod eodem circiter tempore, eamdemque ob causam, ob quam hi, crederentur necati, cœperint haberi, enimvero ex eo, quod SS. Cassius, Florentius et Victor cum Sociis suis pro Thebæis ab Helinando in Actis, traditione suffragante, habeantur, exstitisse illos re etiam ipsa Thebæos, haud quaquam est certum.

probabilitate est destitutum.

46 Attamen, etsi sic habeat, rem omni probabilitate destitutam asseverare non ausim. Cum enim, ut S. Eucherius in laudatis Actis etiam docet, Maximianus, sparsis usquequaque militum turbis, Christianos vel ad necem vel ad supplicia rapuerit, factum facile esse potest, F ut eumdem in finem agmen etiam, e legionis Thebææ militibus partim compositum, ad Rheni partes destinarit, ac horum quidem, qui ex illa erant, alii Bonnæ, alii Coloniæ Agrippinæ, ac alii denique Sanctis, quod allato a sese post Mauritii cædem Maximiani de persequendis Christianis præcepto obtemperare nollent, fuerint occisi. Victorem quidem ejusque Socios Sanctenses, qui e legione Thebæa exstiterint, corruere, idcirco Hontheimius in suo Historiæ Trevirensis Prodomo pag. 105 affirmat, quod duo martyres, Victoris nomine distincti, quorum alter Solodori cum S. Urso, alter Agauni possus est, a S. Eucherio in Actis plus semel jam laudatis memorentur, nec tres, quibus idem Victoris nomen fuerit, in legione Thebæa exstitisse milites, verosimile appareat; verum Victor, Agauni passus, legionis Thebææ, ut ipsemet ait Eucherius, non fuit, nec video, cur facile factum esse haud queat, ut in legione, quæ 6600 aut pluribus adhuc militibus constabat, duo saltem exstiterint cognomines.

§ IV.

A

§ IV Quot Socios S. Gereon, quot S. Victor, ac quot SS. Cassius et Florentius in martyrio sibi habuerint adjunctos.

A vero Sociorum S. Gereonis numero haud multum, qui 318 *numerat,*

Hieronymiana apographa, quorum alia expresso, alia non expresso, ut jam supra docui, S. Gereonis *nomine, Martyres Coloniæ Agrippinæ una cum hoc Sancto sub Maximiano passos memorant, in numero etiam, quo hosce circumscribunt, non parum dissentiunt; verum, etsi sic habeat huncque Lucense et Corbeiense apud Florentinium, vetustissimumque item apud Dacherium trecentorum septemdecim dumtaxat faciant,* Gereoni *tamen, quem tria isthæc Hieronymiana apographa non nominant, trecentos octodecim adjunxi; ita autem faciendum duxi, quod totidem ei Socii non tantum ab Helinando in Actis edendis et ab Augustano apud Sollerium Hieronymiano apographo, verum etiam a Floro, apud nos ante tom.* 2 *Martii edito, ab Adone, Usuardo aliisque seu scriptoribus seu martyrologis non paucis ac ab ipsismet eruditissimis, qui Martyrologium Romanum hodiernum reformarunt, Viris attribuantur. Iidem quidem* S. Gereoniis *in martyrio Socii ad trecentos etiam et nonaginta duos in Epternacensi apud Florentinium, imo et ad quadringentos septemdecim in Richenoviensi apud Sollerium Hieronymiano apographo augentur; verum cum multo pauciores reliqua omnia, quæ Martyres, Coloniæ Agrippinæ sub Maximiano una cum* S. Gereone *passos, commemorant, Hieronymiana apographa notent, hisce potius, quam solis Epternacensi et Richenoviensi, quibus præterea Acta edenda moxque memorati martyrologi adversantur, est standum. Porro etsi quidem, dum* S. Gereoni *Socii adjunguntur trecenti octodecim, verus horum numerus fortassis haud attingatur, a vero tamen haud multum aberrari induco in animum.*

B

C

aberrare videtur; etsi autem S. Victorem, uti ex Hieronymianis apographis consequitur,

48 *Ea sedet sententia, quod omnes, Epternacensi et Richenoviensi, de quibus jam dictum exceptis, Hieronymiani codices omnesque item alii Fasti sacri, qui Martyres Coloniæ Agrippinæ cum* S. Gereone *passos celebrant, non plures quam vel quindecim, vel septemdecim, vel octodecim vel denique, uti apud Notkerum legitur, decem et novem supra trecentos, sic parvo tantummodo inter omnes discrimine intercedente, adnumerent, nec in numero, quem assignant, omnes et singulos a vero longe aberrare, sit putandum. Ac ita quidem cum res habeat, non fuit sane, cur hic a Martyrologio Romano hodierno, quod pariter, ut jam innui,* S. Gereoni *Socios trecentos octodecim attribuit, recederem; verum major de Sociorum, qui cum* S. Victore *sint passi, numero difficultas movetur. Fuisse* Gereonem *cognominatum* Mallosum, *Usuardus in Martyrologio suo hodie affirmat; contra vero Mallosum veluti Sanctum a* Gereone *distinctum hodie itidem in suo Ado proponit, eique Hieronymiana apographa non pauca, utut hodie, ut supra vidimus, in Martyrum et numero et nominibus haud parum confusa, suffragantur; cum autem, uti infra ostendam, hic Adoni, quem tamen vidit corrigereque adeo hoc loco Usuardus voluerit, assentiendum appareat, fueritque verosimillime, ut pariter infra ostendam, Mallosus cum* S. Victore *passus, consectarium evadit, primo quidem sequentem isthanc, quæ hodie in Corbeiensi apud Florentinium, alteroque apud Dacherium tom.* 2 *Spicil. vetustissimo Hieronymiano apographo legitur, annuntiationem,* Et alibi . . . Victoris Agrippinæ Mallusii cum aliis trecentis triginta Martyribus, *vel hoc vel haud multum absimili modo, transposito* S. Victoris *nomine, verosimillime esse reddendam :* Agrippinæ Victoris et Mallusii cum aliis trecentis triginta Martyribus; *deinde vero, spectatis binis jam dictis, quibus et non pauca alia suffragantur, Hieronymianis apographis,* Victori *in martyrio Socios præter Mallosum trecentos triginta, quot etiam re ipsa duobus hisce Martyribus ab Adone Mosandri adnumerantur, fuisse adjunctos.*

AUCTORE C. B.

plures quam 17 *Socios habuisse, e multis, quæ, ut Sanctensis*

49 *At vero, cum decem dumtaxat et septem Socios* S. Victori *Usuardus attribuat, sitne hic martyrologo isthoc, an Hieronymianis apographis standum, dispisciamus. Plures sane Socios quam septemdecim habuisse* S. Victorem, *antiquissima est Sanctensium traditio, hancque e reliquiarum fragmentis, penes hosce asservatis, confirmari, Molanus, anno* 1573 *Lovanii editus, in hodiernis suis in Usuardum Annotationibus non obscure insinuat. Reliquiarum scilicet nomine corpora, in Sanctensi* S. Victoris *ecclesia seculo* XII *ac* XIII *reperta, verosimillime intellexerit. Ast, utcumque habeat, plura certe, quam quindecim corpora fuisse re etiam ipsa ibidem tum inventa, Adolphus, dux Cliviæ, in Sanctensi, cujus supra notitiam dedi, Ms. memoriæ prodit. Ac primo quidem tria, unum nimirum* XVI *Aprilis die sub Coloniensi, qui ab anno* 1167 *usque ad annum* 1191 *sedit, archiepiscopo Philippo I, duo autem alia non nihil citius, fuisse in dicta S.* Victoris *æde sacra inventa, pag.* 119 *et seq. nrrrat, ac deinde, nonnullis primum, quæ modo huc transcribere, necesse non est, interpositis, pag.* 123 *ita prosequitur :* Dominicæ Incarnationis anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto, ... cum Sanctensis ecclesiæ pars Orientalis, ob sui vetustatem ruinæ jam proxima, renovanda solotenus deponeretur, sub ipsius fundamenti vasta soliditate, ubi nec alia corpora consueverant nec poterant sepeliri, nobilis quidam SS. corporum thesaurus divina providentia repertus est tam copiose, quod infra spatium tam loci quam temporis arctum satis et breve fere decem et septem Martyrum corpora, certis intersigniis et evidentibus indiciis inventa, celebriter atque devote fuerunt in capsas translata; quorum capita, quæ integra poterant haberi, decenter ornata scrinio speciali reservantur.

F

Ms. hic relata verba produnt, Sanctis inventa fuerunt,

50 Unde veracem seniorum nostrorum comperimus esse relationem, qui solebant asserere, prout per posteros ad posteros audiebant famam currere, quod B. Helena, prima Xanctensis basilicæ fundatrix, sub fundamento, sicut supra patuit, eadem collocaverat; huic autem relationi et assertioni magnum fidei præstat argumentum, quod, transactis aliquot annis, cum in Occidentali parte sæpe dictæ basilicæ novum chori tertiumque construi deberet opus opportunum,

mox

AUCTORE C B.

mox ibidem, dum fundamentum foderetur et humus ejiceretur, plura corpora Sanctorum sunt inventa modo consimili. Itaque, cum tam in parte jam prænotata anteriori quam posteriori basilicæ tot Martyrum reperta sint corpora, nulli dubium, quin etiam locis intermediis reliquorum sanctorum Martyrum corpora in pace sepulta conquiescant, tempore, quo divinæ placuerit Providentiæ revelanda. *Ita ille, plura sane quam quindecim corpora in Sanctensi ecclesia sec.* XII *ac seq. fuisse inventa, luculentissime prodens; verum unde hæc, vel Sociorum* S. Victoris *vel etiam Martyrum exstitisse, Sanctensibus certo innotuit? Generatim quidem ait, ex evidentibus, quibuscum reperta fuerunt, indiciis pro Martyrum corporibus agnita fuisse; ast, quæ qualiave illa exstiterint indicia, haud exponit; ut verosimillime dubitaturus non nemo sit, an fuerint hujusmodi, ut ex iis, Martyrum exstitisse, quæ fuerant reperta, corpora, potuerit haud immerito concludi.*

corporibus haud valide, quod,

51 *Re quidem vera exstitisse Martyrum, imo et Sociorum* S. Victoris, *haud difficulter inducerem in animum, si alicunde S. Helenam,*
B *quemadmodum jam supra sese narrasse Adolphus hic indicat, ecclesiam Sanctensem seculi* IV *initio extruxisse, ac tum sub ejus fundamentis* S. Victoris *Sociorumque ejus corpora locasse, haberetur compertum; verum, anne id sancta illa Constantini Magni mater fecerit, est sane, uti infra ostendam, admodum dubium. Nec certum efficitur ex eo, quod corpora, de quibus mox huc transcripta verba, sub ecclesiæ fundamento,* ubi, *ut horum auctor dux Adolphus ait,* nec alia copora consueverant, nec poterant sepeliri, *fuerint reperta. Etsi enim, post quam jam fuisset exstructa Sanctensis ecclesia, haud fuisse sub ejus fundamentis mortuorum corpora sepulta, crediturus quisque facile sit, quid ni tamen, cum Sanctense oppidum, ut jam supra docui infraque adhuc repetam, e Veterum ruinis emerserit, nec raro, ut apparet, pugnatum ad hæc fuerit, factum esse queat, ut occisorum prope munimentum istud corpora eo ipso loco, quo dein, tempore labente, ecclesiæ Sanctensis fundamenta jacta fuerunt, in terra, altius etiam, quam illa ipsa post, effossa, fuerint sepulta? Id certe ego*
C *haud perspicio, fitque vel hinc, ut, an corpora omnia, quæ vel ante vel post annum* 1283 *Sanctis fuisse reperta, Adolphus verbis, supra huc transcriptis, refert, Sociorum* S. Victoris *exstiterint, quam maxime dubitem. Nec ipsimet Sanctenses ea, quæ vel anno* 1284 *vel post fuerunt inventa, pro indubitatis Sociorum* S. Victoris *corporibus absque omni scrupulo habuisse videntur. Cur enim alioquin, cum vel unius, ut Colonienses apud Gelenium Fasti sacri docent, Martyris anonymi e* S. Victoris *Sociis memoriam* XVI *Aprilis die, quo Philippi I, Coloniensis archiepiscopi, temporibus inventum fuisse ejus corpus, Adolphus pariter loco supra cit. prodit, quotannis celebrent, pari honore plures etiam e* S. Victoris *Sociis, si quæ anno* 1284 *ac post fuerunt inventa corpora, illorum exstiterint, haud afficerent?*

an hæc Martyrum exstiterint, sit dubium, probetur,

52 *Gelenius mox laudatus post annuntiationem, qua anonymum, quem jam nunc memoravi, Martyrem* XVI *Aprilis die a Sanctensibus quotannis cultum, recenset, fuisse illum* inventum in purpura et calceis, amputata summitate capitis, *ex ecclesiæ Sanctensis Tabulis, haud diu, ut apparet, post rem gestam scriptis, affirmat, ac deinde sequentia isthæc verba abs illis haud dubie, qui has scripserunt, profecta, subjungit:* Nos, qui flocellos sanguinis, cohærentes pilis, in monumento ejus (*Martyris anonymi nimirum*) vidimus, scripsimus hæc, ut vos credatis et per annorum revolutionem hoc die et assidue eum in veneratione habeatis. Nec conturbet, quod nomen ejus non habetur, cum Legenda Thebæorum vix duodecim Martyrum nomina contineat. *Cum itaque e statu, in quo, quod hic memoratur, corpus sub Philippo I, Coloniensi archiepiscopo, fuit inventum, neutiquam Sanctenses, quin in Martyris esset, dubitarent, idcirco, uti ex hisce Tabularum Sanctensium verbis apparet, annuos illi, sub Martyris anonymi nomine, Sanctorum honores deferendos judicarint, nec tamen id quantum ad plures e* S. Victoris *Sociis, cum anno* 1284 *ac post non pauca fuissent sub ecclesiæ Sanctensis fundamentis corpora reperta, pariter fecerint, id enimvero illos, anne hæc Martyrum seu Sociorum* S. Victoris *essent, dubitasse, argumento est. Jam vero, cum sic habeat, possitque etiam, anne re ipsa Martyrum exstiterint, non immerito, uti ex omnibus jam dictis apparet, revocari* E *in dubium, sane e corporibus, quæ anno* 1284 *ac post Sanctis magno numero fuere inventa, haud multum roboris acquirit traditio, quæ* S. Victorem *plures, quam quindecim, Socios in martyrio sibi habuisse adjunctos, prodit.*

Hieronymianis tamen standum apparet.

53 *Verum, etsi res ita habeat, haud tamen Usuardo, qui* S. Victori *non plures, quam decem et septem, Socios adjungit, sed Hieronymianis apographis, e quibus, horum numerum multo majorem exstitisse, consequitur, standum apparet. Ita opinor, quod hæc, quibus præterea antiquissima Sanctensium suffragatur traditio, Usuardo antiquiora sint, omniaque, quæ de Malloso, cum* S. Victore *martyrium passo, loquuntur, hisce haud pauciores, quam trecentos triginta, Socios unanimi consensu attribuant. Sollerius quidem, Usuardo Acta aliqua, Elinandæis antiquiora, quæ septem dumtaxat ac decem Socios* S. Victori *adnumerarint, præluxisse, in hodierna sua in Martyrologium Usuardinum Observatione suspicatur; verum quæ qualiave Acta illa exstitere? An Gregorio Turonensi seu seculo* VI *antiquiora? Id quidem confidenter affirmari, at non facile poterit probari. Sane nullum, quo id vel utcumque fiat, argumentum* F *invenire quivi. Utut sit, Usuardus equidem, qui non plures, quam septemdecim, Socios* S. Victori *concedit, Mallosi etiam vocabulum, quod proprium nomen Ado statuit, in cognomentum vertit,* Mallosum *cognominatum fuisse* S. Gereonem *insinuans; cum sic autem hunc cum illo faciat eumdem ac a veritate idcirco, uti infra ex ipsomet Gregorio ostendam, verosimillime aberret, dubitari non immerito potest, an pariter, dum* S. Victori *septemdecim dumtaxat Socios adjungit, a vero horum numero haud deviet sive interim hunc e dictis, quæ, ut Sollerius suspicatur, ei præluxerint, Actis, sive e documentis aliis acceperit.*

Nec abs his Browerus,

54 *Nec refert, ab Adone, qui Mallosum et* Victorem *longiori commemoratione e Gregorio Turonensi lib.* I *de Gloria Mart. cap.* 63 *hodie celebrat, nullos hisce Socios tribui; cum sic enim is martyrologus Gregorii vestigiis inhærens, nec quot Mallosus et* Victor *Socios habuerint,*

A *habuerint, exponat, certe non magis, quod proin et de Gregorio dicendum, Usuardo, qui septemdecim dumtaxat* S. Victori *Socios largitur, quam Hieronymianis, quæ longe plures numerant, apographis suffragantur. Etsi itaque Usuardum quidem a vero Sociorum* S. Victoris *numero certo devium asseverare non ausim, Hieronymianis tamen, ut jam dixi, apographis, quæ quantum ad hunc ab Usuardo, at non itidem ab Actis edendis, multum discrepant, potius standum, ob rationes omnes jam allegatas reor. Hinc porro et simul ex eo, quod nihilominus,* S. Victorem *una cum Malloso eodem tempore et loco passum esse, erroremque in numero, quo posterioris hujus Socios Hieronymiana apographa definiunt, non cubare, certum undequaque, ut apparet, non sit, Martyrologium Romanum hodiernum, quod* S. Victorem *et Socios martyres, non expresso horum numero, generatim dumtaxat hodie annuntiat, supra in titulo sum secutus. Ceterum, etsi quidem forsan pauciores, nequaquam tamen præter Mallosum plures quam trecentos triginta Socios, habuit* S. Victor. *Ita ex eo, quod plu-*

B *res ei nec in monumentis jam laudatis, nec alibi uspiam apud scriptores sive antiquos sive recentiores attribuantur, omnino concludendum apparet.*

contra ac apparet, dissentit; qui tamen cum in Sociorum,

55 *Browerus quidem, Maximianum, dum in Alpibus, moturus inde cum exercitu in Gallias, adhuc resisteret, quatuor e legione Thebæa cohortes eo præmisisse, harumque quartam duxisse* Victorem, *in Annal. Trev. lib.* 3, *num.* 74 *scribit; verum, etsi legio ut Eucherius in S. Mauritii Actis supra laudatis num.* 3 *ait, milites* 6600 *numerarit, ac proin cohors, utpote decima, quemadmodum Pitiscus in suo Antiquit. Romanarum Lexico ad vocab.* cohors *docet, legionis pars, militibus circiter* 660 *constiterit, Browerus tamen in significatione, ad multo pauciores restricta, vocabulum istud loco cit. adhibuit; etsi enim cohortis, cum qua* S. Victorem *in Gallias missum scribit, milites omnes, non autem, uti e toto contextu liquet, horum tantummodo partem, pro fide occubuisse, memoriæ prodat, non plures tamen, quam trecentos triginta, quibus una cum* S. Victore *sors hæc obtigerit, num.* 81 *recenset.*

C *Verum, etsi quidem, dum hosce, uti e jam dictis consequitur, appellavit* cohortem, *fortassis haud prorsus inepte fuerit locutus, res tamen quantum ad* SS. Cassii *et* Florentii *Socios, e quibus pariter loco supra cit. facit cohortem, secus habet; hi enim, quorum numerum silet, pauciores certo fuerunt, quam ut nomine* cohortis, *quam apud Romanos numerasse etiam aliquando non plures quam trecentos aut quadringentos milites, vix invenias, potuerint venire. Res e jam nunc dicendis patescet.*

quos SS. Cassio et Florentio adscribit, numero erret,

56 *Edenda Sanctorum nostrorum Acta num.* 13, *nonnullaque Usuardina apud Sollerium Auctaria* SS. Cassio *et* Florentio *non plures, quam septem, quos non nominant, Socios adscribunt. Ast an Auctariis illis Actisque indubitanter hic standum? Usuardus definitum Sociorum* SS. Cassii *et* Florentii *numerum non assignat, sed dumtaxat ait:* Sanctorum martyrum Cassii et Florentii cum aliis pluribus; *cum autem, etsi etiam bini hi Sancti septem dumtaxat Socios re ipsa habuisse statuerentur, annuntiatio isthæc, ut consideranti patescet, veritati consona sit futura, Usuardus sane memoratis Auctariis Actisque haud quaquam hic adversatur. Verum, cum eadem annuntiatio, etsi etiam plures quam septem Socios* Cassius *et* Florentius *habuissent, veritati adhuc consona, ut consideranti pariter patescet, esset futura, enimvero Acta edenda, dictaque Auctaria a veritate, dum Socios tantummodo septem* SS. Cassio *et* Florentio *attribuunt, non aberrare ex Usuardo haud habetur compertum; cum autem id nec aliunde innotescat, dubitari non immerito potest, an re etiam ipsa a vero horum numero haud aberrent. Ast, etsi sic habeat, error tamen, quem sic forte admittunt, facere, ut apparet, non potest, ut in assignando* SS. Cassii *et* Florentii *Sociorum numero multum hallucinari sint certo dicenda. Ita opinor, primo quidem, quod ipsemet supra adhuc laudatus Josephus Hartmannus, ecclesiæ Bonnensis decanus, qui, si in antiquis hujus, quæ scrutatus est, monumentis multo plures quam septem* SS. Cassii *et* Florentii *Socios reperisset, hosce certe omissurus haud fuisset, octo tamen dumtaxat in litterarum, cujus ante memini, excerpto recenseat, sicque a præfatis Auctariis Actisque vix dissonet;* E *deinde vero, quod nulli prorsus inveniantur Fasti sacri, documenta alia seu antiqua seu recentia nulla, in quibus duorum illorum Sanctorum Socii vel novenario vel alia ullo superiori seu majori numero exprimantur, perperamque adeo ex his cohortem Browerus effecerit.*

AUCTORE C. B.

Mrl. Rom. in modo, qui illos annuntiat, hic sequi haud est visum.

57 *Hodie quidem in Martyrologio Romano hodierna* SS. Cassius *et* Florentius *Bonnæ* cum aliis plurimis *annuntiantur; verum, etsi sic habeat, certeque plures quam septem aut octo Socios duobus illis Sanctis fuisse, annuntiatione illa indicetur, alia tamen, ut jam indicari, haud inveniuntur monumenta seu antiqua seu recentiora, quæ vel numero, quo Socios illos exprimunt, vel alio loquendi modo, ut plures quam septem aut octo fuisse credantur, exposcant, hincque Usuardo hic potius, qui* SS. Cassium *et* Florentium *tantummodo* cum plurimis aliis, *quam laudato Mrl. Romano hodierno, quod eosdem duos Sanctos* cum plurimis aliis *annuntiat, adhærendum putavi. Nec futurum reor, ut studiosus lector id improbet. Quod si tamen secus fecerit, eum equidem hic, priusquam* § *huic finem impo-* F *nam, observare velim, ex omnibus, tam hoc, quam proxime prægresso* § *jam dictis, utpote secundum quæ e Martyrum, quem* Gereon *Sociique ejus trecenti octodecim constituunt, numero quinquaginta dumtaxat exstiterint Thebæi,* Victorque *et Mallosus, si non multo pauciores, certo non plures, quam trecentos triginta,* Cassio *et* Florentio *septenos etiam octonosve dumtaxat aut non multo plures nactis, in martyrio habuerint Socios, haud parum modo, etsi etiam hi omnes statuerentur Thebæi, confirmari id, quod apud nos ad* IV *mensis hujus diem in Commentario, SS. Tyrsi, Bonifacii ac Sociorum Trevirensium martyrum Actis præmisso, num.* 43 *asseritur; videlicet non verendum, ne ingens Martyrum Thebæorum, quos Agauni passos, Eucherius perhibet, numerus nimia Martyrum, itidem Thebæorum, qui vel Treviris, vel Bonnæ, vel Coloniæ Agrippinæ, vel Sanctis vel alibi denique subierint martyrium, multitudine exhauriatur.*

AUCTORE C. B.

§ V. An Martyri anonymo non fuerit S. Gereonis nomen pro arbitrio impositum ; an Mallosi cognomen hic habuerit, et an, si alter ab altero sit diversus, Mallosus eodem loco, quo Victor, martyrium subierit.

S. Gereon, qui vere hoc nomine

In tribus Hieronymianis apographis non contractis, Lucensi videlicet et Corbeiensi apud Florentinium, vetustissimoque apud Dacherium Spicil. tom. 2, *quæ heri Coloniæ Agrippinæ* 317 *Martyres annuntiant,* S. Gereonem *ejusque Socios, utut numero, quem* B *hi cum illo in aliis Fastis sacris constituunt, imminuto, designari, una omnium est opinio; ast, cum* Gereonis *nomen in tribus dictis Hieronymianis apographis haud exprimatur, hisque omnes Fasti sacri, in quibus id hodie fit, antiquitate cedant, erit fortassis non nemo, qui suspicetur, nondum tunc, cum tria illa Hieronymiana apographa exarata fuere, innotuisse, qui Martyrum, quos hæc heri Coloniæ Agrippinæ annuntiant, antesignanus seu dux fuisset vocatus, factumque adeo post esse, ut ei* Gereonis *nomen pro arbitrio fuerit impositum. Atque hæc quidem suspicio augeri potest ex eo, quod, dum unum e præfatis tribus Hieronymianis apographis, Lucense nimirum seu Florentinii textus, Colonienses nostros Martyres heri celebrat, sequenti in modo faciat:* In Gallia civitate Coloniæ. Agripini (*imo* Coloniæ Agrippinæ) natalis sanctorum CCCXVII Martyrum, quorum nomina Deus scit. *Verum, etsi quidem librarii, qui tria hic memorata Hieronymiana apographa scripserunt, exploratum forsan* Gereonis *nomen haud habuerint, id tamen universim tunc ignoratum non fuisse, vel ex eo liquet, quod equidem in Epternacensi, quo certe illa* C *antiquiora non sunt, Hieronymiano apographo* VIII *mensis hujus die* Gereonis *nomen, ut jam supra docui, reperiatur.*

fuit vocatus, ab Usuardo

59 *Adhæc, etsi quidem Martyribus, quorum nomina ignorabantur, nomina pro arbitrio subinde fuerint imposita, id tamen tum fere dumtaxat, cum eorum, quæ hactenus latuerant, corpora reperirentur, aut quavis occasione alia obtinerentur reliquiæ, factum invenio; cum autem* S. Gereonis *corpus, quod a S. Norberto in Gereonæa ecclesia anno* 1121 *repertum fuisse, non pauci contendunt, certo equidem ante hunc, uti ex infra dicendis intelligetur, haud fuerit inventum, et tamen multo citius, qui tria apud Sollerium exstantia Hieronymiana apographa contracta, Richenoviense nimirum, Augustanum, et Labbeanum, scripserunt, Florusque item ac Ado, Usuardus, Notkerus et Wandelbertus floruerint, consectarium fit, ut cum nihilominus in omnibus, quos hi exararunt, Fastis sacris* S. Gereonis *nomen vel heri vel hodie legatur, eo verosimillime Coloniensium nostrorum Martyrum dux seu antesignanus non tunc tandem, cum jam dudum migrasset ad Superos, sed jam tum, cum* D *inter mortales degeret, fuerit vocatus. Jam vero, cum hæc ita habeant,* Gereonis *nomen, non pro nomine, quod martyri anonymo fuerit pro arbitrio impositum, sed provero, quod is, in vivis existens, fuit sortitus, nomine habendum, apparet sane, si non prorsus certum, vero saltem admodum simile. Modo etiam, an* Mallosi, *quod in pluribus Hieronymianis aliisque Fastis sacris legitur, nomen pro proprio Martyris, a* Gereone *distincti, nomine, ac contra pro hujus dumtaxat cognomento sit habendum, dispiciamus.*

cum Malloso confunditur; ast hic ab illo, uti e verbis

60 *Usuardus in supra huc transcripto* S. Gereonis *elogio, exstitisse hunc cognomento* Mallosum, *diserte tradit, sicque ex* Gereone *et Malloso unum eumdemque martyrem facit, seu hunc cum illo confundit; verum Ado alterum ab altero, uti ex elogio, quo supra ambos celebrat, palam est, luculentissime distinguit; posteriori autem huic martyrologo assentiendum, apparet ex iis, quæ Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Gloria Martyrum cap.* 63 *scribit. Verba omnia, quæ hic scriptor ibidem suppeditat, lectori ob oculos, quod quam maxime* § *hujus argumento elucidando subserviant, juverit hic posuisse. Sic in Ruinartii, quæ anno* 1699 *prodiit, editione habent:* E Ab hoc etiam sacerdote (*Eberegisilo, Coloniensi archiepiscopo*) sancti martyris Mallosi corpus repertum est hoc modo : Cum fama ferret, hunc apud Bertunense opidum martyrium consummasse, occultum erat hominibus illis, quo in loco quiesceret; erat tamen oratorium inibi, in quo nomen ejus invocabatur. Supradictus vero pontifex in honorem ejus basilicam ædificavit, ut scilicet cum aliquid revelationis de martyre acciperet, in ea beatos artus, Domino annuntiante, transferret. Denique in latere basilicæ, id est, in pariete, qui a parte erat oratorii, in absida collegit, præstolans Domini misericordiam, quid juberet de martyre revelari.

Gregorii Turonensis hic recitatis sequitur, est diversus,

61 Post hæc diaconus quidam Mettensis, per visum ductus, ubi martyr quiesceret, est edoctus. Post paucum autem tempus veniens ad episcopum et quasi certa signa, per quæ visum viderat, relegens, cum prius ibidem non fuisset, ait episcopo : Hic effode et invenies corpus Sancti, id est, in medio absidæ. At ille, cum fodisset quasi in septem pedes, attigit nares ejus odor immensi aromatis, et ait : Credo in Christo, quod ostendit mihi martyrem suum, quando me hæc suavitas circumdedit; et fodiens F reperit sanctum corpus inlæsum, et emittens vocem magnam, Gloria in excelsis Deo secum omnem clerum pariter psallere fecit. Dicto quoque hymno, corpus sanctum in basilicam transtulit et cum laude debita sepelivit. Ferunt, ibidem et Victorem martyrem esse sepultum, sed non eum adhuc cognovimus revelatum. *Mallosus itaque, uti ex his Gregorii verbis intelligitur, non apud Coloniam Agrippinam, sed* apud Bertunense, *abs illa, uti ex infra dicendis patescet, certissime diversum,* opidum *martyrii palmam est adeptus; cum autem* S. Gereon, *uti omnis retro antiquitas credidit, ac porro hodieque creditur, apud Coloniam Agrippinam consummarit martyrium, consectarium fit, ut secundum Gregorium a* Gereone *Mallosus indubie distinguatur.*

62 *Nec hoc tantum e Gregorio docemur, verum*

martyriumque, non, uti hic Gelenius

verum etiam, S. Victorem, *ut fama scriptoris hujus ætate ferebat, eodem loco seu in eodem Bertunensi oppido, ubi Eberegisilus, Coloniensis archiepiscopus, Mallosi corpus reperit, jacuisse sepultum; cum autem sic habeat, verosimillimeque, imo indubie, Mallosus et* Victor *loco eodem, quo Gregorii Turonensis ætate jacuerunt humati, martyrium subierint, consectarium hinc ulterius jam fit, ut ambo, si vera sint, quæ Gregorius scribit, idem Bertunense oppidum pro palæstra fuerint adepti. Ut itaque et quæ et quo loco sita hæc fuerit et quam certo a Colonia Agrippina distinguatur, perspicuum ante omnia evadat, hic modo, quodnam sit Bertunense oppidum, a Gregorio Turonensi supra huc transcriptis verbis memoratum, examinemus. Gelenius in ecclesiæ Coloniensis sacris et piis Fastis ad 2 Maii diem annuntiatione utitur sequenti*: Bonnæ in territorio Coloniensi translatio sanctorum Cassii, Florentii et Mallusii, martyrum Thebæorum, ex quibus S. Mallusium, uti habent exemplaria Gregorii Turonensis, monstrante quodam ecclesiæ Metensis diacono, divinitus per visum
B edocto, B. Euergisilus vel Euergislus elevavit et in basilicam, ejus memoriæ exstructam, trantulit, teste Gregorio Turonensi lib. 1 de Gloria Mart. cap. 63; apud quem mendose pro Bonnensi vel Veronensi (sic enim etiam antiqui appelarunt Bonnam) legitur Bertunense oppidum; sed ex toto contextu ibidem prodit se error scripturæ. Eosdem deinde Martyres anno 1166 Reinaldus archiepiscopus et Gerardus Bonnensis præpositus, cum venerabilis cleri devotione et multitudine populi elevarunt, invento sicco quidem, sed evidenti sanguine ipsorum, quem ante annos plusquam octingentos septuaginta pro Christo profuderant.

contendit, in Bonnensi,

63 *Ita ille, volens scilicet, Mallosum, a Gregorio Turonensi memoratum, in urbe Bonnensi subiisse martyrium, ac pro Bertunensi oppido, ubi id a Gregorio e fama locatur, Bonnense seu Veronense, errore seu mendo, quod in proxime huc transcripto scriptoris hujus textu cubet, correcto, esse legendum; verum, ut Mallosum, spectatis iis quæ Gregorius scribit, non Bonnæ, sed Sanctis in Clivia pro fide occubuisse, probatum dem, necesse tantummodo est, ut et mendi seu erroris a Gelenio perpe-*
C *ram insimulari Gregorii textum et Bertunense, quod in hoc memoratur, oppidum haud aliud esse quam Sanctense, ostendam. Id itaque lubet hic præstare. Scripturæ, qua in Gregorii textu exaratur* Bertunense oppidum, *sese error* ex toto contextu *prodit. Ita verbis mox recitatis Gelenius; verum hanc ejus assertionem a vero quam maxime esse alienam, certeque adeo Bertunensi oppido Bonnense seu Veronense in Gregorii textu haud substituendum, nemo non fatebitur, qui postremam hujus partem attente expenderit. In hac enim,* Victorem *eodem loco, quo Mallosus, ac proin in eodem, in quo hic, teste Gregorio, jacebat, Bertunensi oppido sepultum jacuisse, e fama asseritur; cum autem,* Victorem *Bonnæ seu Veronæ ad Rhenum sepultum jacuisse, nemo umquam aut crediderit aut dixerit, enimvero* Bonnense *seu* Veronense *oppidum pro* Bertunensi *in Gregorii textu, correcto, qui in hoc cubet, errore, haud legendum, ac proin Bonnæ seu Veronæ, spectatis iis, quæ Gregorius scribit, Mallosi martyrium locari haud posse, indubitatum apparet. At vero, inquies, Bonnæ equidem* SS. Florentii, Cassii et *Mallusii corpora anno* 1166 *Reinaldus, Coloniensis archiepiscopus, de sepulcris summa cum solennitate levavit. Fateor, sic habet; id enim non tantum Gelenius verbis supra huc transcriptis, verum etiam Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom.* 3, *col.* 679 *ac alii e monumentis antiquioribus docent.*

AUCTORE C. B.

sed, ut, difficultate, quæ in contrarium facit, soluta,

64 *Ast, etsi id ita sit, imo etsi etiam inter Martyres, quorum sacræ exuviæ usque ad annum* 1583 *Bonnæ, ut infra docebo, asservatæ fuerunt, Mallusius seu Mallosus a Joanne Hartmanno, ecclesiæ Bonnensis decano, in litterarum, quarum supra memini, excerpto penes nos exstanti recenseatur, hæc tamen facere non debent, ut Mallosus, a Gregorio Turonensi memoratus, martyrium Bonnæ subiisse credatur. Quid si enim Gregorii Mallusius a Mallusio, cujus corpus Bonnæ de terra levatum diuque asservatum fuisse asseritur, statuatur exstitisse diversus? Non erit sane, cur id cuiquam incredibile appareat. Cum enim plurimi, ut jam docui, Coloniæ Agrippinæ, Bonnæ et Sanctis pro fide sub Maximiano fuerint occisi, facile factum esse potest, ut in magno illo Martyrum numero duo exstiterint cognomines. Adhæc, cum Josephus Hartmannus, mox iterum laudatus, unum ex octo martyribus, quos cum* SS. Cassio *et* Florentio *Bonnæ passos, in præfato suo litterarum excerpto affirmat,* Pii *nomine etiam distinguat, nec præter* Cassium et Florentium *ullus e Martyribus, Bonnæ sub Maximiano passis, vel ab Usuardo vel aliis seu scriptoribus seu martyrologis antiquis, nomine, quo fuerint vocatus, expresso, memoretur. non immerito quis suspicabitur, e Martyribus, Bonnæ coronatis, exstitisse duos, quorum, cum ibi illorum corpora fuissent inventa nominaque haud noscerentur, unum* Pii, *alterum* Mallusii *nomine pro arbitrio donarint. Accedit, Gregorii Mallosum jam ante seculum* VII, *ut supra huc transcripta scriptoris hujus verba suadent, de terra fuisse levatum; id autem Matloso, cujus corpus Bonnæ diu asservatum fuisse memoratur, anno demum* 1166, *ut jam dictum, evenisse. Jam vero, cum hæc ita habeant, Mallosus certe seu Mallusius, qui a Gelenio aliisque Bonnæ signatur, efficere non potest, ut* F *Mallosum, a Gregorio memoratum, Bonnæ occubuisse admittamus.*

E

ratione non una,

65 *Modo etiam, Bertunense oppidum, ubi Mallosus passus a Gregorio refertur, interpretandum Sanctense, ac proin Sanctis pro fide occubuisse eumden Mallosum, monstremus. Ruinartius in Gregoriani, de quo hic nobis sermo, textus verba, quibus* S. Victor *eodem, quo Mallosus, loco quievisse memoratur, ita observat*: Si verum sit, ut aliqui sentiunt, hunc Martyrem (S. Victorem *nimirum*) ex legione Thebæa fuisse, qui loco, ubi cum multis aliis passus est, Sanctos nomen dederit, ex quo vulgus Xantum, quod Civiensis ditionis opidum est, efformaverit, Bertuni opidi situm invenimus. Nam Victor et Mallosus hic in eodem loco quievisse memorantur; et vetera quædam Martyrologia utrumque simul celebrant. *Etsi itaque Bertunense oppidum, ubi Mallosus passus ac cum* S. Victore *quievisse a Gregorio e fama narratur, Ruinartius, uti a Gelenio fit,*

Bonnam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

Bonnam interpretatus haud sit, opinionem tamen, quæ S. Victoris *palæstram Sanctis collocat, ac proin et hoc oppidum pro Bertunensi per Gregorium memorato accipit, revocat in dubium. Verum* S. Victorem *subiisse Sanctis martyrium, Acta edenda num.* 15 *tradunt; hisce autem, quibus etiam constans non tantum Sanctensium, sed et Coloniensium et ipsorum met Bonnensium favet traditio, omnino hic standum vel ex eo videtur, quod Bertunense oppidum, in quo una cum Malloso quievisse* Victor *a Gregorio memoratur, certissime Bonnæ seu Veronæ, ut jam dictum, locari haud queat, aliusque præter oppidum Sanctense locus, quo idem oppidum cum aliqua veritatis specie locetur, assignari haud possit. Adhæc laudatus Ruinartius in uno e Colbertinis, quibus usus est, codicibus pro* Bertunensi *oppido, in quo* S. Victor *passus ac cum Malloso quievisse a Gregorio Turonensi memoratur,* Bertinense *legi, docet in adnotatione, scriptoris hujus verbis, proxime huc transcriptis, subjecta;* Bertini *autem seu* Bertinensis oppidi *nomine venisse olim, priusquam a* S. Victore *ejusque Sociis martyribus nomenclationem*
B *novam acciperet, Sanctense in Clivia oppidum seu Sanctos, verosimillimum apparet, nec facile, ni fallar, secus sentiet, qui, quæ jam nunc subdam, expenderit. Sanctense oppidum, de quo jam nonnulla Comment. hujus* § 1, *num.* 2 *et* 5 *seqq. protulimus, stare modo eo loco, quo olim Vetera castra seu, uti etiam simpliciter vocantur, Vetera steterunt, Cluverius Germaniæ antiq. lib.* 2, *cap* 18 *aliique, qui in Geographiam antiquam Commentarios scripserunt, affirmant.*

in medium

66 *Sunt quidem etiam, qui eo loco, quo olim Colonia Traiana stetit, oppidum istud collocant; verum hi Coloniam isthanc Veteribus tam prope admovent, ut ex horum et illius ruinis emersisse idem Sanctense oppidum in animum inducant. Teschenmacherus, qui de antiquo variorum locorum situ in Cliviæ, quos contexuit annoque* 1638 *in lucem emisit, Annal. part.* 1 *tractat, ibidem pag.* 20, *ubi et duabus pagg. proxime seqq. nonnulla huc potissimum spectantia suppeditat, sic scribit :* Vetera Coloniamque Traianam Surita eodem loco stetisse censet, vere quidem, quando Ἀχυλῶς id intelligitur; siquidem non usquequaque, sed fere eo-
C dem loco stetisse, utrobique rudera ostendunt, Vetera castra in monte, qui a Quinctilio Varo, ut quibusdam placet, Vorsseberg nunc dicitur, circumfusaque et in ripa Rheni planicie, ubi hodie pagus est Beerten, non procul ab oppido Santen ita fuisse, constans est et unanimis antiquorum sententia. Id loci etiam istius facies, omnino cum Taciti descriptione convenienS, innumera quoque eximiaque antiquitatis istic reperta monumenta satis probant; *Dithmarus autem, qui laudatum Teschenmacheri Opus, Annotationibus a se illustratum, anno* 1721 *fecit recudi, primo ad vocem* Vetera, *a qua Teschenmacheri textus, modo huc transcriptus, inchoatur, ita observat :* Ita simpliciter ea *(Vetera scilicet)* appelat Tacitus Annal. I. c. 45, et Histor. IV. c. 18. alias Vetera castra apud eundem l. c. c. 21. ex quo nempe alia castra ad Rhenum posita fuerunt. Vetera autem illa castra in vicinia oppidi Xanten, partim in colle Vorsseberg, partim in planitie, ubi pagus est Berten, posita fuisse, consentiunt Menso Altingius pag. 36. 37. Cellar. pag. 337. Cluver. lib. D
2. cap. 18.

hic adducta,

67 *Secundo altera ad vocabulum* Beerten *nota, qui pagus, in jam dato Teschenmacheri textu ita vocatus, appellationem hanc acceperit, exponit his verbis :* Quod nomen (Beerten *scilicet*) a vocabulo Vetera efformatum creditur, Germanis primum dicta VETERHEM, et mox per transpositionem literarum VERTHEM, unde postea BERTHEM sive BEERTEN. Sunt quoque arcis rudera extra portam Clivensem oppidi Xanten, quæ hodieque cum agris vicinis vocantur die alteburg, ubi non desunt, qui castra illa Vetera quærenda putant ob nominis (*Alte-burg enim idem est, quod Vetus castrum*) convenientiam; *ae tertio denique in Veterum, quam, ut in textu, huc transcripto, Teschenmacherus ait, Tacitus suppeditat, descriptionem ita notat :* „ Pars, „ inquit Tacitus, „ ca- „ strorum in collem „ (hodie Vorsseberg) „ le- „ niter assurgens, pars æquo „ (ubi pagus Beerten) „ adibatur, „ Menso Alting. l. c. Ad radicem memorati collis profunda quoque planities crebris eluvionibus plerumque fæda et lubrica conspicitur, quæ procul dubio est „ palus „ jux- E
ta „ Vetera „ apud Tacitum Histor. v. cap. 15. *Ita ille, cum Teschenmachero aliisque loco eodem, quo olim stetere Vetera, situm esse pagum, oppido Sanctensi vicinum, qui* Beerten *seu* Berten *hodieque appellatur, affirmans. Ac id quidem mihi vero apparet simillimum, uti etiam pagi illius, ut Dithmarus addit, nomen a* Veterum *vocabulo, varie corrupto, luxato ac mutato, fuisse formatum.*

probatur, in Sanctensi oppido

68 *Ast, cum Vetera aut, si mavis, Castra Vetera non tantum, ut Teschenmacherus et Dithmarus verbis jam datis aiunt, montem seu collem,* Vorsseberg *dictum, vicinamque huic, in qua situs est dictus pagus, planitiem, verum etiam ut Cluverius, loco supra cit. et Cellarius Geographiæ antiquæ lib.* 2, *cap.* 3, *plurimis aliis consentientibus, docent, oppidum haud obscurum fuerint complexa, enimvero jam inde a Francis, qui seculo quinto Romanorum ditiones, Rheno transmisso, invaserant,* Veterum *nomen ita, ut ait Dithmarus, paulatim corruptum mutatumque ac tandem castra illa seu potius totum, quem hæc continebant, terræ tractum ac nominatim haud obscurum illud oppidum teutonica, qua ute-* F
bantur, lingua Beerten *seu* Berten *Gregorii Turonensis ætate, qui id propterea Latine appellarit* Bertinum, *fuisse vocatum, vero apparet simillimum; cum autem id ita sit, ac Vetera castra seu oppidum, quod horum nomine etiam venit, sit ipsummet, ut Cluverius loco cit. docet, Sanctense oppidum, Gregorium isthoc, quod forsan, cum bella aut alia calamitate fuisset destructum, situm antiquum aliquantulum modo mutarit, per Bertinense seu Bertunense, prope quod Mallosum passum ac cum* S. Victore *quievisse supra huc transcriptis verbis scribit, oppidum intelligere ac proin ejusdem Mallosi palæstram Sanctis locare, vero pariter apparet simillimum.*

est passus;

69 *Ac id quidem ut credam, propensior adhuc vel ex eo sum, quod præter Sanctense oppidum, quod ita demum post Gregorii Turonensis ætatem, antiquatis, quæ prius habuerat,* Veterum *ac* Bertini *seu* Bertuni *nominibus, horumque nihilominus posteriori pago vicino adhuc adhærente, à* S. Victoris *ejusque Sociorum*

A *rum ibidem cultu fuerit vocatum, assignari aliud, quod per Bertunense oppidum Gregorius intellexerit, cum aliqua veritatis specie, uti nominatim de Bonna e jam supra dictis liquet, haud queat. Verum an Gregorio, qui et Sanctis, ut modo ostendi, Mallosi palæstram verosimillime collocat, et hunc a* Gereone *distinguit, contra Usuardum, qui hunc cum illo confundit, seu cognominatum fuisse* Mallosum, *prodit, certo est standum? Gregorius, dum loco supra cit. de S. Malloso tractat, duo potissimum, quæ ad institutum nostrum facere hic queunt, memoriæ prodit; alterum est, Mallosum* apud Bertunense opidum martyrium consummasse; *alterum vero, fuisse ibidem sacrum ejus corpus ab Eberegisilo, Coloniensi episcopo, repertum ac de terra levatum. Ac forsan quidem, quod Mallosus sub Maximiano martyrium sit passus, ac proin Gregorius duobus amplius seculis abs hoc eventu abfuerit, haud immerito, an hunc* apud Bertunense opidum *scriptor ille, qui præterea rem e fama dumtaxat refert, perperam haud collocet, revocari potest in dubium; verum, etsi sic habeat, id tamen fieri haud poterit, si apud idem oppidum Mallosi corpus*

B *(neque enim hoc alibi, quam ubi ille fuerat occisus, humatum fuisse, quis facile credat) fuisse ab Eberegisilo repertum ac de terra levatum, sit certum.*

etsi autem hæc, 70 *Anne itaque Gregorius, qui, ut dictum, Mallosi corpus ab Eberegisilo inventum ac de terra levatum fuisse, narrat, indubitatam sibi hac in re fidem adjungat, examinemus. Hanc sane illi a nemine denegandam, reor, si Eberegisilus, cui Mallosi inventionem adscribit, sub seculi* VI *finem vixerit, hæcque adeo ejus ætate sit facta; verum, etsi quidem episcopus, nomine* Eberegisilus, *ecclesiæ Coloniensi sub seculi* VI *finem, uti apud Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom. 3, col. 625 videre licet, præfuerit, anne tamen de hoc, an contra de S. Evergislo, qui post S. Severinum Coloniensem cathedram occupavit, ac, ut certum apparet, ad annum usque 450 vitam haud produxit, Gregorius loco cit. loquatur, non immerito potest ambigi. Tillemontius tom. 4 Monum. Eccl. pag. 430, Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom. 3 col. 625, Ruinartius in suis in Gregorium Notis ac nonnulli alii de Eberegisilo, qui sub sec.* VI *finem Coloniensem cathedram occupavit, Grego-*

C *rium exponunt, ea, ni fallor, ratione partim ducti, quod hic scriptor Eberegisilum, Coloniensem episcopum, a quo Mallosi corpus inventum ac de terra levatum, tradit, eodem exaret modo, quo Eberegisilum, Coloniensem itidem episcopum, quem a Childeberto rege ad compescendas monasterii Pictavensis turbas, quod anno 590 evenit, missum fuisse, Hist. lib. 10, cap. 15 refert. Verum haud mediocris inter* Evergisli *et* Eberegisili *seu, ut etiam scribitur,* Ebregisili, *nomina intercedit similitudo atque affinitas hincque facile factum esse potest, ut Evergislum, qui ab aliis* Evergistus *et a Gelenio de Magnitudine Col. Agrip. pag.* 39 Ebuergesell *quoque appellatur, Gregorius* Eberegisilum *etiam seu* Ebregisilum, *nomine isthoc, utpote episcopi, qui ætate sua vixerat aut forte adhuc, cum ista de Malloso scriberet, vivebat, sibi existente familiariori, per errorem appellarit.*

ob rationes, 71 *Quid quod factum esse possit, ut librarii in Gregorii, quæ scribebant, exemplaribus* Eberegisilum *seu* Ebregisilum *pro* Evergislo *mendose exararint? Utut sit, Gregorium equidem de S. Evergislo, qui ante annum* 450 *Coloniensi ecclesiæ præfuit, loco cit. loqui, vero apparet similius. Ebregisilum enim, a quo Mallosi corpus inventum, ibidem scribit, capitis dolore, cum id pulvere, e Coloniensi basilica, quam ab incolis* Sanctos Aureos *vocitari ait, accepto, tetigisset, prodigiose fuisse sanatum, per verba, num.* 35 *huc transcripta, præmiserat; hoc autem miraculum, non Eberegisilo, qui ad compescendas monasterii Pictavensis turbas anno* 590 *missus fuit, sed S. Evergislo, qui ecclesiæ Coloniensi ante annum* 450 *præfuit, verosimiliter obvenit. Ita scilicet suadet Sancti hujus Vita, ad* XXIV *mensis hujus diem, quo Coloniæ Agrippinæ colitur, a Surio relata. In hac enim num.* 4 *sequentia isthæc de S. Evergislo leguntur verba:* Postquam autem consenuit, immodico capitis dolore vexatus, more suo sacrata circuivit loca orandi studio; cumque ad beati Gereonis Sociorumque ejus templum, male valentium refrigerium, pervenisset, flexis genibus in Sanctorum memoriam, uti consueverat, versum illum dicere cœpit: „Exultabunt Sancti in gloria", moxque cælitus responsum est: Læ„tabuntur in cubilibus suis." Unde intellexit, Spiritu Dei revelante, illo ipso die sanctos Marty- E res animas suas cælo reddidisse.

quæ hic 72 Ab eo ergo tempore usque in præsens eodem die quotannis, ipso agente, illorum celebratur solennitas. Accepit autem pulverem e Sanctorum templo, et sanctæ Crucis exprimens signum, eum male affecto capiti suo imposuit, sanusque recessit; *etsi autem hæc narratio, qua S. Evergislus immodico capitis dolore in Coloniensi* S. Gereonis *ecclesia,* Sanctorum Aureorum *nomine olim distincta, prodigiose sanatus asseritur, a narratione, qua idem, ut apparet, miraculum Gregorius refert, non parum, ut consideranti patescet, in adjunctis differat, ambæ tamen quantum ad substantiam consonant, nec esse videtur, cur de duobus diversis miraculis agere putentur. Jam vero cum sic habeat, faciatque præterea discrimen, in earum adjunctis occurrens, ut S. Evergisli biographus, qui, si non citius, certo non serius, quam sec.* XI, *floruit, miraculum, quod S. Evergislo obvenisse narrat, non e Gregorio, perperam fortassis intellecto, sed aliunde accepisse sit censendus, sane re etiam ipsa S. Evergislo id obvenisse, ac proin de hoc, non autem de Eberegisilo, qui sub sec.* VI *finem floruit, Gregorium per* F *verba, quibus ab Eberegisilo, capitis dolore prodigiose, ut narrarat, sanato, inventum fuisse Mallosi corpus, loco supra cit. refert, locutum fuisse, vero apparet admodum simile. Isthæc autem verisimilitudo adhuc augetur ex eo, quod Gregorius, miraculum, de quo hic nobis sermo, narraturus, de Eberegisilo, cui et id et Mallosi inventionem obtigisse scribit, sequentem loquatur in modum:* Quodam autem tempore Eberegisili, qui TUNC HUJUS URBIS *(Coloniensis)* ANTISTES ERAT, capitis medietas validis doloribus quatiebatur; *horum autem verborum loco, si non de S. Evergislo, qui ante annum* 450 *obiit, sed de Eberegisilo, qui sub seculi* VI *finem ecclesiæ Coloniensi præfuit ac proin Gregorii ætate floruit, imo etiam tum forsan adhuc, cum hic illa scriberet, in vivis erat superstes, sermonem facere voluisset, sequentia isthæc:* Quodam autem tempore Eberegisili episcopi, qui ÆTATE NOSTRA HUJUS COLONIENSIS URBIS FUIT ANTISTES, *aut* qui NUNC ADHUC

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

ADHUC HUJUS URBIS COLONIENSIS EST ANTISTES *etc., adhibiturus fuisse videatur.*

allegantur, certa non sint.

73 *Hæc omnia verosimillime considerarit Gelenius, hincque miraculum, hic jam memoratum, quod Eberegisilo, Coloniensi episcopo, obvenisse, Gregorius prodit, ad S. Evergislum, qui integro circiter seculo ante Gregorii ætatem Coloniensi ecclesiæ præfuit, in Opere suo de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine pag.* 358 *et seq. retulit; cum autem, uti ex omnibus jam dictis liquet, ita verosimiliter rectissime fecerit, ac secundum Gregorium idem Eberegisilus, cui miraculum illud obvenit, S. Mallosi corpus invenerit, consectarium fit, ut scriptor ille, dum inventionem hanc refert, de re, centum circiter annis ante ætatem suam gesta, loquatur, cumque proinde in hac fidem undequaque certam atque indubitatam sibi haud adjungat, consectarium ulterius fit, primo quidem ut, cum e dictis, si Mallosi corpus apud Bertunense oppidum fuisse inventum, certum non sit, in dubium adhuc, an idem Mallosus in oppido illo passus sit, revocari queat, certum pariter atque indubi-*
B *tatum, obtinuisse re ipsa illum ibidem palæstram, undequaque non sit; deinde vero, ut adhuc, an Mallosus et* Gereon *unus idemque non sit, possit ambigi, cum hunc ab illo distingui nec cognominatum fuisse* Mallosum, *ex eo potissimum noscatur, quod secundum Gregorium Mallosus apud Bertunense oppidum, non autem, ut* Gereon *Coloniæ Agrippinæ, martyrii palmam locumque quietis sit adeptus. Hinc porro et ex eo, quod Usuardus, cui bonæ notæ Acta, Elinandæis antiquiora præluxisse, Sollerius suspicatur, Mallosum cum* Gereone *confundat, est factum, ut Mrl. Romani hodierni secutus exemplum hic de Malloso, veluti de Sancto, qui indubie a* S. Gereone *distinguatur, tractare ausus non sim.*

summa tamen verisimilitudine gaudent,

74 *Verum, etsi quidem, Mallosum et in oppido Sanctensi occubuisse et a* Gereone *distingui, undequaque ejam dictis certum non sit, verosimillimum tamen id est. Etsi enim,* Gereonem *cognomento fuisse Mallosum, huncque proinde abs illo non esse diversum, Usuardus e prælucentibus sibi, quæ Elinandæis antiquiora erant, Actis verosimillime didicerit, nescitur tamen, quæ qualiave hæc exstiterint,*
C *dubitarique non immerito potest, an, qui illa contexuit, pluribus seculis a rebus, quas complectuntur, haud abfuerit; quamvis autem Gregorius, e quo potissimum, Mallosum, non Coloniæ Agrippinæ, sed Bertunensi in oppido ac proin, uti e supra dictis consequitur, Sanctis occisum ac deinde ab Ebregisilo inventum fuisse, habemus, longissimo etiam trium circiter seculorum spatio a tempore, quo Mallosus subiit martyrium, abfuerit; a tempore tamen, quo ejusdem Mallosi corpus ab Ebregisilo revertum narrat, multo minus fuit remotus, nec ullam de Malloso notitiam vel meliorem, vel antiquiorem illa, quam suppeditat, habemus: ut proinde Mallosum et Sanctis seu prope Bertunense oppidum subiisse martyrium, et a* Gereone *distingui, e Gregorio, si non prorsus certum, vero tamen sit admodum simile. Reponi quidem potest, monumentum litterarium nullum, quod basilicæ, S. Malloso in oppido Sanctensi exstructæ meminerit, inveniri, idque adeo per Bertunense oppidum, in quo Mallosum repertum basilicamque ei fuisse erectam, Gregorius verbis supra huc transcriptis refert, haud posse intel-* D *ligi. Verum quid tum? Nullum pariter, quod basilicæ alibi, quam Sanctis, S. Malloso ædificatæ, meminerit, monumentum litterarium occurrit, nec tamen hinc quisquam concludat, nullam uspiam basilicam hujusmodi exstitisse. Ecclesiæ quidem,* Gereoni, *quem cognominatum fuisse* Mallosum, *Usuardus prodit. Coloniæ Agrippinæ exstructæ, non pauca monumenta litteraria meminere; ast ea per basilicam, in oppido Bertunensi, utpote quod nemo umquam interpretatus sit Coloniam Agrippinam, Malloso, ut Gregorius narrat, erectam, nequit intelligi.*

uti etiam Mallosum et Victorem eodem loco et die subiisse martyrium.

75 *Nec refert, ecclesiam, in qua* S. Victor *ejusque Socii Sanctis coluntur, ab eodem* S. Victore, *non autem a S. Malloso, nomenclationem sortiri; cum enim plurimæ, quæ nomen mutarint, ecclesiæ, ut vulgo etiam notum est, inveniantur, quid ni factum esse queat, ut Sanctensis ecclesia, utut primum a S. Malloso nomen nacta, postea tamen a* S. Victore, *cum hujus, quod fuerat inventum, corpus depositum in illa fuisset, cultusque cultu Mallosi celebrior evasisset, appellationem novam fuerit adepta? Maneat itaque, oppidum Sanctense per Bertunense, in quo Gregorius occisum basilicaque, sibi exstructa, honoratum fuisse* E *Mallosum, scribit, verosimillime designari, huncque adeo Sanctis pro fide occubuisse. Hinc porro et ex eo, quod eodem, quo Mallosus, loco Gregorii Turonensis ætate, ut tum, teste hoc scriptore, ferebat fama, quieverit* S. Victor, *consectarium jam fit, ut verosimillime hic noster Martyr (neque enim eum alibi, quam ubi Gregorii ætate jacebat humatus, necatum fuisse, facile in animum quis inducat) in eodem pariter, in quo ex dictis Mallosus, Sanctensi oppido martyrii palmam sit adeptus. Ast, an id, ut eodem loco, ita etiam eodem die est factum? Præter Martyres, qui, ut Acta edenda monumentaque alia testantur, sub Maximiano Sanctis fuere occisi, nullus præterea ibidem pro fide sanguinem fudisse reperitur; quod cum ita sit, nec hosce diebus diversis Fasti sacri aliave monumenta consignent, consectarium modo ulterius fit, ut, quemadmodum eodem loco, ita etiam conjunctim eodem die, Mallosus et* Victor *verosimillime sint passi.*

§ VI. Qua occasione et quando Sancti subierint martyrium; an S. Helena corpora eorum invenerit ecclesiasque super hæc Bonnæ, Coloniæ Agrippinæ et Sanctis exstruxerit. F

Sancti, qui expeditionis in Bagaudas

Helinandus, qui legionem Thebæam ad turbas, quæ in Galliis ortæ erant, compescendas ad sese accersierit Maximianus, in Actis edendis num. 8 *exponit, ac deinde, nonnullis adhuc interpositis, num.* 10 *ita prosequitur:* Maximianus augustus, coadunato exercitu, permixto tamen fidelium et infidelium cœtu, festinus Alpium juga transgrediens Galliæ appropinquabat, soloque adventu suo Amando et Æliano ducibus tumultus memorati perterritis,

A tis, seditionis illius tempestatem pertinaciter excitatam facile sine sui exercitus damno sedabat. Comperto vero, quod Carausius quidam nobilis insidias contra Romani regni fines moliretur, qui tamen procurator constitutus erat provinciæ, quæ est juxta Oceanum, ubi Franci, jam secundo a sedibus suis expulsi, juxta Gallorum et Saxonum confinia consederunt, misit illuc per Rheni fluminis alveum partem sui exercitus, cujus militari virtute nefarius cassaretur inceptus. In quo itinere præcipuos belli Dominici duces Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium felices turmæ Christianorum militum sequebantur.

occasione martyrium subiisse,

77 *Quod si itaque Helinando, qui statim post hæc verba SS. Mauritii ejusque Sociorum ac deinde Sanctorum nostrorum martyrium narrat, standum hic sit, id expeditonis, in Bagaudas, qui, Amando et Æliano ducibus, arma in Romanum imperium arripuerant, paratæ, reque ipsa, mutato rerum statu, in Carausium mox susceptæ, occasione evenerit; verum, nec Bagaudæ solo adventantis Maximiani metu, ut verbis recitatis Helinandus*

B *innuit, domiti fuisse videntur, nec excitatos abs illis motus tam propere, quam indicat, Carausii rebellio excepit. Ita omnino statuendum apparet ex iis, quæ Eutropius lib.* IX *memoriæ prodit. Ibi enim primo de Diocletiano sic loquitur :* Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum et Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium cæsarem misit; qui levibus præliis agrestes domuit, et partem Galliæ reformavit; *ac deinde hunc prosequitur in modum :* Post hæc tempora etiam Carausius..... cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit et Britannias occupavit.

si ante, ut ait Helinandus, consuluerint Marcellinum Papam, haud queunt,

78 *Cum ergo, uti ex his Eutropii verbis concludendum apparet, Maximiani in Bagaudas expeditionem non tantum non proxime Carausii rebellio exceperit, sed præterea hanc inter et illam unus alterve annus inter-*

C *cesserit medius, fieri sane non potest, ut expeditionis in Bagaudas paratæ moxque adversus Carausium, qui purpuram inopinato induerat, conversæ occasione martyrium Sancti nostri sint passi. Ast, quæres modo, anne id equidem, cum expeditio in Bagaudas susciperetur, haud evenit? Si, quod paulo ante verba, proxime hic recitata, Helinandus etiam scribit, re vera Sancti nostri, priusquam martyrio coronarentur, fecerint, res certe, cum bellum adversus Bagaudas moveretur, haud contigerit. Ibidem enim, B. Marcellinum, Romanum Pontificem,* qui, *ut ait,*..... navim sanctæ Ecclesiæ, in mediis tempestuosi mundi jactatam fluctibus, gubernabat, *prius abs iis, quam cum Maximiano, cujus postea jussu pro fide necati fuerunt, adversus Bagaudas moverent, consultum fuisse, tradit; cum autem Marcellinus ante annum* 296 *S. Petri cathedram haud occuparit, enimvero, si hunc, cum jam, ut Helinandus innuit, esset Pontifex, consuluerint, fieri nequaquam potest, ut, bello adversus Bagaudas, utpote quod vel anno* 285 *vel certe, uti inter eruditos convenit, proxime sequenti a Maximiano fuerit confectum, exorto, martyrium sint passi.*

79 *Verum, etsi sic habeat, hinc tamen moveri non debemus, ut certo Sanctos nostros belli illius occasione pro fide haud occubuisse, in animum inducamus. Ita opinor, tum quod id, quod de Marcellino, a Sanctis nostris consulto, Helinandus narrat, sit sane, utpote nullius, quod fide dignum sit, monumenti antiqui auctoritate subnixum, admodum incertum ac dubium, tum quod nihil etiam aliunde obstet, quo minus Sancti nostri tum, cum expeditionem in Bagaudas Maximianus susciperet, martyrium subiisse credantur. Ast, etsi etiam sic habeat, anne tamen re etiam ipsa id tunc evenerit, est admodum dubium, uti ex iis, quæ jam nunc de tempore, quo Sancti nostri passi sunt, sum dicturus, fas erit colligere. Universi legionis Thebææ milites, quos vel fuga vel absentia immani Martyrum Agaunensium seu SS. Mauritii ejusque Sociorum cædi fecerat superstites, verosimillime haud diu post hanc, uti apud nos ad* IV *Octobris diem in Commentario, Trevirensium MM. Actis præmisso, num.* 92 *probatur, e medio fuere sublati; cum autem id ita sit ac ex illo legionis Thebææ militum numero Sancti nostri, si non omnes, partim saltem, uti e jam supra dictis liquet, probabiliter exstiterint, consectarium fit, ut verosimillime et hi pariter haud diu post Martyrum Agaunensium cædem fuerint occisi. Hinc porro ulterius jam consequitur, ut, cum annus, quo Agaunenses subierint martyrium, sat exploratus haud habeatur, annum quoque, quo Sancti nostri passi sint, ignorari, sit necesse.*

AUCTORE C. B. *eo tamen temporis spatio, quod MM. Agaunensibus necem attulit,*

E

80 *Verum, etsi id ita sit, eo equidem temporis spatio, quod ab anno* 286 *aut etiam ab anno* 285, *si jam tum, ut Pagius in Criticis vult, bellum Bagaudicum fuerit confectum, usque ad annum* 297 *effluxit, occisos fuisse Agaunenses Martyres, verosimillimum efficiunt, quæ apud nos in Comment., proxime laudato,* § VII *disputantur; cum autem id ita habeat, nec quidquam, ut tempus, quo illi ac proin et Sancti nostri pro fide occubuerint, sat tuto propius definiatur, inveniam, hinc ego horum martyrium, quod præterea, id aliquot etiam annis post dictum temporis spatium haud accidisse, undequaque certum non sit, latiori tantummodo modo sub Diocletiano et Maximiano, quorum posterior, cum anno* 284 *aut sequenti cæsar fuisset creatus, ab anno deinde* 286, *e cæsare augustus factus, una cum priori ad annum usque* 305 *Romano imperio præfuit, signavi. Rationes quidem, quæ Martyres Agaunenses ac proin et Sanctos nostros supra memorato temporis spatio potius, quam post sub sec.* IV *initium martyrio fuisse affectos, suadent, contemnendæ neutiquam sunt; ast, etsi sic habeat, rem equidem certam haud efficiunt, cumque in Opere nostro, loco supra cit., dilucide ob oculos ponantur, eo ego, ne, si hic a me repetantur, actum agam, lectorem, eas videndi ac expendendi avidum, remitto, ac nonnulla modo etiam de die, quo Sancti nostri passi sint, adjungo. Ab Usuardo quidem, aliisque martyrologis non paucis ac ab ipsismet, qui Martyrologium Romanum hodiernum reformarunt, eruditissimis viris Sancti nostri una eademque hodierna die annuntiantur.*

quodque ab anno 285 *vel* 286 *ad* 297 *excurrit, verosimillime passi sunt,*

81 *Verum, etsi res sic habeat, eos tamen tunc omnes pro fide occubuisse, credere vix sinit locorum, quibus* Victor *ac Socii ejus,* Cassiusque

AUCTORE C. B.

Cassiusque *item et* Florentius *cum pluribus aliis passi sunt, haud parva invicem distantia, ut Helinandus in Actis edendis num.* 23 *recte observat. Eadem porro ratio facit, ut una eademque die hodierna tam* S. Gereonem *ejusque Socios, quam* S. Victorem *ejusque itidem Socios fuisse occisos, sit pariter creditu oppido difficile; etsi autem Hieronymiana apographa, ut supra docui, alio die Martyres, cum* S. Gereone *Coloniæ Agrippinæ passos, alio* S. Victorem *ac Mallusium cum Sociis* 330 *recte celebrent, hosce tamen et* SS. Cassium *ac* Florentium *una eademque hodierna die, non secus ac multi alii Fasti sacri, perperam, uti e jam dictis videtur, commemorant, nec, ut apparet, Martyrum Coloniensium annuntiationem* Cassii *et* Florentii, *qui Bonnæ passi sunt, annuntiationi, decima hisce, nona aut octava illis assignata Octobris die, recte præponunt. Cum enim, qui, ut Sanctos nostros occiderent, a Maximiano missi erant, secundo Rheno instituerint iter, fuisse abs illis prius, quos Coloniæ Agrippinæ, quam quos Bonnæ reperere, occisos, ecquis, quæso, qui Bonnæ, dum Rhenus descenditur, Coloniam Agrippinam subjici, considerarit, in animum facile inducat?*

etsi autem S. Gereon, qui verosimillime alio,

B 82 *Et vero* S. Gereonem *ejusque Socios, non* IX, *sed verosimilius* X *Octobris die pro fide occubuisse, in animum induco. Rectene, an secus, e jam nunc dicendis patescet. S. Evergislus, supra laudatus Coloniensis archiepiscopus, capitis dolore in Coloniensi* S. Gereonis *ejusque Sociorum templo prodigiose sanatus, sanctos illos Martyres eo ipso die, quo id sibi accidit, olim subiisse martyrium, divinitus fuit edoctus hincque cultu annuo solenniter eosdem sanctos Martyres tum coli præcepit. Ita verbis, num.* 71 *et seq. huc transcriptis, docet nos S. Evergisli biographus, qui præterea ibidem addit, solennitatem illam quotannis usque ad ætatem suam fuisse eodem die repetitam. Verum quo tempore quove seculo hæc figenda? Haud citius, ni fallor, quam sec.* IX *jam labente. Etsi enim is scriptor certo non serius quam seculo* XI, *ac forsan etiam, ut jam supra insinuavi, aliquanto floruerit citius, fere tamen ubique de S. Evergisli gestis admodum jejune loquitur, nec ullum e miraculis, quæ magno numero a Sancto illo patrata affirmat, nominatim recenset, ut facere plerumque solent, qui tribus quatuorve seculis aut certe diutissime a rebus, quas narrant, abfuere. Jam vero cum hæc sic habeant,*

quam S. Victor, die occubuerit, x Octobris, ut apparet,

C *ac sec.* IX *Coloniæ Agrippinæ ad* X *Octobris diem* S. Gereon *ejusque Socii, utpote tum ibidem a Floro, Adone, Usuardo aliisque martyrologis antiquis, qui seculo isto floruere, annuntiati, cælitum honoribus quotannis fuerint affecti, enimvero, cum id præterea eo ipso die, quo eos ad cælum migrasse, S. Evergislo divina revelatione, ut dictum, innotuit, usque ad laudati biographi ætatem seu, uti e jam dictis sequitur, usque ad seculum* IX *Coloniæ Agrippinæ observatum semper quotannis fuerit, consectarium fit, ut illi Sancti nostri eadem decima Octobris die sanguinem pro fide effuderint.*

sit passus, id tamen certum non est,

83 *Verum, etsi sic habeat, rem tamen, quod S. Evergisli biographus, cui soli innititur, fidem sibi integram in rebus, quas de Sancto illo, ab ætate sua plurimum remoto, refert, haud quaquam, quemadmodum e jam dictis nemo non statuet, adjungat, nec revelationibus particularibus, utpote quibus subinde* D *nonnihil humani immisceatur, sat tuto facta historica queant superstrui, pro certa atque indubitata haud reor habendam. Fuisse itaque* S. Gereonem *ejusque Socios die* X *Octobris occisos, verosimilius quidem, at non certum, ob biographi S. Evergisli auctoritatem apparet; cum autem dies, quo illi Sancti nostri pro fide occubuerint, ex Hieronymianis apographis, quod hæc tam in* S. Gereone *ejusque Sociis, quam in aliis Sanctis nostris annuntiandis sint admodum, ut dictum, confusa ac turbata, certo etiam determinari haud queat, eosque omnes, alii Fasti sacri non aliam, ut apparet, ob causam, quam quod in celeberrima, ubi coluntur, Coloniensium urbe hodie id fiat, una eademque hac die celebrent, hic pariter plura, ut vel Fastorum illorum vel Hieronymianorum apographorum ope diem, quo seu* S. Gereon *ejusque Socii, seu alii Sancti nostri passi sint, certius definiam, haud adduco, ac quo die* S. Victor *ejusque Socii, itemque quo die* SS. Cassius *et* Florentius *eorumque Socii pro fide occubuerint, in medio relinquens, ad alia modo progredior.*

nec etiam, in Sanctorum nostrorum honorem Coloniæ Agrippinæ,

84 S. Gereonis *ejusque Sociorum corpora in puteum fuisse post martyrium projecta, ac post super hæc ecclesiam, quæ ab auro, quo emicabat,* Ad Sanctos aureos *fuerit vocata, exstruxisse S. Helenam, Helinandus, cui etiam quantum ad ecclesiam, in* S. Gereonis *ejusque Sociorum honorem a Sancta illa exstructam, dux Adolphus in Ms. Sanctensi, sæpius jam laudato pag.* 101 *et seq., Cratepolius in Archiepiscopis Colon. pag.* 4 *itemque in suo Episcoporum totius orbis Catalogo pag.* 135, *Hermannus Fleyus in Circuli Westphalici Annalibus pag.* 288 *et seq., ac denique Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis pag.* 586 *et seq. consentiunt, in Actis edendis num.* 19 *et seq. tradit. Id porro pariter testantur versus, in sacri istius ædificii frontispicio, aureis litteris, ut ait loco cit. Miræus, expressi, quorum duo priores sic sonant:*

Regibus exemplum sacroque carismate plena
Condidit hoc templum sancti Gereonis Helena;

Gelenius autem de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib. 3, *syntagmate* 2, § 1 *etiam adjungit, ædi isti sacræ ministros quoque, qui divinas laudes persolverent, fuisse a sancta* F *illa Constantini Magni matre deputatos. Audi, qui ibidem de sacro isthoc ædificio loquatur.* Huic, *inquit,* inter Colonienses ecclesias proxima est a metropolitana dignitas, origo vero etiam augusta et omnino regalis, utpote sub initia quarti sæculi a Christo nato, ab augusta Fl. Helena, Constantini Magni augusti matre, magno in divos Thebæos et Mauros milites affectu pietatis exstructa Opere regio ac raro, quippe præcelsæ in modum vastæ turris aut arcis et octogonæ, et quæ tanto, cum res Coloniæ integræ manerent, auri fulgore emicabat, ut musiva foris et intus elegantia AD AUREOS MARTYRES dici meruerit; quod nomen ante annos mille testatum a Gregorio Turon. lib. 1 Mirac. cap. 62 usque ad nostra tempora, splendore illo plurimum imminuto, tamen adhæret apud eruditos.

Bonnæ

85 Neque vero solum B. illa templorum fundatrix Helena muros, limina et tecta hujus loci constituit, sed etiam clerum collectum, ut reor, ex Orientalis disciplinæ viris, religione præ-

A præstantibus, quorum munus erat a consuetudine hominum noctu ac interdiu secretos ac claustro communi clausos, Psalmis aliisque sacris modis Deum laudare, Scripturis sacris invigilare, et interiori hominis statui reformando ad Christi similitudinem sese dedere : id ut ita arbitrer, movet me cumprimis, quod constet in hac ecclesia ante S. Benedicti ætatem abbates præfuisse, ex quorum successione est S. Maurinus, de quo in S. Panthaleonis basilicæ laudibus plura dicenda erunt. *Ita ille; quod si porro, quæ præterea dux Adolphus, Cratepolius et Fleyus locis supra citt. memoriæ produnt, veritati consonent, S. Helena non tantum Coloniæ Agrippinæ* S. Gereoni *ejusque Sociis, verum etiam Bonnæ et Sanctis, hic quidem* S. Victori *ejusque Sociis, illic vero* SS. Cassio *et* Florentio *aliisque, qui cum hisce passi sunt, pluribus ecclesiam, defossis, quæ utrobique repererat, in sacris, quæ erigebat, ædificiis Martyrum corporibus, exstruxerit. Ac primo quidem dux Adolphus, ecclesiam per eam Bonnæ super* SS. Cassii *et* Florentii *aliorumque corpora fuisse exstructam, in Ms. Sanctensi pag.* 101 *luculentissime tradit.*

B 86 *Verba, quibus id facit, hæc sunt :* Deinde *(S. Helena)* versus Rheni fluvium descendens devenit ad Veronam civitatem, quæ nunc (*supra hac de re dicta videsis*) Bonna dicitur, ibique de præclara Martyrum Thebæorum legione Cassium, Florentium, Mallusium (*de hoc adducta num.* 64 *consule*) suosque commilitones, præfatos ante paucos annos repperit a Maximiani militibus trucidatos, et in rure tellureque non sacrata cognovit hos humatos, quos de suis sedibus effossos ac levatos decentissime commendavit sepulturæ, desuper ecclesia fabricata, sed a posteris postmodum propter crebrescentia Martyrum miracula spatiosius dilatata. *Nec minus dilucide, fuisse quoque ab eadem Helena ecclesiam super* S. Victoris *ejusque Sociorum corpora Sanctis erectam, memoriæ prodit, in dicto Ms. pag.* 102 *et duabus seqq. sic scribens :* Demum præmemorata regina (*S. Helena nimirum*) Deo atque suis Martyribus propter officia beneficiaque, reliquiis eorum præstita, plurimum placens et hominibus honorata, de Colonia descendit ad Troiæ Minoris, quæ Xanctis (*num.* 2 *et quatuor seqq. videsis*) appellata est, mœnia; quorum perscrutans et investigans abscondita repperit xenia margaritarum plurimarum, scilicet corpora Martyrum diversa inter palustria demersa seu recondita. Nam præclarorum Christi militum, primicerii videlicet Victoris invicti cum trecentis triginta commilitonibus illustribus supra memoratis de Thebæorum germine juxta dictam Troiam Minorem Germaniæ peremptorum corpora, locis humentibus ac palustribus injecta velut oblivioni tradita per reginam mox inventa, reverenterque detecta sunt a requirentibus, atque per ostensionem seu significationem divinam, cunctis cernentibus et credentibus, agnita. Quæ quidem corpora devote collecta subtus fundamentum basilicæ, per eamdem reginam desuper exstructæ, pro decentibus reliquiis sunt reposita anno Domini trecentesimo septimo vel circiter, ita quod præfata Sanctorum corpora per paludes et humida prata fere viginti annos inhumata jacuerunt.

et Sanctis supra illorum corpora ecclesiam,

87 Verum quoniam prænotata regina, beata scilicet Helena, circa collectionem corporum Martyrum jam dictorum fuisset occupata, sed et de constructione basilicæ pro tantorum Christi Militum veneratione redderetur angustata non minime, ne divinitus cultus impediretur ab illis, ordinato clero, fecit in una parte paludis festinato construi capellam, quatenus in eadem divinum celebraretur officium, quoadusque principalis ecclesia, solenniter inchoata, per eamdem devotam reginam perficeretur; et fuit dicta capella in modum crucis formata, et ut ad ipsam per duodecim vel circiter gradus ascenderetur ordinata; et hoc ideo quia situs loci dictæ capellæ reumaticus erat et aquaticus; propter quod inferius fieri jussit concavitatem quamdam subterraneumque conductum, magnis stratum lapidibus, ut aqua palustris, guttatim per terræ venas influens, per hunc meatum facilius effluere et paulatim dilaberetur, ne pavimentum capellæ superius pedibus calcantium lubricum humidumque redderetur; de cujus capellæ mutatione seu transpositione postea dicetur. *Hactenus Adolphus; quod autem ad Fleyum et Cratepolium jam spectat, prior ecclesiam Bonnæ in* SS. Cassii *et* Florentii *honorem a S. Helena exstructam, posterior fuisse etiam ecclesiæ canonicorum, seu clericorum collegium abs illa adjunctum, prodit, amboque Sanctis* E *fuisse ab eadem sancta Helena et ecclesiam in* S. Victoris *ejusque Sociorum honorem erectam et collegium seu canonicorum seu clericorum ei adjectum, docent.*

a S. Helena fuisse exstructam,

88 *Nec ab illis, quibus etiam dux Adolphus, utpote a S. Helena in Sanctensi, quam hæc exstruxerit, ecclesia clerum etiam ordinatum fuisse, mox huc transcriptis verbis insinuans, neutiquam adversatur, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis dissentit. In hisce enim ad* XVIII *Augusti diem, quo S. Helena Martyrologio Romano inscribitur, de ea primo sit scribit :* Sanctis in Clivia collegium canonicorum in honorem S. Victoris et aliorum CCCXXX Martyrum Thebææ legionis, eo loci pro Christo occisorum, instituit; *ac deinde ad* X *Octobris diem, quo* S. Victorem *ejusque Socios Martyrologium Romanum celebrat, sequentia isthæc, narrato horum martyrio, verba subjungit :* Quorum quidem Martyrum ossa S. Helena, Constantini Magni imp. mater, postea e paludibus collecta, in loculis condidit, et æde sacra collegioque canonicorum in Coloniæ Traianæ ruinis..... *(in quibus scilicet, ut Miræus putavit, Sanctense exstat oppidum)* honoravit. F *Ast, an vere S. Helena Bonnæ, Sanctis et Coloniæ Agrippinæ ecclesias in Sanctorum nostrorum honorem erexerit, modo dispiciamus ac ab ecclesia Sanctensi ducamus initium. In Opere nostro de S. Helena ad* XVIII, *quo hæc in Martyrologio Romano hodierno recolitur, Augusti diem actum jam est, ibique, an Sanctis collegium canonicorum in* S. Victoris *Sociorumque ejus honorem instituerit, in Commentario prævio num.* 96 *revocatur in dubium. Ac primo quidem, cum S. Helena, ut Papebrochius die* XXI *Maii in Commentario historico de S. Constantino Magno pag.* 29 *ostendit, non nisi post annum* 312 *videre Gallias potuerit, consectarium fit, ut, si vere instituerit Sanctis canonicorum collegium, ecclesiamve exstruxerit, id certe, quod proin et de ecclesiis, quas Bonnæ et Coloniæ Agrippinæ ædificarit, dicendum, ante dictum annum* 312 *haud fecerit.*

pro certo,

uti hic adducta

89 *Verum, an re ipsa Sanctis in* S. Victoris *Sociorumque ejus honorem ecclesiam erexerit*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

ac proin etiam, an collegium canonicorum ibidem instituerit, rectissime revocatur in dubium; imo vero in S. Victoris *ejusque Sociorum honorem ecclesiam a S. Helena Sanctis haud fuisse exstructam, ex iis, quæ Gregorius Turon. lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 63 *scribit, verosimillimum apparet. Fuisse enim ab Eberegisilo, qui sub sec.* VI *finem ecclesiæ Coloniensi præfuit, seu potius, ut supra num.* 72 *ostendi, a S. Evergislo, qui, seculo* V *media sui parte nondum elapso, eamdem ecclesiam rexit, basilicam S. Malloso in Bertunensi oppido erectam, scriptor ille (verba ejus num.* 60 *et seq. huc transcripta videsis) ibidem docet; cum autem antea, ut addit, oratorium dumtaxat, in quo S. Mallosi nomen invocabatur, in dicto oppido exstiterit, ac per id, ut supra monstravi, verosimillime haud aliud quam Sanctense debeat intelligi, consectarium fit, ut Sanctis, si Gregorio standum sit, ante seculum* VI *aut certe ante seculum* V *ecclesia seu basilica, quæ S. Malloso sacra esset, haud exstiterit. Hinc porro, cum ecclesia seu basilica, quæ Sanctis seculo* V *aut* VI *S. Malloso fuit exstructa, verosimillime, ut*
B *supra docui, alia non sit, quam ibidem exstans* S. Victoris *ecclesia, quæ post abs hoc, cum primum a S. Malloso habuisset nomen, appellationem fuerit sortita, ulterius jam consequitur, ut hæc seu Sanctensis* S. Victoris *ecclesia, utut sæpius, cum ruinam passa fuisset, modo reædificata, primo tamen ante seculum* V *aut* VI *exstructa haud fuerit, ac proin ut ejus structura S. Helenæ, utpote certo ante seculum* IV *medium vita functæ, haud possit adscribi.*

suadent, 90 *Erit quidem fortassis, qui reponat, certum equidem non videri, ecclesiam, quæ Sanctis sec.* V *aut* VI *S. Malloso fuit exstructa, aliam non esse quam ibidem exstantem* S. Victoris *ecclesiam, quæ post abs hoc Sancto, cum primum nuncupata a S. Malloso fuisset, nomenclationem acceperit; verum etsi id ita sit, imo etsi etiam certum foret contrarium, nec hinc tamen, Sanctensem* S. Victoris *ecclesiam a S. Helena ac proin ante seculum* VI *aut etiam* V *fuisse ædificatam, verosimile, spectatis iis, quæ Gregorius narrat, evaserit. Etsi enim hic scriptor,* S. Victorem *in Bertunensi seu, ut e supra dictis sequitur, Sanctensi oppido ætate sua jacuisse sepultum, e fama (adi iterum supra huc transcripta ejus verba)*
C *memoriæ prodat, ecclesiæ tamen, quæ tum ibidem a* S. Victore *fuerit vocata, haud meminit; quod tamen, cum vel oratorii, in quo S. Mallosi nomen invocabatur, mentionem faciat, omissurus haud fuisse videtur, si re etiam ipsa tum ibidem ecclesia, quæ a* S. Victore *nomen fuisset sortita, exstitisset. Et vero, cum Gregorius, ætate sua nondum, quo oppidi Bertunensis seu Sanctensis loco* Victor *jaceret, revelatum fuisse, adjungat, vel hinc contra, tum ibidem ecclesiam, quæ a* S. Victore *nuncuparetur, nondum exstitisse, ac proin Sanctensem* S. Victoris *ecclesiam a S. Helena ædificatam haud fuisse, verosimile evadit. Hinc porro etiam jam corruit, aut saltem admodum dubium redditur, quod de canonicorum collegio, ibidem per S. Helenam instituto, possessionibusque ac variis privilegiis, ædi isti sacræ, a Constantino Magno, qui anno* 337 *obiit, concessis, Miræus hodie in Fastis supra laudatis et Stephani Pighii, canonici Sanctensis, Hercule prodicio commemorat.*

91 *Ad Coloniensem* S. Gereonis *ejusque Sociorum ecclesiam modo accedo. Verosimillime hanc jam inde a sec.* V *exstitisse, ex iis, quæ num.* 71 *et seq. disserui, consequitur, nec, quo minus jam inde etiam a sec.* IV *exstitisse credatur, quidquam obstat; verum, etsi id ita sit, hinc tamen, fuisse illam a S. Helena ædificatam, ministrisque ad Dei servitium deputatis instructam, haud recte intuleris. Neque vero id a sancta Constantini Magni matre factum, indubitanter quis credat, qui nulla prorsus sat antiqua, quibus res probetur, monumenta inveniri, considerarit. Atque hinc in jam supra laudato, qui S. Helenæ Actis præmittitur, Commentario num.* 97 *Pinius, proxime huc transcriptis, quæ pariter recitat, Gelenii verbis sequentia isthæc merito subjungit:* Quæ omnia si ab eruditis credi velint Colonienses tamquam vera, non referri dumtaxat, sed probari debent. *Ceterum cum sic, quæ de* S. Gereonis *ecclesia, per S. Helenam exstructa, clericisque in hac ad divinum servitium deputatis, Gelenius affirmat, idcirco dumtaxat, quod monumentis antiquis suffulta non sint, haud immerito revocentur in dubium, pro dubiis pariter quæcumque de Bonnensi ecclesia, per eamdem S. Helenam exstructa canonicorumque collegio, in hac instituto, seu a Cratepolio seu ab aliis narrantur, eamdem* E
ob causam sunt habenda.

est habendum.

PASSIO,

Auctore Helinando *a*, Ordinis Cisterciensis monacho. *a*

Ex codice Musæi nostri signato PMS. 159, *cum Ms. Audomarensi et editione Surii collato.*

PROLOGUS.

Qua ratione de Martyribus, hic propositis, tractaturus sit auctor, F *exponit.*

Thebæorum Martyrum sacratissimam legionem *b* hodierna die festivis attollere laudibus ammonemur, in qua preciosissima sanctæ illius sodalitatis pignora, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium, cum eorum Sociis veneramur. Neque enim secernuntur in gaudio retributionis, qui nullo modo dissenserant gloriosæ constantia passionis.

Thebæi Martyres, qui hodie simul colun- *tur,* *b*

2 Nam quamvis non uno die *c*, nec eodem loco martyrii gloriam susciperent, tamen secundum Apostolum, erat illis unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui est super omnes et per omnia Deus in secula benedictus *d*: cui simul omnes uno consilio, una devotione, felici perseverantia adhærebant, implentes actu Psalmistæ verba, dicentis. « Mihi autem adhærere Deo bonum « est ponere in Domino Deo spem meam *e*. » In qua

etsi haud eodem die et loco, eadem tamen constantia sunt passi. *c* *d* *e*

A qua constanter et unanimiter summam charitatem, quæ Deus est, corde credentes ad justitiam, ore autem confitentes ad salutem, hanc Apostolicam constantiam sedulo voluntate et moribus meditabantur : Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius *f*? Subsequentes etiam certam fiduciæ suæ causam : Sed in his omnibus, inquiunt, superamus propter eum, qui dilexit nos *g*.

f

g

Horum Acta non plene,

3 Nec moveat quenquam, quod in hac nostræ Thebaidis serie gesta beatorum Martyrum et sacrosancta pro fide Christi certamina plena ratione secundum morem historias texentium non persolvimus : cum id nobis fit hoc sermone propositum, ut nobiscum pariter ad spiritale gaudium corda provocemus auditorum : quatenus Supernorum accensi desiderio, plus appetant per charitatem ædificantem ad Martyrum societatem proficere, quam per scientiam inflantem ab æterni gaudii delectatione deficere.

sed summatim dumtaxat se relaturum, auctor affirmat,

4 Sed quia mos est humani ingenii tarditari, ut ab exteriorum cognitione querat, quod arcano cordis imprimatur, quasi aliter ad rationem, nisi per sensibilium et imaginabilium rerum ducatum, non possit assurgere, ut hoc sit, quod Apostolus dicit, Non prius, quod spiritale est, sed animale: deinde quod spiritale *h*. Moveamus et nos, secundum quod audivimus, quasi historiam, non quidem ex ordine singula complectentem, sed summatim quædam necessariora * chronographiæ more perstringentem de sanctissimis hujus legionis angelicæ tyronibus, Gereone videlicet, Victore, Cassio, Florentio et eorum Sociis, universo orbi terrarum merito venerandis, qui sua, ut ita dicam, mortis victoria, securitatis et pacis successus jucundissimos comparaverunt.

h

* *Sur.* necessaria

nonnullaque de divina erga eos providentia præfatur.

5 Hos insignes Triumphatores mirabilis et provida omnipotentis Dei dispensatio post victoriosissimam beati Mauritii passionem, adeo, quantum humanæ datur indagationi conjicere, spe gaudentes, in tribulatione patientes, mora, qua voluit, reservavit, ut, quo plus in lachrymis seminarent, eo jucundius fructum perennis lætitiæ meterent, et, quanto latius exempla suscepti pro Christi nomine laboris in confessione C ipsius extenderent, tanto plures ad imitationem suæ constantiæ et magnanimitatis accederent : cum tamen ipsi corda sursum habentes apostolico illo ferverent desiderio, quo dicit : Cupio dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius est *i*. Nam in brevi post patratum eorum martyrium paucissimi in ea, qua passi sunt, provincia remanserunt, qui non hoc ipsum ardenter expeterent, quod in eis dudum obstinatis pectoribus exhorrerent, quasi arcta ipsa via prius non esset commeabilis, quæ tot fuisset præcedentium trita vestigiis.

ANNOTATA.

a *Quis hic scriptor exstiterit, quandonam floruerit ac quam fidem mereatur, in Comment. prævio num.* 14 *et tribus seqq. exposui.*

b *De hac apud nos potissimum jam actum ad* XXII *Septembris diem, qua S. Mauritius* * *ejusque Socii, Agauni martyrium passi, in Mrl. Rom. hodierno signantur.*

c *Adi Comment. præv. num.* 81.

d *Ad Ephes. cap.* 4, ℣. 5 *et* 6.

e *Psalm.* 72, ℣. 28.

f *Epist. ad Rom.* 8, ℣. 35.

g *Ibid.* ℣. 37.

h 1 *ad Corint. cap.* 15, ℣. 46.

i *Ita fere ad Philip. cap.* 1, ℣. 23.

A. HELINANDO.

CAPUT I.

Sanctorum in fide constantia ac martyrium.

Maximianus, qui una cum Diocletiano in Christianos

Igitur dum Incarnationis Dominicæ annus fere primus post ducentesimum et nonagesimum verteretur, Diocletianus imperator trigesimus tertius ab Octaviano Augusto primo, cujus imperii anno quadragesimo secundo singularis eadem nativitas per Mariam perpetuam virginem administrata est, Maximianum, cognomento Herculium, primo cæsarem, deinde consortem sibi totius regni fecit, et Augusti nomine et potentia secum pariter sublimavit *a*. Quorum sævitia tanta contra Christianos incan- E duit, ut ille in Oriente, iste in Occidente circunquaque ecclesias Dei vastarent, nemini de grege Domini parcerent, nomenque Christianum funditus exstirpare studerent. Sed divino nutu, quomodo tunc laboratum fuerit in semine, postea factum est manifestum in germine.

a

decimam persecutionem, ceteris immaniorem, excitavit,

7 Hæc enim persecutio, a Nerone decima, cæteris immanior et diuturnior fuisse perhibetur, ita ut usque ad decem annos, in incepta crudelitate permanens, extenderetur. Quam mox subsecuta est ruina vehemens et perpetua destructio idolorum, cum per totum orbem pax ecclesiis Dei reddita, ipsos etiam, quos dudum inimicos asperrimos pertulit, jugo fidei Catholicæ subdidit, in morem decimæ Ægyptiacæ plagæ, quæ, sicut primogenitorum omnium subita morte sævissima, ita et ultima, populum Domini non solum liberum abire permitti, verum etiam auctum pecunia, ut festinaret, vehementissime compelli fecit. Cujus rei gratia si quid post hanc Christianorum persecutionem exemplatum fuerit, in antiquis ecclesiarum ædificiis apud nos adhuc cernere licet. F

Thebæos milites, orta in Galliis seditione, accersit.

8 Cum ergo in Galliis perniciosus tumultus contra Romanum imperium excrevisset *b*, Maximianus apud Italiam collecto exercitu, Thebæos milites, Mauricium, Gereonem, Victorem, aliosque ejusdem ordinis viros, jam Sacramentis veræ fidei et salutaris Baptismatis per Hierosolymitanum antistitem *c* initiatos, in auxilium accersivit. Qui protinus, ut erant militari virtute exercitati, præceptis imperatoriis obsequentes, singuli cum suis sequacibus armis bellicis instructi, consilio divino muniti, sese in eandem expeditionem unanimiter contulerunt. Deinde colloquium expetentes beati Marcellini Romani Pontificis, qui post beatum Petrum Apostolum vicesimus octavus, ante S. Sylvestrum, ejusdem Sedis præsulem, quartus, navim sanctæ Ecclesiæ in mediis tempestuosi mundi jactatam fluctibus gubernabat : ab eo quomodo sub armis Romanæ militiæ, Christianæ religionis conservanda esset innocentia, dedicerunt *d*, ejusque doctrinæ perspicuam veritatem usque ad finem boni certaminis invicta fidei justitia servaverunt.

b

c

d

9 O beatus et sacer ille conventus expeditorum

A. Helinando. *Hi, quamvis imperatori servire parati, Christo fidem servare voluerunt,*

torum in procinctu militum, qui bellum quidem extrinsecus per obedientiam, pacem intrinsecus per innocentiam cogitabant, qui ad expugnandos Romanæ pacis inimicos arma ferebant, ad resistendum contra præmeditatas injurias, non ferri, sed fidei arma firmissima præparabant. Nam hanc suam Domino generaliter dicavere concordiam, ut contra hostes publicos edictis imperatoriis obedirent; contra susceptæ fidei religionem, imperatorem nullum agnoscerent, piusque vellent pro Christo vitam temporalem perdere, quam vitam æternam, Christum Deum negando, temporaliter vivere. Nimirum unctione sancti Spiritus edocti, recolebant verba Veritatis, quæ de suis discipulis ad Patrem loquitur, dicens: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum *e*. Optabant simul anhelanti desiderio citius in se perfectum iri orationem illam Domini, dicentis: Pater, volo, ut, ubi ego sum, ibi sit et minister meus.

e

hincque, cum jam Maximianus in Galliam

10 Deinde Maximianus Augustus *f*, coadunato exercitu, permixto tamen fidelium et infidelium cœtu, festinus Alpium juga transgrediens, Galliæ appropinquabat, soloque adventu suo Amando et Æliando ducibus tumultus memorati perterritis, seditionis illius tempestatem pertinaciter excitatam, facile sine sui exercitus dampno sedabat *g*. Comperto vero, quod Carausius quidam nobilis, insidias contra Romani fines imperii moliretur *h*, qui tamen procurator constitutus erat provinciæ, quæ est juxta Oceanum, ubi Franci, jam secundo a sedibus suis expulsi, juxta Gallorum et Saxonum confinia consederunt, misit illuc per Rheni fluminis alveum partem sui exercitus *i*, cujus militari virtute nefarius cassaretur inceptus.

f

g

h

i

Gereonem aliosque ex illis præmisisset,

11 In quo itinere præcipuos belli Dominici duces, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium felices turmæ Christianorum militum sequebantur. Interea Maximianus, ferocissimus Christiani nominis persecutor, et tali tantoque agmine indignissimus ductor, statuto juxta radicem Alpium zeli idolo, in loco, quem dicunt Octodorum *k*, præcepit, ut omnis exercitus viritim festina celebritate concurreret, et a supplicatione diis, ut fatebatur, immortalibus agenda, communique lætitia se nemo, velut alterius sectator religionis, exciperet *l*. Jam vero Gereonium præcessaret agmen, et fidissimi comitatus societatem præsentia corporali reliquit. * Unde factum est, ut nuncium scelestissimi sacrilegii non audiret, seseque cum sanctissimis suis corporibus nostræ perpetuæ jucunditati servaret.

k

l

* *Sur.* relinquerat

reliqua primum, quæ cum Mauritio remanserat, eorumdem acies,

12 Ventum est ad locum constituti flagitii, ubi, dum copiosus Romanæ virtutis exercitus quasi pro religione surdis et mutis idolis inclinaretur, S. Mauricius cum sua legione non adfuit, quia interim, ut commilitones suos ad futura certamina roboraret, in locum spiritualis exercitii secessit. Quod dum rex avidus bonorum exitii, referente præcone, resciret, et persuasionibus callidis aciem divinam flectere non valeret, præcepit eam semel et iterum decimari *m*, et si adhuc, qui remanerent, mori quam cedere mallent, omnem illam beatissimam legionem, ubicunque fuisset dispersa, missis militibus, statuit trucidari, hoc sane lictorum laborem precio comparans, ut, quo quis plures occideret, eo amplioribus spoliis se ditatum fuisse gauderet.

m

n

13 Hæc primum apud Agauni oppidum *n*, ubi maxima multitudo sancti resedit exercitus, agebantur. Inde præcedentium secuti vestigia repererunt primarios milites Cassium et Florentium cum septem aliis similis constantiæ Viris, juxta Veronam civitatem *o* in ripa Rheni fluminis consedentes, aliosque cum eis quamplurimos, ejusdem agminis, sed non ejusdem intentionis *p*, satellites. Hos autem cum cognovissent de Orientali fuisse præsidio, sævientes contra eos, de professione fidei scisciati sunt. Cumque illi nec voluntate cordis, nec sententia responsionis a superioribus discreparent, submissis capitibus, in eodem loco pro Christi nomine perempti sunt.

tum Cassius, Florentius aliique,

o

p

dein Gereon cum Sociis 318,

14 Mox ad beatum Gereonem ejusque Socios trecentos decem et octo, cum illo pariter fide veritatis armatos, persecutor nescio velocius, an fama pervenerit. Progressi tamen paupulum ante subsequentes carnifices in campis Agrippinæ magnæ civitatis martyrii gloriam, sese invicem cohortantes, præstolati sunt. Quibus continuo supervenientes hii, qui missi erant a judice, nullam in eis defensionis causam vel a proposito deficiendi voluntatem, sed constantissimam nominis Christi invenerunt confessionem. E Ibi beatus Gereon, dux et martyr egregius, cum illis Regis æterni vernaculis, edomitis omnibus, quæ ad hujus vitæ delectationem possent allicere, semetipsum spontaneus obtulit hostiam vivam Deo. Insani vero tortores, Sanctorum ibidem corpora cruentantes, per campi illius planitiem traxerunt et in puteum quendam magnum projecerunt *q*. Monstratur autem usque hodie in loco, ubi S. Gereon trucidatus est, sanguinis ipsius spectaculum *r* et ipse locus, Ad Martyres, ab incolis acceptum servat vocabulum *s*.

q

r

s

ac tandem Victor cum aliis 330 *necantur,*

15 Hæc itaque dum agerentur, cohors illa, quæ beatum Victorem comitabatur, ad locum, cui destinata erat, properans, pervenit ad oppidum Francorum, quod ex majorum suorum sedibus Troiam sive Xantum nuncupabant *t*, ibique cum duce suo castra in pratis virentibus posuit. Nec minus audaces illi cruentique milites assuerunt, et perempto illic fortissimo Christi milite Victore cum trecentis triginta Martyribus *u*, sancta eorum corpora in locis palustribus submerserunt.

t

u

eamdemque etiam fortem post Mauri subeunt.

16 Tandem optatis locupletati spoliis, cum exercitu reliquo, quia Carausius ille fugiens, sese in Britanniam transtulit, per viam, qua venerant, læti pro scelere regressi sunt. Eodem vero tempore de Mauritania, quæ est pars Africæ, finitimisque regionibus milites ab imperatore propter frequentes Gallorum tumultus evocati, in Galliam venerunt; quorum ibi simul trecenti sexaginta *x* pro fide catholica trucidati cum beato Gereone ejusque Sociis beatorum corporum quietem et venerationem perpetuam delegerunt.

x

ANNOTATA.

a *Serius hic, quam patiatur veritas, Maximiani Herculii differuntur initia; neque enim anno demum* 291, *sed jam inde ab anno* 285 *cæsar, ac deinde anno* 286 *augustus fuit creatus. Adi ad utrumque hunc annum in Criticis Pagium.*

b *De tumultu, a Bagaudis, Æliano et Amando ducibus, in Galliis anno, ut plerisque placet,* 286 *excitato, sermonem hic fieri, ex iis, quæ num.* 10 *sequuntur, fit perspicuum. Ceterum*

A *Ceterum de Bagaudis videsis Operis nostri tom.* 6 *Septembris pag.* 346 *et seq. in Annotatis ad lit.* b.

c *Hunc fuisse Zabdam, censent nonnulli; ast rectene, an secus, statues ex iis, quæ Operis nostri tom. proxime laudato pag.* 347 *in Annotat. ad lit.* c, *itemque tom.* 2 *Octobris in Comment., SS. Tyrsi, aliorumque MM. Trevirensium Actis præmisso, num.* 108 *sunt dicta.*

d *Si, ut infra biographus noster dilucide tradit, bello adversus Bagaudas, quod anno* 285 *aut certe non serius, quam anno* 286 *fuit confectum, in Galliis exorto, SS. Mauritius,* Gereon, Cassius, Florentius, Victor *eorumque Socii martyrium sint passi, nequit sane, quod hic de Marcellino, Romano Pontifice, abs illis consulto memorat, veritati esse consonum, cum hic ante annum* 296 *S. Petri cathedram haud occuparit. Comment. prævium num.* 78 *videsis.*

e *Joannis cap.* 17, *v.* 3.

f *Maximianus hic recte, si bellum adversus Bagaudas anno* 286 *fuerit confectum, vocatur* Augustus, *at non itidem, nisi forte per anti-*
B *cipationem, si jam inde ab anno* 285 *istud acciderit; neque enim tum augustus, sed cæsar dumtaxat erat Maximianus.*

g *Solo adventantis Maximiani timore domitos fuisse Ælianum et Amandum, hic indicare videtur noster biographus; ast id non sine præliis, utut levibus, factum, Eutropius in Breviaro lib.* IX *docet.*

h *Carausii rebellionem non serius, quam cum Maximiani in Bagaudas seu Ælianum et Amandum expeditio jam staret parata, evenisse, hic indicatur, sed perperam, cum hæc illam, uti in Comment. prævio num.* 77 *ex Eutropio docui, uno alterove anno præcesserit.*

i *Fuisse sane a Maximiano, cum in Alpibus adhuc consisteret, aliquot militum ac proin et Thebæorum turmas in Galliam, ut terrarum tractum, Rheno vicinum, contra hostes tutarentur, præmissas, a vero neutiquam abhorret.*

k *Quo loco Octodorum, itemque Agaunum, S. Mauritii, eorumque, qui cum eo martyrium subierunt, palæstra, situm fuerit, apud nos tom.* 6 *Septembris in Comment., SS. Mauritii ejusque Sociorum Actis præv., num.* 1 *et* 2 *exponitur.*

C 1 *S. Mauritium ejusque Socios ac dein etiam Sanctos nostros, quod huic Maximiani præcepto obtemperare nollent, fuisse occisos, narrationis, quæ hic sequitur, serie indicatur, idque ipsum etiam quantum ad Mauritium ejusque Socios, Agauni necatos, in interpolatis horum Actis, apud nos tom.* 6 *Septembris pag.* 345, 346, 348 *et* 349 *recusis, diserte asseritur; verum in antiquioribus, quæ eidem Operis nostri tomo pag.* 342 *et seq. exstant inserta, S. Mauritii Sociorumque Agaunensium MM. Actis a S. Eucherio, Lugdunensi episcopo, conscriptis, alia plane, ob quam hi martyrio fuerint affecti, num.* 3 *allegatur causa, videlicet quod,* cum..... sicut et ceteri militum, ad pertrahendam *(duo apud Ruinartium codices habent* dilaniandam) Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sint, atque hujuscemodi præceptis se obtemperaturos, *negarint.*

m *Decimationem apud Romanos in militum seditiosorum suppliciis usitatam fuisse, ex Polybio, Julio Capitolino, Livio ac aliis Baronius in suis in Mrl. Rom. hodiernum Notis ad* XXII *Septembris diem ostendit. Eum itaque consulat, qui de re isthac plura desiderat.* A. Helinando

n *Adi, quæ supra ad lit.* k *dicta sunt.*

o *Hic per Veronam, non Hollandiæ civitatem homonymam, haud procul Alcmaria olim sitam modoque exæisam, sed Bonnam significari, in Commentario prævio num.* 7 *et* 8 *contra Miræum ostendi, ibidem etiam num.* 10 *adjectis, quæ isthanc Germaniæ civitatem* Veronæ *quoque nomine sec.* XI *venisse, evincunt; iis autem addi adhuc potest inscriptio, a Gelenio de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib.* 3, *syntagmate* XII, *pag.* 363 *adducta; in hac enim, in qua Volcmarus, ab anno* 966 *ad annum usque* 969 *Coloniensium archiepiscopus, laudatur, Bonna etiam vocatur* Verona; *quod sane, si, ut apparet, inscriptio illa vel vivente adhuc Volcmaro vel haud diu post ejus obitum fuerit confecta, sec. etiam* X Veronæ *nomine Bonnam venisse, argumento erit.*

p *Hinc apparet, haud omnes, qui cum* SS. Cassio *et* Florentio *a Maximiano in Galliam fuerant præmissi, exstitisse Thebæos.*

q *Ita saltem Gregorii Turonensis ætate de quinquaginta, quos hic lib.* 1 *de Gloria Mar-* E
tyrum cap. 62 *memorat, legionis Thebææ militibus credebatur, uti ibidem apud scriptorem illum licet videre.*

r *Hic vero similiter designatur columna, SS. Thebæorum ac Maurorum, ut aiunt, sanguine conspersa, de qua Gelenius de Magnitud. Coloniæ pag.* 260 *sic scribit:* Tradunt præterea, columnam ex Theatro internecino SS. Thebæorum et Maurorum Martyrum superesse partem, eorumque sanguine conspersam, quæ in superiore parte laminam habet hac inscriptione visendam:

Adde fidem, fuit hic pridem fusus cruor idem,
Ad lapidem si dem me male, punit idem.

Verum, si S. Gereon *in Theatro habuerit palæstram, qua ratione verum esse potest, fuisse illum, ut narrationis Helinandææ series indicat, in campo aperto necatum?*

s *Adi in Commentario prævio num.* 39 *Gelenii verba.*

t *Ex iis, quæ in Comment. præv. num.* 2 *et quatuor seqq., ac deinde num.* 63 *et septem seqq. disputata sunt, consectarium fit, ut oppi-* F
dum, de quo hic sermo instituitur, primo Vetera, *dein* Bertinum *ac denique a* S. Victore *ejusque Sociis, ibidem passis ac cultis,* Sancti *seu* Sanctum *fuerit vocatum, postea interim id, cum posterioris hujus appellationis ratio haud sat haberetur comperta, nonnullis etiam ac nominatim hic Helinando, qui Troianam Francorum originem credebant, idemque oppidum a Troianis conditum, præpostero nimiæ antiquitatis amore abrepti volebant,* Xanthum *ac* Troiam Minorem *appellantibus.*

u *De horum itemque de Sociorum, quos tam* S. Gereon, *quam* SS. Cassius *et* Florentius *sibi habuerunt adjunctos, numero Comment. præv.* § IV *videsis.*

x *Apud Surium legitur* quinquaginta; *sed Ms. Audomarense, Petrus de Natalibus ac Mombritianam Possionis Sanctorum nostrorum compendium etiam habet* sexaginta; *cum autem id ita sit, ac* 360 *Mauri in S. Annonis Vita, in Comment. prævio plus semel laudata, etiam numerentur, codicis nostri lectione hic standum videtur.*

CAPUT

A. Helinando.

CAPUT II.

Ecclesia, in S. Gereonis Sociorumque ejus honorem exstructa miraculisque illustrata.

Maximianus abdicat imperium,

Post hæc Maximianus Augustus reversus in Italiam, suadente Diocletiano, ut cum ipso se transferret in ocium, licet invitus, purpuram simul imperiumque, sed non tyrannidis usum deposuit *a*, et vice sua Constantium virum mitissimum, Italiæ, Africæ et Galliis Augustum esse constituit; Galerio vero cæteræ provinciæ delegatæ sunt. Sed Constantius Gallis Hispaniisque contentus, has magna mansuetudine gubernabat, et ecclesias Dei nullis molestiis infestabat *b*. Cumque ipse, adhuc, Maximiano B vivente, in Britannia diem obiret, Constantino, filio suo, Christianæ religionis cultori præcipuo, provincias easdem regendas reliquit *c*.

dumque id post Constantinus Magnus tenet,

18 Qui, confortatus in imperio, dum regni Romani monarchiam per bella maxima obtinuisset *d*, beatissimæ Helenæ matri suæ, honorandi et sublimandi sanctorum Martyrum sepulturas jus et potestatem, ipse per omnem pene terram eodem studio occupatus, contradidit *e*. Cujus Deo dignæ matronæ in beati Gereonis monasterio *f* adhuc plurima servantur insignia, et qualis ipsa fuerit, testantur ibidem apud ejus memoriam crebro repetita miracula

S. Helena ejus mater magnificam S. Gereonis

19 Fecit sane inter plurima spectabilia suæ devotionis opera, super ejusdem sancti Martyris et Sociorum ejus corpora, ubi etiam supra memorati sancti *g* Martyres ad singulare mœrentium et infirmantium refrigerium pausant, insignem neminique prorsus vel sententia sermonis explicabilem, vel arte operis imitabilem structuræ mirificæ et sublimis ecclesiam *h*, quam ita metallorum fulgore et artificii varietate decoravit, muris etiam validis excelsisque firmavit, ut nihil supra per omnes illas regiones vel fuisse vel futurum esse, celebri sermone feratur.

ecclesiam Coloniæ exstruit.

C 20 Præter quod ligneam aliquam, vel quæ tam facile senio, vel negligentiæ cedat, materiam habuisse negatur, cum marmoreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, ut opus totum columnarum illius generis firmitudine et pulchritudine fulciretur; aurei vero fulgoris in ea tantum emicuit, ut musiva foris et nitus fulgens elegantia, nomen, Ad Aureos Sanctos, ab incolis sortiretur, *i*. Quæ, quia per se summo rerum omnium Authori placere non potuit, ut adhuc amplius et dignius resplenderet, plurimis idoneis laudis divinæ præconibus et ministris sibi congruentibus adornata est *k*.

In hac S. Evergislus prodigiose fuit sanctus, alioque sæpe miraculo,

21 Igitur sanctus Maternus, Trevirorum episcopus, Agrippinæ Coloniæ ecclesiam primus pastor dignis gubernaculis ordinavit *l*, cujus vitam multis claruisse virtutibus, gestorum ejus scripta commemorant. Hujus sedis antistes nobis cognitorum tertius, S. Severini confessoris Christi successor, nomine Euergisilus *m*, quadam die, dum capitis dolore nimium cruciatus, ad memoriam beatorum martyrum Gereonis et Sociorum ejus oratum accederet, et adhuc in sancti illius thesauri indicium fastigium nullum excelleret *n*, versiculum in laudem sanctorum dici solitum, Exultabunt Sancti in gloria, ingrediens ecclesiam, inchoavit: cui protinus ex illo venerabili sanctorum corporum aditu* responsum est: Lætabuntur in cubilibus suis. Quod cum pontifex stupefactus audiret, laudem Deo repente cum omnibus, qui aderant, conclamavit, et approprians, de loci illius pulvere capiti suo salutare remedium apposuit, et, consignato cum summa reverentia loco, recessit *o*.

D

n

* *Sur.* adyto

o

Victore etiam, Cassio et Florentio similia patrantibus, sunt facta.

22 Talia quidem plurima veridica relatione commemorari possent, si promissi compendii studia non arcerent. Non enim exinde erant, vel ibi sunt rara virtutum opera, sed pene quotidiana, quorum multitudinem simul et magnitudinem ammiratur, quisquis ejusdem ecclesiæ cultori cuilibet religioso colloquitur. Nam quicunque fide non dormitante qualemlibet ibi medelam expostulat, ipsam illic sanitatem voti compos semper adesse non dubitat. Similia suorum meritorum indicia S. Victor, Cassius et Florentius cum suis commilitonibus crebro dare non desinunt, quæ nemo utique verbis, nedum scriptis, E ad plenum exequitur. In locis tamen suis, ubi mirabiliter frequentantur, uberius etiam sermonibus et fidis testimoniis celebrantur, quanvis ea, quæ vulgantur per singulos actitari, recte debeant meritis omnium simul adscribi.

Ad horum et S. Gereonis annuam, quam una die ecclesia Coloniensis

23 Sancta vero Coloniensis ecclesia per suffragia sanctorum Martyrum, quorum corpora in suo gremio meruit fovenda suscipere, non desinit usque hodie fidem inviolatam excolere, quam a Materno, primo suo episcopo, se meminit suscepisse. Apud quam consuetudo celebris inolevit, ut beatos martyres, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium, eorumque Socios, trino martyrio coronatos, ternis locis venerabiliter conditos, una die, id est, sexto Idus Octobris, festivate congrua veneretur, cum tamen dubium sit, utrum uno die, an duobus, eorum martyrium compleretur, quia Verona, supremus memorati martyrii locus, non minus viginti sex millibus ab elegantissima sancti Victoris basilica distans, aliter hoc uno die, nisi per festinum nimii furoris impetum, fieri posse, maxime propter moras in F locis singulis necessarias, credere vetat *p*.

p

colit, festivitatem rite celebrandam auctor hortatur.

24 Hujus itaque diei gaudia, fratres, ita modo celebremus annua, ut fiant nobis illorum intercessione continua; sic illorum gloriæ gratulemur, ut, quoscunque possumus, nobiscum pariter doctrinæ verbis et bonorum operum exemplis in charitate non ficta lucremur. Ut enim per quendam mundi hujus sapientem dictum est, amicos quoslibet eadem velle, et eadem nolle, ea demum firma amicitia est, et si nos sancti Martyres, patroni nostri, in ea voluntate, qua ipsi fuerunt, ad se clamantes et de se loquentes invenerint, profecto nos non ut alienos, sed ut proprios et domesticos respicere non dedignabuntur, causamque nostram sua dilectione, qua perpetuo flagrare non desinunt, suam arbitrabuntur. Ita fiet, ut et in præsenti seculo necessariis non destituamur auxiliis, et in futuro sempiternis eorum jungamur consortiis, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum patre et Spiritu sancto Deus vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

ANNOTATA.

a *Haud diu post Sanctorum nostrorum martyrium imperio et purpuræ nuncium remisisse Maximianum, hic indicari videtur; ast id verum esse non potest, si, ut supra tota narrationis serie pariter indicatur, Sancti nostri pro fide occubuerint, instante adversus Bagaudas bello. Id enim, ut supra docui, non serius quam anno* 286, *ac proin diu ante annum* 305, *quo Maximianus ac Diocletianus, uti modo inter eruditos convenit, imperio et purpuræ nuncium remisere, fuit confectum. Nec Maximianus, qui, quamvis post annum* 286 *sæpius e Galliis, post iteratas ibidem moras, in Italiam fuerit profectus, imperio ibidem, uti iterum hic indicatur, sed Nicomediæ in Bithynia nuncium remisit, tyrannidis adhuc usum, deposito imperio, retinuisse recte hic asseritur. Etsi enim S. Victoris Massiliensis, e quibus id utcumque probari posset, Acta, Massiliæ Sanctum hunc Maximiani jussu, cum hic illuc, quod anno* 310 *factum, vitæ simul et criminibus modum posturus accessisset, pro fide fuisse necatum, memoriæ prodant, iis tamen hac in re haud standum, uti, quæ Cuperus in Commentario, Sancti illius Actis prævio, num.* 24 *adducit, satis ostendunt.*

B

b *Qua ratione hæc de Constantio intelligenda sint, in Opere nostro loco non uno, ac inprimis ad* IV *Octobris diem in Commentario, SS. Tyrsi et Sociorum MM. Actis prævio, num.* 94 *exponitur.*

c *Qui id, quod Pagius in Criticis anno* 306 *innectit Constantio Chloro jam morbo, quo e vivis excessit, laborante, acciderit, Lanctantius de Mortibus persecutorum cap.* 24 *narrat.*

d *Vocem hanc inter et proxime sequentem ponitur apud Surium*: Legibus Christianæ Religionis per beatum Sylvestrum Papam initiatus; *ex hisce autem verbis, quæ tamen, cum in codice nostro non legantur, Helinandi fortassis non sunt, Constantini Magni per Sylvestrum Papam baptisma admisisse auctor videtur; ast, an Constantinus baptismate vere fuerit a S. Sylvestro initiatus, docet cap.* 2 *historicus de sancto illo imperatore Commentarius, ad* XXI, *quo is in nonnullis Fastis sacris*

C

memoratur, Maii diem Operi nostro insertus atque a Papebrochio contextus.

e *De S. Helena ad* XVIII, *quo hæc Mrl. Rom. hodierno inscribitur, Augusti diem actum apud nos jam est; anne autem, quod hic de potestate sanctorum Martyrum corpora elevandi, quam huic sanctæ matri suæ Constantinus Magnus impertierit, ac ipsemet per omnem terrarum orbem exercuerit, narratur, veritati certo consonet, statues ex iis, quæ ibidem in Comment., Actis S. Helenæ prævio, itemque in historico, quem ad lit. præced. laudavi, de Constantino Magno Comment. disputata sunt.*

f *Collegiata* S. Gereonis *Coloniæ ecclesia, aut, si mavis, canonicorum, quod huic addictum est, collegium olim, ut Gelenius de Colon. Agrippinensis Magnitudine syntagm.* 2, § 1, *ac Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 722 *docent, exstitit monasterium, hincque haud dubie sic etiam hic vocatur; id autem a S. Helena conditum fuisse, minime probant, de quibus hic sermo fit, insignia, utpote quæ ibidem possint non citius, quam jam aliquot post S. Helenæ ætatem seculis elapsis, fuisse locata.* A. Helinando.

g *Vocem hanc inter et proxime sequentem in Ms. Audomarensi et apud Surium ponitur* Mauri.

h *An super* S. Gereonis *ejusque Sociorum corpora ecclesiam S. Helena vere exstruxerit, in Com. prævio* § *ultimo examinavi.*

i *De nomine, quo vocata fuerit Coloniensis* S. Gereonis *ecclesia seu basilica, Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Gloria Mart. cap.* 62 *sic scribit*: Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt.

k *Id, quod hic refertur, nec a quo factum fuerit, adjungitur, a Gelenio per verba, in Com. prævio num.* 85 *relata, S. Helenæ attribuitur, sed sine ullo vade antiquo.*

l *De S. Materno, Trevirensi episcopo, ad diem, quo Mrl. Romano hodierno exstat insertus,* XIV *Septembris actum apud nos jam est, liquetque ex ibidem dictis, vera esse, quæ de illo hic memorat Helinandus.*

m *Inter S. Maternum et S. Severinum Coloniæ Agrippinæ sedit Euphratas; ut S. Evergislus, qui S. Severino in sedem Coloniensem proxime successit, non tertius, sed quartus* E *fuerit hujus sedis antistes; ast hic illum* cognitorum sibi tertium *Helinandus fortassis vocat, quod Euphratas, veluti Arriana heresi infectus, de episcopatu, ut nonnulli volunt, fuerit dejectus. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 622 *et seq. Porro Coloniensis, de quo hic agitur, antistes in Ms. nostro Audomarensi et a Surio, plerisque etiam aliis, quæ de illo loquuntur, monumentis litterariis consentientibus, vocatur* Evergislus; *verum cum hic in codice nostro appelletur* Evergisilus, *quid ni factum esse queat, ut etiam* Eberegisilus, *modico dumtaxat inter utrumque hoc nomen discrimine intercedente, a Gregorio Turonensi lib.* 1 *de Gloria Mart. cap.* 62 *fuerit nuncupatus? Adi num.* 70 *et seq. Comment. prævium.*

n *Ita, ni fallor, indicatur, tum nullum adhuc e terra prominens monumentum, quod, quo templi Gereonæi loco* S. Gereon *ejusque Socii jacerent sepulti, indicaret, in templo illo exstitisse.*

o *Hisce Helinandi de S. Evergislo hic narratis respondent, quæ hujus biographus per verba,* F *in Comment. prævio num.* 71 *et seq. huc transcripta, commemorat; ita tamen, ut postremum e duobus miraculis, quæ ibidem dilucide refert, dumtaxat obscure ab Helinando proponatur. Ast, an vere omnia et singula, quæ ab Helinando et S. Evergisli biographo narrantur, adjuncta postremum istud miraculum comitata etiam fuere? Id, si laudato biographo et Helinando sit standum, S. Evergislo, Coloniæ Agrippinæ in* S. Gereonis *ecclesia existenti, evenerit; contra autem, si iis, quæ Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Gloria Mart. cap.* 62 *per verba, in Comment. prævio num.* 35 *relata, scribit, fides adhibenda sit, miraculum illud S. Evergislo, non Coloniæ Agrippinæ, sed in villa, civitati huic vicina, versanti, acciderit, nec pulvere, quem ipsemet, ut præfatus biographus ait, e Coloniensi* S. Gereonis *templo acceperit, sed quem inde acceptum diaconus ad illum attulerit, S. Evergislus capitis dolore prodigiose fuerit sanatus. Ast quid hic jam faciamus? Cum Gregorius, utpote seculi* VI *scriptor,*

A. Helinando. *ptor, Helinando qc S. Evergisli biographo, quorum posterior verosimillime non citius, quam sec.* IX, *prior sec. demum* XIII *floruit, multo sit antiquior, fueritque adeo a sec.* V, *quo verosimillime, uti supra in Comment. prævio num.* 71 *et seq. adducta suadent, miraculum istud evenit, multo minus, quam illi, remotus, enimvero Gregorio hic potius, quam duobus istis scriptoribus est standum. Hinc porro, cum primum e duobus, quæ, ut dictum, S. Evergisli biographus et Helinandus narrant, miraculis S. Evergislo certe, ut consideranti patebit, non alibi, quam in Coloniensi* S. Gereonis *templo obvenisse queat, consectarium jam fit, ut id non tunc, cum capitis dolore S. Evergislus prodigiose fuit sanatus, sed vel ante, vel post, contra ac Helinandus et laudatus biographus docent, evenerit. Id verosimillime observarit Gelenius. Ita scilicet apparet, quod in sua, quam* De Coloniæ Agrippinensis Magnitudine *inscripsit, lucubratione lib.* 3, *syntagm.* 2, § 1 *sic scribat :* Ex horum *(miraculorum, quibus illustrata fuit* S. Gereonis *ejusque Sociorum ecclesia)* numero est illud, quod B. Evergislo
B episcopo obvenit..., qui cum acribus capitis seu cephalalgiæ doloribus conflictaretur, pulvere ad SS. hujus loci monumenta collecto eos sopivit, teste B. Gregorio Turonensi lib. 1 Mir. cap. 62. Et angelorum præsidium Evergislus ibidem alias agnovit, quando hæc limina adiens venerabundus versu psalmi 148 Sanctos salutans, « Exul- « tabunt Sancti in gloria », angelos audivit responsantes : « Lætabuntur in cubilibus suis. « *Porro Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Historia ad annum* 450, *num.* 38, *hunc Helinandi locum commentans, de S. Evergislo sic scribit :* Sanctiora civitatis *(Coloniensis)* loca cum supplicabundus aliquando VI Id. Oct. lustraret, S. Gereonis ædem ingressus, beatos Martyres e genibus salutabat, recitato hoc versu : « Exulta- « bunt Sancti in gloria : « statim vox hæc divinitus reddita est, ingenti multitudinis adstantis admiratione : « Lætabuntur in cubilibus suis; « simulque se divinitus edoceri sensit, ibi sanctorum Martyrum esse conditorium, unde vox prodire visa erat; et illum ipsum martyrii diem esse. Utrumque ad eam ætatem incognitum erat. *Ita ille; verum quis determinatus esse queat*
C *templi Gereonæi locus, quo sanctorum Martyrum esse conditorium, S. Evergislus divinitus didicerit? Gregorii Turonensis ætate in ecclesiæ Gereonææ medio puteum aut, ut verosimilius apparet, putei saltem, in quem, ut tum fama ferebat, quinquaginta Martyres Thebæi post martyrium fuerant conjecti, partem adhuc exstitisse superstitem, e scriptoris illius verbis, in Comment. præv, num.* 35 *recitatis, docemur; verum ibi Sanctorum illorum quinquaginta corpora fuisse adhuc S. Evergisli ætate condita, vero reddit absimile primorum Christianorum erga Martyres veneratio, qua fuerit verosimillime, ne dicam indubie, factum, ut Thebæorum corpora, quæ in puteum fuerant conjecta, ex hoc haud diu post martyrium extraxerint, unaque cum aliis aliorum nostrorum Martyrum, cum* S. Gereone *occisorum, corporibus sepultura, ut decebat, honesta donarint. Ac id quidem in putei illius circuitu seu vicinia eo ipso loco, quo modo Gereonæum templum conspicitur, fuisse tum a Christianis factum, a vero etiam neutiquam abhorret; ast, etsi res ita habeat, omnia tamen illa corpora ibidem haud separatim ac sparsim, sed uno* D *eodemque loco aggesta ac veluti uno tumulo conclusa fuisse, nemo facile credet, qui considerarit, quæ de Martyrum corporibus, quorum unum* S. Gereonis *a plerisque fuit creditum, Coloniæ Agrippinæ in Gereonæa ecclesia, a S. Norberto inventis, Rudolphus, Trudonopolitanus abbas, in Epistola, ad posthumæ Sanctorum nostrorum Gloriæ calcem huc transferenda, memoriæ prodit. Quod cum ita sit, quid per locum, qui veluti commune* S. Gereonis *ejusque Sociorum conditorium revelari, et a S. Evergislo summa cum reverentia consignari potuerit, hic Helinandus et Fisenus verbis supra huc transcriptis significatum velint, haud satis perspicio, certeque a S. Evergislo* S. Gereonis *corpus, contra ac posterior hic scriptor ibidem etiam in margine notat, haud fuisse inventum, vel ex eo liquet, quod id ante annum* 1121, *uti ex infra dicendis patescet, haud fuerint repertum.*

p *Adi num.* 81 *Comment. præv. Quod autem ad viginti sex millia seu milliaria, quibus hic Helinandus Veronæ seu e supra dictis Bonnæ a* S. Victoris *ecclesia seu Sanctensi op-* E *pido distantiam metitur, spectat, leucas Gallicas per millia, de quibus loquitur, verosimillime intelligit. Utut sit, de Germanicis equidem, cum Bonnam inter et Coloniam Agrippinam quatuor ad summum aut etiam dumtaxat tres leucæ Germanicæ communes, ac fere tantummodo duodecim postremam hanc civitatem inter et oppidum Sanctense intercedant, interpretandus non est.*

GLORIA POSTHUMA.

§ I. Quandonam S. Victoris corpus fuerit inventum, qui is tum miraculis inclaruerit et quam insignem apud Sanctenses cultum fuerit adeptus.

F

S. Victor, cujus sacræ reliquiæ,

De ecclesiastico Sanctorum nostrorum cultu miraculis post obitum patratis, sacris reliquiis harumque seu inventionibus seu translationibus acturus, ab hujus argumenti rebus, quæ ad S. Victorem *ejusque Socios spectant, duco initium, quod, quamvis quidem hæ omnes argumenti ejusdem rebus, quæ ad* S. Gereonem *ejusque Socios,* Cassiumque *item et* Florentium *ac eorum Socios pertinent, anteriores tempore non sint,* S. Victoris *tamen prius, quam* S. Gereonis Cassiique *ac* Florentii, *sacræ reliquiæ, quæ præcipuam dissertationi, hic concinnandæ, materiem præbent, fuerint inventæ, uti infra dicenda aperient; etsi autem, uti pariter dicenda ostendent, prius etiam, quæ* S. Gereonis *a plurimis creditæ fuere, quam* SS. Cassii et Florentii *reliquiæ fuerint repertæ, prius tamen de dicti argumenti rebus, quæ ad hosce, quam de iis, quæ ad illum spectant, sum acturus, quod alioquin inter hic instituendum de Sociorum aliquot* S. Gereonis *ac ipsiusmet Sancti hujus, ut putatum a plurimis fuit, reliquiarum inventione*

A *tione sermonem, interque Rudolphi, Trudonopolitani abbatis, qua hæc recensetur, Epistolam, hic ad calcem, uti in Commentario prævio monui, subdendam, de rebus, ad* SS. Cassium *et* Florentium *eorumque Socios spectantibus, foret tractandum, sicque, quæ conjungi convenit continuaque quodammodo serie proponi, invicem sejungerentur. Rem ipsam modo, hisce præmissis, aggrediamur.*

non quidem ante annum 595,

2 *Sacras* S. Victoris *reliquias verosimillime ante annum* 595, *quo Gregorius Turonensis obiit, haud fuisse inventas, statuendum apparet et scriptoris hujus, quæ supra in Comment. prævio num.* 61 *recitavi, sequentibus istis de* S. Victore *verbis :* Ferunt ibidem *(nimirum in Bertunensi seu, ut in Commentario prævio docui, Sanctensi oppido)* et Victorem martyrem esse sepultum, sed non eum adhuc cognovimus revelatum ; *hinc autem consequitur, ut Baldesanus, dum* S. Victoris *reliquias aliquanto dumtaxat post factam reliquiarum S. Mallosi, quam S. Evergislo, proximo S. Severini in cathedram Coloniensem successori, certo, ut supra docui, ante annum* 450 *vita functo,*

B *attribuit, inventionem repertas fuisse, in sacra Thebæorum Martyrum Historia pag.* 159 *et seq. refert, a veritate verosimillime aberret. Ast, etsi sic habeat, nec ullum probæ notæ monumentum, vel anno vel etiam dumtaxat seculo, quo sacra illa pignora fuerint reperta, determinando aptum, inveniam, id tamen ante seculum* XI *evenisse, suadent, quæ dux Adolphus in Sanctensis Ms., seu Opusculi sui parte quinta nos docet. In hac enim, in qua (adi num.* 21 *Comment. præv.) fidem sibi atque auctoritatem adjungit, pag.* 117 *et seq. de quadam ecclesiæ* S. Victoris *tabula loquens, sic scribit :* Reverendissimus in Christo Pater dominus Bruno, Coloniensis archiepiscopus, beato Victori devotus, ipsam tabulam parare inaurareque primus incepit, sed morte præventus non perfecit ; Folcmarus autem archiepiscopus, successor ipsius, Opus exequens ad finem usque perduxit.

sed tamen, uti ex Adolpho docemur, ante sec. XI,

3 Altare quoque beati Victoris tunc longius non protendebatur, quam ipsa capsa, quæ ad utrosque fines altaris aptata fuerat, sese extenderat ; sed nobilis vir dominus Godefridus de Kuecke, Xanctensis ecclesiæ propositus, prædictum fecit altare prolongari, circa capsam auream hinc et hinc sanctorum Martyrum capita ponens in loculis suis auro depictis. Insuper et

C fecit super tabulam auream atque super beatorum Martyrum capita, suis in loculis composita, quoddam receptaculum, in quo beati Victoris capsam reponi fecit et conservari ; *cum autem, ut Galliæ Christ. auctæ scriptores tom.* 3, *col.* 648 *et seq. docent, e duobus hic memoratis Coloniensibus episcopis alter quidem seu S. Bruno anno* 965, *alter vero seu Folcmarus, qui Brunoni proxime successit, anno* 968 *aut* 969 *diem extremum clauserit, ac eorum aut certe Folcmari tempore, uti e jam datis Adolphi verbis intelligitur, lipsanotheca* S. Victoris *seu capsa, in qua sacra Sancti hujus lipsana continebantur, in Sanctensi, quæ ab eo vocabatur, ecclesia exstiterit, ea sane jam tum ac proin ante seculum* XI *fuisse reperta, ex Adolpho habemus.*

4 *Verum ante id aliquamdiu etiam ante Folcmari ætatem, imo et ante seculum* X, *haud evenit ? Gregorius Turonensis, qui, quemadmodum in Comment. prævio videmus, lib.* I *de Gloria Mart. cap.* 63 *de S. Malloso tractat, de sacro etiam, qui ei ætate sua fuerit delatus, cultu loquitur ; cum autem de* S. Victore *ibidem etiam agat, nec tamen pariter cultus, qui ei ætate sua fuerit delatus, mentionem faciat, hinc Sanctum hunc nostrum cultu vel nullo vel saltem minus celebri, quam S. Mallosus gauderet, fuisse tum gavisum, verosimile apparet. Verum, etsi id ita sit,* Victoris *tamen cultum celebriorem etiam, quam S. Mallosi esset, jam inde a sec.* VII *aut seq. initio evasisse, vel ex eo apparet, quod Beda, qui, ut hodie receptissimum est, lucem sortitus anno* 673 *ad usque annum* 735 *vitam protraxit, in suo ante Operis nostri tom.* 2 *Martii Martyrologio solum hodie, omisso Malloso, memoret* Victorem ; *cum autem tantæ, quam tum acquisierit* S. Victoris *cultus, celebritatis nulla verosimilior ratio, quam reliquiarum ejus, quæ vel sec.* VII *vel sequentis initio facta sit, inventio, assignare posse videatur, fuisse illas re etiam ipsa tum inventas, nemo non facile credet, qui non raro etiam Sanctos alios in pluribus ecclesiis tantummodo tunc primum, cum abs his illorum reliquiæ vel inventæ vel alicunde acquisitæ fuissent, cœlitum honori-* E *bus fuisse affectos, considerarit. Miracula quidem, si quæ forsan* S. Victor, *priusquam corpus ejus inveniretur, patrarit, ad cultum, quo fuisset gavisus, cultu Mallosi reddendum celebriorem haud parum etiam potuissent conferre ; verum miracula fuisse re etiam ipsa a* S. Victore *tum patrata, nuspiam inveni.*

AUCTORE C. B. *verosimillimeque etiam, si non sec.* VII *aut seq. initio,*

ante annum saltem 965 *fuerunt inventæ, insignem plane Sanctis,*

5 *Utut interim res habeat, fuisse equidem* S. Victoris *corpus, quod certo, uti e jam dictis apparet, ante sec.* XI *fuit repertum, aliquamdiu etiam ante S. Brunonis, Coloniensis archiepiscopi, anno* 965, *ut dictum, vita functi, ætatem inventum, verosimillimum vel ex eo apparet, quod capsa, in qua, uti ex Adolpho jam docui,* S. Victoris *reliquiæ, Folcmaro, S. Brunonis successore, vivente, continebantur, haud tunc primum confecta fuisse videatur. Ast an tum saltem, cum* S. Victoris *corpus fuisset inventum, miracula hic Sanctus noster haud patravit ? Nullum prorsus in Sanctensi Ms. dux Adolphus memoriæ prodit ; etsi autem Helinandus, a patrandis miraculis nondum etiam tum, cum scriberet, destitisse* S. Victorem, *supra in Sanctorum nostrorum Actis num.* 22 *generatim insinuet, nullum tamen nominatim recenset. Verum, etsi ita hæc habeant, quin ta-* F *men* S. Victor, *corpore suo invento, vere inclaruerit miraculis, dubitare vix sinit cultus, quem deinde apud Sanctenses obtinuit, insignis celebritas. Hæc enim, de qua tamen Helinandus, utpote mirandi, quem et miracula comitata sint, plurimorum ad* S. Victoris *seu sepulcrum seu ædes sacras concursus mentionem tantummodo faciens, jejune dumtaxat loquitur, talis ac tanta fuit, ut Sanctensis ecclesia, quæ, cum primitus in S. Mallosi honorem, ut Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Mart. cap.* 63 *docet, fuisset exstructa, nomen etiam, ut apparet, a Sancto illo sortita hactenus tum fuerat, a* S. Victore *deinceps fuerit vocata ; imo ut etiam Mallosi, utut Sanctis, quemadmodum in Comment. prævio §* V *e Gregorio Turonensi docui, et passi et deinde etiam culti, memoria apud Sanctenses obscurata penitus*

AUCTORE C. B.

fuerit, uti vel ex eo apparet, quod idem Mallosus, veluti apud hosce cultus, nec ab Adolpho duce, nec a scriptoribus aliis sec. x *aut seq., quo certe, ut dictum,* S. Victoris *corpus jam fuerat inventum, posterioribus memoretur.*

uti ex iterata ibi ecclesiæ in ejus honorem consecratione,

6 *Insignem porro cultus, quo* S. Victor *Sanctis, corpore suo reperto, fuit potitus, celebritatem exstitisse, ex eo etiam apparet, quod, ut videtur, tum primum id oppidum, quod Gregorii Turonensis ætate (Comment præv.* § v *videsis)* Bertunum *seu* Bertinum *nuncupatum adhuc fuerat, a* S. Victore *ejusque Sociis, ibidem per indigenas peregrinosque, ad horum sepulcra confluentes, cultu sacro affectis, nomenclationem novam, priori antiquata, acceperit. Verum, cum hæc omnia, quantumcumque etiam ad posthumam* S. Victoris *gloriam illustria videri queant, fere tamen generatim dumtaxat, eum Sanctis, corpore suo invento, insigni plane ac celebri cultu fuisse gavisum, ostendant, alia modo, quæ magis speciatim hunc probent, lubet adducere; quod ut præstare queam, dux Adolphus in quinta Opusculi sui parte supra plus semel jam laudata opportune hic succurrit. Ac primo quidem*

B *ibidem, Sanctensem* S. Victoris *ecclesiam anno millesimo octogesimo primo fuisse combustam, pag.* 112 *præfatus, eam deinde anno* MLXXXIII, *cum reædificata interea fuisset, in sanctissimæ Virginis Mariæ ac præsertim* S. Victoris, *a quo nuncupata jam dudum antea fuerat, honorem a Sigewino, Coloniensi archiepiscopo, consecratam fuisse, pag.* 114 *et seq. memoriæ prodit; post vero eamdem ecclesiam, cum denuo e ruina, quam incendio altero anno* 1109 *fuerat perpessa, fuisset erecta, Frederici, Coloniensis archiepiscopi, rogatu a S. Norberto, Magdeburgensium archiepiscopo, qui Sanctensis canonicus olim exstiterat, iterata vice in sanctissimæ Virginis Mariæ ac præcipue* S. Victoris *honorem fuisse anno* 1128, *Godefrido illius existente præposito, consecratam, etiam adjungit. Nec, quod de* S. Victoris *seu lipsanothecæ seu reliquiarum receptaculo jam supra ab Adolpho num.* 3 *huc transcriptis verbis refertur, quodque pariter insignem* S. Victoris *apud Sanctenses cultum probat, diu post annum* 1128 *seu ultimo dictam, quam S. Norberto Adolphus attribuit, ecclesiæ*

C *Sanctensis consecrationem, evenit.*

e reliquiarum, de qua Adolphus

7 *Godefridus enim, ecclesiæ Sanctensis præpositus, sub quo hæc ab Adolpho signatur, diversus, ut apparet, non est a Godefrido, ecclesiæ Sanctensis præposito, quo curante sumptusque suppeditante, receptaculum illud fuit confectum. Adhæc Adolphus in quinta Opusculi sui parte pag.* 130 *et binis seqq. sic scribit:* In loco, in quo pro nunc *(in Sanctensi* S. Victoris *ecclesia)* altare S. Helenæ constructum est, scilicet ante chorum, fuit quondam ante novi pilaris fabricam altare parvum quoddam positum, quod supra se testudinem continebat sine celatura quatuor basibus subnixam; habuit et idem altare per circuitum quemdam parvum cancellum, de una base ad alteram tendentem: sub quo quidem altari dicebatur olim corpus B. Victoris positum fuisse atque per plurimos annos ibidem quievisse; sed et ab illo loco postea translatum fuisse dicitur, et in quodam sarcophago sub altari B. Mariæ Virginis prope fontem Baptismatis locatum; ubi jam dudum felici memoria requievit humatum. Et post hæc, dum corpus ejusdem B. Victoris in illud nobile capsellæ, in quo nunc pausat, receptaculum super sum- D
mum altare, scilicet in choro Xanctensis ecclesiæ, locaretur, tunc, pluribus adstantibus et videntibus, quædam pars ossium minutorum vestimentorumque cum cineribus ejus, in signum perpetuum memorialis ejus, in prætacto remanserant sarcophago et ob illam causam locus ille sepulchrum B. Victoris usque in hodiernum nominatur.....

per verba hic recitata tractat,

8 Igitur... B. Victoris corpus... ob cultum solennioris reverentiæ in laudem Dei Salvatoris nostri, quem peculiariter ac familiariter in nostro victorioso Victore patrono cum suis Sociis laudare debemus, in quadam capsa, prout decuit, gemmarum præcipuarum pretiosorumque lapidum varietatibus circumornata repositum est et undique clausum ad perpetuum decus ecclesiæ Xanctensis, cunctisque de prope et longe convenientibus populis pro devotione jucundum spectaculum, sicut a cernentibus usque hodie comprobatur, quanta veneratione dictæ capsellæ B. Victoris visitatur receptaculum; et in sarcophago supradicto ne permaneret inglorius, Varius illic reliquiarum de B. Victoris Sociis pigmentarii quasi pulveris additus est apparatus..... Unde super hoc sarcophagum jam dictum versus E
tales scripti sunt pro posteris memoriales, B. Victorius concernentes:

Qui decus Ecclesiæ, qui laus, qui gloria villæ,
Quique pater patriæ, situs hac tumba jacet ille;

quibus prætactis versibus alii duo versus superadditi sunt alia manu propter ejusdem B. Victoris translationem. Tales scilicet:

Quæ translata quidem nec in ista parte reperta
Offa ducis pridem comitum non servat operta.

elevatione, haud diu post annum 1128 *facta,*

9 *Postquam itaque, de quo agimus, receptaculum, concludendis* S. Victoris *reliquiis destinatum, ad umbilicum fuerat adductum, hæ in illud, uti hic Adolphus docet, translatæ, altiorique loco locatæ, seu chori Sanctensis altari principi impositæ, de humiliori, quo fuerant servatæ, loco elevatæ fuerunt. Isthæc porro reliquiarum* S. Victoris *elevatio haud diu post annum* 1128 *seu post supra relatam, quam S. Norbertus tum fecit, ecclesiæ Sanctensis con-* F
secrationem accidisse videtur. Ita opinor, quod, ut apparet, diversa seu distincta non sit a corporis seu reliquiarum S. Victoris *elevatione, ab Hermanno Fleyo seu Stangefolio in Circ. Westphalici Annal. part.* 1, *pag.* 289 *memorata, hancque inter annum* 1127 *et annum* 1138, *imo nec diu post annum* 1128 *accidisse, sit necesse, uti vel ex eo liquet, quod Lotharius II, sub quo a scriptore illo, ex antiquis, ni fallor, monumentis, locatur, anno* 1125 *imperator a Frederico I, Coloniensium archiepiscopo, coronatus vitam ultra annum* 1137 *haud protraxerit, ecclesiaque Sanctensis, qua in ruinis adhuc jacente, facta certe haud fuerit, anno demum* 1128 *ex incendio, quo iterum, ut supra docui, anno* 1109 *conflagrarat, steterit instaurata. Jam vero, cum hæc ita habeant, reliquiarumque, de quo hic agimus, receptaculum verosimillime haud diu, cum in id sacra* S. Victoris *lipsana translata, elevataque fuerunt, fuisset confectum, consectarium sit, ut illud venerationis erga* S. Victorem *Godefridi præpositi monumentum pariter haud diu post annum* 1128 *seu ecclesiæ Sanctensis consecrationem*

auctore C. B.

A *tionem, a S. Norberto factam, ad umbilicum fuerit adductum.*

translationibus hanc prægressis,

10 *At vero, spectatis iis, quæ Adolphus verbis, proxime jam datis, scribit,* S. Victoris *corpus seu sacra lipsana usque ad tempus, quo in receptaculum istud translata, ac in summo, quod a* S. Victore *nomen habet, ecclesiæ et chori Sanctensis altari locata fuerunt, sub altari B. Mariæ Virginis, prope baptisterium sito, cum eo primum e parvo quopiam ante chorum altari fuissent translata, fuerant servata; cum autem id ita sit, nec ista sacrorum illorum pignorum elevatio ante annum* 1128, *ut jam docui, contigerit, qui verum esse potest, jam inde a tempore Folemari seu (varie enim a variis id nomen exaratur) Volcmari, qui, ut supra docui, ab anno* 965 *ad annum usque* 968 *aut* 969 *moderatus est Coloniensem ecclesiam, in ecclesiæ, imo et chori Sanctensis, uti ex Adolphi verbis, num.* 3 *huc transcriptis aliisque hæc apud illum pag.* 116 *præcedentibus, intelligitur, altari, quod* S. Victoris *dicebatur, sacra hujus Sancti nostri lipsana seu capsam, hæc complectentem, extitisse? Adolphus quidem nihil omnino, quod difficultati huic solvendæ*

B *aptum sit, suppeditat; verum quid ni factum esse queat, ut* S. Victoris *corpus, quod, ut supra ostendi, verosimillime ante S. Brunonis, Coloniensis anno* 965 *defuncti archiepiscopi, ætatem fuit inventum, tum statim capsæ inclusum, proximeque memorato, quod a* S. Victore *nominabatur, ecclesiæ et chori Sanctensis altari, priusquam transferretur alio, fuerit per aliquod tempus impositum? Nihil sane uspiam vel apud Adolphum, vel apud scriptores alios occurrit, quod, quo minus id adstruatur, impediat; cum autem id ita sit, ac, ne auctores secummetipsis committantur, debeant, si fieri possit, eorum dicta, in speciem pugnantia, componi,* S. Victoris *corpus, ut, quæ de hoc Adolphus per verba, num.* 3 *et* 7 *recitata aliaque, hisce a se præmissa, scribit, inter sese concilientur, fuisse etiam reipsa, priusquam transferretur alio, præfato ecclesiæ et chori Sanctensis altari per aliquod tempus impositum, apparet credendum; ut proinde, spectatis iis, quæ Adolphus scribit, quatuor* S. Victoris *translationes ante scriptoris hujus ætatem acciderint;*

C *quarum prima statim ab inventione sua ad proxime dictum, quod ab eo nuncupabatur, ecclesiæ, et chori Sanctensis altare, secunda ac tertia ad duo alia, quorum Adolphus verbis, num.* 7 *datis, meminit, ejusdem ecclesiæ altaria, ac quarta denique supra memorato, in quo Adolphi ætate adhuc quiescebat, receptaculo inclusus, ad summum denuo, quod ei sacrum erat, ecclesiæ et chori Sanctensis altare haud diu post annum* 1128 *fuerit delatus.*

variisque, in quibus, ut Adolphus docet, S. Victoris reliquiæ

11 *Ac prima quidem e quatuor hisce translationibus exstitisse videtur reliquis solemnior; cum autem sic habeat, hæc, ni fallor, ea ipsa est* S. Victoris *translatio, quam ecclesia Sanctensis non modo olim, ut Adolphus in Ms. Sanctensi pag.* 121 *docet, die* XXXI *primum ac deinde, statuente, qui ecclesiæ Coloniensi ab anno* 1275 *ad annum usque* 1297 *aut* 1298 *præfuit, archiepiscopo Siffrido, die* XXX *Octobris celebravit, verum etiam hodieque* XXIX *mensis ejusdem die celebrat, ita festo, quo* S. Victoris *ejusque Sociorum natalem die* X *Octobris annuatim recolit, festum aliud, quod et ad dictum* XXIX *Octobris diem a Gelenio in sacris ecclesiæ Coloniensis Fastis recensetur, quotannis adjungens. Ad alia modo, quæ* S. Victoris, *postquam corpus ejus fuisset inventum, insignem apud Sanctenses cultum pariter probant, accedamus. Cum Sanctensi ecclesiæ novus chorus, Siffrido mox memorato Coloniensem gubernante ecclesiam, fuisset adjectus, novumque pariter in hoc altare princeps fuisset erectum, id simul et chorum B. Albertus Magnus, qui Siffridi vices hoc in casu gerebat ac ab anno* 1263, *Ratisponensi abdicato episcopatu, ad Coloniensem Dominicanorum conventum sese receperat, in plurium Sanctorum ac præsertim* S. Victoris *honorem consecravit. Ita Opusculi sui part.* 5, *pag.* 16 *et seq. docet dux Adolphus, qui postea varias etiam, quæ, quod in iis* S. Victoris *reliquiæ solemniori ritu ac cultu fuerint delatæ, a me pariter, priusquam § huic finem imponam, commemorandæ hic sunt, supplicationes recenset. Ac primo quidem id facturus pag.* 134 *sequentem scribit in modum:* In libris ecclesiæ nostræ, scilicet Xanctensis, scriptum reperimus, quod anno Domini MCCCXV capsa B. Victoris aliæque variæ reliquiæ cum solenni processione deportatæ fuerunt usque ad monasterium monialium Cy- E
sterciensis Ordinis, dictum Furstenberge, id est, Mons principum, Xanctensi oppido contiguum.

solenni ritu delatæ fuerunt,

12 *Ac deinde, nonnullis, quæ hic ad institutum nostrum haud faciunt, interpositis, pag.* 135 *et duabus seqq. ita prosequitur:* Anno Domini MCCCLXXV Dominica secunda post Pentecosten capsa S. Victoris cum quampluribus ecclesiæ Xanctensis reliquiis solenniter fuit usque ad idem monasterium Montis principum, Furstenberge dictum, deportata. Tunc namque temporis fuerunt convocatæ plures parochiæ de archidiaconatu Xanctensi, et congregatæ cum crucibus et reliquiis ecclesiarum suarum; ita quod singulæ cum suis vexillis ordinate processionem Xanctensis ecclesiæ prosequebantur. Super qua convocatione scilicet et congregatione prædicta venerandus dominus, tunc præpositus Xanctensis, mandata misit et litteras ad sui archidiaconatus ecclesias, quatenus certo die, ad hoc constituto, comparerent cum crucibus suis atque reliquiis ad solennizationem B. Victoris, ejusque capsæ deportationem. Anno Domini MCCCC feria tertia post Pentecosten fuit eadem capsa B. Victoris cum aliis ecclesiæ Xanctensis F
reliquiis, ut supra, solenniter deportata. Anno MCCCCXXI prima die Junii, quæ fuerat Dominica tertia post Pentecosten, capsa B. Victoris, ejus reliquias conservans, cum quamplurimis aliis sacris reliquiis processionaliter deportata fuit magnis solennitatibus et catervis magnatum ac prælatorum cleri, innumerabilisque populi, a circumvicinis locis, nec non et a remotis partibus ad hujus processionis solennitates præclaras circumquaque convolantium atque devotis precordiis omnipotentis Dei gratiam pacemque patriæ implorantium, per intercessionem invictissimi militis Christi Victoris, martyris sanctissimi atque piissimi protectoris hanc ipsam a Deo obtinere petitionem sperantium.

supplicationibus probatur, cultum fuit adeptus,

13 Quam quidem capsam deauratam, lapidibus pretiosis miro tabulatu decoratam, illustris princeps, D. Adolphus, dux Clevensis et comes de Marcka, ecclesiæ Xanctensis defensor specialis et advocatus, adjuncto nobilium magnatumque cœtu, propriis humeris deportabant. In cujus processionis solennitate a plerisque locis evocati

AUCTORE C. B.

evocati pastores ecclesiarum parochiales cum subditis archidiaconatus Xanctensis cum trecentis sexaginta crucibus et vexillis interfuerunt, et laudes Deo concinentes deportationem martyris Christi Victoris, beatissimi sui patroni et intercessoris assidui canticis et hymnis usque ad finem devote compleverunt. *Ita hactenus dux Adolphus, qui, quamvis, uti supra in Comment. prævio docui, Ms. nostri Sanctensis seu Opusculi, quod verbis hisce absolvit, auctor sit, de sese tamen in tertia persona hic loquitur; cum autem in variis, quas commemorat, supplicationibus publicis* S. Victoris *reliquiæ fuerint sane, uti e scriptoris istius perquam illustris, qui hasce etiam in illarum una humeris suis sese portasse affirmat, modo huc transcriptis verbis intelligitur, solennitate quam maxima Sanctis seu in oppido Sanctensi circumlatæ, id enimvero non minus quam alia supra relata, fuisse ibidem cultu plane insigni* S. Victorem *post inventionen suam gavisum, argumento est.*

B

§ II. Reliqua, quæ ad S. Victorem spectant, proponuntur, additis etiam, quæ de ejus Sociis, itemque de Cassii, Florentii ac aliorum, qui cum hisce passi sunt, plurimum cultu, miraculis et reliquiis narrantur.

Sanctensis, quæ S. Victoris reliquias continet, lipsanotheca

Nonnulla primum de S. Victoris, *quæ Sanctis conspicitur, lipsanotheca, hujusque, quæ sub Lothario II imperatore ac Frederico I Coloniensium antistite facta est, elevatione in Annal. Circ. Westphalici part.* I, *pag.* 289 *Stangefolius præfatus, mox paucis, qui, cum anno* 1625, *Christiano duce Brunswicensi ac Carolo Mansfeldio ecclesias, monasteria ac Sanctorum reliquias in regionibus, Rheno inferiori adjectis, exspoliantibus, lipsanotheca*
C *illa a decano et capitulo Sanctensi fuisset aperta,* S. Victoris *in ea occiput, aliquot cranii particulæ, mandibula, spina dorsi, nonnullæ costæ, ac duo denique oblonga ossa una cum multis minoribus fragmentis, sibi invicem, veluti cum Martyr adhuc viveret, cohærentibus, fuerint inventa, exponit, ac deinde subjungit, pretiosum hunc thesaurum, veluti antiquum veræ ac antiquæ Catholicæ religionis monumentum, sua adhuc ætate seu anno* 1640, *quo Opus, in quo hæc scribit, luce publica donavit, summa in veneratione Sanctis haberi. Nec dubito, quin id ipsum ibidem hodieque locum obtineat. Certe sub seculi proxime elapsi finem fuere adhuc* S. Victoris *reliquiæ honorifice Sanctis in theca ex argento deaurata servatæ. Ita omnino suadet epistola, anno* 1695 *ad decessores nostros Heiligenstadio a Knackrichio conscripta, in qua hic una cum pictore, antiquam ibidem SS. Aurei et Justini lipsanothecam contemplatus, notitiam, quam de isthac præbet, sequentibus hisce, quæ Operis nostri tom.* 3 *Junii, pag.* 88 *recitantur, terminat verbis:* Quamvis lignea ea sit nec tantæ elegantiæ, judicabat idem pictor, infra centum ducatorum pretium non esse confectam; similis formæ esse Sanctensem in Clivia, quæ tota ex argento deaurata continet reliquias S. Victoris et Sociorum martyrum, oppidi et collegiatæ ibidem ecclesiæ patronorum: stat autem supra altare capite uno supra aram porrecta, quo modo alibi quoque aliæ collocatæ habentur, et fortassis ipsa olim etiam apud nos ita stetit. D

fuit etiam Sociorum ejus reliquias complexa.

15 *Porro, cum Sanctensis, de qua hic sermo fit, lipsanotheca, non tantum* S. Victoris, *sed et Sociorum ejus reliquias complexa fuisse dicatur, exstitisse eam puto ipsummet, quod supra memoravi, receptaculum, a Godefrido, ecclesiæ Sanctensis præposito, confectum, cui hic, uti ex Adolphi verbis, num.* 3 *huc transcriptis, apparet, non tantum* S. Victoris *reliquias, sed et aliorum sanctorum Martyrum capita, suis singula in loculis deauratis composita, inclusit. Reponi quidem potest, id a Godefrido haud diu post annum* 1128, *ut supra docui, factum fuisse, nec ullam apud Adolphum Sociorum* S. Victoris, *quorum reliquiæ jam tum fuissent inventæ, mentionem uspiam reperiri; etsi enim id ita sit, Adolphus tamen, quosdam e Martyribus, quorum capita Godefridum præfato, quod in ec-* E
clesiæ Sanctensis altari locavit, receptaculo inclusisse, narrat, S. Victoris *exstitisse Socios, haud obscure prodit. Etenim post verba, num.* 3 *huc transcripta, paucaque dumtaxat adhuc alia, hisce adjecta, ita prosequitur:* Est hic etiam considerandum, quod reliquiarum sanctarum capita, in altari præfato, posita, suis sunt titulis assignata, videlicet caput illud, quod habet duo serta, et societate beati Victoris est, alterum vero, quod uno tantum decoratur serto, de SS. undecim millium Virginum est contubernio; *cum autem sic habeat, consectarium fit, ut, quamvis re ipsa nuspiam Adolphus Sociorum* S. Victoris *reliquias vel ante vel circa annum* 1128 *fuisse inventas, diserte affirmet, id nihilominus, spectatis iis, quæ ipsemet Adolphus scribit, jam tum habuisse locum videatur. Et sane una etiam cum* S. Victoris *corpore, quod, ut supra docui, certo ante sec.* XI, *verosimillimeque etiam ante S. Brunonis, Coloniensis archiepiscopi, anno* 965 *vita functi, ætatem fuit inventum, aliquot pariter Sociorum ejus corpora fuisse reperta, neutiquam vero apparet absimile.* F

Attamen anne horum omnes cum aliis communicatæ reliquiæ

16 *Nec futurum puto, ut, quisquam, qui juxta* S. Victoris *corpus verosimiliter fuisse Sociorum ejus aliquot corpora sepulta, considerarit, contrarium arbitretur; cum autem sic habeat, plura hac de re non addo; ast, cum jam simul sermo hic iterum de inventis Sociorum* S. Victoris *reliquiis inciderit, nonnulla adhuc de hisce, ut, quod hic proposui, adimpleam, in medium modo adduco. Plura Sociorum* S. Victoris *corpora anno* 1284 *ac iterum haud diu post, imo et duo ante annum* 1167 *fuisse inventa, in Com. prævio num.* 49 *et seq. ex Adolpho docuit etsi autem simul, an ea omnia vere seu Martyrum seu Sociorum* S. Victoris *corpora exstiterint, ob rationes, quas ibidem num.* 51 *et seq. adduxi, dubitandum pronuntiarim, meam tamen hac de re opinionem, si solidæ, quæ id suadeant, rationes fuerint adductæ, lubentissime mutabo. Interim, quamdiu factum id haud fuerit, in dubium pariter, an Sociorum* S. Victoris *reliquiæ, quæ cum aliis communicatæ asseruntur, veræ ac genuinæ sint, dubitandum arbitrabor, nisi*

A *nisi forsan vel martyris anonymi, de quo in Com. prævio num.* 51 *et seq. sermonem instituit, vel aliorum* S. Victoris *Sociorum, quorum corpora cum ipsis sacris hujus lipsanis fuerint inventa, esse ostendantur. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, de Sanctorum, quæ in collegiata S. Amati ecclesia Duaci asservantur, reliquiis tractans, pag.* 40 *sic scribit:* Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Kalendis Aprilis, tempore Honorii Papæ, et Wilhelmi Remensis archiepiscopi, et Raḍulphi Atrebatensis episcopi, regnante Philippo rege Francorum, Fernando comite Flandrensi, reconditæ sunt hæ reliquiæ in hoc feretro a Roberto tunc præposito et capitulo sancti Amati Duacens. præsentibus multis clericis et laicis; *ac deinde reliquiarum, in particulari, quod hic memorat, dictæ Duacensis ecclesiæ feretro reconditarum, Catalogum texens, ita apposite ad institutum nostrum loquitur:* De sancto Romano et de societate sancti Gereonis et sancti Victoris et sancti Cassii, sociorum beati Mauricii; *hisce autem verbis, quod simul et de* SS. Gereone *et* Cassio, *martyribus ad Rhenum*

B *passis, sermo instituatur,* S. Victor *Sanctensis commemorari videtur.*

genuinæ sint, est dubium; et si autem Fastis sacris, qui SS. Cassii ac Sociorum

17 *Quod cum ita sit, ac proin unius saltem ex hujus Sociis reliquias in collegiata S. Amati Duacensi ecclesia anno* 1225 *fuisse asservatas verbis iisdem indicetur, consectarium fit, ut istæ non corporum, quæ anno demum* 1284 *aut serius adhuc fuisse in Sanctensi ecclesia reperta, in Comment. prævio num.* 49 *et seq. vidimus, sed aliorum, quæ vel sub Philippo, I, Coloniensium ab anno* 1167 *ad annum usque* 1191 *archiepiscopo, vel adhuc citius ac cum ipso forsan* S. Victoris *corpore fuerant inventa fragmenta seu partes exstiterint, utque proinde, an veræ ac genuinæ sint vel unius vel plurium e* S. Victoris *Sociis reliquiæ, multo sane minus videatur dubitandum, quam si pro corporum, anno* 1284 *aut serius inventorum, partibus deberent haberi. Porro sunt et aliæ præter jam memoratam ecclesiæ, quæ vel unius vel plurium e* S. Victoris *Sociis reliquias a sese possideri gloriantur; verum, cum vix quidquam, quo veras hasce ac genuinas esse*

C *definiam, occurrat, de iis hic etiam agere operæ pretium haud reor, ac de ipsismet* S. Victoris, *quæ cum aliis communicatæ fuerint, reliquiis hic a me, quod, hujusne, an alterius pleræque, quæ variis locis exstant, sint Victoris, Sanctorum nominis hujus multitudo ambiguum efficiat, non tractari, lectorem hic modo adhuc monuisse contentus, ad res, quæ ad* SS. Cassium *et* Florentium *eorumque Socios spectant, progredior. Ut a tempore, quo hi Sancti nostri fuerint inventi, ducam initium, apud Sollerium in Usuardino Coloniæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso Martyrologio ad* 2 *Maii diem legitur:* In Bunna super littus Rheni, territorio Coloniensi, translatio sanctorum Cassii, Florentii, Malusii et Sociorum. Quorum corpora cum jam septingentis et septuaginta tribus annis sub terra recondita quievissent, dominus Reynoldus, Coloniensis archiepiscopus, ea invenit, transtulit et ad capsas honorifice recollegit; *huic autem Usuardi editioni Greveniana, anno* 1521 *Coloniæ Agrippinæ impressa, etiam consonat.*

18 *Etenim ad eumdem Maii diem sic habet:* In diœcesi Coloniensi, oppido Bonnensi, translatio sanctorum martyrum Cassii, Florentii, Malusii et Sociorum ipsorum, quorum corpora, jam DCCLXIII annis sub terra jacuissent, per dominum Reynoldum archiepiscopum inventa, venerabiliter sunt levata. *Quod si itaque duobus illis Fastis sacris, quibus etiam ad dictum Maii diem Martyrologium Germanicum,* Canisii *vulgo dictum, ad amussim consentit, standum hic sit, credendum erit primo quidem,* SS. Cassii *et* Florentii *aliorumque, qui cum ipsis passi sunt, corpora a Reynoldo seu, ut ab aliis scribitur, Reynaldo, Coloniensi archiepiscopo, fuisse et primum inventa, et simul translata seu de terra levata; deinde vero id, cum corpora illa septingentis septuaginta tribus annis sub terra jacuissent seu fuissent humata, accidisse. Verum, si res ita habeat, consectarium erit, ut, cum Reynoldus seu Reynaldus ab anno* 1159 *ad annum usque* 1167 *Coloniensem cathedram occuparit,* SS. Cassii *et* Florentii *Sociorumque martyrum pro fide cædes eo temporis spatio, quod ab anno* 386 *usque ad annum* 394 *excurrit, evenerit; id autem, cum omnes Sancti nostri, uti in Comment. prævio num.* 80 *ostendi, sub Diocletiano et* E *Maximiano, qui ab anno* 285 *usque ad annum* 305 *Romano imperio præfuere, fuerint occisi, a vero certissime est alienum. Quod cum ita sit, necesse est, ut* SS. Cassii *et* Florentii *Sociorumque martyrum corpora vel citius, quam sub Reynaldo, Coloniensi archiepiscopo, fuerint inventa, vel ut, cum id accidit, diutius quam septingentis septuaginta tribus annis jacuissent humata. Si* SS. Cassii *et* Florentii *Sociorumque martyrum corpora sub Reynaldo, cum octingentis septuaginta tribus annis sub terra jam quievissent, dicantur inventa, consectarium dumtaxat erit, ut eo temporis spatio, quod ab anno* 286 *usque ad annum* 294 *excurrit, fuerint occisi.*

quæ hic discutiuntur, adversari

19 *Quod cum mox iterum memoratæ martyrii eorum epochæ minime repugnet, ac tum, cum eorumdem corpora a Reynaldo elevata fuerunt, evidentem ipsorum, quem ante annos plus quam octingentos septuaginta pro Christo profuderant, sanguinem fuisse inventum, Gelenius verbis, supra in Comment. præv. num.* 62 *recitatis, scribat, in tres supra memoratos Fastos sacros quantum ad numerum, quo annos, quibus* SS. Cassii, Florentii *ac Sociorum corpora, priusquam invenirentur, fuerint humata, definiunt, errorem irrepsisse, ac proin* octingentis *pro* septingentis *esse in Fastis illis legendum apparet. At vero, inquies,* S. Cassii *et* Florentii *corpora sub Reynaldo, non inventa, sed levata seu elevata fuisse, Gelenius loco cit. dumtaxat ait, idemque etiam faciunt tom.* 3, *col.* 679 *Galliæ Christ. auctæ scriptores. Fateor, sic habet; verum, cum et hi et Gelenius, haud fuisse illa tum inventa, diserte equidem haud scribant, nec quidquam etiam, e quo id sub Reynaldo non factum, merito concludas, suppeditent, tribus supra laudatis Fastis sacris, in quibus sacrorum illorum corporum inventio sub Reynaldo signatur, imo et luculentissime Coloniensi huic episcopo adscribitur, est standum, maxime cum nihil etiam aliunde occurrat, quod, ne ita censeamus, impediat. Fuisse quidem unius e* SS. Cassii *et* Florentii *Sociis, Mallusii videlicet, corpus ab Evergislo seu Evergisilo, Coloniensi, qui ante annum* 450 *obiit, episcopo, inventum ac de terra levatum, Gelenius etiam verbis, loco mox cit. adductis, memoriæ prodit;*

AUCTORE C. B.

inventionem sub Reynaldo archiepiscopo collocant, nonnulla,

AUCTORE C. B.

dit; verum id dumtaxat facit, quod Mallusium, quem una cum SS. Cassio *et* Florentio *a Reynaldo episcopo translatum fuisse, notat, cum Mallusio seu Malloso, quem a mox laudato Evergislo seu Evergisilo inventum ac de terra fuisse levatum, Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Mart. cap.* 63 *scribit, existimarit eumdem; cum autem sic habeat, ac Gregorii Mallusius, quemadmodum quæ in Comment. prævio num.* 63 *et seq. disserui, suadent, indubie a Mallusio,* SS. Cassii *et* Florentii *socio, sit diversus, Gelenius facere non debet, ut, fuisse ante hosce posteriorem istum Mallusium, contra ac tres Fasti supra laudati statuunt, inventum, in animum inducamus.*

videantur, eam tamen tunc accidisse, verosimile apparet,

20 *Nec morari etiam nos hic debet vel Florarium nostrum Ms., vel Hermanni, Bonnensis præpositi, quod supra in Commentario prævio plus semel jam laudavi, litterarum ad Miræum excerptum; etsi enim in hoc,* SS. Cassii *ac* Florentii *aliorumque, qui cum ipsis passi sunt, corpora anno* 1166, *quo Reynaldus ecclesiæ Coloniensi præerat, a Gebhardo comite Siegensi et præposito Bonnensi iterum elevata*
B *et ad altiora translata fuisse, Hermannus affirmet, sicque illa ante annum* 1166, *imo et ante tempus, quo Reynaldus Coloniensem cathedram occupavit, translata ac proin et inventa fuisse, haud obscure insinuare videatur, nihil tamen, quod ei potius, quam tribus supra laudatis Fastis sacris, in quibus* SS. Cassii *et* Florentii *aliorumque, qui cum ipsis passi sunt, corpora sub Reynaldo, Coloniensi episcopo, primum inventa ac de terra levata fuisse, dilucide traditur, credendum esse, suadeat, in medium adducit; quod autem ad laudatum Florarium nostrum jam spectat, id quidem* SS. Cassii *et* Florentii *Sociorumque Martyrum translationem die* 2 *Maii, inventionem autem die* XIII *Septembris celebrat; verum, præterquam quod in nullis prorsus aliis Fastis sacris id fiat, consectarium inde non est, ut* SS. Cassii *et* Florentii *corpora jam diu, cum a Reynaldo, Coloniensi archiepiscopo, transferrentur, fuissent inventa. Fieri enim potest, ut sacra illa pignora, cum anno v. g.* 1165 *die* XIII *Septembris per Reynaldum fuissent inventa, per eumdem deinde anno proxime sequenti* 2 *Maii die fuerint*
C *translata ac de terra levata, hincque duorum istorum dierum posteriori quidem* SS. Cassii *et* Florentii *translatio, priori vero inventio in Florario nostro memoretur. Jam vero, cum hæc ita habeant, nihilque adeo, quod* SS. Cassii *et* Florentii *omniumque, qui cum ipsis passi sunt, corpora a Reynaldo primum haud fuisse inventa, suadere sit natum, sedulo omnibus jam discussis, occurrat, enimvero illa omnia sacra pignora reipsa a Reynoldo, ut tres supra laudati Fasti sacri tradunt, primum fuisse inventa ac per eumdem anno* 1166, *ut Gelenius affirmat, translata nec non de terra, in qua per annos amplius octingentos septuaginta jacuerant, levata, mihi sat verosimile apparet, etsi interim rem veluti certam ac indubitatam, quod antiqua, quæ ad id sufficiant, monumenta ad manum non sint, habendam, haud putem.*

cultusque illorum eo, qui hic

21 *Modo, quæ* SS. Cassii *et* Florentii *ac aliorum, quæ cum hisce martyrium subiere, inventionem sint secuta, dispiciamus. Non raro a* SS. Cassio *et* Florentio *eorumque commilitonibus patrari miracula, Helinandus in Actis, utut nullum ex his nominatim recensens, num.* 22 *affirmat; cum autem eos necdum et-* D
iam tunc, cum ageret in vivis, seu sec. XIII *a patrandis hujusmodi signis destitisse, ibidem etiam sat clare innuat, vel hinc prodigiis eosdem si non ante, saltem post inventionem suam re ipsa claruisse, verosimile apparet. Nec dubitandum reor, quin tunc quoque apud Bonnenses incrementa illorum cultus acceperit. Certe, cum antea in Bonnensi ecclesia, nomini suo sacra, quæ insignis modo collegiata existit, sola decima Octobris die, ipsis, ut putabatur, natali quotannis colerentur, deinceps etiam ibidem secunda Maii die, qua fuerant inventi, cœperunt, festo annuo in felicis hujus eventus memoriam instituto, celebrari. Ita ex Martyrologio, Coloniæ Agrippinæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso, itemque ex Greveno, Canisio et Florario nostro Ms. intelligo. Nec refert, in hisce Fastis sacris tunc non* SS. Cassii, Florentii *ac Sociorum inventionem, sed translationem memorari; id enim verosimillime dumtaxat fit, quod, quo tempore corporum, quæ Sanctorum illorum credita fuere, inventio, eodem etiam fere acciderit translatio, hæcque idcirco cum illa confundatur. Luculenter quidem alteram ab* E
altera Florarium nostrum Ms., utpote priorem XIII *Septembris, posteriorem* 2 *Maii die commemorans, distinguit, hincque forsan, utramque eodem circiter tempore haud accidisse, non nemo concludet.*

exponitur, modo

22 *Verum Florario nostro haud multum fidimus; quod si autem, uti e binis ejus jam dictis annuntiationibus colligendum videtur,* SS. Cassii *et* Florentii *ac Sociorum martyrum translatio* 2 *Maii, inventio vero* XIII *Septembris die Bonnæ olim fuerit re ipsa celebrata, vel hinc, quod de illorum cultu, apud Bonnenses, postquam fuissent inventi, aucto, asserui, firmabitur, consectariumque dumtaxat erit, ut, cum Sancti illi hodieque festo annuo, quod* translationis *dicitur, quod Bonnenses* 2 *Maii die colantur, duo illa diversa, inventionis nempe ac translationis, festa, quibus primum, cum fuissent inventi, diebus supra dictis honorati quotannis fuerunt, postea in unum, solo ei* translationis *nomine imposito, fuerint conflata. Porro* SS. Cassius *et* Florentius *ac eorum Socii non tantum, cum eorum corpora fuissent reperta, festo*
F *annuo in felicis hujus eventus memoriam instituto, sed et pretiosis, quibus illorum aliquot fuere inclusa, lipsanothecis solemnibusque, in quibus hæ circumlatæ fuerunt, supplicationibus honorati fuerunt. Docet id in litterarum, quod jam supra sæpissime laudavi, excerpto Hartmannus, ecclesiæ Bonnensis decanus. Ibidem enim, postquam Bonnenses Martyres denario numero definiit, horumque tantummodo quatuor, ceteris relictis anonymis,* Cassii *et* Florentii, Piique *item ac* Mallusii *(de quorum duobus posterioribus Comment. præv. num.* 62 *videsis) nominibus distinxit, ita deinde, nonnullis dumtaxat adhuc, quæ hic ad institutum nostrum haud faciunt, interpositis, prosequitur:* Quorum Martyrum tres e nominatis argenteis inauratis, admirando artificio factis, gemmisque plurimis exornatis tumbis, præfixis singulorum titulis, inclusi fuerunt; quæ quotannis in festo Inventionis *(id in Fastis sacris supra laudatis vocatur* translationis) eorumdem Martyrum, nimirum secundo Maii, in navi ecclesiæ exponi, et solemnissima processione circumferri solebant.

incrementa

23 Qui mos cum illis tumbis inviolatus duravit

A ravit usque ad annum MDLXXXIII, quo Gebhardus Truchesius, infelix Coloniensis archiepiscopus, per fratrem suum Carolum ecclesiam vastavit, pretiosa tumbis abstraxit, in monetam cudit, et inclusa sacra ossa effudit. Quæ postea, uti reperta, fracta et divulsa, cum cineribus sine discrimine collecta fuerunt et in unam solummodo tumbam congesta. *Ita ille, qui per tres e Martyribus, a se antea nominatis, de quorum reliquiis hic agit, verosimiliter non alios, quam* Florentium *duosque alios, quorum alterum* Pium, *alterum* Mallusium *nuncuparat, intelligit. Ita reor, quod post verba, quæ jam recitavi, mox de* Cassio, *qui e quatuor, quos tantummodo antea nominarat, Martyribus unus est, loquatur, ita de ejus ac sex aliorum, quos reliquerat anonymos, Martyrium reliquiis scribens:* Ita etiam propter peculiarem venerationem caput S. Cassii dimidiæ statuæ argenteæ inclusum fuit. Qua eodem furore fracta, caput tamen remansit, et ante paucos annos simili argenteæ dimidiæ statuæ iterum inclusum fuit. Aliorum autem sex Martyrum *(quos scilicet reliquerat anonymos)* corpora in duobus erectis

B lapideis monumentis in ecclesia condita sunt; quæ tamen etiam hæreticorum furorem, qui putabant, thesauros latere, effugere non potuerunt, sed in hodiernum diem sacra illa ossa salva sunt, et ex illis serenissimus dux Bavariæ Maximilianus uno magno osse (sicut omnia, respectu modernorum humanorum corporum, ingentia et vasta corpora beatorum illorum Martyrum fuisse demonstrantur) donatus fuit. *Talis itaque, qualem, quæ jam dixi, ac præsertim modo adducta Hartmanni verba commonstrant, exstitit cultus* SS. Cassio *et* Florentio *eorumque Sociis post inventionem suam Bonnæ delatus; talis reliquiarum ipsorum, sec.* XVII *currente, seu eodem Hartmanno adhuc vivente, ibidem status.*

deinde accepit, 24 *Verum, quod abs hoc supra de* Cassii *capite, Hermæ seu statuæ dimidiæ argenteæ tum iterum incluso, asseritur, ita, ni fallor, debet intelligi, ut pars pro toto accipiatur. Etenim apud nos tom.* 2 *Octobris pag.* 886, *num.* 39 *Henricus, Coloniensis archiepiscopus, litteris, anno* 1317 *datis, testatur, sese* devota instantia religiosi viri, fratris Francisci Bartholi de Assi-

C sio, Ordinis Minorum, *inductum, eidem donasse* sex capita, unum de legione Sanctorum Thebeorum martyrum, Gereonis, Cassii et Sotiorum ejusdem, et alia quinque capita de numero sanctarum undecim millium Virginum, *Assisi deponenda. Cum itaque Minorita hic memoratus jam inde ab anno* MCCCXVII S. Cassii *capite aut certe hujus parte, Assisii deponenda, fuerit donatus, sane id totum Bonnæ sec.* XVII *haud amplius exstiterit, ac proin, dum illud tum ibidem Hermæ argenteo iterum fuisse inclusum, Hermannus verbis supra huc transcriptis ait, partem pro toto accepisse est censendus. Verum, etsi id ita sit, tum equidem capitis* S. Cassii *partem Hermæ argenteo Bonnenses inclusere, idque non minus, quam si totum honore isthoc affecissent,* SS. Cassii, Florentii *ac aliorum, cum ipsis passorum, cultum, qui statim ab horum inventione apud eosdem Bonnenses increverat, apud illos nondum sec.* XVII *remisisse, ast contra nova incrementa accepisse, argumento est. Nec dubitandum, quin præcipue etiam illius propagandi desiderio jam antea sit factum, ut Sanctorum illorum, quos ut præcipuos patronos suos venerantur, reliquias cum aliis seu personis seu ædibus sacris ac nominatim quidem, ut abs harum reliquis recensendis brevitatis causa abstineam, cum Heisterbacensi, ut Cæsarius, loci hujus monachus, lib.* 8 *Mirac. cap.* 65 *testatur, monasterio, cum Carolo IV imperatore, ac denique cum Pragensi metropolitana S. Viti ecclesia, uti ex Pessina in hujus Posphoro pagg.* 426, 467 *et* 517 *intelligitur, communicarint.*

AUCTORE C. B.

§ III. Aliquot Martyrum corpora Coloniæ Agrippinæ anno 1121 inveniuntur; an unum ex his S. Gereonis exstiterit, et quænam, ad Sanctum hunc spectantia, eventum illum proxime sint secuta.

E

Quatuor Martyrum corpora Coloniæ anno 1121 *inveniuntur;*

Cum S. Norbertus, jactis anno 1120 *Ordinis Præmonstratensis fundamentis, Coloniam Agrippinam anno proxime seq. venisset, jamque impetratis ibidem aliquot Sanctorum reliquiis, unius etiam e legionis Thebææ militibus, prope urbem illam pro fide occisis, corpus sibi postulasset, fuisse tum ibidem* XIII *Octobris die seu potius nocte, hanc prægressa, quatuor diversa Martyrum corpora inventa horumque uni, ante tria alia reperto, mentum dumtaxat e capite superfuisse, docemur, ex iis, quæ Rudolphus, abbas Trudonopolitanus, in Epistola, hic ad calcem edenda, numm.* 1, 2, 3, 4, 5, 8 *ac* 10 *memoriæ prodit. Nec est, cur a quoquam, cum is ipsemet rei gestæ interfuerit, revocentur in dubium. Verum, hic modo examinandum, an corpus, quod ante alia tria fuisse repertum seu quod mentum dumtaxat e capite habuisse residuum, Rudolphus ait,* S. Gereonis, *ut a nonnullis fuit putatum, certo exstiterit. In S. Norberti apud nos ad* VI *Junii diem Vita, haud diu, ut ibidem docuimus, post Sancti hujus mortem, ac proin, cum hæc anno* 1134 *evenerit, haud admodum etiam diu, postquam quatuor jam dicta* F *Martyrum corpora Coloniæ Agrippinæ fuissent reperta, in litteras conjecta, sequentia isthæc, quibus haud dubie de corpore, primo e quatuor jam dictis corporibus invento, sermo fit, num.* 19 *leguntur verba:* Cum a præposito et canonicis S. Gereonis sibi similiter *(Norbertus)* reliquias dari supplicaret, concessum est ei, ut, si quid in ecclesia eorum placeat ei, vellet, quæreret et acciperet. Gavisus est homo, et promissum, ut erat solitus, Deo per totam noctem orando commendabat attentius.

ast an quod primo ex his fuit inventum, S. Gereonis corpus, quod hactenus

26 Mane autem facto, in medio monasterio, ubi nullum alicujus sepulchri patebat vestigium, effodi præcepit: ubi corpus integrum absque cerebro repertum est, honorifice et cum omni diligentia collocatum. Quod cum canonici et plebs innumerabilis, quæ convenerat, cerneret, Ecce, inquiunt, noster dominus S. Gereon et nostrum venerabile patrocinium; quod a nobis et a prædecessoribus nostris per multos annos diligenter quæsitum est, et, peccatis nostris exigentibus, inveniri non potuit.

Et

AUCTORE C. B.

Et exclamantes voce magna cum gaudio, immensas Deo gratias agebant, hominem Deo dignum efferentes, per quem talis et tantus thesaurus diuque desideratus merebatur inveniri. Et ne quis dubitet ipsum non esse, sciat procerto, verum agnitionis ejus fuisse indicium, quod de morte et martyrio ejus legebatur, quod pars capitis, et non totum caput esset abscissum. Hanc partem habebant, sed reliquum corpus, ubi esset, ignorabant. *Quod si itaque fides integra S. Norberti biographo adjungenda hic sit,* S. Gereonis *corpus ad annum usque* 1121, *quo, cum unum e Thebæorum Martyrum, Coloniæ Agrippinæ quiescentium, corporibus sibi postulasset S. Norbertus, quatuor ibidem, uti e jam dictis Rudolphus, Trudonopolitanus abbas, docet, Martyrum corpora fuere inventa, penitus latuerit, unumque ex his, quod tum ante alia tria, eodem Rudolpho docente, fuit inventum,* S. Gereonis *certo exstiterit.*

latuerat, certo exstiterit, haud immerito ob rationes,

27 *Ac hujus quidem Sancti nostri corpus usque ad annum illum penitus latuisse, omnino certum atque indubitatum apparet, nec* B *futurum puto, ut quisquam, qui nullum uspiam Gereonæi corporis (neque enim, quod Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Historia lib.* 2, *num.* 38 *notat, nos hic, ut jam supra docui, debet morari) ante annum eumdem inventi indicium reperiri, considerarit, contrarium existimet. Verum sunt, ob quæ, an quod primo e quatuor dictis Martyrum corporibus fuit inventum,* S. Gereonis *vere exstiterit, haud prorsus, ut apparet, immerito queat revocari in dubium. Ac primo quidem ipsemet Rudolphus, qui hic certe, cum rei gestæ interfuerit, potiorem fidem, quam Vitæ Norbertinæ scriptor, meretur, fueritne illud, an non,* S. Gereonis *corpus, dubitasse videtur. Etenim in Epistola edenda num.* 9 *sequentia dumtaxat, quæ huc faciunt, de corpore, quod ante alia tria memorat inventum, suppeditat verba:* Cum res tam gloriosa et desiderabilis audita fuisset a civibus et ostensa pluribus illorum,.... tota civitas statim infremuit, clamantes, se malle mori, quam tanto thesauro, tanto patrono privari. Erant etiam inter eos, qui corpus inventum, ipsum esse sanctum Gereonem, dicebant, propter habitus venustatem et corporis formositatem. *Ita tantummodo Rudolphus, nec, etsi post de corpore illo in Epistolæ, de qua hic, serie* C *continuo loquatur, uspiam id* S. Gereonis *appellat, etsi interim, ut id faceret, subinde etiam exegisse instituti ejus ratio videatur.*

quæ hic

28 *Fuisse quidem, de quo hic nobis sermo, corpus pro vero* S. Gereonis *corpore tum de ecclesiæ Gereonææ canonicis, tum a plebe universa habitum, Vitæ Norbertinæ scriptor per verba, supra huc transcripta, indicare videtur; verum, e Coloniensibus civibus quosdam dumtaxat,* qui corpus inventum ipsum esse sanctum Gereonem, dicebant, *exstitisse, Rudolphi abbatis, qui, ut dixi, hic potiorem, quam S. Norberti biographus, fidem meretur, proxime recitata verba luculentissime produnt. Nec indicium, quo hic, quod primum e quatuor dictis corporibus fuit inventum, pro* S. Gereonis *corpore habuisse Colonienses, supra huc transcriptis verbis tradit, fuit hujusmodi, ut hosce ab errandi periculo potuerit præstare immunes. Etsi enim, ut Rudolphus in Epistola edenda num.* 5 *docet, e Martyris, qui primo fuit repertus, capite mentum dumtaxat exstiterit residuum, isque adeo, capitis parte, quæ supra mentum exstat,* D *amputata, verosimiliter fuisset occisus, exstitisse tamen, quod primo e quatuor dictis corporibus fuit inventum,* S. Gereonis *corpus, minime certum evadit ex eo, quod, ut verbis, proxime huc transcriptis, S. Norberti biographus indicat, quæpiam antiqua scriptoris hujus ætate seu Martyrum nostrorum aut saltem* S. Gereonis *Acta, seu qualiacumque monumenta alia exstiterint, in quibus, hunc Sanctum nostrum ita etiam fuisse occisum, legebatur.*

in medium

29 *Ea sedet sententia, quod, quo tempore, qua fide et a quo illa seu Acta seu monumenta scripta essent, exploratum haud habeatur, dubitarique adeo non immerito possit, an, quod de modo, quo* S. Gereon *fuerit occisus, memorarunt, veritati fuerint consonum.* Gereonem *quidem, capitis parte, qua, quod primo e quatuor dictis corporibus fuit repertum, carebat, amputata, fuisse occisum, Colonienses, credidisse, illamque etiam penes sese, priusquam id reperiretur, habuisse, S. Norberti biographus proxime huc transcriptis verbis etiam indicat; verum quid certi queat hinc concludi? Iisdem verbis, sacrum, de quo hic agimus, corpus, pulsa jam nocte, mane fuisse inventum, etiam tradit, cumque sic certo, uti* E *ex Rudolpho, qui rei interfuit eamque noctis tempore gestam, diserte scribit, nemo non statuet, a veritate aberret, dubitari haud prorsus immerito potest, an pariter, dum, quod dixi, de Coloniensibus insinuat a vero haud deviet, maxime cum id neque Rudolphus, neque ullus scriptor alius vel utcumque insinuet. Nec, etsi secus foret, ac* Gereonem, *abscissa sibi, quæ, priusquam corpus illud Coloniæ reperiretur, penes Colonienses exstiterit, capitis parte, occubuisse, omnino haberetur compertum, recte hinc,* S. Gereonis *certo exstitisse idem corpus, concludas.*

adducuntur, revocari potest in dubium,

30 *Quid ni enim factum esse queat, ut unus alterve aut etiam plures* S. Gereonis *Socii fuerint, uti hic, capitis parte, quæ supra mentum exstat, sibi amputata, necati? Certe Martyrem anonymum, cujus supra in Comment. præv. num.* 51 *et seq. memini, fuisse etiam in* purpura et calceis, amputata summitate capitis, *apud Sanctenses inventum, Gelenius in ecclesiæ Coloniensis Fastis sacris ad* XVI *Aprilis diem affirmat; cum autem hæc ita habeant, sitque adeo, an aliqui pariter* S. Ge- F reonis *Socii haud fuerint, summitate capitis seu parte, quæ supra mentum exstat, abscissa, necati, omnino incertum, dubium enimvero manere necesse est, uniusne ex his, an* S. Gereonis *exstiterit corpus, quod absque capitis summitate seu parte, quæ supra mentum exstat, Coloniæ Agrippinæ una cum tribus aliis anno* 1121 *fuit inventum. Hinc porro et ex aliis jam dictis consequitur, ut indicium, quo id pro* S. Gereonis *corpore a Coloniensibus agnitum fuisse, laudatus biographus scribit, nequaquam hosce, quod hic probandum erat, potuerit præstare ab errandi periculo immunes. Et vero an Colonienses, ut corpus, sine capitis summitate seu vertice in* S. Gereonis *ecclesia inventum, pro Sancti hujus corpore haberent, fuerint reipsa indicio illo inducti, mihi etiam dubium vel ex eo apparet, quod in nuspiam in Epistola edenda Rudolphus affirmet, etsi interim in hac num.* 9 *aliud, quo idem corpus a nonnullis fuerit* S. Gereonis *creditum, indicium assignet. Ac de hoc quidem sermonem*

A *sermonem adhuc infra instituam : ast, priusquam id faciam, aliud adhuc, quod ad institutum nostrum hic etiam facit, præmitto.*

nec res vel e revelatione, utpote S. Norberto

31 *Joannes le Paige Bibl. Præmonst. part.* I, *quæ anno* 1633 *Parisiis prodiit, lib.* 2, *cap.* 15 *de S. Norberto, Coloniam Agrippinam, quo sibi ibidem compararet Sanctorum reliquias, profecto, sic scribit :* Sequenti item nocte, quæ erat decima tertia Octobris anni 1121, cum in monasterio, sancto Gereoni martyri sacro, pernoctaret, orationique ardentius insisteret, divinitus ei revelatum fuit sancti Gereonis sepulchrum, prius ignotum. Itaque, exorta aurora, in illius ecclesiæ medio versus meridiem, ubi nullum sepulchri apparebat vestigium, fodi jussit, quo in loco corpus sancti Gereonis martyris,..... quod eo usque latuerat, integrum intactumque, præter partem capitis, quæ in eadem ecclesia a multis retro sæculis *(de re hac videjam dicta)* seorsim honorifice asservabatur, adhuc veste contectum militari repertum est. *Quod si itaque scriptori huic sit credendum, S. Norbertus locum, quo* S. Gereon *jacebat sepultus, divina revelatione anno* 1121

B *didicerit, corpusque adeo, quod tum in eo, terra effossa, repertum fuisse, ait, quodque certe a corpore, ante tria alia eodem anno, uti e jam dictis Rudolphus docet, Coloniæ Agrippinæ invento, haud fuerit diversum,* S. Gereonis *indubie exstiterit.*

haud satis fundate, ut probatur, attributa,

32 *Verum Rudolphus nullum omnino verbum, quo,* S. Gereonis *sepulcrum divina revelatione innotuisse S. Norberto, vel utcumque insinuet, in Epistola hic ad calcem edenda, suppeditat; quod autem ad S. Norberti biographum spectat, hic quidem, Rudolpho ætate haud multum inferior, de S. Norberto ait :* In medio monasterio, ubi nullum alicujus sepulchri patebat vestigium, effodi præcepit : ubi corpus integrum absque cerebro repertum est, honorifice et cum omni diligentia collocatum; *verum id, quod his verbis asserit, fieri quoque absque omni divina revelatione potuisse, nemo non videt. Nec quidquam etiam aliunde, quod rem revelatione gestam probet, occurrit. Trithemius quidem in Chronico Hirsaugiensi, quod anno* 1514 *absolvit, tom.* 1, *typis monasterii S. Galli anno* 1690 *in lucem emisso, pag.* 378

C *de S. Norberto sic scribit :* Servus Dei, nocte sequenti pernoctans in ecclesia S. Gereonis in eadem civitate Coloniensi, orationi suo more intentus, divina meruit consolatione recreari. Nam, mane facto, in medio ecclesiæ, ubi nullum penitus sepulturæ apparuit signum, terram jussit effodi, et corpus ejusdem martyris S. Gereonis, dempta capitis parte, integrum reperit, quod cum ingenti gaudio populi levans de terra particulam precibus obtinuit, quam Præmonstrato dedit; *verum nec hisce verbis S. Norbertus locum, quo* S. Gereon *jacebat sepultus, divina revelatione didicisse aperte traditur ; etsi autem iis, in corporis, de quo sermo fit, inventione divini aliquid supra naturæ cursum intervenisse, utcumque indicari videatur, hincque fortassis sit factum, ut et,* S. Gereonis *sepulchrum S. Norberto divinitus innotuisse, supra laudatus Bibliothecæ Præmonstratensis auctor, ut mox docui, scripserit, et, ejusdem* S. Gereonis *ac Sociorum corpora divino monitu detexisse S. Norbertum, Miræus, qui Trithemium etiam laudat, in Fastis Belgi-*

cis et Burgundicis pag. 587 *exararit, Trithemius tamen sec. demum* XV *ac seq. initio, ut jam indicavi, floruit.*

AUCTORE C. B.

vel ex indicio, per Radulphum proposito, certa evadit;

33 *Quod cum ita sit, ac proin tribus amplius seculis a corporis, de quo hic loquimur, inventione seu anno* 1121 *abfuerit, enimvero, etiamsi,* S. Gereonis *sepulcrum divinitus fuisse S. Norberto revelatum, disertissime etiam, quod tamen non facit, assereret, fidem sibi hac in re integram mereri sola sua auctoritate haud posset, hacque adeo Miræus et Bibliothecæ Præmonstratensis auctor moveri haud debuere, ut vel in corporis, de quo agimus, inventione supra naturam aliquid intervenisse, vel* S. Gereonis *sepulcrum Norberto divina revelatione innotuisse, inducerent in animum. Hinc porro jam consequitur, ut sane, an revelatio hujusmodi S. Norberto obtigerit, sit admodum dubium, utque proinde hac dubitatio altera, qua, an corpus, quod primo e quatuor supra dictis Coloniæ Agrippinæ fuit inventum,* S. Gereonis *exstiterit, non nemo forsan ob rationes supra adductas adhuc ambiget, minime auferatur. Verum, an nihil tandem, quo,* S. Gereonis *exstitisse corpus illud,* E *certum efficiatur, potest adduci? Quosdam* propter habitus venustatem et corporis formositatem, *dixisse seu judicasse, corpus, quod primo e quatuor supra memoratis fuerat inventum,* S. Gereonis *esse, Rudolphus in Epistola edenda num.* 9 *affirmat; verum nihil omnino adjungit, quo illorum sibi probatum fuisse hac in re judicium, insinuet, nec facile futurum puto, ut id apud ullos æquos rerum æstimatores alios approbationem inveniat.*

etsi autem etiam nec pro indubitata habeatur a Marteneo,

34 *Certe illam habitus venustatem, corporisque formositatem, quas in corpore, ante alia tria invento, eluxisse, Rudolphus docet, pro indubitato, quo id* S. Gereonis *credi tuto potuerit, indicio haud habuit Marteneus. Ita opinor, quod, quamvis hic scriptor jam sæpe memoratam Rudolphi Epistolam in Veterum Scriptorum Collectione, a se vulgata, tom.* VI, *col.* 1015 *et quinque seqq. exhibeat, dubitarique adeo, an eam sedulo expenderit, haud queat, ipsemet nihilominus, an corpus, quod ante tria alia inventum in illa narretur,* S. Gereonis *exstiterit, ambigendum existimarit, uti* F *vel e titulo, quem eidem Epistolæ præfixit, apparet. Etenim in hoc Martyrem, cujus corpus illud fuit,* legionis Thebæorum Militem, *nomine ejus non expresso, dumtaxat appellat, eumque haud dubie* Gereonis *nomine fuisset distincturus, si Sancti hujus exstitisse idem corpus, indubitanter credidisset. Ut, quod dico, palam fiat, verba, quibus titulus ille concipitur, huc transcribo. Sic habent :* Acta translationis sancti unius Militis legionis Thebæorum, auctore Rodulfo, abbate S. Pantaleonis Coloniensis. *Talis est, quem dixi, titulus; ut sane inventum, de quo nobis hic sermo, corpus pro* S. Gereonis *corpore Marteneus haud habuerit, aut saltem, an Sancti hujus esset, dubitarit.*

Colonienses tamen jam dudum opinati videntur contrarium,

35 *At contra Surius, seu habitus venustate corporisque formositate, quas Rudolphus memorat, seu supra exposito, quod S. Norberti biographus assignat, indicio, seu aliis denique rationibus impulsus,* S. Gereonis *esse idem corpus, indubitanter existimavit. Id scilicet suadet pariter titulus, Rudolphi Epistolæ, abs illo ad* XXIV, *qua hanc, quod tunc* S. Gereonis *trans-*

AUCTORE C. B.

latio celebretur, in suo de Sanctis Opere exhibet, Novembris diem præfixus, hisque verbis conceptus: Inventio et translatio clarissimi martyris S. Gereonis, a Rudolpho, abbate sancti Trudonis, conscripta. *Nec tantum is scriptor, qui, plurimis editis Sanctorum Actis clarus, Cartusiæ Coloniensis exstitit alumnus, sed et universi a multis retro seculis Colonienses ita opinati fuisse videntur. Certe omnes, nec numero paucæ, apud hosce ecclesiæ, quibuscum corporis illius partes seu particulæ communicatæ fuerunt, constanter hasce, veluti indubitatas* S. Gereonis *reliquias, veneratæ sunt, ac porro, uti e Gelenio de Colon. Agrippinensis Magnitudine colligere fas est, venerari hodieque pergunt. Quare, etsi quidem etiam, an sacræ istæ exuviæ* S. Gereonis *sint, in dubium, uti e jam dictis consequitur, revocari queat, neutiquam tamen, quod, eas* S. Gereonis *non esse, certum equidem non sit, Coloniensium hac in re fidem veluti certo falsam sugillare ausim, eamque adeo inviolatam relinquens, ad alia modo, quæ corporis, de quo jam abunde actum, inventionem proxime sunt secuta, orationem converto.*

B 36 *Cum post noctem, qua, ut vidimus, quatuor Martyrum corpora fuerant inventa, jam dies esset exorta, resque ista populo innotuisset, ad Gereonæam ecclesiam undequaque concurritur, nonnullisque, quod primo e quatuor illis corporibus fuerat repertum,* S. Gereonis *esse, clamantibus, omnibusque, id S. Norberto haud dandum, contendentibus, a dignitate et ordine eminentioribus, quo tumultus compescatur, contentio seu lis, inde exorta, ad Fredericum archiepiscopum, qui tum ecclesiæ Coloniensi præerat, componenda remittitur, intereaque, dum hujus exspectatur adventus, sepulcrum, in quo sacrum illud pignus fuerat repertum, lapide obvoluto, clauditur, cumque iterum deinde, postquam memoratus antistes Coloniam Agrippinam advenerat,* XXIV *Novembris die fuisset apertum, sacræ exuviæ e sarcophago summa cum reverentia extrahuntur, cumque frustatim, ut fieri potuit, collectæ binisque hunc in finem paratis scriniis fuissent inclusæ, hæc ambo, multa interea archiepiscopo aliisque, quo Martyri exstruatur lipsanotheca seu feretrum, offerentibus, elevantur, solenni supplicatione circumferuntur, altari* C *in media ecclesia imponuntur, totaque, qua hæc fiunt, solennitas Missa de sanctæ legionis Thebææ Martyribus, per Rodulphum abbatem, Epistolæ edendæ auctorem, verba etiam, dum illa durat, de iisdem sanctis Martyribus ad populum faciente archiepiscopo, cantata, tandem absolvitur. Qui hæc omnia gesta sint, Rudolphus in Epistola illa num.* 9 *et seqq. diffusius exponit, lectoremque idcirco, qui ampliorem eorumdem notitiam desiderat, ad illum remittens, modo, quæ tum fuerit sacrarum illarum reliquiarum seu corporis antetria alia, ut supra vidimus, inventi, pars cum S. Norberto communicata, examinare aggredior.*

corporisque illius, quod elevatum maxima cum solennitate fuit,

pars quæpiam quæ nec tam magna, quam a le Paige,

37 *S. Norberti biographus post verba, num.* 25 *et seq. huc transcripta, ita prosequitur:* Susceptum est itaque corpus sanctum, ut digne debuit, et elevatum; parsque inde Viro Dei *(S. Norberto nempe)* data est: quod reliquum fuit, magnifice a clero et populo repositum est. *Ita ille, qui, cum deinde, S. Norbertum, assumptis haud diu post, quas Coloniæ Agrippinæ acquisierat, sacris reliquiis, Floreffiam concessisse, indeque, jam instante Nativitatis* D *Dominicæ festo, Præmonstratum festinasse, etiam narret, hinc quidem, haud diu post* XXIV *Novembris diem, qua corpus, ante tria alia* XIII *Octobris inventum, anno* 1121 *Coloniæ, ut vidimus, fuerat elevatum, fuisse hujus, quam in textu mox dato memorat, partem cum Sancto illo communicatam, recte intelligitur; verum, cum de parte illa generatim dumtaxat, nullo omnino, e quo vel utcumque distinctam ejus notitiam acquiras, verbo adjecto, loquatur, magnane, an parva exstiterit, evadit ambiguum. Si Trithemius recte scribat, pars illa, utpote quam dumtaxat* particulæ *nomine distinguat, haud admodum magna exstiterit; ast, si iis contra, quæ Bibliothecæ Præmonstratensis part.* I, *lib.* 2, *cap.* 15 *supra laudatus le Paige scribit, adhibenda sit fides, secus erit censendum. Is enim scriptor, postquam corporis, de qua supra, inventionem per verba jam ante huc transcripta aliaque nonnulla hisce subjecta ibidem narravit, mox subjungit:* Die postmodum XXIV Novembris sequentis, archiepiscopo præsente et infinita populi, cleri, monachorum et abbatum turba,..... invicti Militis Christi (S. Gereonis *videlicet)* corpus cum ingenti totius E cleri populique Coloniensis lætitia et acclamatione de terra sublatum, major pars Viro sancto data, et, quod reliquum fuit, magnifice a clero et populo in theca repositum est.

nec tam parva, quam a Trithemio asseritur

38 *Verum, hicne Trithemio, an contra Bibliothecæ Præmonstratensis auctore est standum? Cum prior e duobus hisce scriptoribus loco supra cit. de S. Norberto scribat,* Particulam *(corporis* S. Gereonis) precibus obtinuit, quam Præmonstrato dedit, *is verosimiliter haud alias* S. Gereonis *reliquias, cum S. Norberto communicatas, quam quas hic Præmonstrati deposuit, cognorit, hincque, cum eas, quas ibidem ætate sua asservari audierat, exiguas esse, intellexisset, verosimiliter etiam* particulæ *tantummodo nomine distinxerit partem, quam sibi e corpore, Coloniæ Agrippinæ anno* 1121 *ante tria alia invento, S. Norbertus impetravit. At vero hic Sanctus, qui, quemadmodum post videbimus, jam quaspiam Coloniæ* S. Gereonis *reliquias, priusquam corpus illud ibidem inveniretur, acquisierat, non omnes, quas deinde ex hoc et ex aliis Sociorum* S. Gereonis *corporibus accepit, Præmonstrati, sed partim tantummodo ibidem, partim Floreffiæ deposuit. Miræus in Fastis Belg. et Burg. pag.* 587 *sic scribit:* S. Gereonis ac Sociorum corpora in F dicta basilica *(a* S. Gereone *nuncupata)* humi defossa jacuerunt usque ad annum Christi 1121, quo Norbertus, Ord. Præmonstratensis fundator, divino monitu ea detexit, utque per Fredericum I, archiepiscopum Coloniensem, de terra levarentur, effecit, ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, et nos in Chronico Præmonstratensi explicuimus.

verosimiliter, uti hic adducta suadent,

39 Ejusdem S. Gereonis et aliorum Martyrum Thebæorum reliquias, a dicto archiepiscopo acceptas, Norbertus partim Floreffiæ in diœcesi Namurcensi, partim Præmonstrati in diœcesi Laudunensi deposuit; quæ hodieque reverenter utroque in loco asservantur. *Ita ille. Et vero, ex acceptis Coloniæ reliquiis nominatim etiam eas, quæ* S. Gereonis *a pluribus creditæ fuerunt, a S. Norberto non tantum Præmonstrati, sed et Floreffiæ fuisse depositas, argumento est tum reliquiarum, quæ in monasterio Floreffiensi asservatæ olim fuere ac porro hodieque,*

A *dieque, ni fallor, asservantur, Catalogus, Hierogazophylacio Belgio a Rayssio insertus, tum etiam, quæ Operis nostri tom.* I *Junii pag.* 835 *legitur, Annotatio, Vitæ Norbertinæ verbis, quibus ibidem de reliquiarum theca, a S. Norberto Floreffiæ deposita, num.* 49 *sermo fit, subjecta. In dicto enim Catalogo a Rayssio duo recensentur* S. Gereonis *brachia, a S. Norberto, ut additur, anno* 1121 *una cum undecim millium Virginum quatuor capitibus Floreffiam allata; etsi autem, quam mox memoravi, Annotatio hisce dumtaxat concipiatur verbis,* Sunt ibidem *(Floreffiæ nimirum)* reliquiæ ex præscriptis Sanctis, et potissimum brachium S. Gereonis, thecæ auro obductæ decenter inclusum, *sicque unius tantummodo, quod Floreffiæ existat,* S. Gereonis *brachii mentio ab Annotationis auctore instituatur, id tamen ne aliquin, quod omnino vetat ratio, auctores, qui se inter conciliari facile queunt, collidantur, verosimiliter dumtaxat fit, quod duo a Rayssio memorata brachia seu duorum brachiorum ossa uni eidemque lipsanothecæ, auro obductæ, quæ unum tantummodo brachium refert, sint inclusa.*

AUCTORE C. B.

B 40 *Utut sit, consectarium equidem e jam dictis fit, ut verosimiliter S. Norbertus nec partes seu reliquias omnes, quas e corpore, Coloniæ Agrippinæ ante tria alia invento, impetravit, Præmonstrati deposuerit, nec eas* particulæ *dumtaxat, quam is Sanctus ibidem locarit, appellatione Trithemius recte distinguat; quod autem ab Bibl. Præmonst. auctorem, qui contra, uti ex ejus supra recitatis verbis liquet, majorem corporis, Coloniæ Agrippinæ ante tria alia anno* 1121 *inventi, partem S. Norberto datam tum fuisse, docet, jam spectat, nec illi hac in re assentiendum apparet. Ita nimirum suadet tum hic omni exceptione major Rodulphi, omnem prorsus Martyris inventi carnem ossaque,* exceptis *tantummodo* paucis de majoribus, *in cinerem fuisse resoluta, in Epistola edenda num.* 6 *asseverantis idque ipsum num.* 14 *adhuc confirmantis, auctoritas, tum ingens ecclesiarum, quæ* S. Gereonis *seu Martyris, Coloniæ Agrippinæ ante tres alios anno* 1121 *inventi, reliquiis gloriantur, vel in sola Coloniensi urbe multitudo, haud modico aliarum etiam, quæ extra Coloniam sunt ac a sese quoque Martyris illius sacras possideri exuvias affirmant, ecclesiarum numero aucta; ut vel hinc, majorem Martyris ejusdem partem S. Norberto fuisse, statim atque hic fuerat inventus, concessam, fit sane creditu perquam difficile. Accedit, id absque vade antiquiori asseverari a solo laudato Bibliothecæ Præmonstratensis auctore, qui cum a re, quam gestam sic commemorat, quinque amplius seculis ab fuerit, eam enimvero sua auctoritate certam haud efficit.*

exstiterit, S. Norberto donata,

C 41 *Verum duo alia, quæ corporis, de quo jam actum, inventionem secuta proxime sunt hicque adeo, priusquam* § *huic finem imponam, recenseri adhuc debent, vel omnino sunt certa vel saltem vero admodum similia; alterum est, apud Colonienses, ut* XXIV *Novembris dies, qua præfati Martyris seu, ut credebant,* S. Gereonis *translatio fuerat peracta, quotannis haberetur solennis, fuisse institutum, alterum vero, Martyris ejusdem reliquiarum partem, Rudolpho abbate intercedente, obtentam, fuisse ad Trudonense in Hasbania monasterium transmissam. Ac primum quidem, quod hodieque, ut Colonienses apud Gelenium ad dictum Novembris diem Fasti sacri, Coloniensiaque, quæ penes nos exstant, Breviaria fidem faciunt, locum obtinet, eo ipso anno, qui dicti. Martyris inventionem ac translationem supra memoratam proxime excepit, initium verosimillime accepisse, suadet antiqua ecclesiarum, qua, quos penes sese invenerant ac de terra levarant, Sanctorum translationes quotannis celebrare solenne habebant, consuetudo; quod autem ad secundum spectat, id certe ante annum* 1124 *evenit. Ac ex eo sane hæc liquet assertio, quod Rudolphus, cum Epistolam hic edendam, sub cujus finem Trudonopolitani, ad quos hanc dabat, monasterii monachos de dicti Martyris reliquiis, a sese ad illos missis, admonuit, conscriberet, adhuc prope Coloniam in S. Pantaleonis, ut ipsemet in eadem Epistola num.* 18 *indicat, abbatia versaretur, hacque, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom* 3, *col.* 739 *docent, anno* 1123 *relicta, ad Trudonopolitanam, recuperata, quam antea habuerat, hujus præfectura, sit reversus.*

alteraque, quæ Rudolphi abbatis intercessione fuerat obtenta,

42 *Ast quanto quidem ante annum* 1124 *temporis spatio res evenit? Cum certe ante anni* 1121 *diem* XXIV *Novembris, qua, ut vidimus, dicti Martyris reliquiæ de terra primum levatæ ac translatæ fuerunt, locum ea haud habuerit, Epistolaque edenda, qua de hisce Trudonopolim missis agitur,* XVIII *Kalendas Octobris seu* XIV *Septembris die data notetur, consectarium fit, ut, cum præterea certo ante annum* 1124, *uti e jam dictis constat, missæ eo fuerint sacræ, de quibus agimus, reliquiæ, id indubie illo temporis spatio, quod inter anni* 1121 *vigesimam quartam Novembris, et anni* 1123 *decimam quartam Septembris diem intercessit, contigerit, remque vel postremo hoc anno vel proxime prægresso potius, quam anno* 1121 *gestam, idcirco induco id animum, quod, priusquam fieret, nonnihil temporis post reliquiarum earumdem translationem, anno, ut dictum,* 1121, *vigesima quarta Novembris die factam, fuisse elapsum, in Epistola edenda num.* 16 *Rudolphus insinuet; qui cum ibidem, quales fuerint, quas Trudonopolim miserit, reliquiæ, etiam exponat, lectorem, id scire avidum, eo remitto, et, omnibus modo, quæ instituti mei ratio hic exigebat, peractis,* § *huic finem impono.*

ad Trudonense monasterium anno 1122 *aut* 1123 *fuit transmissa.*

F

§ IV. Alia, quæ præterea ad S. Gereonis ejusque Sociorum, ac nominatim, qui hisce annumerantur, Theophili, Cratonis, Vitalis et Bertuliani cultum et reliquias spectant, proponuntur, ac, ubi id res exigit, examinantur.

S. Gereonis, cujus et Sociorum aliquot sacræ in variis

Nullam fere in Belgio etiam hodierno illustriorem, quæ S. Gereonis *ejusve Sociorum reliquiis decorata non sit, reperiri ecclesiam, Bucherius Belgii Romani lib.* VII, *cap.* 5, *num.* XI *affirmat. Nec plurimæ tantum Belgii*

AUCTORE C. B.

gii tam antiqui, quam hodierni, quæ Colonia Agrippina haud admodum procul absunt, ecclesiæ honore illo ac prærogativa gaudent, verum etiam aliæ, in aliis regionibus sitæ longissimeque a civitate illa remotæ. Id ex hic dicendis, cum primum de reliquiis potissimum, quæ S.Gereonis *creduntur ac in diversis tum Coloniensis, tum variarum Belgii seu hodierni seu antiqui civitatum ecclesiis honorifice servantur, tractaro, evadet perspicuum. A locis sacris, in ipsamet Coloniensi urbe aut in ejus vicinia sitis, quæ sacras* S. Gereonis *ejusve Sociorum exuvias possident, duco initium; ut autem nonnullorum saltem ex his (omnia enim et singula recensere nimis longum foret) enumerationem paucis expediam, collegiata ibidem* S.Gereonis *ecclesia ossa seu qualescumque corporis partes, quæ pro hujus Sancti nostri corpore habentur, caputque item aut hujus saltem ob infra dicenda partem, hermæ argenteo inclusam, abbatialis SS. Nicolai et Medardi in Brawiler ecclesia* S. Gereonis *brachium aut hujus saltem partem, brachio argenteo insertam, ecclesia S. Agnetis duorum* S.Gereonis *Sociorum capita, Sanctimonialium*
B *Ordinis Cisterciensis monasterium, quod* B.M. V. Hortus *vocatur, unius e* S. Gereonis *Sociis capitis partem, Sanctimonialium tertiæ Regulæ S. Francisci monasterium, cui nomen B.M. Virginis in Bethlehem inditum, quatuor capita ex societate militum* S. Gereonis, *ac denique Batavicum SS. Willibrordi et Bonifacii collegium quinque Sociorum* S. Gereonis *capita in sacro suo, ut vocatur, thesauro reverenter asservant.*

non tantum, quæ, ut fertur,

43 *Ita videlicet de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine pagg.* 261, 262, 388, 521, 543, 587, 616 *et* 617 *docet Gelenius, Constantii præterea, quem legionis Thebææ martyrem facit, et sic, ut nonnulli putant,* S.Gereonis *Sociis annumerat, Coloniæ Agrippinæ apud Augustinianos, alteriusque item ex ejusdem Sancti nostri contubernio martyris, quem* Theophilum *nuncupat, in collegiata ibidem S. Georgii ecclesia reliquias asservari, in eodem Opere pag.* 321 *et* 491 *affirmans. Verum de priori e duobus hisce Martyribus, quem etiam in sacris ecclesiæ Colon. Fastis* XXII *Martii die, Prætermissis idcirco in Opere nostro tunc insertum,*
C *commemorat, censendum quid sit, ex iis, quæ ibidem tom.* VI *Septembris pag.* 918, *num.* 99 *et seq. dicta sunt hicque pro insertis haberi velim, haud inepte statueris; quod autem ad posteriorem, quem hodie in iisdem Fastis laudatus Gelenius recenset* centurionem *que etiam ac* præcipuum e societate Gereonæa militem *appellat, nihil omnino, in quo vel hujusmodi, quibus hunc Sanctum condecorat, titulos, vel ipsummet, quo eum vocat,* Theophili *nomen fundare queam, uspiam reperio, hincque, uti illos fictitios, sic hoc Martyri anonymo, cujus fuerant collegiatæ S. Georgii ecclesiæ reliquiæ datæ nomenque latebat, pro arbitrio fuisse impositum, opinor, etsi interim, quin hæ pro veris ac genuinis Martyris reliquiis sint habendæ, dubitandum haud rear.*

horum partim patrocinio obsidione aliquando

44 *Porro, cum pariter, quin* S. Gereon *ejusque Socii in omnibus, in quibus sacræ eorum exuviæ Coloniæ Agrippinæ reperiuntur, ecclesiis præcipue colantur, dubitandum haud sit, vel e sola harum jam memorata multitudine insignem plane, quo ibidem gaudent, cultum esse, fit perspicuum. Neque, vero, quod et hunc au-*
gere potuerit, Coloniensibus, qui præterea eos- D
dem Sanctos nostros singularium Patronorum loco habent, suum hi semper, si scriptoribus nonnullis fides adhibenda sit, auxilium, cum necessitas premeret, deesse sunt passi. Res e jam dicendis patescet. Coloniam Agrippinam, cum anno 1268 *aut, ut alii volunt,* 1269 *arcta obsidione esset circumdata, periculo inde imminenti per apparitionem, qua* S.Gereon *ejusque Socii una cum SS. Mauris ac aliis civitatis illius sanctis Tutelaribus terruere hostes, fugamque, soluta obsidione, arripere compulere, prodigiose fuisse ereptam, Crombachius Ursulanæ Hist. tom.* 2, *lib.* 10, *cap.* 6 *e Bredenbachio et Scultingio, in margine a sese citatis, memoriæ prodit. Ac Coloniam quidem alterutro e dictis annis obsessam aut saltem subitanea hostium irruptione, tempore nocturno facta, præsentissimo periculo fuisse expositam, duorum Chronicorum, quorum alterum* Magnum Belgicum, *alterum, a Meibomio tom.* 1 *Rerum Germanicarum editum,* Marcanum *vocatur, auctores, Trithemius in Annal. Hirsaugiens. tom.* 2, *pag.* 15 *et seqq., Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 694 *aliique non pauci narrant; verum non* E
omnes cœlestis, qua periculum illud fuerit discussum, apparitionis meminere; cum autem id ita sit, habueritne, an non, ea locum, foret hic examinandum.

fuerit liberata, civitatis Coloniensis,

45 *Ast cum eadem et, quæ secuta est, urbis Coloniensis liberatione narrata, sequentia isthæc verba,* Exstat in mœnibus civitas *(Coloniensis nempe)* in lapide excisa rei gestæ series; soletque senatus Coloniensis in hujus cœlestis beneficii memoriam, et gratiarum actionem ipso SS. Maurorum festo XV Octob. decem prægrandes cereos basilicæ S. Gereonis dono transmittere, qui in crypta SS. Maurorum tunc XXIV horis lucere conspiciuntur, quod ea nocte, quæ festum Maurorum præcurrit, id credatur visum apparuisse, *Crombachius loco cit. mox subjungat, expedire mihi videtur, ut de dicta apparitione, in qua SS. Mauri non minus, quam* S.Gereon *ejusque Socii partem habuerint, non hodie, sed* XV, *qua, ut is scriptor ait, illius quotannis memoria Coloniæ Agrippinæ recolitur, Octobris die, memoratis Mauris sacra, agatur. Quare eo, quod dixi, exa-*
minandum remitto, suspectumque interim a F
prodigiosum illum eventum haberi, in antecessum declarans, varia modo, quibus in Belgio hodierno S. Gereonis *ejusque Sociorum reliquiæ servantur, loca sacra recenseo.*

sed et Belgii hodierni ecclesiis reliquiæ reperiuntur,

46 *Hæc inter primo loco Regularium S. Augustini canonicorum Cameraci S. Autberti cœnobium, quod, quemadmodum Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 81 *testatur, unius e* S.Gereonis *Sociis caput, Gremblacensisque in Brabantia abbatia, quæ præter unius e* S.Gereonis *Sociis capitis partem integrum fere etiam, ut ibidem idem Rayssius pag.* 224 *pariter testatur, alterius ex ejusdem* S. Gereonis *Sociis corpus possidet, hic mihi occurrunt. Hisce porro duobus locis sacris præter collegiatam S. Amati apud Duacenses ecclesiam, Parcensemque prope Lovanium abbatiam, quibus ambabus generatim dum taxat Sociorum* S.Gereonis *reliquias, speciali harum notitia haud adjecta, laudatus Rayssius in Hierogazophylacio pagg.* 41 *et* 403 *adscribit Floreffiense in comitatu Namurcensi cœnobium et Ultrajectina S. Joannis ecclesia accedunt. Ac illud quidem duo* S. Gereonis *brachia, ut jam supra ex eodem Rayssio vidimus,*

A *vidimus, in Cimeliarchio suo asservat; quod autem ad proxime dictam ecclesiam spectat, hæc quidem, utpote ad eum, qui Operis nostri tom. 7 Septembris pag.* 258, *num.* 56 *exponitur, statum modo redacta,* S. Gereonis *aut Sociorum ejus reliquias certe haud possidet; verum idcirco hic a me memoratur, quod saltem harum parte decorata olim fuerit, ac tum etiam, uti ex ibidem in Opere nostro dictis et hodierno Usuardi apud Sollerium Matric-Cartus Ultraject. Auctario intelligitur,* S. Gereonem *cultu seu festo annuo honorarit. Ad alia modo, extra Belgium hodiernum sita vel ad hoc saltem haud spectantia, quæ* S. Gereonis *ejusve Sociorum sacris exuviis pariter gloriantur, loca sacra accedo.*

duo per has Socii Leodii sub Vitalis et Cratonis, quibus et tertius

47 *Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Floribus hodie sic scribit :* Triumphalis est hic dies pluribus in nostra diœcesi locis in eorum Martyrum honorem, qui e legione Thebæorum cum S. Gereone duce suo religiosissime dimicantes, invicta fortitudine cadendo æternam triumphi gloriam consecuti sunt. Asservatur et in veneratione Leodii est ad S. Laurentii Craton, ipsius Gereonis frater et signifer, cum Vitale Commilitone. Alius eorum socius ad S. Jacobi colitur, Gem-

B blacique alius, ambo anonymi. Multis præterea locis nobiles sacrarum reliquiarum portiones in honore sunt. *De S. Vitale, qui in Fastis sacris antiquis passim nominari solet post S. Innocentium, in Opere nostro ad* XXII *Septembris diem pag.* 907 *paucis est actum; verum a Vitale isthoc Vitalis, a Fiseno verbis jam datis memoratus, certissime, utpote qui non S. Innocentii aliorumque cum hoc pro fide occisorum, sed* S. Gereonis *socius exstiterit, est diversus. Fiseno porro, qui, quem memorat, Vitalem, itemque Cratonem,* S. Gereonis, *ut ait, signiferum, in celeberrimo S. Laurentii apud Leodium Ordinis S. Benedicti cœnobio asservari, verbis jam datis prodit, Rayssius in Hierogazophylacio Belgico assentitur, utpote ibidem in sacrarum, quæ in cœnobio illo asservantur, exuviarum Catalogo* corpus integrum sancti Cratonis martyris, fratris et signiferi sancti Gereonis, *itemque* corpus integrum sancti Vitalis, collegæ sanctorum Gereonis et Sociorum *pag.* 272 *recensens.*

C 48 *Verum, cum nec inscriptiones sepulcrales, nec ulla alia, quæ e* S. Gereonis *Sociis duos, quorum alter* Vitalis, *alter* Craton *fuerit vocatus, exstitisse testentur, antiqua monumenta inveniantur, duobus anonymis* S. Gereonis *Sociis, cum horum corpora Coloniæ primum inventa aut post inde Leodium fuissent allata, nomina illa pro arbitrio, ut jam supra de* Theophili *nomine dixi, fuisse imposita, vehementissime suspicor, uti etiam* fratris *et* vexilliferi *titulos, quibus Craton afficitur, esse fictitios; neque enim etiam vel quales dixi inscriptiones, vel ulla alia documenta antiqua, in quibus hi fundentur, invenio; veterumque pariter testimoniorum defectu fit, ut* S. Gereonis *Socium, quem per suas reliquias Pontedominarum in Bria sub nomine* S. Bertuliani *honorari, Castellanus hodie in Additionibus et Correctionibus, quas Mrl. suo Universali adjecit, pag.* 985 *affirmat, fuisse re ipsa, cum viveret, hoc nomine appellatum, inducere haud queam in animum. Verum, etsi ita comparatus sim, haud tamen etiam, an Sociorum* S. Gereonis *reliquiæ, quarum e jam dictis hic martyrologus ac Fisenus meminere, veræ ac genuinæ sint, revocare velim in dubium, plu-*

a Castellano additur, nominibus, pro arbitrio impositis, honorantur,

raque adeo hac de re non addens, institutum prosequor.

AUCTORE C. B.

49 S. Gereonis *manus in reliquiarum Metropolitanæ Pragensis ecclesiæ conscriptione, anno* 1368 *facta, recensetur, ut videre licet apud Pessinam, qui hanc in ecclesiæ illius Phosphoro pag.* 466 *et aliquot seqq. suppeditat, ac deinde in SS. reliquiarum, quæ in eadem Pragensi ecclesia pie asservantur, Indice* S. Gereonis *brachium, anno* 1358 *Pragam allatum, magnumque item os de crure et costam etiam numerat; verum cum corporis, anno* 1121 *Coloniæ inventi ac pro* S. Gereonis *corpore a nonnullis habiti, cujus illæ Sancti hujus reliquiæ, apud Pessinam memoratæ partes exstiterint carnem simul et ossa,* exceptis paucis de majoribus, *in cinerem prorsus, cum id inveniretur, resoluta fuisse, Rudolphus in Epistola edenda num.* 6 *scribat, certumne sit, an non, quod de* S. Gereonis *costa ac manu, quæ in Pragensi ecclesia asserventur aut saltem olim asservatæ fuerint, lectori dijudicandum relinquo; quod autem ad* S. Gereonis *brachium, quod ibidem quoque ab anno* 1358 *asservetur, spectat, cum duo* S. Gereonis *brachia, quæ, ut supra vidimus, Floreffiam S. Norbertus attulit, ibidem adhuc seculo proxime elapso, uti* E *ex Rayssii tunc edito, in quo veluti tum adhuc eo loci exstantia pag.* 218 *memorantur, Hierogazophylacio Belgico liquet, exstiterint, enimvero, quo Rayssii et Pessinæ Macedique item, qui et in Ulyssiponensi S. Rochi templo* S. Gereonis *brachium, militari more armatum, asservari, in Divis orbis Christiani Tutelaribus pag.* 396 *affirmat, dicta in speciem hic pugnantia, utcumque componantur, dicere oportet, aut ambo Floreffiensia* S. Gereonis *brachia, aut saltem horum unum, juxta ac bina alia, quorum alterum Pragæ in Bohemia, alterum Ulyssipone asservetur, integra haud esse, fuisseque adeo, quod brachii dumtaxat pars erat, communissimo errore* brachium *a tribus laudatis scriptoribus appellatum.*

alterumque e brachiis, utut non integrum, in Bohemia,

50 *Idem porro de* S. Gereonis *capite etiam est dicendum. Id enim, quod Coloniæ Agrippinæ in* S. Gereonis *ecclesiæ thesauro asservari a Gelenio de Colon. Agrippinensis Magnit. pag.* 262 *asseritur ac Assisii deponendum fratri Franciscо Bartholi Ordinis Minorum datum fuisse in Henrici, Coloniensis archiepiscopi, quas jam supra num.* 24 *laudavi, litteris memoratur, in conventu S. Hieronymi Vallis-belle-factæ, territorii Penichii in Lusitania, asservari. Cardoso in Hagiologio Lusitano ad* 1 *Maii diem affirmat. Verum, cum res ita habeat, quæri hic jam potest, quænam ac qualis sit capitis* S. Gereonis *pars, quæ in illo Lusitaniæ conventu asservatur. S. Norberti biographus, jam supra plus semel laudatus, verbis, quæ jam ante ex ejus de rebus, a S. Norberto gestis, lucubratione num.* 25 *et seq. huc transcripsi, sequentia isthæc de eodem Sancto præmittit :* At ille, fratribus suis .... indicto jejunio, hoc pretiosum donum *(reliquiarum)* Deo commendabat, quatenus venerabile patrocinium daret invenire. Nocte vero eadem virgo ex numero undecim millium Virginum, et nomen ipsius virginis, et locus, ubi jaceret, per visionem cuidam designatus est : et crastinum, ex ordine visionis, corpus ibidem quæsitum, integrum repertum est. Quo cum hymnis et laudibus Dei et gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum virginum, aliorumque quorumdam Martyrum, videlicet

caputque item, aut hujus saltem quæpiam,

F

AUCTORE C. B.

videlicet Gereonis, Maurorum, duorum Ewaldorum, duo vascula, in modum feretri, ad efferendum ei impleta sunt.

quæ qualis extitisse queat,

51 *Cum itaque* S. Gereonis *reliquiis donatus fuisse S. Norbertus his verbis memoretur, idque, uti hæc cum sequentibus conferenti patescet, ante corporis, quod* S. Gereonis *æstimatum a nonnullis fuit, inventionem contigerit, enimvero, cum ante hanc Coloniæ Agrippinæ nullæ* S. Gereonis *reliquiæ, præter verticem seu capitis summitatem, ibidem, si idem S. Norberti biographus per verba, num.* 26 *recitata, recte scribat, prius etiam, quam corpus illud reperiretur, asservatam, notæ exstiterint, consectarium fit, ut vertex ille seu capitis summitas aut hujus saltem pars exstiterint* S. Gereonis *reliquiæ, quibus donatus fuisse S. Norbertus per verba, proxime recitata, a biographo suo traditur. Jam vero, cum id ita sit, ac S. Norbertus, qui, quas Coloniæ acceperat,* S. Gereonis *reliquias partim Præmonstrati, partim Floreffiæ, ut supra vidimus, deposuit, duo dumtaxat, uti e supra dictis apparet,* S. Gereonis *brachia, quæ harum pars erant, in* B *posteriori hoc monasterio locarit, consectarium etiam fit, ut præfatum, qui altera reliquiarum illarum pars erat, verticem seu capitis summitatem aut hujus saltem partem Præmonstrati posuerit. At vero, inquies modo, quorsum hæc? Anne ergo ea capitis* S. Gereonis *summitas exstitit Sancti hujus caput, quod in Lusitaniam fuerit transmissum? Etsi hoc, quod eo fuisse translatum, Cardoso, ut jam dixi, memoriæ prodit, fuerit ante, non secus ac illa, Præmonstrati, ut idem scriptor in Comment. infra adhuc laudando ait, depositum, corporis tamen, quod, ut dictum, capitis vertice mutilum, anno* 1121 *Coloniæ ante tria alia fuit inventum, exstitisse caput illud partem, etiam affirmat; ut proinde, si vera memoret, fieri non possit, ut dicta capitis summitas hujusve pars, utpote quæ e dictis fuerit præterea S. Norberto prius, quam corpus illud inveniretur, donata, exstiterit* S. Gereonis *caput, quod in Lusitaniam translatum, Cardoso scribit.*

exponitur, pars una cum aliis Sociorum S. Gereonis reliquiis in Lusitania,

52 *Porro, cum res sic habeat, ac e dicto corpore, quod anno* 1121 *Coloniæ fuit inventum, solum mentum, ut supra vidimus, fuerit residuum, consectarium fit, ut, si Cardoso standum sit, hoc ipsum mentum vel totum vel partim, quod proinde et S. Norberto Coloniæ fuerit concessum, exstiterit* S. Gereonis *caput, quod, cum abs illo Præmonstrati fuisset depositum, inde post, altera capitis parte, quam prius etiam, quam dictum corpus inveniretur, idem Sanctus, ut vidimus, impetrarat, ibidem verosimiliter adhuc servata, primo, ut ait Cardoso, in Germaniam, ac dein, cum ibidem in quodam diœcesis Salisburgensis sacella, ad quod fuerat delatum, multis annis servatum jam fuisset, in Portugalliam tandem a Ferdinando, Hungariæ rege, facta sibi ad id a Clemente VII, summo Pontifice, potestate, anno* 1532 *fuerit dono ad Catharinam reginam transmissum. Ceterum laudatus Cardoso, qui hæc scribit, fuisse quoque a Catharina regina* S. Gereonis *caput una cum multis Sociorum ejusdem Sancti reliquiis, a laudato Ferdinando rege pariter acceptis, in supra memorato S. Hieronymi Vallis-belle-factæ conventu* 1 *Maii die, quæ propterea ibidem* S. Gereonis *ejusque Sociorum memoria quotannis recolitur, depositum, affirmat, mox etiam adjungens Mariam, Emmanuelis regis filiam, scrinio minus pretioso, in quo primo* S. Gereonis *caput seu potius jam dicta hujus pars asservabatur, thecam ex argento artificiosissime factam substituisse, ac per Martyris invicti, ad cujus venerandas reliquias, in sacello, ei sacro, depositas, ingens concursus fit, intercessionem a Deo quamplurima miracula in herniosorum potissimum favorem patrari. Atque hæc quidem, quæ jam dixi, fere omnia laudatus scriptor in Hagiologii sui supra cit. ad* 1 *Maii diem laterculo tradit, in Comment. vero, huic subnexo, unius etiam e* S. Gereonis *Sociis caput in Eborensi sanctissimæ Virginis Mariæ de Gratia monasterio servari, affirmat, cumque alia præterea de horum ac* S. Gereonis *in Lusitania reliquiis dicenda haud occurrant, modo in Hispaniam transeamus.* D

ac denique tibia in Hispania,

53 *Ibi in regio Escorialensi S. Laurentii monasterio asservari ac in honore esse unam e* S. Gereonis *tibiis, uniusque itidem e* S. Gereonis *Sociis caput, docet me in supellectile nostra litteraria exstans e Ms. monasterii illius lipsanologio excerptum; qua autem ratione sacræ istæ ac aliorum nonnullorum Sanctorum exuviæ eo devenerint, intelligitur* E *ex adjunctis Othonis Truchsesii, S. R. E. Cardinalis de Augusta, qui eas misit, authenticis id testantibus litteris. Hasce adeo, cum sic rem, lectori futuram non integram, præstiturum me putem, integras huc transcribo. Sequentibus hisce concipiuntur verbis:* Otho Truchses de Waldburg, Miseratione divina episcopus Albanensis, S. R. E. Cardinalis de Augusta nuncupatus, universis et singulis, præsentes litteras conspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris, salutem in Domino, et infrascriptorum cognoscere veritatem atque eisdem fidem indubiam adhibere. Quoniam justum est et rationi congruum, veritati testimonium perhibere, notum facimus et præsentibus attestamur, qualiter reverenda et illustris mater domina Justina, ex familia comitum de Lupfen, abbatissa insignis monasterii undecim millium Virginum civitatis Coloniensis, alias ad summam et instantem nostram requisitionem cum consensu religiosarum et illustrium dominarum capituli ejusdem monasterii misit ad nos Dilingam unum caput sanctum ex societate beatissimarum undecim millium Virginum, in dicta F Coloniensi civitate martyrio coronatarum, atque reverendum caput S. Undelinæ, reginæ Siciliæ, quæ se eidem almæ undecim M. Virginum societati junxerat: quæ quidam capita sancta accepit ex aurea camera, ut vocant, seu sacrario dicti monasterii, ac illius ecclesiæ, quam B. Helena regina, Constantini Magni imperatoris mater, mirifico opere extruxit, ubi thesaurum sacratissimorum corporum et innumerabilium reliquiarum ejusdem sanctissimæ societatis magna cum veneratione asservantur.

eo und cum unius e S. Gereonis Sociis capite, aliisque

54 Misit quoque unam sanctam tibiam S. Gereonis, et unum sanctum os ex societate septem fratrum Machabæorum. Præterea etiam reverenda et illustris mater domina comitissa de Reychenstain, abbatissa venerabilis monasterii S. Cæciliæ ejusdem civitatis Coloniensis, misit unum sanctum caput ex societate S. Mauricii martyris, et unum sanctum caput ex societate S. Gereonis; quæ capita in dicto monasterio debite et congruenter servabantur. Suprascriptas autem reliquias, ex locis prædictis desumptas ac veras fuisse et esse, nobis suis dictis et scriptis indubiam

A biam fecerunt fidem atque affirmarunt venerabiles, magnifici et nobiles viri Gottifredus Gropperus junior, cathedralis ecclesiæ Colon. canonicus, et collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ ad Gradus decanus : Gottifredus Gropperus senior, pater supradicti alterius Gottifredi J. U. doctor, et illustrissimi ducis Clivensis consiliarius ; Jacobus Apocellus, J. U. doctor et serenissimi archiducis Ferdinandi consiliarius Œnipontanus, nec non Theodoricus Koch, supradicti monasterii S. Cæciliæ capellanus et confessarius. Deinde vero post mortem ultimi abbatis monasterii S. Benedicti in Lorch Augustanæ nostræ diœcesis, cum dux Wirtembergensis monasterium illud, ingravescente hæretica labe, occuparet et profanaret, religiosi et devoti viri Erhardus Hanserus, Michael Reichenbachius, Christianus Wolfartus, monachi sacerdotes et professi ejusdem abbatiæ, ad nos ex illo monasterio varias Sanctorum reliquias portaverunt, quas verbo et scripto asseverarunt a gloriosissimo felicis recordationis Romanorum rege, Frederico Secundo, donatas eidem monasterio, quod ipse a fundamentis

B extruxerat, et amplissimis redditibus dotaverat.

aliorum Sanctorum, ut litteræ hic adductæ fidem faciunt, reliquiis

55 Inter quas nobis attulerunt duo ossa colligata cum inscriptione SS. Philippi et Jacobi, et pariter unum os S. Bartholomæi App. ; quas omnes nominatim et expresse suprascriptas sacras reliquias, ad nos, ut supra, transmissas et allatas, cum intelligeremus, Catholicum invictissimumque regem Philippum, dominum nostrum longe colendissimum, novum insigne regium templum in Hispania in loco, vulgo del Escurial vel aliter nuncupato, erigere ac ædificare, ejusque S. C. R. M. gratum jucundumque fore, ejusmodi sacras Sanctorum reliquias habere, quibus juxta suam mirificam pietatem ac religionem dictum ejus templum cohonestare ac insignire posset, pro summa nostra erga prædictam suam Majestatem observantia et devotione, ac gratificandi studio, venerabili et nobis dilecto Patri Aloysio de Mendosa ex Societate Jesu, de facultate et licentia per sanctissimum dominum nostrum Pium PP. V, vivæ vocis oraculo tam nobis quam ipsi Patri Aloysio super hoc impertita, tradidimus et consignavimus, ut eas ad Hispaniarum partes deferret, et eas por-

C taret, ac nostro nomine suæ S. C. R. Majestati pro novo prædicto ipsius templo condecorando, ad Christi fidelium earum partium majoris devotionis excitationem et augmentum offerret, ac reverenter et pie præsentaret. Rogamus itaque et hortamur in Domino omnes Christi fideles earum partium, ad quas prælibatæ sanctissimæ reliquiæ perferentur, ut eas in loco congruo et decenti prædicti vel alterius insignis templi repositas, debito venerationis officio prosequantur, ut tantæ fidei proficientes exemplo, sanctissimarum Virginum martyrum, et Sanctorum prædictorum merita consequantur.

transmissa, reverenter asservatur, eique ideirco ibidem cultus,

56 In quorum omnium et singulorum fidem ac evidens testimonium præmissorum, præsentes litteras fieri, et per secretarium nostrum infrascriptum subscribi, sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romæ in ædibus nostris sub anno a Nativitate Domini MDLXX, die vero primo mensis Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pii, divina Providentia Papæ V, anno IV. Otho Cardinalis Augustanus propria manu. Gaspar Lamechen, secretarius de mandato illustrissimi. *Gebhardi Truchsesii, qui, cum anno* 1577 *electus fuisset Coloniensium archiepiscopus, ob plura deinde, quibus sese contaminarat, crimina exauctoratus, circa annum* 1589, *ut Gal. Christ. auct. Scriptores tom.* 3, *col.* 712 *docent, miserandum in modum periit, avunculus exstitit, qui litteris hisce subscribitur, S. R. E. Cardinalis Augustanus Otho Truchsesius; etsi autem tales istæ sint, ut, quas in iisdem vir hic laude undequaque nihilominus dignissimus memorat,* S. Gereonis *uniusque ex ejus Sociis reliquias fuisse reipsa ad Escoraliense S. Laurentii in Hispania monasterium delatas, nuspiam indicent, id tamen, ut jam supra monui, vere factum, imo et hasce ibidem anno* 1722 *honorificentissime adhuc fuisse asservatas, e Ms., quod num.* 53 *citavi, monasterii ejusdem lipsanologio intelligitur. Nec nisi ægerrime, quin ob easdem* S. Gereon *ejusque Socii cultu ecclesiastico ibidem afficiantur, dubitare sinit consuetudo, qua vix non semper fit, ut Sancti iis locis, quibus sacra eorum lipsana servantur, peculiari quodam modo honorentur.*

AUCTORE C. B.

E

quod et de aliis locis potest conjici, verosimiliter defertur.

57 *Sic Laureti in Italia, prout litteræ, inde ad Papebrochium nostrum anno* 1671 *a Christophoro Grino, Societatis Jesu sacerdote, datæ, fidem faciunt, sec. proxime elapso* S. Gereon, *quod ibidem seu ipsiusmet hujus Sancti nostri, uti in iisdem litteris indicatur, seu potius, uti in nota, hisce præfixa, Papebrochius animadvertit, unius ex illius Sociis caput asservetur, sub ritu duplici colebatur ac forsan hodieque colitur. Hinc porro, cum et Calpurniani in eadem Italia, ut Carolus, Novariensis episcopus, in suo de Novariensi ecclesia Opusculo pag.* 92 *docet, unius pariter e* S. Gereonis *Sociis caput asservetur, cœlitum quoque honores Sancto huic anonymo ac forsan etiam* S. Gereoni *ejusque Sociis ibidem juxta ac in omnibus aliis, in quibus vel unius ex his reperiuntur reliquiæ, locis sacris deferri, haud sane prorsus inepte conjeceris ; etsi autem, sacras* S. Gereonis *exuvias in supra sæpissime jam laudato Sanctensi oppido pariter reperiri, compertum haud habeam, eum tamen etiam ibidem non secus ac Treviris, ubi quamvis etiam sacræ ejus exuviæ fortassis haud repe-* F *riantur, altare tamen, uti e Trevirensi ad* 1 *Octobris diem Martyrologio disco, nomini suo dedicatum habet, peculiari cultu gaudere, vero apparet simillimum. Ita scilicet mihi suadet, quod in oppido illo is Sanctus noster nomini suo sacrum aut hodieque habet, aut saltem, uti ex Adolphi ducis in sua jam supra sæpissime citata lucubratione pag.* 132 *et seq. narratis intelligitur, sec. quinto decimo labente, adhuc habuit, sacellum, jam supra ejusdem Adolphi ducis verbis, num.* 87 *in Comment. prævio huc transcriptis, memoratum, ac veli circo, quod ad ejusdem* S. Gereonis *Gloriam posthumam etiam faciat, iterum hic memorandum; etsi interim illud, quod, cum sæpius destructum eodemque semper loco fuisset reædificatum, altero tandem, ut Adolphus loco proxime cit. docet, sub sec.* XIV *finem fuit exstructum iterumque in* S. Gereonis *honorem anno* MCCCCI *consecratum, primitus fuisse, ut verbis in Comm. præv. num.* 87 *recitatis Adolphus etiam docet, a S. Helena, Constantini Magni matre, conditum, neminem facile, perpensis iis, quæ ibidem num.* 89 *et seq. disserui, creditum, existimem.*

RUDOLPHI,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

RUDOLPHI, TRUDONOPOLITANI abbatis, epistola a, *qua corporum quatuor Coloniæ Agrippinæ imventio, uniusque etiam ex his, quod S. Gereonis a nonnullis fuit creditum, elevatio exponitur* b.

*E Musei nostri Chronico Trudonensi Ms., cum Surii * et Martenei * editionibus collato.*

* *ad* XXIV *Novembris.*
* *tom.* VI *Coll. Vet. Script. col.* 1015.

Rudolphus, anno 1121 *e Trudonensi, cui præerat, monasterio*

Rudolphus Dei gratia id, quod est, omnibus sanctorum Martyrum memoriam pie amplectentibus, sanctorum Martyrum consortium. Anno ab Incarnatione Domini MCXXI, turbatis jam ante per aliquot annos ecclesia et regno sub imperatore Henrico, cujus pater Henricus Leodii obiit *c*, multi episcoporum et abbatum, et de omni ordine et gradu clerici et monachi, expulsi a sedibus suis, hac illacque ferebantur, propter communionem imperatoris, quam vitabant, quia excommunicaverat eum dominus Papa Calixtus II, secutus in eum sententias prædecessorum suorum Gelasii atque Paschalis *d*.

expulsus, S. Pantaleonis prope Coloniam abbas creatur, dumque, eo præsente,

2 Hac tempestate eademque de causa, eoque maxime, quia Frederici, Leodiensium episcopi, electioni *e* et consecrationi faveram, expulsus sum et ego de cœnobio beati Trudonis Idibus *f* Aprilis, quarta feria Dominicæ Resurrectionis, cum in eo indignus præsedissem *g* duodecim jam annos et duos menses, et, ut puto, dies quatuordecim *h*; susceptusque sum eodem anno misericorditer a domino archiepiscopo Coloniensi Frederico *i*, ejusdemque ecclesiæ studio et fratrum electione positus sum abbas in cœnobio beati Pantaleonis *k* extra muros civitatis octavo Idus Septembris, cum jam vacasset a quarto Calendas Januarii *l*.

brevi post quoddam e Thebæorum MM., quorum unum sibi postulavat S. Norbertus,

3 Nec multo post subsequentibus diebus, petente quodam Dei servo et prædicatore magno Norberto *m* unum de corporibus Martyrum Thebæorum, qui jacent in monasterio sancti Gereonis, apertum est unius eorum sepulcrum in eodem monasterio juxta medium pilarium ad meridianam plagam, præsentibus tota nocte ad vigilias et ad fodiendum religiosis clericis, et monachis atque abbatibus, cum omni obsequio et reverentia atque devotione; inter quos et ego peccator mandatus affui.

sepulcris in S. Gereonis aperitur, in eo corpus, militari chlamyde indutum, reperitur.

4 Elevato ergo superiori lapide de sarcophago, post octingentos et aliquot plures annos martyrii Thebæorum, inventum est in eo corpus magnum, per scapulas amplum, per pectus et brachia torosum, indutum chlamyde militari coloris purpurei, quæ ampla utrinque vestis appendebat usque subter genua ejus quasi tribus digitis, genus pallæ non ignobilis. Super eam aliam habebat vestem breviorem, ignotam quidem nobis nomine, sed cognitam filo serico, et colore nobilioris purpuræ, subtus ad carnem nihilominus vestis serica, albi maxime coloris, sed tamen subrubea. D

Id, quod, cum vestium superficies indissoluta mansisset, fere adhuc integrum,

5 Corpus totum intactum adhuc videbatur a mento, quod tantum de capite supererat *n*, usque ad pedes, indissoluta adhuc superficie vestium, caligarum atque calceorum. Nam, ut conjicere verius potuimus, sic casu pertransierat inter caput et mentum persecutoris gladius. Pars tantum illa, ubi ventris mollities fuerat, aliquantulum, modeste tamen, subsederat, quam vestis subsecuta, indissoluta permanserat *o*. Tali suppressione pectus et ossa femorum videbantur magis turgere. Supra pectus illius signum Dominicæ Crucis inventum est de aurifrigio factum, sicut considerari potuit, submicantibus adhuc in eo auri metalli scintillulis. Aurifrigii longitudo pene unius pedis extiterat, latitudo vix unius digiti *p*.

carne licet et minoribus ossibus in cinerem jam versis, apparebat,

6 A genu ejus usque ad pedes tibiæ ex directo et integro decenter compositæ, habentes adhuc caligas integras de palla, rotundis floribus ad modum oculorum caudæ pavonis circumquaque distinctas. In ipsis subtularibus * juncti sicut prima die et a talo sursum erecti pedes adhuc continebantur, et quantum ad superficiem vestis, nihil de toto corpore videri poterat, ut quod adhuc corruptum sive commotum unquam fuisset. Sub vestibus tamen, sicut postea exitus probavit, ipsa caro jam prorsus in cinerem resoluta fuerat cum ossibus, exceptis paucis de majoribus *q*, sed favillæ superextantis incommota integritas, carnis quoque integritatem oculis admirantium figurabat.

* *Sur.* subtalaribus.

cespites sanguineos sese inter et sarcophagum habebat adjunctos,

7 O quam gloriosum erat, videre magnanimi Militis Christi venustam formam, magnificeque vestitam, et quasi viventis adhuc viribus plenam, cujus caput, si sub simili corporis incorruptione adesset, dormire eum potius, quam mortuum, crederes. Ad caput ejus cespes erat gramineus, locatus a capite usque ad cingulum ab utraque parte laterum, inter corpus ejus et sarcophagum. Qui cespes, immo qui cespites (nam plures fuerant) sanguinei toti adhuc erant, sicut perfusi in terra fuerant fluente sanguine Martyris, quando percussus in terram cecidit.

idemque in trium aliorum MM. sarcophagis, tunc etiam apertis, fuit conspectum.

8 Sed et in aliorum trium Martyrum sarcophagis, hac occasione apertis, eadem Dei magnalia vidimus. Pili herbarum in ipsis cespitibus adhuc rigebant, sicci tamen, sed concreto sanguine integri et rubei tenebantur. Testes mihi sunt ipsi Martyres, quia propria, sed indigna manu tenui, oculis propriis aspexi et aliis videre porrexi, ipsi quoque domino episcopo assidenti, multumque præ gaudio et devotione lachrymanti. O quantum studium, quantus Christi amor, quanta devotio fidelium tunc temporis Christianorum, qui in tanta perfectione nec ipsos sanguineos cespites tollere neglexerunt!

Re vulgata, quidem corpus inventum, quod S. Gereonis credebant, S. Norberto haud dandum

9 Quid moror? Ista nocturnis horis acta sunt *r*, sub magno quidem religiosorum virorum et fletu et cantu. Mane facto, cum res tam gloriosa et desiderabilis audita fuisset a civibus, et ostensa pluribus illorum (nam apertum sarcophagum palla tantum tegebat) tota civitas statim infremuit, clamantes, se malle mori, quam tanto patrono privari. Erant etiam inter eos, qui corpus inventum ipsum esse sanctum Gereonem, dicebant, propter habitus venustatem et corporis formositatem *s*. Unde major et major fiebat tumultus in populo, contradicebaturque ab omnibus domino Norberto.

10 Vix

clamitantes vix tandem, sepulcro in archiepiscopi adventum clauso, pacantur,

A 10 Vix tandem sedatus est tumultus, præposito sanctæ Mariæ de Gradibus Theodorico pulpitum ascendente et populum mitigante, et, quod rei hujus consilium esset, differendum, promittente, usque ad præsentiam domini archiepiscopi. Tunc nihilominus ad satisfaciendum populo decretum est a majoribus, ut sepulcrum lapide superposito clauderetur, consideratapriusdiligenter integritate corporis a fidelibus, ne quid furto de eo tolleretur. Acta sunt hæc tertio Idus Octobris, anno supradicto Dominicæ Incarnationis. Interea nocte et die usque octavum Calendas Decembris cum magna devotione et multo lumine sepulcrum custodiebatur, die circunsedentibus cum psalmodia electis ad hoc ejusdem ecclesiæ aliquibus clericis, nocte vigilantibus nihilominus cum psalmodia quibusdam aliis, interdumque juvantibus eos fratribus de sanctis Apostolis.

dumque post hunc illud denuo aperitur, a duobus abbatibus,

11. Igitur post aliquot ita interlapsos dies, octavo, ut diximus, Calendas Decembris vocatus adfuit dominus archiepiscopus, abbates, præpositi et omnes congregationes civitatis, po-

B pulus vero innumerabilis, magna reverentia magnisque laudibus secundo apertum est sepulcrum et integrum repræsentatum corpus sanctum; tamen ex magni lapidis confusione *t* caro, quæ sub vestibus in favillam versa erat, per plurima loca subsederat, sicut etiam in talibus solet contingere, infuso post tot tempora occultis corporibus novo aere. Ponuntur duo abbates, induti vestibus albis et stolis, unus ad caput, alius ad pedes, quorum unus ego peccator ad caput ejus sedi, quamvis, ut superius dixi, de capite nihil præter mentum haberetur, sicut percussoris illud absentaverat gladius.

t

duobusque item aliis presbyteris Martyris vestes, frustatim collectæ,

12 Applicuerunt se etiam alii duo presbyteri clerici sancto levando corpori, nihilominus et ipsi induti vestibus albis et stolis. Qui, sacras manus pie apponentes, primo vestes collegerunt, non integras, quia vetustas non patiebatur, sed per grandes et minores partes, sicut poterant diligentius; circa scapulas vero et supra totum pectus, et usque ad cingulum multus inveniebatur sanguis superglobatus, sicut abscisso capite ex collo et venarum meatibus sparsim potuit emanare. Collectæ igitur sunt diligenter omnes ejus vestes, sed istæ diligentius, crasso sanguine, sed sicco, graves, et per se in scriniolo uno, decenter ad hoc parato, positæ reverenter.

scriniolo una cum balteo ejus militari ne calceis includuntur,

C 13 Cum quibus et balteus ejus militaris de nigro corio inventus et repositus est pene unius ulnæ longitudinis, adhuc integras habens partes. A sinistro latere juxta latus ejus et balteum inventus est globus ferreus ad modum ovi, rubigine prope consumptus, quem capulum gladii ejus fuisse credimus, sed de gladio frustum nullum invenimus; diligentius tamen postea quidam attendentes, in ipsis partibus reliquiarum, quas inde exoraverant, particulas ferri mihi protestati sunt se invenisse. Subtulares *, magnis partibus integris, eodem scrinio reconditi sunt, caligæ porsus in cinerem dissolutæ.

* *Surius* subtalares.

scrinioque alteri cinere ex carne et minoribus ossibus etiam incluso, u

14 At ubi, susceptis vestibus, ad carnem et ossa colligenda ventum est, vix de ipsis ossibus, et hoc de magnis, aliquid solidum apparuit, quod prorsus in cinerem aut in parvas particulas vetustas redegit *u*. Mira res et valde gloriosa! Testor ipsos sanctos Martyres, testor et ipsam multitudinem religiosorum virorum, qui diutius hoc viderunt. Totus cinis carnis et ossium, quasi calx noviter fusa, cadebat * per totum sarcophagum. O quoties ibi cantatum cum multis lachrymis fuit, „ et in sanguine Agni la- „ verunt stolas suas! „ O quoties ibi repetitum: „ Laverunt stolas suas et candidas eas fecerunt in „ sanguine Agni! „ Tandem collectus est cinis, et cespes simul sanguineus et ipse in pulverem, sed terrei atque subrubri coloris, propter sanguinem resolutus, susceptusque in munda palla et pretiosa, in alio scrinio majore reconditus est.

* *Sur et Mart* candebat.

utramque magna solennitate elevatur,

15 Tunc, elevatis utrisque scriniis, multa oblata sunt ad fabricandum feretrum sancto Martyri. Dominus archiepiscopus obtulit scutellam argenteam, deinde singuli quique, prout devotionem habebant. Acta est etiam processio magna die illa circa claustrum et circa monasterium, pulsantibus signis et cantantibus clericis et monachis laicisque Teutonice in concrepationibus suis. Qua processione finita, et, sanctis reliquiis in loculis suis super altare in medio monasterii collocatis, Missa de ejusdem sanctæ legionis Martyribus incepta est, et, jubente domino archiepiscopo, a me peccatore cantata. Ante canonem vero, finito Euangelio, dominus archiepiscopus sermonem fecit ad populum de iis, E quæ tunc præ oculis habebantur et manibus, et quæ ad salutem animarum pertinebant, de sanctis Thebæis Martyribus. Finita Missa, dimissus est populus cum lætitia magna.

aliquodque deinde, quas impetrarat, Martyris inventi reliquiarum partibus,

16 Ex hujus sancti Martyris reliquiis, cura et devotio fratris nostri Egeberti postea partes aliquas nostro interventu impetravit a Præposito ejusdem monasterii Hermanno, cujus studio et devotione revelatum corpus translatum fuit; reliquiæ autem hæc sunt: de veste illa subtiliori, quam ad carnem suam habuit indutam; de balteo ejusdem militari, qui circa lumbos ejus inventus est, nigri corii; de ferro, ut videbatur, ejus gladii, confusō cum sanguine, et cineribus vestium et corporis illius, ubi quasi in media vagina ferrum adhuc patenter sublucere videtur; de sanguine ejus concreto cum pulvere carnis et ossium ejus et vestium. Nam purus cinis carnis ossiumque ejus cum adhuc per se jaceret, similimus erat calcis novæ aut farinæ candidæ.

Rudolphus, qui quales hæ essent, diligenter hic exponit,

17 Postquam vero collectæ sunt partes vestium, quæ integræ colligi potuerunt, et ossa, quæ penitus resoluta non fuerant, cætera omnia in uno pulvere collecta sunt, hoc est, pulvis sanguinei cespitis, pulvis ossium, pulvis carnis, pulvis vestium; quæ omnia, simul confusa, album quoque prius illum confuderunt. Hæc ideo tam diligenter exprimimus, quia pulverem carnis et ossium, colorem calcis noviter fusæ habere diximus, ut, cum alius color in isto pulvere inventus fuerit, nemo tamen dubitet, quin de vera carne et ossibus ejus sit; immo simul quoque de sanguineis cespitibus atque de ejus simul vestibus. Has scilicet reliquias cum mihi frater Echebertus allatas repræsentasset, recognovi eas, sicut ante in sepulchro videram, et ex earum præsentium occasione ordinem inventionis, sicut hic legitur, aggressus sum fideliter describere, secundum quod vidi et manibus propriis, licet indignus, tractavi.

18 Itaque prius eas vobis per eundem fratrem misi, transferendas in ecclesiam beatæ Mariæ in Dunc *x*, quatenus ex hoc nostro scripto et ex earum præsenti contemplatione nulli modo, vel in posterum dubium sit, quod ex corpore

Trudonopolim missis, ad Thebæorum festum celebrandum hortatur.

Martyris de sancta legione Thebæorum Martyrum sumptæ sint. Hortamur ergo et rogamus atque præcipimus, ut fratres nostri, qui morantur in Dunc, diem festum martyrii eorum in die S. Gereonis cum duodecim lectionibus ammodo agant, et diem adventus istarum ad eos reliquiarum. Hæc ego peccator Rudolphus, fratres mei et filii, qui estis in cœnobio sancti Trudonis in Hasbania, scripsi vobis de cœnobio sancti Pantaleonis juxta Coloniam *y*. Ceteras reliquias, quæ subnotatæ sunt, supradictus frater suo studio collegit. Earum ego aliam certitudinem non habeo, nisi quod a Dei ancilla, apud nos inclusa, et a fidelibus Christi eas accepit. De sanctis Virginibus, de sanctis Mauris, de pileo S. Thomæ Apostoli et ejus cingulo, de cera, ab igne Dominico liquefacta, de sancto Pancratio, de sepulcro Domini. Datum * XVIII. Calendas Octobris.

y

* *Marteneus* Data.

ANNOTATA.

a *Hanc, qua Rudolphus a semetipso visa exponit, e S. Pantaleonis prope Coloniam, cui, cum ad hanc urbem anno* 1121 *secedere fuisset compulsus, fuerat præfectus, monasterio ad Trudonenses, quibus antea præfuerat postque iterum præfuit, monachos conscripsit. Ita ipsemet sub finem luculentissime prodit.* B

b. *Pro indubitato* S. Gereonis *corpore unum e quatuor Martyrum corporibus, hic memoratis, a sese haberi, Surius in titulo, quem subjectæ Rudolphi Epistolæ præfixit, haud obscure indicat; ast, an recte, statues ex iis, quæ in Gloria posthuma* § 3 *disserui.*

c *Prior e duobus hic memoratis Henricis imperatoribus fuit hujus nominis quintus, qui posteriori, patri suo, cum hic anno* 1106 *Leodii excessisset e vivis, in imperium successit, eique ad annum usque, quo mortuus est,* 1125 *præfuit. Adi ad utrumque jam dictum annum Pagium in Criticis.*

d *E duobus postremo hic memoratis Romanis Pontificibus posterior seu Paschalis II ab anno* 1098 *ad annum usque* 1118, *prior vero seu Gelasius II ab ultimo hoc anno usque ad annum* 1120 *Romanam S. Petri cathedram occupavit, ac ei deinde, qui duobus illis Pontificibus hic præmittitur, suffectus Callistus* C *seu, ut ab aliis scribitur, Calixtus II ad annum usque* 1124 *sedit.*

e *De Frederici, Leodiensis episcopi, electione in Chronico Trudonopolitano lib.* XI *fuse agit, qui Epistolam hic subjectam scripsit, abbas Rudolphus, huncque proinde aut, si lubeat, Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 866 *et seq. consulat, qui, quæ ad dictam electionem spectant, scire expetit.*

f *Apud Surium pro* Idibus *perperam legitur* Idus, *uti vel ex eo liquet, quod dies, quæ designari per hanc vocem debet, per verba, quæ ei mox subduntur, cum quarta Feria post Resurrectionem Dominicam conjungatur, hæcque anno, ad quem hic narrata referuntur,* 1121 *in* X *Aprilis diem inciderit.*

g *Hanc vocem, quæ in Ms. nostro Trudonopolitano Chronico desideratur, ex Surio et Marteneo hic supplevi.*

h *Hinc collige, Rudolphum anno* 1109 *sub Januarii finem aut Februarii initium Trudonensi monasterio præpositum fuisse abbatem.* D

i *Fuit hic ab anno* 1099 *usque ad annum* 1131, *ut Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 671 *et seq. docent, ecclesiam Colonien-sem moderatus.*

k *Qui id factum sit, ipsemet Rudolphus in Trudonopolitano, quod contexuit, Chronico lib.* XI *apud Dacherium tom.* 7 *Spicil. editionis anni* 1666, *pag.* 488 *exponit; qui autem monasterii hic memorati notitiam desiderat, eam apud Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 736 *et seq. inveniet.*

l *In Ms. nostro Trudonopolitano Chronico habetur:* Cum jam vacasset annis IV Kalendas Januarii; *quæ lectio cum mendosa certissime sit, eam e Surio et Marteneo correxi.*

m *Hic, cum anno* 1120 *Ordinis Præmonstratensis fundamenta jecisset, anno proxime seq. Coloniam Agrippinam, quo ibidem novæ, quam Præmonstrati ædificare meditabatur, ecclesiæ exornandæ Sanctorum reliquias acquireret, sese contulit. Adi apud nos tom.* 1 *Junii S. Norberti Vitam, et in Bibl. Præmonst. part.* I, *lib.* 2, *cap.* 15 *le Paige.* E

n *Anne hinc et e capitis vertice seu parte, quæ, priusquam corpus hic memoratum inveneretur, Coloniæ Agrippinæ asservabatur ac* S. Gereonis *credebatur, fuisse hujus Sancti nostri corpus illud, absque errandi periculo possit concludi, judicari potest ex iis, quæ in Gloria posth.* § 3 *disputata sunt.*

o *Apud Marteneum novem hic proxime antecedentes voces omittuntur, hincque adhuc obscurior, quam, hisce retentis, sit, sensus efficitur.*

p *Lectorem, ut hunc de Crucis Dominicæ signo locum contra impios illius hostes notet, recte hic in Annotatione, ad marginem posita, admonet Surius.*

q *Hinc, si ossa, quibus, veluti* S. Gereonis *reliquiis, ecclesiæ nonnullæ gloriantur, minora dumtaxat sint, dubitari sane, an pro veris Sancti hujus nostri exuviis haberi queant, non immerito potest.*

r *Hinc liquet, a vero aberrare S. Norberti biographum, dum* S. Gereonis *corpus, mane facto seu aurora jam exorta, fuisse a S. Norberto inventum, in sua, qua res, abs hoc ge-* F *stas, est complexus, lucubratione, Operis nostri tom.* 1 *Junii inserta, num.* 49 *memoriæ prodit.*

f *De hoc, ex quo, quod hic memoratur, corpus pro* S. Gereonis *corpore habuere nonnulli, indicio censendum quid putem, in Gloria posth. num.* 33 *indicavi.*

t *Apud Surium et Marteneum legitur* concussione.

u *Hic iterum, quod ad lit.* q *monui, studiosus lector observet.*

x *Ecclesiæ hujus in suo apud Dacherium tom.* 7 *Spicil. editionis anni* 1666 *Trudonensi Chronico pag.* 465 *et seq. mentionem facit Rudolphus.*

y *Reliqua, quæ hic modo sequuntur, omissa sunt apud Surium; ut hæc apud eum Epistola, nec die, qua scripta sit, notata, terminetur, licet interim, ut jam supra ad lit.* a *observavi, e S. Pantaleonis prope Coloniam monasterio ad Trudonense missa luculentissime prodatur.*

DE

A

AUCTORE C. B.

DE S. CLARO EP. CONF.

NAMNETÆ IN BRITANNIA ARMORICA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Ætas, translationes et cultus Nanneti et Andegavi.

VEROSIMILITER SEC. III AUT SEQ. INITIO. *S. Clarus, qui, contra ac priori e duabus,*

Antiquæ apud Namnetas seu Nannetes in Britannia Minori seu Armorica urbis, quæ et Nannetum, Nannetes, Namneta *aut etiam* Namnetes *seu urbs* Namnetica *aut* Nannetica *vocatur, concisam in Opere nostro ad* XXIV *Maii diem, quo de sanctis fratribus martyribus Donatiano et Rogatiano ibidem passis cum Martyrologio Romano*
B *fuit agendum, notitiam jam dedimus. In urbe illa, quæ celeberrimum hodieque est emporium,* S. Clarus *ad hunc diem plane insigni, ut infra videbimus, cultu ecclesiastico quotannis potitur. Utinam modo, ut* Clari *nomen habet, ita quoque clara seu nota ac certa essent ejus gesta. Verum, præter ecclesiasticum, quo gaudet, cultum, præter locum, quem inter Nannetenses episcopos obtinet, reliquiarumque, quibus honoratus fuit, translationes, vix ac ne vix quidem quidquam de eo habetur sat exploratum. Id ex dicendis patescet. In Sanctorum Nannetensium Proprio, quod, cum primum e Caroli de Bourgneuf, Nannetensis episcopi, decreto fuisset editum, deinde Philippi Cospean, Nannetensis itidem episcopi, authoritate recognitum auctumque, typis alteris Nanneti anno* 1623 *prodiit, Officium de* S. Claro, *primo Nannetensi episcopo et confessore, proponitur; etsi autem duæ, quibus id præcipua, ad Sanctum nostrum spectantia, ob oculos ponit, lectiones, quarto et quinto loco recitandæ, fidem integram, quod e documentis sat antiquis haustæ haud noscantur, parere non possint, eas tamen, ut statim a Comment. hujus initio qua-*
C *lemcumque Sancti notitiam lectori ob oculos ponam, huc transcribo.*

quæ hic recitantur, Nannetensis Proprii

2 *Prima illarum seu quæ quartum inter novem obtinet locum, sic habet:* Clarus, vir illustris et sanctæ indolis, doctrinis cælestibus eruditus, mundi oblectamentis derelictis, luxuriantes carnis respuens voluptates, toto mentis spiritu suspensus ad Deum vigore castitatis et pœnitentiæ se præcinxit. Hic sanctorum Apostolorum consortia consecutus, Spiritu sancto est repletus. Qui a Romano Pontifice ad Galliæ partes missus una cum diacono Deodato, ut verbum Domini prædicaret, suaque prædicatione in fide Catholica incredulos erudiret; secum deferens clavum, quo beati Petri Apostoli manus dextera confixa fuerat cruci, in Britanniam Minorem, Domino ducente, pervenit, urbisque Nanneticæ, divina inspirante gratia, primus pontifex est effectus; *secunda autem sequentibus hisce verbis concipitur:* Ibi Apostolorum Petri et Pauli nomine ædificavit basilicam, in qua prædictum clavum, quem secum detulerat, pro reliquiis tanti Apostoli collocavit. Qui miris virtutibus fulgens post prædicationes multas et opera laude dignissima quasi innumera, sexto Idus Octobris in Domino quievit. Ejus autem festus dies magna populi frequentia in capellæ ejus nomine dicatæ visitatione celebratur. Caput ipsius una cum annulo suo pastorali in basilica Apostolorum Petri et Pauli honestissime servatur. Ad cujus annuli contactum multis sanitates conferuntur ægrotis. Corpus vero ipsius, Andegavum translatum et in ecclesia sancti Albini collocatum, magnam habet venerationem. *Quod* E *si itaque priori e duabus hisce lectionibus standum hic sit, jam inde a primo æræ Christianæ seculo Euangelii lucem in Britanniam Minorem seu Armoricam* S. Clarus, *constituta Nannetibus episcopali sede, intulerit.*

de eo Lectionibus adstrui,

3 *Ita apparet, quod, quamvis quidem id diserte haud edicat,* Clarum *tamen, cum Domini nostri Jesu Christi Apostoli aut quidam saltem ex his, Petrum puta et Paulum, in vivis adhuc essent superstites, floruisse, insinuare videatur, utpote eum* sanctorum Apostolorum consortia consecutum *fuisse affirmans. Scio quidem, non tantum, qui,* I *labente seculo, Euangelii semen quaquaversum sparsere, sed et nonnullos alios, qui post fidei propagandæ operam dederunt, sacros prœcones* Apostolorum *nomine subinde distingui; ast vehementer fallor, ni hic, qui binas mox huc transcriptas lectiones contexuit, ipsosmet, qui primi exstitere Euangelii prœcones, Domini nostri Jesu Apostolos voluerit designatos. Certe Albertus le Grand, de hisce intelligendum lectionum illarum auctorem, in Sanctorum Britanniæ Armoricæ Vitis existimasse videtur. Etsi enim ibidem ad* I *Octobris diem, quo qualemcumque* S. Clari *Vitam exhibet, hic supra a* F *me laudatum Sanctorum Nannetensium Proprium ad calcem citet lectionesque adeo, ex hoc modo decerptas, præ oculis habuerit,* Clarum *tamen a Lino, qui proxime S. Petro successit, in Gallias missum fuisse, scribit. Adhæc inter Britanniæ Minoris scriptores, qui ante annum seculi proxime elapsi quinquagesimum floruere, nullum invenire quivi, qui* S. Clari *in Gallias missionem sec.* I *haud innectat; ut vel hinc verosimile evadat, lectionum, de quibus hic nobis sermo, auctorem per Apostolos, quorum consortia* Clarum *consecutum, ait, non alios, quam qui cum Domino nostro Jesu Christo vixere, voluisse intellectos.*

Britonibusque a longissimo tempore astimatum fuisse videtur,

4 *Fuisse quidem a se* S. Clari *Acta, quæ Britonibus, Sanctum hunc a S. Lino seu jam inde a primo æræ Christianæ seculo in Gallias missum, contendentibus, neutiquam suffragentur, in Ms. ecclesiæ Trecorensis Legendario conspecta, Lobineau in Sanctorum Britanniæ Armoricæ Vitis ad* I *Octobris diem, quo de* S. Claro *agit, affirmat; verum, cum simul,*

AUCTOR C. B. *simul, in Actis illis etiam tradi, fuisse* S. Clarum *a Romano Pontifice, clavo ei, quo S. Petri manus dextera cruci fuerat affixa, traditio, in Britanniam Armoricam missum, adjungat, vehementer suspicor, in iisdem Actis, non secus ac in supra memorata Proprii Nannetensis lectione,* sanctorum Apostolorum consortia S. Claro *aut iisdem aut saltem similibus vocibus attributa, illaque proinde hac haud minus Britonum opinioni quæ* S. Clari *missionem sec.* I *illigat, suffragari. Utut sit, Britones equidem jam a longissimo temporis spatio ita opinati fuisse videntur. Hinc ad* I *Junii diem, quo de S. Claro, ut episcopo martyre Lectoræ in Novempopulania culto, apud nos actum, Papebrochius noster,* verosimilius videri, quod plurium hujus nominis Sanctorum atque ad diversa spectantium tempora, confusa in unum memoria fuerit, *præfatus, mox sequentia isthæc, quæ, quod hic usui futura adhuc sint, huc transcribo, verba subjungit :* Primo ergo existimo stari posse traditioni, quæ tenetur, quod ejus nominis (Clari *nempe*) aliquis, ac forte Romanus, ab Romano Pontifice missus sit
B in Aquitaniam, ad Christi fidem prædicandam, circa annum centesimum, qui, ut tunc sæpe fiebat, nulli certæ sedi ordinatus episcopus, variarum isthic ecclesiarum jecerit fundamenta : indeque transgressus ad Armoricos, Nannetibus sedem denique episcopalem fixerit, atque confessor mortuus sepulturam obtinuerit Raguiniaci in proximo juxta parochialem ecclesiam sacello infra terminos diœcesis Venetensis; ubi etiamnum monstratur et monumentum et caput, reliquo corpore Nannetes relato; colitur autem die x Octobris.

in Britanniam Armoricam verosimiliter III *demum,* 5 *Hæc Papebrochius. Nec desunt, qui,* S. Clarum *non tantum, ut, quam memorat, ac jam diutissime apud Armoricos obtinuisse dixi, seu opinio seu traditio fert, jam inde a sec.* I, *sed et ab ipsomet S. Petro in Britanniam Minorem missum, affirmant. Quod dum dico, mox mihi occurrunt Argentræus et Saussayus, prior quidem in Britanniæ Minoris Historia pag.* 50 *versa, posterior vero in Martyrologii sui Gallicani Supplemento, in quo* S. Clarum *sequenti hodie celebrat elogio :* Nannete in Armorica natalis sancti Clari, qui cum Dei Spiritu ad omne bonum ageretur, a sancto Petro episcopus ordinatus, eamque ad civitatem legatus, miraque aggressus pro Christi nomine,
C lumine, quod præferebat, Euangelicæ veritatis, hinc caliginem ethnicæ infidelitatis longe depulit. Civium illius urbis illuminavit mentes, Christianæ religionis normam iisdem tradidit et formam indidit, tandemque, exacto sibi demandato Apostolico munere, ad donativum pervenit strenuis agonistis propositum. *Verum, an* S. Clarus *re etiam ipsa vel seculo primo, vel ab ipsomet S. Petro in Armoricam missus, ethnicos ibidem novo Euangelii lumine illustravit?* S. Clarum *tum demum, cum S. Gatianus, primus Turonensium episcopus, Turonas missus est, aut adhuc, si abs hoc ille missionem suam accepit, nonnihil serius in Britanniam Armoricam venisse, censent hodie eruditi critici non pauci; ut proinde, si hisce sit standum,* S. Clarum *haud sec.* I, *nedum ab ipsomet S. Petro, sed non citius, quam Decio imperante seu sec.* III *circiter medio, quo, quemadmodum Gregorius Turonensis, cui hic, maxime cum de re, ad ecclesiam Turonensem spectante, agatur, credendum apparet, lib.* I *Historiæ Francorum cap.* 28, *iterumque Hist. ejusdem lib.* X, *cap* 31 *testatur, S. Gatianus a Pontifice Romano Turonas missus est, in Gallias seu Armoricam mitti contigerit.* D

6 *Ac eorum quidem, qui tum demum* S. Clarum, *in Britanniam Armoricam sive a Romano Pontifice sive a S. Gratiano missum, regionis hujus incolas fidei lumine illustrasse, contendunt, verosimilior, quam eorum, qui id jam inde a sec.* I *factum volunt, vel idcirco apparet opinio, quod, quemadmodum modo plerique eruditi censent, vix in ullas, quæ ab Italia, qualis est Britannia Minor, remotiores sunt, Galliarum regiones Euangelii lumen jam inde a primo æræ Christianæ seculo fuerit illatum. Adhæc de S. Similino seu Similiano, Namnetensi itidem in Gallia seu Britannia Armorica episcopo, ad* XVI *Junii diem actum apud nos jam est, isque, uti ex ibidem dictis apparet, seculo demum* IV *excessit e vivis; cum autem in omnibus, quos Argentræus in Britanniæ Minoris Hist., Sammarthani fratres in Gallia Christiana aliique exhibent, episcoporum Nannetensium catalogis S. Similianum inter et* S. Clarum *solus Ennius ponatur, enimvero, si, quemadmodum puto, in* E *catalogis illis error eo loco haud cubet, nec serius quam primo æræ Christianæ seculo* S. Clarus *in Armoricam statuatur missus, consectarium erit, ut ducentorum propemodum annorum spatio, quod e jam dictis Similinum inter et* Clarum *intercesserit, unus dumtaxat Ennius, quod parum verosimile apparet, Nannetensem ecclesiam episcopi munere gubernarit. Reponi quidem potest, id factum, quod, quamvis quidem jam inde a sec.* I *jacta fuerint in Britannia Minori Christianæ fidei semina, successu tamen tam parum felici ibidem isthæc germinarint, ut episcopatus, qui Nannetibus fuerat a* S. Claro *institutus, statim ab hujus obitu, excisa radicitus fide, defecerit.* *uti hic adducta*

7 *Verum, præterquam quod id sine ullo teste antiquo adstruatur,* S. Clari *monumentum, ut Papebrochius verbis mox huc transcriptis, Lobineau in Britanniæ Minoris Hist. pag.* 3, *Albertus le Grand loco supra cit. pluresque adhuc alii docent, Raguiniaci in diœcesi Venetensi hodieque monstratur; cum autem, si statim a* S. Clari *obitu fides Christiana a Britannia longissimo temporis spatio exsularit, non nisi ægerrime factum esse queat, ut et dicti monumenti memoria et ipsummet monu-* F *mentum illud (neque enim id servandi appositove signo notandi curam ethnicis fuisse, facile quis credat) ad nostram usque ætatem manserit superstes, fit vel hinc, ut, statim a* S. Clari *obitu fidem Christianam ab Armorica exsulasse, parum verosimile appareat, utque proinde is non sec.* I, *sed, quemadmodum supra laudati episcoporum Nannetensium catalogi, cum mortis S. Similini epocha comparati, exigere videntur, sec.* III *aut seq. initio, quo ei etiam Ennius ac haud ita dudum post, fide Christiana haud quaquam in Britannia penitus deleta, S. Similinus successit, vitam cum morte commutarit, cum in regione illa, quo, ut dictum, vel a Romano Pontifice vel a Gatiano, Turonensi episcopo, missus fuerat, jam aliquamdiu fidei Christianæ propagandæ operam navasset. Nullum quidem, e quo, quod Raguiniaci, ut dictum, hodieque monstratur, re etiam ipsa esse* S. Clari *monumentum, constet, profertur seu argumentum* *suadent, seculo fidem invexit,*

A *argumentum seu indicium; verum, etsi sic habeat, nihil equidem etiam, quod, monumentum illud certo* S. Clari *non esse, suadeat, invenio, cumque,* S. Clarum *non sec.* I, *sed* III *in Galliam seu Armoricam missum fuisse, ex aliis jam supra dictis sat verosimile appareat, plura, quo id probem, haud addens, ad alia, quæ ad Sanctum nostrum spectant, jam progredior.* S. Clarus, *cum Nannetas venisset sedemque episcopalem in civitate isthac jam fixisset, ecclesiam etiam ibidem sub SS. Apostolorum Petri et Pauli nomine ædificasse, clavumque, quo dextera S. Petri manus fuerat cruci affixa, in ea locasse, in posteriori e duabus supra huc transcriptis Proprii Nannetensis lectionibus asseritur.*

Raguiniaci non I, *sed* X *Octobris obiisse*

8 *Ast, anne hæc, cum prorsus, quibusnam e monumentis sint hausta, in obscuro, ut jam supra indicavi, sit, fuerint re ipsa a* S. Claro *facta, revocari potest in dubium. Nec, etsi clavus, quo dextera S. Petri manus fuerit cruci affixa, Nannetibus olim fuisset servatus aut hodieque servaretur, firmari inde possent.*

B *Quidni enim factum esse queat, ut, quamvis clavus hujusmodi sec. demum quarto quintove aut adhuc serius Nannetas fuisset Roma allatus, Nannetenses tamen, temporis lapsu id obliti, rem ab ipsomet* S. Claro *gestam, facilius quam par esset, crediderint? Utut sit,* Clarum *equidem, cum jam in Nannetensi civitate et comitatu fidem Christianam stabiliisset, verosimiliter ulterius progressum, in civitatum vicinarum territorio obiisse apostoli munus, Lobineau in Britanniæ Minoris Sanctorum Vitis ad præfatum Octobris diem, quo de Sancto nostro agit, affirmat, mox etiam, e viris illum* I *Octobris die Raguinia ci in diœcesi Venetensi dici sublatum, adjungens; verum id, non* I *sed* X *Octobris die factum, a Britonibus et Andegavis dici, Stephanus Baluzius in Tutelensi sua Historia pag.* 35 *docet; illi autem hac in re credendum, vel ex eo apparet, quod ipsemet Albertus le Grand, etiamsi, quæ de* S. Claro *scribit, in suam, qua Britanniæ Armoricæ Sanctorum Vitas complexus est, lucubrationem ad* I *Octobris diem intulerit, haud quaquam tamen hac, sed* X *mensis hujus die Sancti nostri obitum consignet, idemque etiam in plus semel jam laudato Sanctorum Nannetensium Proprio per verba supra*

C *huc transcripta præstetur; ut, a quibusnam, quod Lobineau de emortuali Sancti die dici, affirmat, dicatur, penitus ignorem, utque etiam, an id vel a quoquam dicatur, ac proin, an is scriptor asserendo contrarium hallucinatus haud sit, quam maxime dubitem.*

dicitur, ac tum etiam Nanneti et, quo hinc anno 878 *fuit translatus,*

9 *Ast, etsi sic habeat, Raguiniaci equidem Sanctum nostrum mortuum dici, recte asseverat; id enim ibidem factum, Nannetensium fert traditio, uti etiam Sancti corpus, quod eo etiam loco sepulturam fuerat adeptum, Nannetas inde post fuisse translatum. Verum, anne id, ut idem scriptor etiam ait, non prius, quam cum jam aliquot a* S. Clari *obitu secula essent elapsa, evenerit, dubitari potest. Secus quidem utcumque, si Alberto le Grand, Sanctum nostrum Raguiniaci anno* 96 *obiisse, indeque demum anno* 386 *Nannetas fuisse translatum, in supra laudatis Sanctorum Britanniæ Minoris Vitis tradenti, certa atque indubitata adhiberi posset fides, statuendum existimarem; ast Sanctum non anno* 96, *sed sub sec.* III *finem aut sequentis initium obiisse, verosimilius e jam supra dictis apparet, estque præterea, an documentum, cujus auctoritate ac fide* S. Clari *ad Nannetenses translationem anno* 386 *laudatus Albertus innectit, probæ notæ exstiterit, omnino incertum; cum autem hæc ita habeant, pro incerto pariter, an hic scriptor, qui commenta narrationesque prorsus falsas amplecti sicque a veritate aberrare non raro deprehenditur, in tempore quoque, quo Sancti ad Nannetenses translatio contigerit, assignando haud erret, etsi habendum. Ast, etsi id incertum, certum equidem apparet, Sancti nostri corpus, Nortmannis sec.* IX *frequenter in Galliam Armoricamque irrumpentibus omniaque ibidem ac polissimum loca sacra ferro et igne vastantibus, Nannetibus Juliomagum seu Andegavum anno* 878 *fuisse translatum, ac ibidem in S. Albini abbatia depositum. Ita opinor, quod id non tantum asceterii hujus inquilini, sed et ipsimet, ut supra laudatus Stephanus Baluzius in sua Tutelensi Historia pag.* 34 *docet, Britanniæ Armoricæ scriptores affirment, quodque rem ita habere, utcumque suadeat cultus, qui Sancto tam Andegavi in dicto asceterio, quam Nannetibus defertur.*

AUCTORE C. B.

E

Andegavi ejus natalis colitur, posteriorique hoc loco altera etiam translatio,

10 *Ac id quidem utrobique prima Octobris die quotannis fieri, Lobineau ibidem in Britanniæ Minoris Sanctorum Vitis ait; ast id, uti e jam dictis fas est colligere, verosimillime dumtaxat facit, quod,* S. Clarum *die illo mortuum credi, exstimarit. Utut sit, Sanctum equidem non* I, *sed* X *Octobris die apud Nannetas quotannis coli, cultumque, quo tum ibidem afficitur, plane esse insignem, certum apparet tum a supra plus semel jam laudato, utpote quod ecclesiasticum de* S. Claro *Officium ad* X *Octobris diem sub duplici primæ classis ritu recitandum proponat, Sanctorum Nannetensium Proprio, tum etiam ex Kalendario, huic præfixo, utpote quod, qui verbis hisce,* Festa in diœcesi Nannetensi ex præcepto Ecclesiæ ab omnibus observanda, in quibus servile opus facere non licet, *concipitur, titulum præferat, ac deinde Sanctis, quorum festa, uti in hoc præscribitur, in diœcesi Nannetensi celebranda sunt,* S. Clarum *ad* X *Octobris diem accenseat; quod autem ad Andegavum seu S. Albini in hac civitate monasterium spectat, Sanctum quoque ibidem non* I, *sed* X *Octobris die cælitum honoribus affici, suadet penes nos exstans* F *ipsiusmet monasterii illius Ms. Kalendarium, utpote quod ad posteriorem hunc diem* S. Clari, *Nannetensis episcopi, depositionem celebrandam præscribat. Porro festo, quo S. Albini monachi natalem* S. Clari *diem seu depositionem* X *Octobris die quotannis recolunt, festum aliud, quo hujus Sancti nostri simul et S. Albini reliquiarum translationem celebrant,* XXV *mensis ejusdem die adjungunt; ast, cum hæc a translatione, qua Nannetibus Andegavum Sanctus noster fuit delatus, distinguatur, juverit, quænam ea sit, exposuisse.*

qua anno 1070 *principi ibidem altari fuit impositus,* XXV *Octobris celebratur.*

11 *Henschenius ad* I *Martii diem in Commentario, Actis S. Albini, Andegavensis episcopi, prævio, num.* 8 *sic scribit:* Aliam citata antea monasterii S. Albini Chronica ejus *(S. Albini)* translationem memorant factam anno MLXX, dum ecclesiæ Andegavensi præesset Eusebius episcopus, dicto monasterio Otbrannus abbas. Ita enim Chronica habent: „ MLXX. Corpora sanctorum præsulum Albini et Clari cum aliis reliquiis translata sunt VIII Kal. Novembris.“ Eam translationem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

translationem ad illum diem Martyrologio Benedictino inscripsit Hugo Menardus, citato ad marginem Breviario monasterii S. Albini. Qui cum S. Albino translatus est Clarus præsul, Nannetensium forte primus antistes est et apostolus, cujus agi memoriam scribit Morlaix x Octobris. Nam licet plures in Martyrologiis Clari presbyteri et abbates referantur, episcopum tamen nominis illius legi neminem. *Ita laudatus decessor noster, sese adhuc, an per Clarum episcopum, cujus et aliorum Sanctorum reliquias anno* MLXX *translatas fuisse, in monasterii S. Albini Chronicis refertur, Sanctus noster Nannetensis episcopus designetur, dubitasse insinuans; ast, cum hic, quod ille ignoravit, Nannetibus Andegavum anno* 878, *ut jam supra docui, fuerit translatus, enimvero esse non videtur, cur ea de re (neque enim Sancti nostri corpus, postquam Andegavum fuerat allatum, integrum deinde alio avectum, facile quis probet) modo adhuc ambigatur. Atque hæc nova translatio, qua, ut Lobineau memoriæ prodit,* S. Clari *reliquiæ ad majus abbatiæ S. Albini altare fuerunt delatæ, ea ipsa est, quam, ut Baluzius, Andegavensi etiam, quod penes nos exstat ac supra laudavi, Ms. S. Albini Kalendario, Benedictinoque, quod verbis mox datis Henschenius laudat, Martyrologio ei suffragantibus, in Tutelensi sua Historia pag.* 35 *testatur, Andegavenses S Albini monachi die* XXV *Octobris quotannis celebrant; ut proinde Sanctus noster Andegavi pariter cultu haud vulgari quotannis afficiatur.*

§ II. Quibusnam potissimum adhuc aliis locis Sanctus colatur, et an Tutelæ quoque id fiat.

Locis hic memoratis Sanctus quoque colitur;

Non tantum S. Clarus *Nanneti, ac e mox dictis Andegavi, verum etiam in supra plus semel jam memorato, ubi hodieque aliquot ejus servari reliquias parœcialemque dicatam ei esse ecclesiam, Lobineau affirmat, Raguiniacensi diœcesis Venetensis pago, alibique item in hac, Leonensique et Corisopitensi Minoris pariter Britanniæ diœcesibus ecclesiastico cultu afficitur. Ita vel idcirco autumo, quod sese partim ex harum Breviariis, quæ de* S. Claro *scribit, deprompsisse, Albertus le Grand ad Actorum* S. Clari *calcem adjungat, idque in Breviariis illis eum habere locum, cultuque adeo in ecclesiis, quarum hæc sunt, gaudere, argumento indubitato sit. Porro, etiamsi, ut Sanctus, qui in reliquis etiam Britanniæ Minoris diœcesibus ac nominatim, uti ex infra allegandis intelliges, in Briocensi verosimillime colitur, extra Britanniam quoque in Burdegalensi diœcesi coli credatur, par ratio haud impellat, re tamen ipsa ibidem etiam id fieri, mihi persuasum habeo, quod hodie, non expresso, quo colatur obieritve, loco, in Burdegalensi Usuardi apud Sollerium auctario memoretur; cum autem tot, quot jam dixi, locis ac peculiariter Nanneti, ubi etiam, uti e supra huc transcriptis Proprii Nannetensis lectionibus intelligitur, sacellum nomini suo sacrum habet, cultu ecclesiastico gaudeat, hinc, ut puto est factum, ut, quamvis nec ullis, quæ* Classica *vocamus, Martyrologiis, nec ipsimet Romano hodierno sit insertus, hodie tamen non tantum a Ferrario in generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo, verum etiam in Martyrologio Parisiensi, itemque a Castellano in suo Universali Nanneti annuntietur. Ac a Ferrario quidem, ecclesia etiam, cujus* S. Clarus *exstiterit episcopus, non nominata, paucissimis hisce verbis id fit:* Nannete S. Clari episcopi; *Castellanus autem Sanctum, quem ab ecclesia Nannetensi* ut primum episcopum *coli, Martyrologium Parisiense tantummodo ait,* primum Nannetensem episcopum *diserte appellat, nec hic abs illo, qui sic a sese absque ulla dubitatione* S. Clarum *æstimari primum Nannetensem episcopum, indicat, dissentiendum apparet.*

anne autem etiam Tutelæ, seu an ibi ejus reliquiæ,

13 *At vero aliud restat modo hic indagandum. In inferiori Lemovicensi Galliæ provincia ad Curretiæ et Sollanæ confluentes civitas est nomine* Tutela, *in episcopatum, conversa in hujus cathedralem celebris S. Martini, quæ eo loci exstabat, abbatiæ ecclesia, a Joanne XXII Papa erecta; cum autem ibidem, uti ex iis, quæ apud nos ad* 1 *Junii diem in Historico de S. Claro, Lactoræ in Novempopulania episcopo martyre, Commentario* § 2 *dicta sunt, palam est, Sanctus aliquis, nomine* Clarus, *colatur, nec quis iste sit, satis haberi compertum, ex iis potissimum, quæ deinde in eodem Commentario num.* 23 *et seqq. allegantur, patescat, hic modo etiam examinandum, an cum illo Claro unus idemque Sanctus noster sit, ac proin, anne hic apud Tutelenses quoque cultu ecclesiastico haud gaudeat. Quam miro ac pene incredibili modo Sancti cujuspiam, nomine* Clari, *caput aliaque aliquot ossa Tutelenses acceperint, in præfato apud nos Commentario num.* 9 *ex Baluzio narratur; cum autem hi certe non alium, quam cujus exstitere sacræ hæ exuviæ, S. Clarum colant, dumtaxat, anne istæ Sancti exstiterint, a nobis modo, ut, an hic a Tutelensibus quoque colatur, innotescat, debet examinari. Laudatus Baluzius, qui apud hosce sortitus est natales, anno seculi proxime elapsi sexto et quinquagesimo eruditam imprimis de SS. Claro, Laudo, Ulfardo et Baumado, quorum sacræ reliquiæ in cathedrali Tutelensi apud Lemovices ecclesia servantur, Dissertatiunculam vulgavit; tum autem opinionem, qua S. Clarus, cujus reliquiæ Tutelæ servantur, non alius esse, quam S. Clarus, Lactoræ martyrium passus, existimatur, fuit amplexus; verum postea, mutata sententia, easdem S. Clari reliquias non alterius, quam* S. Clari, *Nannetensis episcopi, esse, in Tutelensi sua Historia, anno* 1717 *edita, probare est conatus.*

ut Baluzius, sententia, quam prius fuerat amplexus,

14 *Audi, qui ibidem, sese SS. Laudi et Clari reliquias, Normannis in Galliam frequenter irrumpentibus, ex Normannia et Britannia Juliomagum primo ac deinde Tutelam fuisse translatas, ostensurum, præfatus, pag.* 34 *et seq. loquatur:* Major est de Claro difficultas, tum quia nondum compertum est, quis cujasve fuerit, tum quia auctor Vitæ ejus, quæ exstat in vetustissimo Breviario ecclesiæ nostræ, eum Coloniam cum Sociis suis missum esse tradit a Pontifice Romano ad prædicandam Christi fidem. Atque ego sane, cum viderem, illam Clari Vitam reperiri apud nos et exstare in libro precum monasterii nostri, non dubitabam, quin ejus

A ejus essent eæ reliquiæ, cujus Vitam majores nostri descripserant in libris suis. Nunc vero, cum videam, Britanniæ Armoricæ scriptores tradere sancti Clari, episcopi Nannetensis, reliquias fuisse translatas Juliomagum anno Christi DCCCLXXVIII. et depositas in monasterio sancti Albini, ex ea porro urbe ad nos pervenisse cum ossibus sancti Laudi, non levis sit conjectura, in eam opinionem non invitus inducor, quamvis aliter olim senserim, ut existimem, reliquias, quæ apud nos habentur, esse ex corpore sancti Clari, episcopi Nannetensis. Neque me movet, quod illum Britones et Andegavi mortuum esse aiunt die decima mensis Octobris, cum nostri festus dies celebretur die prima Junii. Nam fieri facile potuit, ut, qui Vitam ejus ignorabant, diem mortis ejus ex falsa traditione existimaverint incidisse in mensem Octobrem. Libri quippe nostri vetustissimi natale ejus constituunt in Kalendis Juniis, et translationem v. Kal. Junii.

absque ullo, forsan, uti hic

15 *Ita laudatus Baluzius. Ac eum quidem opinionem, qua S. Clarum, cujus reliquiæ Tutelæ asservantur, pro S. Claro, Lactoræ et Albiæ culto, cujus Acta in antiquis Tutelen-*
B *sium libris exstabant, primum habuerat, deserendo errasse, haudquaquam est certum; etsi enim Claro Lactorensi Acta isthæc quadrent, hinc tamen, Sancti hujus esse, quæ Tutelæ servantur, S. Clari reliquias, consectarium non est, sed tantummodo, hasce Clari Lactorensis censuisse scriptorem qui Acta illa contexuit; cum autem, hunc ita opinando non errasse, certum non sit, Baluzium, deserta, quæ jam dictis scriptorem illum fuerat secutus, opinione, errasse, certum pariter non est. Ast, an saltem S. Clarum, cujus Tutelæ reliquiæ servantur, pro* S. Claro, *primo Nannetensium episcopo, habendo haud erravit? Tutelenses S. Clarum, cujus ad eos fuerant delatæ reliquiæ, pro* S. Claro, *Nannetensi episcopo, qui confessor obiit, sub seculi* IX *finem ac seq. initium pariter habuisse, ab omni prorsus veri specie haud abhorret. Ita suadet Tutelensis charta, ad* I *Junii diem in Historico de S. Claro, Lactoræ episcopo martyre, Commentario num.* 7 *ab Henschenio adducta, ac, uti hic ibidem notavit, anno* 895 *conscripta; in hac enim S. Clarus, qui Tutelæ quiescit, seu cujus*
C *ibidem reliquiæ servantur, nuncupatur* confessor; *etsi autem in altera Tutelensi itidem charta, ibidem ab Henschenio pariter adducta, ac, quemadmodum notavit, anno* 932 *exarata, appelletur* martyr, *id forsan eo dumtaxat sensu fit, quo plures pontifices, qui, quamvis quidem sanguinem pro fide haud effuderint,* martyres *tamen, quod corde animoque parati ad id exstiterint, appellati inveniuntur.*

adducta suadent,

16 *Sic ipsemet, prout supra plus semel laudatus Lobineau in Sanctorum Britannia Armoricæ Vitis pag.* 6 *docet,* S. Clarus, *Nannetensium primus episcopus, etiamsi in pace quievisse a Britonibus credatur, in Litaniis tamen, ad Psalmorum pœnitentialium calcem in antiquo Briocensis in Britannia Minori ecclesiæ Breviario adjectis, martyribus accensetur,* martyrisque *etiam titulo in antiquo, quod de eo ad* IV *Novembris diem novem lectionum Officium complectitur, Leonensis in eadem Britannia Minori ecclesiæ Breviario condecoratur. Verum, etsi etiam secus forte, Tutelensesque non minus jam inde seculo* IX *ac seq., quam post, S. Clarum, cujus possident reliquias, pro vero martyre, imo et pro episcopo martyre, qui Lactoræ martyrium subierit, habuissent, hinc tamen concludi non posset, errasse Baluzium, dum Clarum, cujus reliquiæ Tutelæ servantur, pro* S. Claro, *Nannetensium episcopo, habuit. Ita autumo, quod ipsosmet, qui seculo* IX *ac seq. floruere, Tutelenses in assignando Claro, cujus essent, quæ apud ipsos servabantur, reliquiæ, facile errare potuisse, mihi suadeat, quæ apud nos ad* I *Junii diem in Historico de S. Claro Lactorensi Commentario num.* 9 *exstat e Baluzio deprompta de modo, quo, quæ Tutelæ servantur, allatæ eo fuerint S. Clari reliquiæ, narratiuncula. Quicumque enim, quæ in hac referuntur, considerarit, anne Tutelenses umquam, vel cujus hæ Clari essent, vel unde ad urbem suam fuissent allatæ, habuerint sat perspectum, haud immerito dubitabit; cum autem sic habeat, ac præter Clarum, qui Lactoræ passus sit, Clari alii, quorum reliquiæ Tutelam potuerint afferri, apud nos in mox dicto Commentario num.* 23 *et seqq. assignentur, facile enim vero factum esse potest, ut ipsimet, quos dixi, Tutelenses in assignando Claro, cu-* E *jus possidebant reliquias, errarint, utque proinde, etsi etiam hunc pro Claro, qui Lactoræ passus sit, habuissent, inde tamen Baluzium, dum illum pro Claro Nannetensi accepit, indubie errasse, concludi haud posset.*

AUCTORE C. B.

errore mutata,

17 *Ast, anne ergo scriptori illi hac in re certo assentiendum, seu, an S. Clarus, cujus Tutelæ asservantur reliquiæ, indubitanter pro* S. Claro, *Nannetensium primo episcopo, est habendus? Baluzius verbis supra huc transcriptis, sese, ut secus sentiat, non moveri, affirmat, ex eo, quod* Clari *Nannetensis obitum die* X *Octobris Britones ac Andegavi consignent, Tutelensesque Clari, cujus possident reliquias, die* I *Junii festum celebrent; ita autem, ut addit, animo comparatus est, quod, cum* Clari *Nannetensis Vitam Britones et Andegavi ignorarint, facile factum esse queat, ut emortualem ejus diem in mensem Octobrem incidisse, ex falsa traditione existimarint. Ast, utcumque Britones ac Andegavi in assignando mense et die, quo* Clarus *Nannetensis* F *obierit, errasse statuantur, ex eo quidem, quod, quo Clarum suum Lactorenses, eodem etiam* I *Junii die Tutelenses Clarum, cujus possident reliquias, celebrent, ac porro, etsi quidem forsan ob mox dicta non jam inde a sec.* IX *aut seq., a longissimo tamen tempore celebrarint, consectarium, ni fallor, evadit, ut hunc illi pro Claro, qui Lactoræ passus sit, habendum tum putarint, modoque adhuc putent; quod cum sic habeat, dictisne Tutelensibus, an Baluzio sit standum, dispiciamus.* S. Clari *Nannetensis, non quidem corpus, sed, contra ac num.* 4 *recitatis Papebrochii verbis declaratur, caput Nanneti adhuc asservari, secunda e Proprii Nannetensis, cui hac in re potius credendum, supra huc transcriptis lectionibus suadet; cum autem id ita sit, caputque et aliquot ossa a Tutelensibus, uti apud nos ad* I *Junii diem Historicus plus semel jam laudatus de S. Claro Lactorensi Commentarius num.* 9 *fidem facit, dicantur sacræ, quæ Tutelæ asservantur, S. Clari reliquiæ, fieri sane non potest, ut hæ* S. Clari *Nannetensis sint, si hujus caput, quod Nanneti adhuc servari in*

Sanctorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

Sanctorum Nannetensium Proprio asseritur, integrum caput sit.

existimavit,

18 *Verum, etsi quidem, an* S. Clari *Nannetensis caput, si id una cum ejus corpore anno* 878 *Normannorum metu Nannetibus Andegavum fuerit delatum, inde post, cessantibus horum in Britanniam Armoricam irruptionibus, Nannetum fuerit reductum, revocare nolim in dubium, id tamen integrum ibidem haberi, probare haud queo; cum autem si habeat, reliquum est, ut rationem præcipuam, qua impulsus Baluzius S. Clarum, cujus reliquiæ Tutelæ servantur, pro* S. Claro *Nannetensi, mutata etiam, quam primum fuerat secutus, sententia, censuit habendum, modo etiam discutiamus. In Opere nostro ad* XXII *Septembris diem de S. Laudo seu Lautone episcopo est actum, iisque, quæ ibidem in Historico de Sancto isthoc Comment.* § 3 *dicuntur, spectatis, nullatenus dubitandum apparet, quin sacrum quodpiam, quod alicujus S. Laudi erat aut credebatur, corpus Juliomagum primo seu Andegavum ac deinde Tutelam, sive integrum sive ex parte aliquando fuerit translatum; cum autem sic habeat ac, ut supra vidimus,* S. Clari *Nannetensis corpus Andegavum etiam, grassantibus devectum, inde quoque illud fuisse Tutelam delatum, Baluzius, relicta, qua primum secus senserat, opinione, in animum induxit. Verum, etsi quidem ex eo, quod S. Laudi corpus, quod Andegavum fuerat allatum, Tutelam inde fuerit avectum, consectarium appareat, ut eo quoque ex eadem urbe* S. Clari *Nannetensis reliquiæ haud difficulter potuerint afferri, anne tamen id fuerit re etiam ipsa factum, non immerito dubitari posse videtur.*

asserventur, est dubium,

19 *Utcumque quidem, ut contrarium sentirem, possem adduci, si quo die Tutelam S. Laudi, eodem etiam S. Clari reliquiæ dicerentur delatæ; verum id diversis diebus factum, ipsemet ait Baluzius, utpote in Tutelensi sua Historia pag.* 36 *et seq. sic scribens:* Cæterum Laudum et Clarum non uno eodemque die pervenisse Tutelam, hinc liquet, quod in vetustissimo Kalendario monasterii nostri „ Exceptio „ sancti Laudi episcopi „ notatur XI. Kal. Novembris, et „ Translatio sancti Clari episcopi et „ martyris „ v. Kal. Junii. *Adhæc S. Clari, quæ Tutelæ asservantur, reliquiæ ibidem jam inde a sec.* X, *imo et* IX, *uti e binis, quæ num.* 15 *laudavi, Tutelensibus chartis liquet, exstitere; cum autem* S. Clari *Nannetensis reliquiæ Andegavi anno* 1070, *uti ex nova harum, quam num.* XI *memoravi; translatione, ibidem tum facta, liquet, adhuc exstiterint, certeque S. Clari reliquiæ, quæ Tutelæ jam inde a sec.* X *et* IX *exstitere, eæ ipsæ sint, quæ ibidem hodieque servantur, enimvero, anne hæ* Clari *Nannetensis sint, non immerito potest revocari in dubium. Reponi quidem potest, factum esse posse, ut non omnes, quæ Nannetibus Andegavum anno* 878 *fuerant delatæ,* S. Clari *Nannetensis reliquiæ, sed quædam dumtaxat harum partes Andegavo Tutelam, partibus aliis in harum civitatum priori adhuc relictis, sec.* IX *adhuc labente, fuerint translatæ. Verum, etsi sic habeat, anne tamen id, quod nuspiam litteris invenitur mandatum, fuerit re ipsa factum, dubium atque incertum vel ex eo apparet, quod S. Clari reliquiæ, quæ Tutelæ servantur, eo æque facile e locis, apud nos tom.* 1 *Junii in S. Claro Lactorensi pag.* 15 *et* 16 *memoratis, quam Andegavo, potuerint afferri; cum autem id ita sit ac proin, an S. Clarus, cujus Tutelæ asservantur reliquiæ,* S. Clarus *Nannetensis sit, dubium adhuc, omnibus modo perpensis, maneat, dubium pariter adhuc manere necesse est, anne is apud Tutelenses, qui certe, ut dictum, non alium S. Clarum, quam cujus possident reliquias, die* 1 *Junii colunt, cultum ecclesiasticum obtineat.*

simulque S. Clarum, cujus prope Genuam reliquiæ servantur,

20 *Ceterum in Opere nostro ad* IV *Maii diem* S. Clarus episcopus in territorio Genuensi, cujus corpus in ecclesia parochiali S. M. Vallis-regiæ, 10 m. p. Genua distantis, requiescit, *recensetur inter Prætermissos; cum autem Ferrarius, qui eum, die illo a se annuntiatum, Arelatensem fuisse episcopum, tradi adnotarat, in indice deinde* Nannetensem episcopum, IV *Maii simul et* X *Octobris die ei adscripto, appellet, hinc decessores nostri, an ille S. Clarus, quem in Genuensis territorii ecclesia a se memorata, requiescere, Ferrarius affirmat, existat* S. Clarus, *Nannetensis episcopus, examinandum huc remisere, sperantes fore, ut certiora interim, quibus fieri id posset, monumenta alicunde acciperemus. Verum, etsi quidem, quod sperarant, nondum plane, delatis ad nos monumentis hujusmodi, licuerit nancisci, Clarum tamen, cujus reliquiæ in territorio Genuensi, Ferrario testante, reperiuntur, a* S. Claro, *Nannetensi episcopo, esse diversum, suadent duæ, quæ in Supellectile nostra litteraria exstant epistolæ, ad Papebrochium nostrum Genua a Joanne Stephano Flisco, Societatis Jesu sacerdote, sub sec. proxime elapsi finem conscriptæ.*

non esse S. Clarum Nannentonsem, vero apparet similius.

21 *Ex hisce enim, in quibus, unde ad dictam territorii Genuensis ecclesiam allatæ fuerint, quæ in hac servantur, S. Clari reliquiæ, ignorari asseritur, Sanctum hunc pro S. Claro, Viennensi in Gallia S. Marcelli abbate, qui a Trithemio de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 3, *cap.* 246 *memoratur, passim a loci incolis haberi, intelligo. Neque vero id immerito fieri, ex iis, quæ jam nunc subdo, apparet. De isthoc sancto Viennensi in Gallia S. Marcelli abbate ad* 1 *Januarii diem, quo in pluribus Fastis sacris memoratur, in Opere nostro actum jam est; etsi autem nihil omnino, e quo sancti illius abbatis reliquias in territorii Genuensis ecclesia, a Ferrario memorata, asservari colligas, ibidem tum fuerit a Bollando productum, postea tamen, ut notatum invenio, monumenta authentica, e quibus, ejusdem S. Clari, Viennensis in Gallia abbatis, reliquias Taurinum translatas fuisse constat, ad decessores nostros fuerunt transmissa; quod cum sic habeat, facillimeque adeo factum esse queat, ut, quemadmodum Taurinum, ita etiam ad Genuense, quod inde haud admodum procul est remotum, territorium Sancti illius reliquiæ aliquot seu Taurino seu etiam Vienna (neque enim urbs hæc Genua procul admodum distat) fuerint translatæ, hinc sane S. Clarum, cujus in præfata territorii Genuensis ecclesia reliquiæ servantur, non esse* S. Clarum, *Nannetensem episcopum, sed S. Clarum, Viennensem S. Marcelli in Gallia abbatem, vero apparet similius.*

DE

A

AUCTORE I. H.

DE SS. EULAMPIO, EULAMPIA

ET SOCIIS MM.

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Martyrum in Fastis sacris memoria, cultus, tempus martyrii, Acta edenda.

SUB INITIUM SECULI IV. *Sanctorum Martyrum*

Nicomedia, *antiquitus* Astacus, *hodie* Nichor *et* Comidia, *civitas Bithyniæ, sævientibus in Christianos imperatoribus Diocletiano et Maximiano, ac deinde etiam Maximino, exercitæ in Christi Martyres crudelitatis theatrum fuit, plurimorum sanguine cruentatum. Atque inter illos, qui eo loci Christi fidem sanguine consignarunt, variis suppliciorum generibus illustre sibi nomen compararunt* Eulampius *ejusque soror* Eulampia. *Ambo hodie tum a Latinis martyrologis, tum a Græcis Menæorum aliorumque sacrorum Fastorum conditoribus annunciantur. Ac in eo quidem, quod Basilii imp. jussu Græce olim editum, hoc vero seculo Romanis typis excusum est, Græcorum Menologio, ad diem* x *Octobris ita memorantur :* Ἄθλησις τῶν ἁγιῶν μαρτύρων Εὐλαμπίου καὶ Εὐλαμπίας : Certamen sanctorum martyrum Eulampii et Eulampiæ. *Mox prolixior præclari utriusque martyrii adnectitur narratio, cujus non substantiæ modo, sed et adjunctis vix non omnibus impressa Græcorum Menæa, et, quod a Sirleto Latine redditum est, Menologium apprime consonant. En illam, prout in laudatis mox Menæis post præcipuum, quod eo die de Sanctis nostris celebrandum exhibent Officium, exprimitur.*

B

C

2 Οὗτοι οἱ ἅγιοι Μάρτυρες ὑπῆρχον ἐπὶ Μαξιμιανοῦ, ἐν Νικομηδείᾳ τῇ πόλει, ἡγεμονεύοντος Μαξίμου, κατεκρύπτοντο δὲ πολλοὶ τῶν Χριστιανῶν ἐν τῷ ὄρει, ὅτινες ἀπέστειλαν τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον ἀγοράσαι ἄρτους ἐν τῇ πόλει· ὁ δὲ ἀπελθὼν, καὶ ἰδὼν γράμματα προτεθειμένα τῶν βασιλικῶν διατάξεων, καὶ ταῦτα ἀναγινώσκων, ἐκρατήθη παρὰ τῶν εἰδωλολατρῶν. Καὶ ἐρωτηθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως, ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν, καὶ εἰσελθὼν ἐντῷ ναῷ τῶν εἰδώλων ὡς θύσων, ἐπέταξε τῷ Ἄρει πεσεῖν, καὶ πεσὼν συνετρίβη. Τιμωρουμένου δὲ αὐτοῦ, Εὐλαμπία ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ εἰς τὸ μέσον ἐλθοῦσα, ἐδυσώπει τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον εὔξασθαι ὑπὲρ αὐτῆς, καὶ συμμαρτυρῆσαι αὐτῷ. Ἐμβληθέντων δὲ εἰς λέβητα καχλάζοντα, καὶ μηδὲν ἀδικηθέντων, ἐπίστευσαν ἄνδρες διακόσιοι, καὶ σὺν αὐτοῖς ἀπεκεφαλίσθησαν. *Quæ Latine redduntur :* Erant hi Sancti in civitate Nicomediensi sub Maximiano, urbi præfecto Maximo; qua tempestate multi Christianorum sese in monte absconderant, qui sanctum Eulampium miserunt emptum panes in civitate. Hic autem abiens, literas publice propositas, quæ regia continebant edicta, conspexit; quas dum legit, ab idololatris comprehenditur. Et interrogatus ab imperatore, professus est, se esse Christianum; et ingressus idolorum fanum, quasi sacrificaturus, imperavit Marti, ut caderet; cecidit et contritus est. Dum autem torqueretur Eulampius, soror ejus Eulampia in medium progressa rogavit fratrem, uti pro se *(Deum)* deprecaretur, ac cum eo martyrium subiret. Cum vero, in bullientem lebetem conjecti, nihil inde læderentur, ducenti viri ad fidem conversi sunt et cum ipsis capite plexi.

celebris

D

E

3 *In iisdem magnis Græcorum Menæis excusis præfato Sanctorum nostrorum elogio gemini versiculi, quibus utriusque mortem toleratumque ab eis pro Christi nomine martyrium paucis expressa videas, præmittuntur, subnexo statim altero hexametro, qui tum necis genus, quo ambo Sancti martyrium consummarint, tum etiam diem, quo id acciderit, aperte indicat. Priores duo, quos et Latinos facio, ita habent :*

cum apud Græcos,

Καὶ προφθάσασα τὴν τομὴν Εὐλαμπία
Εὐλαμπίῳ τμηθέντι κοινωνεῖ στέφους.

Dissectionem etiam præveniens Eulampia
Dissecto cum Eulampio participat coronam.

Hexameter vero his terminis concipitur :

Ἐτμήθη δεκάτῃ Εὐλάμπιος, ἔκθαν' ἀδελφὴ.

Quem a Daniele Papebrochio inter Ephemerides Græco-moscas, Operis nostri tomo I *Maii præfixas, in Octobri Græcorum metrico ad hunc diem pereleganter Latine redditum hic jungo :*

F

Commoritur decima dissecto Eulampia Fratri.

Porro in iisdem Ephemeridibus Græco-moscis ad decimum Figurati Moscorum Octobris diem Sanctos nostros laudatus hagiographus ita breviter annuntiatos notat : Eulampius, Eulampia martyres : *ubi et advertit,* S. Eulampium *a Possevino perperam* Eulatipium *appellari ; quem forte errorem Possevinus incurrerit ex eo, quod littera* μ, *minus recte exarata,* τ *et* ι *exhibere videretur. Denique in pervetusto Ms. Menologio Slaviano Russico, ut præfert titulus, in Museo nostro asservato, ad eumdem diem Octobris, quem mensem gens ista* Pasdernik *nominat, ita legitur :* SS. MM. Eulampii et Eulampiæ. *Atque hactenus dicta sacram Sanctorum nostrorum apud varias, a Latina diversas, gentes memoriam celebratam ostendunt.*

4 *Nunc, ut et a Latinis, saltem posterioris ævi, martyrologis pugiles hosce non indictos præteriri, studiosus lector comperiat, oculos tantum in Romana Baronii, Galesinii, Molani et Labbei Gallicum Martyrologia ad*

tum apud Latinos

AUCTORE I. H.

dictum jam sæpius Octobris diem conjiciat, necesse est. Neque hos inter multum deprehenditur discriminis. Molanus, in margine Metaphrastem citans, verbis paucis, reliqui tres prolixiore cum martyrii narratione SS. Eulampium *et* Eulampiam *annuntiant; horum autem secundus seu Galesinius discrepat a Baronio, tum quod, de tyranno, sub quo Athletæ nostri pro Christi nomine decertasse perhibentur, nullam hoc mentionem faciente, ille istud sub Maximiano contigisse indicare videatur; tum quod idolorum simulacra, fusis ab* Eulampio *ad Christum precibus, prostrata contritaque, tacente de his Baronio, commemoret. Cetera, in quibus laudati mox auctores non conveniunt, ex collatis eorum locis lector, etiam non admodum perspicax, per sese facile perspiciet, ut adeo iis immorari diutius supervacaneum existimem. Juverit tamen tam Baronii quam Galesinii ad suum Martyrologium de Sanctis nostris annotationem allegasse. Prior loco cit. ad lit.* e *hanc habet :* Græci etiam de his *(Sanctis)* agunt in Menologio. Horum Acta (*de quibus infra*) Metaphrastes prolixius est prosecutus, quæ habet Lipom. tom. 9,
B et Sur. tom. 5, passique referuntur in persecutione Diocletiani : *posterior vero illam :* SS. Eulampii et Eulampiæ martt., de quorum certamine præclaraque fidei testificatione Græci narrant pluribus.

memoria. 5 *Allata hactenus Græcorum æque ac Latinorum monumenta sacra argumento sane sunt minime dubio, illustres nostros Pugiles magna jam dudum fuisse in Christi Ecclesia veneratione gavisos. Ac id quidem, etsi nec ex Magnis Græcorum Menæis, nec ex Menologiis nec denique ex aliis, quæ adduxi, testimoniis constaret, evidens tamen esset vel ex præcipuo Officio, quod de nostris Sanctis decimo Octobris die celebrandum S. Sabas proponit in Typico, abhinc annis mille ducentis a sanctissimo hoc archimandrita digesto; an vero vetustissimo huic ecclesiæ Græcæ Rituali legitimam ætatem verumque parentem adscribam, videri potest tum apud Leonem Allatium de libris ecclesiasticis Græcorum Dissert.* 1, *tum apud Wangnereckium in Prolegomenis, quæ* Pietati Marianæ Græcorum *præfixit. Porro, ut amplius de Sanctorum nostrorum cultu nobis constet, in Synaxario Constantinopolitano Ms., quod fuit Sirmondi,*
C *sequens, quod eorum elogio subnectitur, habemus Auctarium :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ ἁγιώτατῳ αὐτῶν μαρτυρείῳ τῷ ὄντι ἐν τῷ Ἀδδᾶ : Celebratur autem eorum festivitas (SS. *nempe* Eulampii *et* Eulampiæ, *de quibus ibi sermo)* in sanctissimo illorum martyrio, quod est in *(fundo)* Addæ *Magistri, ubi Justinus II imperator Archangelo Michaeli templum condidit. De quo, si lubet, loco ulterius consule Anselmum Banduri, in Antiquitatibus Constantinopolitanis part.* 3, *pag.* 46, *nostrumque Stiltingum tom.* 8 *Sept. pag.* 51. *Habuerint ergo Sancti nostri in prædicto S. Michaelis templo vel proprium sibi locum dedicatum, vel, ut vocant, confessionem, martyriumve. Harum autem vocum significationem vide apud Cangium in utroque mediæ et infimæ Latinitatis et Græcitatis Glossario. Modo ad tempus, quo passi sint, investigandum veniamus.*

In tempus 6 *Si Græcorum Menologii ac Magnorum Menæorum auctoribus, si Actis, quæ Majores nostri ex Bibliotheca Vaticana olim describenda curarunt, fides sit habenda, et addita a Baronio Martyrologio suo annotatio, ac de-* D *sumpta ex Galesinii annuntiatione conjectura veritate nitantur, initio quidem seculi* IV *horum Martyrum Passionem affigendam, quis neget? Etenim cum Menæa, tum Basilianum ac Sirletianum Menologia, generosos hosce Christi Athletas sub Maximiano coronatos, apertissime pronuntiant. Menæorum verba habes superius num.* 2 : *e posterioribus vero monumentis primum ita orditur* Εὐλάμπιος..... καὶ Εὐλαμπία ἡ αὐτοῦ ἀδελφὴ ὑπῆρχον ἐκ τῆς πόλεως Νικομηδείας ἐπὶ τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ · Eulampius..... et Eulampia ejus soror erant ex urbe Nicomedia sub imperio Maximiani : *alterius autem hujusmodi est initium :* Natalis sanctorum martyrum Eulampii et Eulampiæ, qui sub Maximiano imperatore apud Nicomediam, præsidente Maximo, pro Christianæ fidei confessione passi sunt. *Neque ab his aut Baronius, qui citata supra ad Romanum Martyrologium annotatione ait :* Passique referuntur in persecutione Diocletiani : *aut Galesinius, hoc pacto Sanctos nostros commemorans :* Nicomediæ sanctorum Eulampii et Eulampiæ sororis, martyrum : qui illius tyranni persecutionum tempestates, in dies vehementius excitatas, ut de- E clinarent *etc., videntur dissentire; cum,* in persecutione Diocletiani *suam quoque in Christianos feritatem exercuisse Maximianum, Baronio probe fuerit cognitum; et Galesinius per* illum tyrannum *non alium, quam Maximianum, cujus eadem Octobris die in annuntiatione SS. MM. Gereonis et aliorum* 318 *paulo ante mentionem fecerat, designare voluisse censendus sit.*

martyrii 7 *Dicta hactenus, generaliorem quidem passionis nostrorum Pugilum epocham a famosa illa decennali persecutione desumendam, manifeste declarant; at certo neque hinc, neque ex iis, quæ supra retulimus, nec aliunde, quod sciam, sine ullo erroris periculo propius definiri martyrii tempus potest. Rem penitus confecisset Tillemontius tom.* 5 *Monumentorum art.* 43, *si Actis, a Metaphrasticis diversis, et quorum ex Leone Allatio de Simeon. Script. citat initium, sat tuto fidem haberi posse constaret : ex his enim, correcto unico, Græcis, ut nostro in Opere indicatur sæpius, maxime communi sphalmate, quo pro Maximino Maximianum scribunt, Sanctorum nostrorum martyrium anno æræ Christianæ* CCXI *esset* F *illigandum. En ipsa laudati scriptoris loco citato verba, Latine reddita :* Huc *(ad Christi scilicet annum* 311) forte etiam referendum est martyrium S. Eulampii et S. Eulampiæ sororis ejus, quoniam de his Leo Allatius citat Acta, quorum exordium habet, passos eos fuisse anno septimo imperii Maximiani. *Tum ad hæc recte animadvertens, ita pergit :* Non enim alio pacto tempus hoc sustineri posse videmus, quam MAXIMIANI nomen in MAXIMINI mutando, ut frequenter in Græcis necesse est. *Denique ad paginæ calcem subjicit :* Septimus annus Galerii *(Maximiani)* qui anno CCXCII creatus est cæsar, incidit in annum CCXCVIII, ante persecutionem : septimus vero, postquam anno CCCV *(Kal. Maii)* renuntiatus est Augustus, incipit anno CCCXI, quo mortuus est mense Maio; festum autem S. Eulampii (*et* S. Eulampiæ) celebratur X Octobris die, *quo passi creduntur, quique incidit in annum septimum, quo Maximinus cæsar fuerat creatus. At cum de illorum Actorum veritate subdubitare videatur, uti ex addita ab eo particula* forte *judicare*

pronum

A *pronun est, atque nos ipsi hac in re antiquum magis magisque legitimum his Actis monumentum expetamus, suffecerit, in quo saltem citati supra auctores conveniunt,* ineunti seculo IV *Sanctos nostros adscripsisse. Ad eorum Acta progrediamur.*

et SS. Acta inquiritur.

8 *Gemina de* SS. Eulampiis *idiomate Græco Acta habemus in Ms. codice not.* † *MS.* 193, *quorum alia Majores nostri ex Bibliothecæ Vaticanæ codice* 797, *alia ex Ms. Regis Franciæ Medicæo describenda curarunt. Posteriora hæc Metaphrastem auctorem habent, legique Latinitate donata possunt apud Surium ad* X *Octobris diem, tum etiam apud Lipomanum in Vitis Sanctorum tom.* 6, *pag.* 324 *versa. Tillemontius pro singulari, quo in citatum priore loco scriptorem ferebatur, affectu, nullius plane hæc valoris esse pronuntiat, nullam acris adeo censuræ eo loci rationem allegans. Priora, seu quæ e Vaticana Bibliotheca sunt desumpta, quod ea necdum edita sciam, hic non inutili opera cum versione Latina lectoris oculis subjicienda putavi. Auctoris nomen*

B *tempusque, quo scripserit, etsi me lateant, ac præterea quædam contineant, quæ non continuo passimque apud omnes fidem sunt inventura; absit tamen, ut nullius plane valoris ea esse hinc merito arbitrer. Contra, hæc et satis esse antiqua, et non Metaphrasti solum, sed et Menæorum, aut saltem, quæ his innectuntur, elogiorum, imo et Menologiorum conditoribus præluxisse, si quispiam contenderit, quo futurum sit modo, ut jure falsi arguatur, equidem non video. Etenim ita monumenta illa omnia cum his Actis conveniunt, ut ex iis pleraque videantur desumpta: nam in Menæis (idem esto de reliquis, Metaphraste excepto, judicium) solum omissa sunt, quæ illorum collectoribus minus visa sunt necessaria, qualia initio de gravitate persecutionis, ac deinde plurima dicta, Martyribus aut persecutoribus attributa, non ubique satis temporum personarumque adjunctis consentanea, leguntur. Nolim tamen, quis hæc ita a me prolata existimet, ut omnimodam hæc Acta fidem promereri, videar contendere. Enimvero quædam in illis asseruntur, quæ videntur omnino improbabilia, de quibus etiam lectorem in Annotatis monebo, ne aut id, quod haud dubie imperita cujusdam interpellatoris manu postmodum fuit adjectum, tamquam genuinum admittat, aut propter illud, quæcumque referuntur, velut spuria, omnique indigna fide rejiciat. De addita versione Latina, non est opus, ut operosius edisseram: eam plurimorum decessorum meorum more ita* E *adornare conatus sum, ut non periodus tantum periodo, sed et verbum, quantum, salva Latini sermonis puritate, fieri potuit, verbo respondeat.*

AUCTORE I. H.

ACTA

Auctore anonymo

Ex Ms. Bibliothecæ Vaticanæ Codice signato 797, *pag.* 171, *collata cum iis, quæ Lipomanus ex Metaphraste Latina fecit tom.* VI *a pag.* 324 *versa.*

INTERPRETE I. H.

CAPUT I. F

C

Capitur S. Eulampius, acriterque in tyrannum et idola invectus variis excruciatur suppliciis.

Ἔτους ἑβδόμου τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ, ἡγεμονεύοντος Μαξίμου, κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν διῶγμὸς ἐγένετο τῶν Χριστιανῶν· καὶ ἡ δυσσεβὴς μανία τῶν εἰδώλων ἐδημηγορεῖτο· καὶ ἡ εὐσεβὴς θρησκεία τῶν Χριστιανῶν ὡς ἐν ἀνθρώποις ἠλαττοῦτο, καὶ τὸ ψεῦδος ἐβασίλευσεν, καὶ ἡ ἀλήθεια ὑπεκρύπτετο· καὶ ὁ διάβολος διὰ τῶν ὑπουργῶν αὐτοῦ ἐνεφανίζετο, σπουδάζων τὴν ἠγαθὴν τῆς εὐσεβείας διδασκαλίαν ἐπισκοτίσαι. Τότε διὰ τοῦ Μαξίμου κελεύει διατάγματα καταπεμφθῆναι κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν, ὥστε προθέματα τεθῆναι ἐπὶ τῶν πυλῶν ἑκάστης πόλεως. Μαξίμου δὲ ἡγεμονεύοντος κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας ἐπὶ τῶν πυλῶν τῆς Νικομηδείας τῆς πόλεως προθέματα περιέχοντα οὕτως· Μαξιμιανὸς βασιλεὺς τοῖς ἐνοικοῦσιν ἐν τῇ Νικομηδαίων μητροπόλει, μικροῖστε καὶ μεγάλοις, ἐλευθέροις καὶ ξένοις καὶ πολίταις παρεγνῶ τάδε· ἔδοξέν μοι ἅμα τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ κατὰ τὸν ὀφθέντα μοὶ χρησμὸν παρὰ τῶν ἀηττήτων θεῶν,

Anno septimo imperii Maximiani *a*, præfecturam gerente Maximo *b*, ea tempestate in Christianos exarsit persecutio *c*; et impia idolorum insania invaluit, sanctaque Christianorum religio inter homines quasi deficiebat, regnabatque mendacium et veritas occultabatur: diabolus autem se per ministros suos manifestabat, dans operam, ut sacram pietatis doctrinam tenebris involveret. Tunc a Maximo per universam provinciam edicta divulgari, eaque singularum civitatum portis affigi jussit. Maximus ergo, quieo tempore Bithyniæ provinciæ præerat, portis civitatis Nicomediensis edicta, ita habentia, affigenda curavit: « Maximianus *d* impe- *d*
« rator metropolim Nicomediensium inhabitan-
« tibus, parvis et magnis, liberis et peregri-
« nis civibusque hæc nota facit: mihi et sacro
« senatui juxta oraculum, a diis invincibilibus mi-

Editis in Christianos edictis, *a* *b* *c*

hi

A. ANONYMO.

„ hi manifestatum, visum est, ut omnes, qui no-
„ stro subsunt imperio, tertio Martis die ad ma-
„ gnæ deæ Cereris templum celeriter conveniant,
„ deamque sacrificiis et incenso thure propitiam
„ reddant. Si vero quis divina hæc edicta con-
„ temnere fuerit deprehensus, deosque sacrificiis
„ venerari noluerit, hunc volumus istius loci
„ præfecti, collectique, quod ei assistit, concilii
„ cura et periculo convenientibus subjici sup-
„ pliciis. „

plurimi Nicomedia profugiunt, quos inter S. Eulampius,

e

f

B

g

qui, cum in urbem reversus ea contemneret, capitur

C

et tyranno sistitur, a quo

2 Hæc autem impia edicta portis affixa cum omnes civitatem ingredientes, aut illa exeuntes viderent, alii quidem, naufragium per diabolum passi, animo deficiebant *e* ; alii vero pii et Deum timentes ad montes fugiebant, et speluncas agrestes civitatum loco habebant, animo versantes doctrinam Eliæ in cælum sublati, qui aliquando a facie Jezabelis fugit *f*, et montes incoluit : ita et qui pie sentiebant, ejusmodi vivendi normam elegerunt ; fugiebant enim impii mandati minas. Cum jam cultores pietatis unanimiter in montem sanctum evasissent, invenerunt speluncam, in qua præ metu se absconderunt. Invalescente autem impietate, multo tempore ibi delitescebant. Cum ergo, qui in spelunca erant, indigerent alimento, et deliberassent, e fratribus quemdam juvenem, nomine Eulampium, elegerunt eumque dimiserunt *g* in civitatem, ipsis cibaria in victum coemeret.

3 Hic cum appropinquasset civitati, vidit edictum, portis civitatis affixum, et consistens puer Eulampius perlegit, quæ in illo continebantur. Erat autem dies Martis, et omnes de more ad templum convolabant, ut sacrificarent. Verum quidam viri a præfecto ad portas civitatis erant constituti, qui intrantes et ex urbe egredientes diligenter observarent : atque hi conspicientes legentem et edicta impia corripientem, obstupescebant, atque ex urbe egressi dicunt ei : Quid stas, adolescens, neque te ad deorum templum confers iisque sacrificas, quoniam hodie diis sacrificatur ? Puer vero, quoniam junior erat, contempsit illos, et gressum inde movens, illico recurrit ad fratres; at cum vidissent viri illi, quæ fecisset juvenis, insecuti comprehenderunt eum, et inter verba examinabant eum dicentes : Unde es tu, quo vadis et unde venisti ? quare non respondisti nobis, sed contemnens nos recessisti, omnino nos ludibrio habens, quia et tu Christianus es, et clanculum civitatem ingrederis, ut ad deos accedentes seducas. Tum ligatum eum abripuerunt ad carcerem, volentes eum sequenti mane præfecto sistere.

4 Postero ergo die duxerunt illum ad præsidem, dicentes : Hunc comperimus unum ex Christianis esse et imperatorii mandati contemptorem: hic enim multos avertit a deorum sacrificiis. Hæc de causa deduximus eum ad potestatem tuam, ut illum ad vos perductum ad ejusmodi insaniam deserendam inducatis. Tum vero dixit illis præfectus : Ubi est ? ducite eum ad me, ut videam illum: statimque coram adductus est. Præfectus autem, aspiciens ejus formam et vigorem juventutis, militibus, qui eum comprehenderant, dixit : Ut quid juvenem temere ligantes injuria affecistis ? solvite, impii, adolescentis vincula : miseret me enim, dum illum, velut in solitudine educatum, rerum omnium ignarum conspicio : adducite ergo eum, et, ne tamquam homo rusticus et secretorum imperitus stupore percellatur, prope me statuite,

ὥστε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ τοῦ Ἄρεως πάντας τοὺς ὑπ' ἐμοῦ D
βασιλευομένους θάττον ἀνιέναι ἐπὶ τὸν ναὸν τῆς μεγάλης
θεᾶς Δημήτρας, καὶ θυσίαις καὶ καπνίσμασιν ἐξιλεοῦ-
σθαι τὴν θεόν. Εἰ δέ τις καταφρονητὴς ὀφθείη τῶν
θείων τούτων προσταγμάτων, καὶ μὴ βουληθείη θυσίαις
θεραπεῦσαι τοὺς θεούς, τοῦτον βουλόμεθα προνοίᾳ καὶ
κινδύνῳ τοῦ κατὰ τὸν τόπον ἡγεμόνος, καὶ τῆς ἐξυπηρε-
τουμένης αὐτῷ τάξεως συναχθείσης ταῖς θεούσαις τι-
μωρίαις ὑποβάλεσθαι.

2 Τῶν δὲ δυσσεβῶν τούτων προσταγμάτων ἐπὶ τῶν
πυλῶν προτεθέντων, καὶ πάντων θεωρούντων, τῶντε
εἰσιόντων καὶ ἐξιόντων ἐν τῇ πόλει, οἱ μὲν ἐβυθίζοντο
ἐπὶ γῆς ὑπὸ τοῦ διαβόλου ναυαγοῦντες, οἱ δὲ εὐ-
λαβεῖς καὶ φοβούμενοι τὸν Θεὸν ἔφυγον ἐν ὄρεσι, καὶ
σπηλαίοις ἀγρίοις, ἡγούμενοι τὰς πόλεις, ἔχοντες δὲ
ἐν διανοίᾳ τοῦ οὐρανοδρόμου Ἠλία τὰς διδασκαλίας,
ὃς ποτὲ ἀπὸ προσώπου Ἰεζάβελ καὶ ἦν ἠθισμένος
ἐν τοῖς ὄρεσιν· οὕτω καὶ οἱ τὸν εὐσεβῆ λογισμὸν ἔχον-
τες τὴν τοιαύτην ἐπελέξαντο πολιτείαν. Φεύγοντες
γὰρ τοῦ ἀθέου προστάγματος τὴν ἀπειλήν· ἀπελ-
θόντες ὁμοθυμαδὸν οἱ θεῦλοι τῆς εὐσεβείας ἐν ὄρει
ἁγίῳ, εὑρόντες σπήλαιον ἀπεκρυψαν ἑαυτοὺς διὰ τοῦ
φόβου. Ἐπικρατούσης δὲ τῆς παρανομίας, ἐγένετο χρό-
νος ἱκανός. Οἱ δὲ ἐν τῷ σπηλαίῳ ἐδεήθησαν τροφῆς, E
καὶ σκεψάμενοι, ἐξελέξαντο ἐκ τῶν ἀδελφῶν ἕνα νεώ-
τερον, Εὐλάμπιον ὀνόματι, καὶ ἀπέστειλαν ἐν τῇ πόλει
πρὸς τὸ ἀγορᾶσαι αὐτοῖς ἐπισιτισμὸν εἰς διατροφήν.

3 Ἐλθόντος δὲ αὐτοῦ πρὸ τῆς πόλεως, θεωρεῖ τὸ
διάταγμα πρὸ τῶν πυλῶν τῆς πόλεως προκείμενον, καὶ
στὰς ὁ παῖς Εὐλάμπιος ἀνεγίνωσκε τοὺς στίχους. Ἦν
δὲ ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ Ἄρεως, καὶ πάντες ἔτρεχον κα-
τὰ τὸ ἔθος ἐν τῷ ἱερῷ ἐπὶ τὴν θυσίαν. Ἦσαν δὲ
ἄνδρες τεταγμένοι ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος ἐπὶ τῆς πύλης τῆς
πόλεως πρὸς τὸ περιεργάζεσθαι τοὺς εἰσιόντας, καὶ
ἐξιόντας, ἐν τῇ πόλει· καὶ οἱ ἄνδρες ἰδόντες ἀναγι-
νώσκοντα, καὶ ἐπιλαβόμενον τῶν δυσσεβῶν προσταγμά-
των, ἐξέστησαν, καὶ ἐξελθόντες ἔξω τῆς πόλεως, λέ-
γουσι πρὸς αὐτὸν· τί ἵστασαι, νεανίσκε, καὶ οὐ πορεύει
ἐν τῷ ἱερῷ θεῶν, καὶ θύεις αὐτοῖς, ὅτι σήμερον θυσία
ἐπιτελεῖται τοῖς θεοῖς ; Ὁ δὲ παῖς ὡς ἅτε νέος
ὢν ἐξουδένωσεν αὐτούς, καὶ κινήσας τοὺς πόδας ᾤχετο
σπουδαίως πρὸς τοὺς ἀδελφούς· οἱ δὲ ἄνδρες ἰδόντες ὃ
ἐποίησεν ὁ νεανίσκος, καταλαβόντες ἐπελάβοντο αὐ-
τοῦ, καὶ τύπτοντες διεξήταζον αὐτὸν λέγοντες· Πόθεν
εἶ, καὶ ποῦ πορεύει, καὶ πόθεν ἥκας ; καὶ διατὶ οὐκ
ἀπεκρίθης ἡμῖν ; ἀλλ' ἐξουδενώσας ἡμᾶς ἐπορεύου,
ἐμπαίζων πάντως ὅτι καὶ σὺ ἐκ τῶν Χριστιανῶν εἶ, καὶ
εἰσέρχη κρυφίως ἐν τῇ πόλει, ἐξαπατῶν τοὺς προερ- F
χομένους τοῖς θεοῖς. Καὶ δήσαντες αὐτὸν εἰσήγαγον
εἰς τὴν φρουράν, βουλόμενοι τῇ ἑωθεν προσαγαγεῖν
τῷ ἡγεμόνι.

4 Τῇ δὲ ἐξῆς προσήγαγον αὐτὸν τῷ ἡγεμόνι λέ-
γοντες· Τοῦτον ηὕραμεν* τινὰ τῶν Χριστιανῶν ὄντα, καὶ * ἡυράμεθα
καταγινώσκοντα τῶν βασιλικῶν προσταγμάτων· οὗτος
γὰρ πολλοὺς διαστρέφει μὴ θύειν τοῖς θεοῖς. Τούτου χά-
ριν ἠγάγομεν αὐτὸν πρὸς τὴν σὴν ἀρετὴν, ἵνα πρὸς
τὸ παριστάμενον ὑμῖν τοῦτον ἀποσχέσθαι πείσητας* * πείσητε
τῆς τοιαύτης μωρίας. Ὁ δὲ ἡγεμὼν εἶπεν αὐτοῖς· Ποῦ
ἐστιν ; εἰσαγάγετέ μοι αὐτὸν, ὅπως θεάσωμαι αὐτὸν,
καὶ εἰσήχθη ἔμπροσθεν αὐτοῦ. Καὶ ἰδὼν ὁ ἡγεμὼν τὴν
μορφὴν, καὶ τὴν ἀκμὴν τῆς νεότητος αὐτοῦ, ἔφη τοῖς
συλλαβοῦσιν αὐτὸν στρατιῶταις· ἵνα τί προπετῶς δή-
σαντες, ἐνυβρίσατε τὸν νεανίαν ; λύσατε ἀνόσιοι τὰ
χειρόπεδα ἀπὸ τοῦ νέου· σπλαγχνίζομαι γὰρ ὁρῶν
αὐτὸν ἀθαῆ ὡς ἐν ἐρήμῳ τραφέντα· ἀγάγετε οὖν αὐτὸν,
καὶ στήσατε πλησίον μοῦ πρὸς τὸ μὴ θαμβεῖσθαι ὡς ἄ-
γροικον καὶ ἄπειρον τῶν σακρέτων, ἵνα μάθω ἐπιεικε-
στέρως τὴν πᾶσαν ἀλήθειαν, καὶ διόπερ παραδέδοται
τῷ ἡμετέρῳ δικαστηρίῳ· οὐ δὲ γὰρ ὁ αὐτοκράτωρ
προ-

*ℓ, εἰκῆ

παοσέταξέν μοι ἥκειν* καὶ μάτην τοὺς ἀνθρώπους φονεύειν, μάλιστα τοὺς θύοντας τοῖς μεγάλοις θεοῖς.

5 Καὶ παρελθὼν εἷς τῶν κουρσώρων, ὀνόματι Ἀπολλώνιος, λύσας τὰς χεῖρας τοῦ νεανίσκου, ἤγαγεν αὐτὸν πλησίον τοῦ ἡγεμόνος. Τότε ὁ ἡγεμὼν μετὰ πάσης κολακείας λέγει αὐτῷ· Νεανίσκε, τί τὸ ὄνομά σου; ἀνάγγειλόν μοι. Δοῦλος εἶ, ἢ ἐλεύτερος; Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ τεανίσκος εἶπεν· Δοῦλος εἰμὶ τοῦ ἐν οὐρανοῖς δεσπότου· τὸ δὲ πρὸς ἀνθρώπους γένος ἐλεύθερος ἐπισήμων γονέων, ἐπικληθέν μοι ὄνομα Εὐλάμπιος καλοῦμαι. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν λέγει· Εἰπέ οὖν, Εὐλάμπιε, διά τι ἐλεύθερος τυγχάνων ὡς ἀγενὴς καὶ ἀσήμων γονέων οὐ πειθαρχεῖς τοῖς δόγμασι τῶν αὐτοτρατόρων, καὶ θύεις τοῖς θεοῖς; Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Ποίοις θεοῖς ἔχω θῦσαι; Ὁ ἡγεμὼν λέγει· Τῷ Διΐ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, μάλιστα δὲ τῇ μεγάλῃ Δημήτρᾳ. Εὐλάμπιος εἶπεν· Ὁ πιστεύων αὐτοῖς ἐμπίπτει εἰς ἀπώλειαν· Ζεὺς γάρ ἔστιν ἡ ἀρχὴ τῆς ἀπωλείας· Ἀπόλλων δέ ἐστι τῶν ψυχῶν ὄλεθρος. Δήμητρα δὲ ἡ δημήσασα* τὰς ψυχὰς τῶν εἰς αὐτὴν ἐλπιζόντων. Μάξιμος δὲ ἡγεμὼν εἶπεν· Εὐλάμπιε, B κακῶς ποιεῖς κακολογῶν τοὺς θεούς· φοβοῦμαι, μήπως ὀργισθέντες ἐξαναλώσωσίν σε. Ἀποκριθεὶς δὲ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Μὴ πλανῶ, ἡγεμών· οἱ γὰρ θεοὶ ὑμῶν δαιμόνια εἰσί, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, ὅμοιοι αὐτῶν γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτά, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς.

* an δημεύσασα?

6 Τότε ὀργισθεὶς ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Εὐλάμπιε, ὡς ἐκ τοῦ σχήματος καὶ τῆς ὄψεως συνήρπασάς με· ἐνόμιζον γάρ σε ἄνθρωπον εἶναι, ὡς ἔφης, ἐλεύθερον, ἁπλώτητι πλανώμενον. Τούτου χάριν σπλαγχνισθεὶς ἐπὶ σὲ προσκαλεσάμενός σε πλησίον, παρήνεσά σοι ὥστε φίλον εἶναι τοῦ αὐτοκράτορος, καὶ διάγειν σὺν ἡμῖν ἐν ἐλευθερίᾳ, οὐκ εἰδὼς ὅτι μιαρὸς τοῖς τρόποις ὑπάρχεις, καὶ δεινῆς ψυχῆς κυριεύεις· οἱ γὰρ θεοὶ ὀργισθέντες τῇ ἀπονοίᾳ τῆς ἀφροσύνης σου, καὶ τῇ παρ' αὐτοῦ εἰς αὐτοὺς μελλούσῃ γίνεσθαι θυσίᾳ ἀνάξιόν σε δοκιμάσαντες, παρέδωκάν σε ἐμοὶ τοῦ κακῶς ἀπολέσαι σε· διὸ καὶ τὸ νῦν πάλιν παραινῶ σοι φειδόμενός σοι· ἄπελθε ἐπὶ τῶν βωμῶν, καὶ θύσας ἱκέτευσον τοὺς οἰκτείρμονας θεούς, ἱλέους γενέσθαι τῶν παρά σου εἰς αὐτοὺς τετολμημένων. Ὁ δὲ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Ἄφρων καὶ ἀνόητε, οὕτω πεπαρωμένην ἐκτίσω τὴν καρδίαν ὥστε μὴ νοεῖν; Θεοὶ εἰσίν, εἰπέ C μοι, οἱ μὴ ἔχοντες αἴσθησιν εἰς τὸ αἰσθάνεσθαι, μήτε ἀκοὰς εἰς τὸ ἀκούειν, ἢ ὀφθαλμοὺς εἰς τὸ βλέπειν, μὴ πόδας εἰς τὸ περιπατεῖν; Οὗτοι οὖν ποταποὶ θεοί; Τότε ὀργισθεὶς ὁ ἡγεμὼν λέγει· Ὁ ἐνυβρίσας τοὺς θεοὺς ἀφαιρείσθω τὴν ἐσθῆτα διὰ τὴν αὐτοῦ προπέτειαν, καὶ ἐκταθεὶς τυπτέσθω.

7 Μαστιζομένου δὲ αὐτοῦ, καὶ μηδὲν ὅλως ἀποκρινομένου, ὁ ἡγεμὼν λέγει· Εὐλάμπιε, ἐπείσθης, πῶς αἰκίζουσιν οἱ θεοί; ἔγνως, ὁποία ἡ ὀργὴ τῶν θεῶν ὑπάρχει; παυσάμενος οὖν τῆς μωρίας ἐκείνης ὁμολόγει θύειν αὐτοῖς, καὶ σωθήσῃ ἐκ τῶν βασάνων. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος λέγει· Μόλις ἔπεισάς μοι, ὅτι οἱ θεοί σου χείρων σου εἰσίν, μᾶλλον δὲ ἑκουσίως ὅμοιος αὐτῶν ἐγένου· ἐτυφλώθησαν γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ τῆς διανοίας εἰς τὸ μὴ βλέπειν τίς ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ δημιουργήσας τὰ σύμπαντα. Τότε θυμωθεὶς ὁ ἡγεμὼν κελεύει διὰ τεσσάρων ὑπηρετῶν εὐτόνως λεπτοῖς βουνεύροις τύπτεσθαι αὐτόν. Ὁ δὲ ἅγιος Εὐλάμπιος ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εἶπεν· Δέομαί σου, δέσποτα οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ὁ τὴν πληγὴν τὴν ἀνίατον θεραπεύσας τοῦ Ἀδάμ, ὁ χορὸν ἁγίων ἀγγέλων συστησάμενος, καὶ δοξαζόμενος ὑπ' αὐτῶν μετὰ φόβου καὶ τρόμου, σὲ

A. ANONYMO.

ut omnem convenientius discam veritatem, et quam ob rem nostro traditus sit judicio : neque enim me jussit imperator temere et sine consilio interficere homines, potissimum eos, qui diis magnis sacrificant.

5 Tum accedens cursorum *h* aliquis, nomine Apollonius, cum Adolescentis manus solvisset, eum proxime ad præsidem deduxit. Tunc præses multa cum adulatione dixit illi : Adolescens, quod tibi nomen? indica mihi. Servus es, an liber? et respondens juvenis dixit : Servus sum Domini, qui in cælis est : secundum homines vero sum genere liber ex claris oriundus parentibus, et nomen mihi datum est Eulampius. Respondens autem præfectus, cedo igitur, inquit, Eulampi, cur tu, ingenuus cum sis, velut ignobilis et obscurorum parentum filius, imperatorum mandatis non obtemperes, diisque sacrifices? Respondens sanctus Eulampius dixit: Et quibus ego diis sacrificem? Jovi, reponit præfectus, et Apollini, maxime vero magnæ Cereri. Eulampius dixit : Qui credit in illos, ruit in perditionem : etenim Jupiter interitus principium est; Apollo autem animarum exitium; ac Ceres perdit animas in se sperantium. E Maximus præfectus dixit : Male agis, Eulampi, maledicendo diis : vereor, ne forte ad iram provocati te perdant penitus. Sanctus autem Eulampius respondens dixit : Noli errare, o præses : vestri namque dii dæmonia sunt, opera manuum hominum, similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis *i*.

frustra ad sacrificandum diis excitatus h

i

6 Tunc iratus præfectus dixit : Eulampi, forma tua vultuque me quasi abripuisti : existimabam enim, te, ut aiebas, hominem esse liberum, simplicitate deceptum. Hac de causa ego tui misertus propius te accedere jubens, hortatus te fui, ut imperatoris amicus fieres, et nobiscum in libertate degeres, nescius, quod pollutis esses moribus, et atrocem animum possideres : dii enim in contumaciam dementiæ tuæ succensi, teque indignum reputantes, qui ipsis sacrificares, tradiderunt te mihi, ut te male perderem : quapropter te nunc adhortor iterum, parcens tibi : accede ad aras, et sacrificans venerare deos misericordes, ut propitii fiant audaciæ a te in illos admissæ. Verum sanctus Eulampius dixit : Demens et insensate, itane cor dissolutum geram, ut neque potestatem habeam recte cogitandi? cedo, diine sunt, qui nec sensum habent, ut sentiant; nec aures, ut audiant; F nec oculos, ut videant; nec pedes, ut ambulent? Hi tandem quales sunt? Tunc præfectus excandescens dixit : Calumniator deorum exuatur vestibus ob proterviam suam, et extensus percutiatur.

vestibus exui,

7 Cum vero flagellis cæderetur, nihilque omnino responderet, dixit præfectus : Eulampi, persuasumne tibi est, qui dii puniant? nostin', qualis sit deorum ira? ab illa ergo desistens insania sponde, te iis sacrificaturum, et tormentis liberaberis. Sanctus Eulampius dixit: Ægre persuaseris mihi, quia dii tui sunt manuum tuarum; valde autem ipsis similis sponte factus es : excæcati enim sunt mentis tuæ oculi, ne videas, quis sit Deus universorum conditor. Tunc iratus præfectus jubet eum a quatuor ministris tenuibus boum nervis acriter cædi. At sanctus Eulampius in cælum suspiciens dixit : Oro te, Domine cæli et terræ, qui immedicabile Adami vulnus curasti, qui sanctorum Angelorum chorum in unum congregasti, qui glorificaris ab eis

flagellis cædi

A. ANONYMO. eis cum metu et tremore, te, Domine, Salvatorem et Redemptorem invoco; eripe me ex cogitationibus impiissimi Maximi, intemeratum me conserva ad gloriam tuam, et averte a me horum tormentorum cruciatum. Cum autem diu excruciatus esset Adolescens, tortores quidem deficiebant; qui vero torquebatur, apparebat illustrior. Tunc præfectus dixit; Parcite ei et finite eum assurgere. Ubi vero sanctus Martyr surrexerat, plenus Spiritu Sancto ait: Quid canis instar furis, Christum impugnans? agnosce, quod ad iram provoces Deum Creatorem tuum: etenim hæc quidem pro Deo patior, confidens, me liberatum iri errore diabolico; tu vero, qui hæc mihi infers, in æternum punieris. Maximus præfectus dixit: Per deos immortales, talibus ego te tormentis afficiam, ut hominibus singulis te sim manifestaturus, quod, cum Christianus non sis, maligne mentiaris, te ipse decipiens.

et aliis

8 His auditis, S. Eulampius, suaviter subridens, dixit: Gaudeo, Maxime, de tuis in me convitiis: ego autem per hæc certaminis bravium recipere festino. Quæ cum audisset præfec-
B tus, ira succensus est, jussitque eum in equuleo suspensum radi. Cum vero scalperetur crudeliter et adstantes obstupescerent, Martyr voce magna clamavit: Qui regnas in secula, Christe Deus, exaudi me, et impio præfecto ostende, veras esse promissiones tuas. Lictores autem ipsum scalpendo fatigabantur. Tum jussit eum præfectus a ligno deponi, et manuum pedumque digitos tenuibus ligari funibus *k*, dixitque ei:
k Sacrifica diis. Sanctus Eulampius dixit: Impuris dæmonibus non sacrifico, sed colo Deum meum Jesum Christum, pro salute mea crucifixum. Maximus præfectus dixit: Manifestam facis insaniam tuam, dum Crucifixo adhæres. Et quid, reponit sanctus Eulampius, impedimento vobis est, quo minus omnium Deum et triumphale ejus signum agnoscatis? haud aliud, quam mens vestra incredulo: scriptum est enim, crucis nomen Judæis quidem scandalum, gentibus autem factum esse stultitiam. Maximus præfectus inquit: Estne ergo Deus crucifixus? Reposuit Sanctus: Diine sunt, qui sensu carent et motu, surdi et cæci, ligna et lapides, opera manuum? Respondit præses: Suspice, Eulampi,
C et intuere polum, solemque lumen diffundentem, et astrorum cursum, quæ amittere cupis, et occumbere. Hæc, inquit Martyr, vides et miraris, et eorum Factorem Dominumque non intelligis; si igitur Deum, qui hæc condidit, vis cognoscere, crede in Christum, et ea recte percipies: per hunc enim omnia visibilia nobis et invisibilia facta sunt.

cruciatibus torqueri jubetur.

9 Maximus præfectus dixit: Quis ergo horum omnium Deus est? Crucifixus? Sanctus Eulampius respondit: Tu, improbus cum sis, passionem quidem audivisti, eamque velut infirmitatis indicium admittis; sed virtutem resurrectionis ejus non intelligis: non enim vis ipsi credere. Præfectus dixit: Multas ego sermonum tuorum ambages audivi: cæterum autem, Eulampi, obedire velis et diis sacrificare, ne me cogas atrocibus te perdere suppliciis. Sanctus Eulampius dixit: Quibuscumque mihi ad vitam utilibus, et possessionibus, et genere, et patria sum orbatus, ut veras cælestesque possiderem divitias, quas neque tu, neque imperator tuus, neque mundi regna mihi possint eripere. Si ergo torquere me cupias, torque. Præfectus di-

ἐπικαλοῦμαι, Κύριε, τὸν σωτῆρα καὶ λυτρωτήν, ῥύσαι με D
ἀπὸ τῆς ἐπινοίας τοῦ ἀσεβεστάτου Μαξίμου, ἄσυλόν με διατήρησον ἐν τῇ δόξῃ σου, καὶ ἀπόστρεψον ἀπ' ἐμοῦ τὴν τῶν βασανιστηρίων τούτων κόλασιν. Ἐπὶ πολὺ δὲ βασανιζομένου τοῦ παιδὸς, οἱ μὲν βασανίζοντες ἠτόνησαν· ὁ δὲ βασανιζόμενος δοκιμότερος ἐγίνετο. Τότε λέγει ὁ ἡγεμών· Φείσασθε αὐτοῦ καὶ ἄφετε ἀναστῆναι. Ἀναστὰς δὲ ὁ ἅγιος Μάρτυς καὶ πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου ἔφη· Τί μαίνει ὡς κύων μαχόμενος κατὰ Χριστοῦ; ἐπίγνωθι ὅτι παροργίζεις Θεὸν τὸν ποιήσαντά σε· ἐγὼ μὲν γὰρ διὰ τὸν Θεὸν ταῦτα πάσχω, πιστεύων ῥυσθῆναι ἀπὸ τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου· σὺ δὲ ὁ ταῦτα μοι ἐπάγων, αἰωνίως κολασθήσῃ. Μάξιμος ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Μὰ τοὺς θεοὺς τοὺς ἀθανάτους τοιαύταις σε κολάσεσιν τιμωρήσομαι, ἵνα πᾶσιν ἀνθρώποις φανερὸν σὲ ποιήσω, ὅτι μὴ ὢν Χριστιανὸς κακοήθως ψευδηγορεῖς ἑαυτὸν ἀπατῶν.

8 Ὁ δὲ ἅγιος Εὐλάμπιος ἀκούσας ταῦτα, καὶ ἡδὺ γελάσας εἶπεν· Χαίρω, Μάξιμε, ἐπὶ τῇ ὑπὸ σοῦ λοιδωρίᾳ· ἐγὼ δὲ σπεύδω ἐν ταύτῃ τὸ βραβεῖον τῆς ἀθλήσεως δέξασθαι. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ ἡγεμὼν ὀργίσθη, καὶ κελεύει ἀναρτηθέντα αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ξύλου E
ξέεσθαι. Ξεομένου δὲ αὐτοῦ δεινῶς καὶ τῶν ἑστώτων θαυμαζόντων, φωνῇ μεγάλῃ ὁ Μάρτυς ἀνεβόησεν· Ὁ βασιλεύων εἰς τοὺς αἰῶνας, Χριστὲ ὁ Θεὸς, ἐπάκουσόν μου, καὶ δεῖξον τῷ κακόφρονι ἡγεμόνι, ὅτι ἀληθεῖς ὑπάρχουσιν αἱ ἐπαγγελίαι σου· Ἠτόνησαν δὲ οἱ δήμιοι τοῦ ξέειν αὐτόν. Τότε κελευσι ὁ ἡγεμὼν κατενεχθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ξύλου καὶ δεθῆναι τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς πόδας ἀπὸ τῶν δακτύλων ἰμᾶσι λεπτοῖς, καὶ λέγει αὐτῷ· Θῦσον τοῖς θεοῖς. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Ἐγὼ δαίμοσι ἀκαθάρτοις οὐ θύω, ἀλλὰ τῷ Θεῷ μου λατρεύω Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ σταυρωθέντι διὰ τὴν ἐμὴν σωτηρίαν. Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπεν· Κατάδηλον ἐποίησας τὴν σεαυτοῦ μωρίαν, ἐσταυρωμένῳ προσέχων. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος· Τί γὰρ ἐστὶ τὸ ἐμποδίζον ἐπιγνῶναι ὑμᾶς τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, καὶ τὸ νικοποιὸν αὐτοῦ σημεῖον; οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ' ἢ ἄπιστος ὑμῶν γνώμη· γέγραπται γὰρ Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσιν δὲ μωρίαν τὸ τοῦ σταυροῦ ὄνομα γεγονέναι. Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπεν· Ἔστιν οὖν Θεὸς ἐσταυρωμένος; Ὁ Ἅγιος εἶπεν· Εἰσὶν δὲ θεοὶ ἀναίσθητοι, καὶ ἀκίνητοι, κωφοὶ, καὶ τυφλοὶ, ξύλα, καὶ λίθοι, ἔργα χειρῶν; Ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Ἀνάβλεψον, Εὐλάμπιε, καὶ θέασαι πόλον, καὶ φωσφόρον ἥλιον, καὶ ἄστρων χωρείας, ἅτινα καταλιπεῖν θέλεις, καὶ ἀποθανεῖν. Ὁ Μάρτυς εἶπεν· Ταῦτα ὁρᾷς καὶ θαυμάζεις, F
καὶ τὸν τούτων δημιουργὸν καὶ δεσπότην οὐ κατανοεῖς· εἰ θέλεις οὖν ἐπιγνῶναι Θεὸν τὸν ποιήσαντα ταῦτα, πίστευσον εἰς Χριστὸν, καὶ ἐπιγμώσεις καὶ ταῦτα ὀρθῶς· δι' αὐτοῦ γὰρ πάντα τὰ παρ' ἡμῖν ὁρώμενα, καὶ μὴ ὁρώμενα γεγόνασιν.

9 Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπεν· Τίς οὖν ἐστὶν πάντων τούτων Θεός; Ὁ ἐσταυρωμένος; Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Σὺ κακοῦργος ὤν, τὸ μὲν πάθος ἀκήκοας, καὶ τοῦτο ὁμολογεῖς ὡς ἀσθενείας σημεῖον, τὴν δὲ δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ οὐ κατανοεῖς· οὐ γὰρ θέλεις πιστεῦσαι αὐτῷ. Ὁ ἡγεμὼν λέγει· Πολλὴν σου περίοδον λόγων ἀκήκοα· ἀλλὰ τοῦ λοιποῦ πεῖσαι καὶ θῦσαι θέλησον τοῖς θεοῖς, Εὐλάμπιε, ἵνα μὴ μὲ ἀναγκάσῃς δειναῖς κολάσεσιν ἀναλῶσαι σε. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Πάντων τῶν κατὰ τὸν βιόν μου χρημάτων, καὶ κτημάτων, καὶ γένους, καὶ πατρίδος ἐξενώθην, ἵνα τὸν ἀληθινὸν καὶ οὐράνιον πλοῦτον κτήσωμαι, ὃν οὔτε σὺ, οὔτε ὁ αὐτοκράτωρ σου, οὔτε αἱ τοῦ κόσμου βασιλείαι ἀφελεῖν ἀπ' ἐμοῦ δύναται. Εἰ οὖν δοκεῖ σοι βασανίζειν, βασάνιζε. Ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Καθαροῖς καὶ ἀμέμπτοις καὶ ἡμεῖς θύομεν θεοῖς, καὶ σὺ

πῶς

A πῶς τολμᾷς εἰδώλα αὐτοὺς ἀποκαλεῖν; Καὶ κελεύει ἐνεχθῆναι κράβατον σιδηροῦν, καὶ ἐπιτεθῆναι ἐπ' αὐτὸν τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον, καὶ ἐκπυροῦσθαι σφοδρῶς. Ἐκπουρουμένου δὲ τοῦ Ἁγίου ὑπὸ τῆς φλογὸς, διερρήγνυτο τὸ σῶμα αὐτοῦ. Ἀναβλέψας δὲ εἰς τὸν οὐρανὸν, φωνῇ μεγάλῃ εἶπεν· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ ὁδηγὸς τῶν πεπλανημένων, ὁ λιμὴν τῶν χειμαζομένων, ὁ ἰατρὸς τῶν ἀσθενούντων, ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμὲ, καὶ ἀνάγαγε ἐκ τῆς θλίψεως ταύτης, καὶ κούφισον ἀπ' ἐμοῦ τὸν πόνον τοῦ πυρὸς τούτου. Καὶ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀνεχθῆναι αὐτὸν τῶν βασάνων, καὶ ἤρξατο μετὰ κολακείας λέγειν αὐτῷ· Τέκνον Εὐλάμπιε, σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τῷ κάλλει σου· ἀλλὰ διὰ τὸν φόβον τοῦ αὐτοκράτορος οὐ δύναμαι παριδεῖν τὸ πρόσταγμα. Χαριζόμενος οὖν κἀμοὶ, καὶ τῇ σεαυτοῦ ἡλικίᾳ προσελθὼν θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ ἔσῃ φίλος τοῦ αὐτοκράτορος, καὶ πολλῶν ἄρξεις. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Τίνι ἔχω θῦσαι, ἢ ποίῳ θεῷ; Ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Τῷ Διΐ, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ τῇ θεᾷ Δημήτρᾳ. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Ποῦ εἰσὶν οἱ θεοί σου, ἵνα ἴδω αὐτοὺς; Καὶ περιχαρὴς γενόμενος (ὁ ἡγεμὼν) εἶπεν· Τί καλὴ ἡ μακροθυμία. Τὸν νεανίαν ἀναλαβόντες τὸν ἀνάξιον τῶν θεῶν ἐν τῷ ἐξκουβιτωρίῳ, τὴν δέουσαν αὐτῷ τιμὴν ἀπονείματε, ὅπως τῇ ἑωθεν προσαχθεὶς, ὡς B ἐφη, θύσῃ τοῖς θεοῖς.

xit: Puris et irreprehensibilibus diis nos ipsi sacrificamus, et quomodo tu eos audes idola appellare? jussitque afferri lectum ferreum, atque huic imponi sanctum Eulampium, et crudeliter exuri. Cum autem flamma adurebatur Sanctus, corpus ejus dissolvebatur. Tum vero cælum suspiciens, elata voce dixit: Domine Jesu Christe, dux errantium, naufragantium portus, curator infirmorum, respice in me, et ex hac me tribulatione erue, et aufer a me istius ignis dolorem. Et jussit præfectus eum suppliciis eximi, cæpitque ei cum adulatione dicere: Fili mi, Eulampi, tuæ me pulchritudinis miseret; verum ob metum imperatoris haud possum contraire edicto. Gratificans igitur et mihi, et ætati tuæ, accedens sacrifica diis, imperatorisque eris amicus ac multa consequere. Sanctus Eulampius dixit: Cuinam ego sacrificem vel quali Deo? Jovi, inquit præfectus, Apollini et deæ Cereri. Ubi, respondet Sanctus, dii tui sunt, ut videam eos? Tum (præfectus) repletus gaudio inquit: Quam bona est longanimitas! Adolescentem, diis inhonoratum, in excubitorium suscipientes, debitum ei honorem reddite, ut mane adductus, diis, ut dixit, sacrificet. E

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Sub hoc quidem imperatore Martyres nostros pro Christo decertasse, martyrologi, Græcos Menæorum ac Menologiorum auctores secuti, cum hoc anonymo communiter asserunt; ast præclarum eorum certamen verisimilius sub Maximino contigisse, non improbabiliter (Comment. præv. videsis) potest statui.*

b *Eamdem vocem* ἡγεμονεύοντος, *quam Raderus hic* urbi præfecto, *Sirletus* præsidente *vertit, Menæa adhibent; ut adeo civitatis dumtaxat Nicomediensis, non totius Bithyniæ præfectura huic præsidi, qui eodem ubique* Maximi *compellatur nomine, tribuenda videatur. At vero, quæ paulo inferius his in Actis de Maximo, edicta per provinciam divulgare jusso, tolique præsidente Bithyniæ referuntur, opinionem hanc videntur evertere: verum lapsum hic auctorem fuisse, pronum est conjicere, cum Bithynia post Maximi, non ejus, sed qui cum Balbino imperavit, tempora consularis sit facta, in eoque statu, ut inquit Pancirolus in Notit. Dignit cap.* 127, *usque ad Justinianum permanserit, et a solis consularibus viris, qualis hic Maximus nullibi reperitur, regi soleret.*

c *Non quod ea, quam Diocletianus et Galerius anno probabilius* 303 *movere in Christianos cœperant, ubique jam plane intermisisset, postquam prior jam ab anno* 305 *imperium abdicarat, posterior vero anno* 311 *mense Maio excesserat e vivis; sed quod excogitatis novi generis suppliciis, edictisque publicis multo decessoribus suis crudelius in Christi asseclas, qui per decumbentis Galerii mandatum tantisper respirare incipiebant, Maximinus desæviret.*

d *Vide superius dicta ad lit.* a.

e *Ita hanc phrasim vertendam duxi ob ea, quæ præcedunt ac proxime sequuntur.*

f *Lib.* 3 *Reg.* 19, ℣. 3.

G g *Hæc comprehensionis* S. Eulampii *occasio tum in Meræis, tum in utroque, Basiliano nempe et Sirletiano, Menologio constanter asserta, apud Metaphrastem spontaneo Sancti in civitatem regressui adscribitur:* Relicta pariter, *inquit apud Lipom. laudatus auctor,* solitudine, descendit (S. Eulampius) ad habitandum in civitate. *Quæ quomodo cum præcedentibus, ubi Martyr, relicta urbe, quod divinum Christi nomen tam impudenter irrideri ac subsanarri videre non posset, amplexus solitudinem dicitur, cohæreant, nemo sane, cum, Sancto nostro in urbem Nicomediensem redeunte, divini nominis irrisio etiam amplius illic invaluisset, facile percipiet, nisi id singulari forsan Dei instinctui, aut vix aliquid effecturo sancti Adolescentis zelo tribuendum conseatur.* F

h *Varia istius vocis significatio in utroque Cangii Glossario videri potest: hic autem per illam apparitorem designari, ex adjunctis existimo.*

i *Familiaris hæc plurimis Martyribus de idolorum vanitate ad tyrannos responsio ex PS.* 113 *et* 134 *desumitur; quem utrumque psalmum, de unius veri Dei existentia, ac insana falsorum numinum multitudine tractantem, Christiani forte, præsertim persecutionum tempore, tam frequenter inter sese concinere consueverant, ut hunc omnes, etiam juniores, alte adeo memoriæ impressum gererent, ut inde ad objecta quælibet aptissima responsa extemplo depromerent.*

k *Hoc et præcedens supplicium in Actis Metaphrasticis hunc in modum descriptum reperitur:* Tyrannus... ligno appendens indomitam statuam consumebat carnes lacerationibus; et ad medullas et ossa usque subibat dolor, et principales partes corporis attingebat... Deinde cernens, se esse superatum,... tenuibus... loris pedum et manuum adstrictos digitos jubet violenter circuntrahi, quod

A. Anonymo. quod ei intolerandum reddebat cruciatum. Nam cum confrigerentur articuli et violenta extensione quodammodo striderent, contigit Athletam prope morte affici, quod compages omnium membrorum corporis a sua sede et ordine dimoverentur. D

CAPUT II.

Contrito Eulampii precibus simulacro, Fratri se jungit Eulampia, atque ambo cum plurimis aliis martyrium consummant.

Eulampius, irrisis diis,

Aderat jam tertia Martis dies, qua diis sacrificari oportebat; præcepitque præses, ut præcones adjacentem omnem regionem et civitatem obirent, ita edicentes : Eulampius, nuper Crucifixi, nunc vero deorum amicus, accedit ad aras, ut sacrificet, deosque, quos ignorantia deceptus ad iram provocarat, veneretur. Omnes igitur unanimiter convenientes festivitatem una cum Adolescente celebremus. Congregata ergo magna cum e civitate, tum ex circumjec- B tis locis multitudine, jussit præses Eulampium. Dei famulum, advocari : qui cum venisset, dixit ei præfectus : Lætare, Eulampi, ecce dii conservatores universi; vide robur eorum atque potentiam. Sanctus Eulampius dixit : Iisne a me sacrificandum? Mene, ait præses, nunc decipies, Eulampi? agnosce ergo, quod dii execrentur eos, qui absurda effutiunt. Verum Christi Martyr ad simulacrum accedens dixit : Tibi loquor, deus lapidee, vin' comedere? vin' bibere? vin' vestibus indui? an indiges sacrificiis? Tum præfecto, ecce, inquit, dii tui stant otiosi, et non sedent; sedent et non assurgunt; citharizantes et tripudiantes nullatenus audiunt : os ipsis apertum est, nec loquuntur; oculis suis non vident : clamamus et non percipiunt; sacrificamus, et nidorem non olfaciunt; manus habent, nec suscipiunt hostias. Si jubes, aliquem ex iis dejiciam, nec se opponet, aut resistet, aut irascetur, neque vel imperatorem, vel præfectum vocabit in auxilium : si quis autem eis dixerit, deus vel dæmon, nec honori, nec dedecori hæc ducent. Vide ergo, o præses, qualia sint numina vestra *a*.

C *uniusque etiam simulacro suis ad Deum precibus comminuto,*

11 Maximus præfectis dixit : Multa loqueris, Eulampi, atque per hæc stupore nos perculisti : nonne agrestis eras, et cum bestiis conversabatis? quomodo philosophicæ doctrinæ factus es particeps? Respondit sanctus Eulampius : Te ego non reprehendo; cum enim excæcatus sis a diabolo, ignoras, qualem Deus sapientiam tribuat diligentibus se. Præfectus autem iratus dixit : Audax et injuriosa Dei tui est sapientia. Absit, inquit sanctus Martyr, sed ut scias, quomodo Deus meus ad iram provocetur et patienter ferat, suffer et vide. Tunc sanctus Dei Puer sublevans in cælum oculos dixit : Domine, Deus meus, qui suscepisti sacrificium Abrahæ, suscipe et meam deprecationem, et manifesta te mihi hoc certaminis tempore, nec derelinquas me, Domine, sed da gloriam Nomini tuo, non propter præfectum tantum, sed et propter adstantium multitudinem : tu enim respicis omnes sperantes in te. Hæc elocutus, dixit simulacro : Surdo tibi et muto dico, illico in terram prolabere. Et hæc proferente sancto Eulampio, statim Jovis *b* statua diffracta, et instar pulveris

Ἐφθασεν δὲ καὶ ἡ τρίτη ἡμέρα τοῦ Ἄρρεως, ὅτε ἔδει θύειν τοῖς θεοῖς· καὶ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν κήρυκας κατὰ πᾶσαν τὴν περίχωρον καὶ τὴν πόλιν διελθεῖν, λέγοντας οὕτως· Ὁ Εὐλάμπιος, ὁ ποτὲ τοῦ ἐσταυρωμένου, νῦν δὲ φίλος τῶν θεῶν ἀνέρχεται ἐπὶ τὸν βωμὸν θῦσαι, καὶ θεραπεῦσαι οὓς κατὰ ἄγνοιαν πλανώμενος παρώργιζεν θεούς. Πάντες οὖν ὁμοθυμαδὸν συνελθόντες συνεορτάσωμεν τῷ νέῳ. Συνελθόντος οὖν ὄχλου πολλοῦ τῆς τε πόλεως καὶ πάσης τῆς περιχώρου ἐν τῷ ναῷ, κελεύει ὁ ἡγεμὼν καλεῖσθαι τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον Εὐλάμπιον· εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ, ὁ ἡγεμὼν εἶπεν· Χαίροις, Εὐλάμπιε, ἴδε οἱ θεοὶ τὴν οἰκουμένην συν- E τηροῦντες, ἴδε τὴν δύναμιν αὐτῶν καὶ ἰσχύν. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Τούτοις ἔχω θῦσαι; Ὁ ἡγεμὼν λέγει· Καὶ νῦν σοφίζῃ με, Εὐλάμπιε; γίνωσκε οὖν, ὅτι οἱ θεοὶ βδελύσσονται τοὺς ἀλόκοτα φθεγγομένους. Ὁ δὲ Μάρτυς τοῦ Χριστοῦ προσελθὼν τῷ ἀγάλματι ἔφη· Σοὶ λέγω, λίθινε θεὲ, θέλεις φαγεῖν; θέλεις πιεῖν; θέλεις ἐνδύσασθαι; χρείζεις θυσιῶν; Καὶ λέγει τῷ ἡγεμόνι· Ἴδε, οἱ θεοί σου ἀργοί ἵστανται, καὶ οὐ καθέζονται, καθέζονται καὶ οὐκ ἀνίστανται· κιθαριζόντων καὶ ὀρχουμένων οὐδαμῶς ἀκούουσιν· τὸ στόμα ἀνέῳγε, καὶ οὐ λαλοῦσι· οἰὸφθαλμοὶ αὐτῶν οὐχ ὁρᾶσιν· κράζωμεν καὶ οὐκ ἀκούουσιν· θύομεν, καὶ οὐκ ὀσφραίνονται τῆς κνίσης· χεῖρας ἔχουσι, καὶ οὐκ ἐπιλαμβάνονται τῶν θυσιῶν. Κελεύεις, καταβάλλωὲν ἐξ αὐτῶν καὶ οὐκ ἀντιτείνει, οὐκ ἀντιποιεῖται, οὐκ ὀργίζεται, οὐ καλεῖ τὸν αὐτοκράτορα πρὸς βοήθειαν, οὐ τὸν ἡγεμόνα· ἐὰν δὲ καὶ καλέσῃ τις, θεὸς ἢ δαίμων, οὐ τιμὴν ταῦτα ἡγεῖται, οὐκ ἀτιμίαν. Ἴδε οὖν ἡγεμών, τὰ σεβάσματα ὑμῶν ὁποῖα ἐστίν.

11 Μάξιμος ἡγεμὼν λέγει· Πολυλογεῖς, Εὐλάμ- F πιε, ἐξέστησας δὲ ἡμᾶς ἐν τούτοις· οὐκ ἄγροικος ἦς, καὶ τῶν θηρίων συνόμιλος· πῶς ἐγένου φιλοσοφικῆς μετέχων ἐπιστήμης; Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Οὐ μέμφομαί σε· ἐσκοτισμένος γὰρ ὡς ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ἀγνοεῖς ποίαν σοφίαν δίδωσι τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν Θεός. Ὁ δὲ ἡγεμὼν ὀργισθεὶς λέγει· Τολμηρώδης, καὶ ὑβριστικὴ σοφία παρὰ τῷ Θεῷ σου ἐστίν. Ὁ ἅγιος Μάρτυς εἶπεν· μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἵν' εἰδῇς, πῶς ὁ Θεός μου καὶ παροργίζεται, καὶ μακροθυμεῖ, ἀνάσχου καὶ ἴδε. Τότε ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ παῖς ἀνατείνας τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν εἶπεν· Κύριε, ὁ Θεός μου, ὁ δεξάμενος τὴν θυσίαν τοῦ Ἀβραάμ, δέξαι κἀμοῦ τὴν δέησιν, καὶ ἐπιφάνηθί μοι ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ τοῦ ἀγῶνος, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με, δέσποτα Κύριε, ἀλλὰ δὸς δόξαν τῷ ὀνόματί σου, οὐ διὰ τὸν ἡγεμόνα μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τοὺς περιεστῶτας ὄχλους· σὺ γὰρ ἐπίβλεψον* ἐπὶ πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπὶ σοί. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, λέγει τῷ ξοάνῳ· Σοὶ λέγω τῷ κωφῷ καὶ ἀλάλῳ δεῦρο ταχὺ ἐπὶ τῆς γῆς. Καὶ εἰπόντος τοῦ ἁγίου Εὐλάμπιου ταῦτα, εὐθέως ἐρράγη τὸ ἄγαλμα τοῦ Διός, καὶ ἐγένετο ὡσεὶ κονιορτός, καί τινες τῶν παρεστώτων ἀνέκραξαν μεγάλῃ τῇ φωνῇ· Μέγας ὁ Θεὸς

A Θεὸς Εὐλαμπίου, ὁ ποιήσας τοιαῦτα σημεῖα δι' αὐτοῦ.

12 Καὶ ἐξπηδήσασα ἐξ αὐτῶν κόρη τις περιε-
* an περιη- πλάκει* τῷ τραχήλῳ τοῦ ἁγίου Εὐλαμπίου ἐπὶ πάντων
πλάγη? λέγουσα· Ἀδελφέ μου, μνήσθητι, ὅτι μία μήτηρ ἔτεκεν
ἡμᾶς, καὶ τὸν αὐτὸν ἐθηλάσαμεν μασθὸν τῆς πίστεως·
μία πόλις ἡμῖν· ἓν γένος· συνταφῶμεν ἀλλήλοις·
* an θάψει? μία κάμψει* γὴ τοὺς ἀμφοτέρους· μέγας γὰρ ὁ
Θεός, ὃν σὺ ἐξελέξω, καὶ μεγάλη ἡ δύναμις αὐτοῦ·
Ἀδελφέ μου μὴ μὲ ἀποβάλῃς ἐκ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ
σου, ὅπως καταξιωθῶ κἀγὼ δουλεῦσαι Θεῷ, ᾧ σὺ
πεπίστευκας· δεήθητι οὖν ὑπὲρ ἐμοῦ, ὅτι φοβοῦμαι τὰς
βασάνους, ὅπως ὑπομείνω καὶ καταξιωθῶ μετὰ σοῦ
τελειωθῆναι, καὶ λαβεῖν τὸν στέφανον. Τότε σκυθρωπά-
σας ὁ ἡγεμὼν, θεδοικὼς τὸν περιεστῶτα ὄχλον, κε-
λεύει τὸν συσχεθῆναι μετὰ τῆς παρθένου, καὶ ἀπενε-
χθῆναι ἐν τῇ εἱρκτῇ, καὶ σιδηρωθῆναι αὐτοὺς κατὰ παν-
τὸς τοῦ σώματος· μανία γὰρ καὶ φόβος συνέσχεν αὐ-
τὸν διὰ τὴν τοῦ ἁγάλματος ἀπώλειαν· λέγει δὲ τῷ
συνκαθέδρῳ αὐτοῦ· Δεῦρο σκεψώμεθα πῶς τάχειον
ἀναλώσωμεν αὐτοὺς πρὸ τοῦ ἀναστατῶσαι πᾶσαν τὴν
πόλιν καταλιπεῖν τοὺς θεούς. Τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ κα-
θίσας ἐπὶ τῷ βήματι ὁ ἡγεμὼν κελεύει εἰσαχθῆναι
B τὴν Παρθένον.

13 Εἰσαχθείσης δὲ αὐτῆς ὁ ἡγεμὼν λέγει· Λε-
γέτω ἡ προεστῶσα τὸ ὄνομα καὶ τὴν τύχην· Ἡ
Παρθένος λέγει· Ἐλευθέρα εἰμὶ, καὶ Εὐλαμπία λέ-
γομαι, δούλη δὲ Χριστοῦ γενέσθαι εὔχομαι. Μάξιμος
λέγει· Μὴ ἑτέρῳ ὀνόματι κέκλησαι, καὶ διὰ τὸν φόβον
οὐχ ὁμολογεῖς; σεμνὴν γάρ σε, καὶ εὐπρόσωπον ὁρῶ·
τί δέ σοι ἔδοξεν ἐπεισελθεῖν ταῖς θυσίαις, καὶ ἀνάστατον
ποιῆσαι τὸν λαὸν; εἰς τὸ κάλλος τοῦ ἀνοσίου ἐτέρφθης;
ἢ καὶ σὲ ἔπεισεν φαρμακεύσας ἄνθρωπον σέβειν σταυ-
ρωμένον; τοσοῦτον ἐπύρωσέν σε, ὅτι καὶ τὸ ὄνομα
αὐτοῦ περιεβάλου; Εὐλαμπία ἡ μάρτυς λέγει· Ὅσον
ἐν βροτοῖς ἀμφοτέρους μία φύσις ἔτεκεν, οὕτως ἐλ-
πίζω ὅτι καὶ ἑνὶ Θεῷ ζῶντι ἀμφότεροι δουλεύσωμεν·
ἐξεπύρωσεν γάρ μου τὴν καρδίαν τὰ λόγια τοῦ μόνου
ζῶντος Θεοῦ· ἕτοιμος οὖν εἰμὶ πρὸς πᾶσαν τιμω-
ρίαν· ὃ οὖν βούλει, πράττε· ἐγὼ γὰρ ἐλπίζω διὰ τῆς
δεήσεως τοῦ ἀδελφοῦ μου Εὐλαμπίου καταξιωθῆναι τῷ
Χριστῷ προσκυνῆσαι. Τότε ὀργισθεὶς ὁ ἡγεμὼν λέγει
Ἐξαλαπίζοντες αὐτὴν λέγετε, μὴ οὕτως ἀναιδῶς
λάλει τῷ ἡγεμόνι· ῥαπιζομένης δὲ αὐτῆς, κελεύει εἰσ-
αχθῆναι καὶ τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον. Λέγει· Ἴδε ὁ μά-
γος καὶ ἐπίβουλος τῶν θεῶν, καὶ κελεύει πυρωθῆναι λέ-
βητα καὶ ἐμβληθῆναι αὐτὸν ἐν αὐτῷ. Οἱ δὲ ὑπηρέται
C τοῦ διαβόλου τὸ προσταχθὲν ἐτελείουν. Ὁ δὲ ἅγιος
Μάρτυς εἰσελθὼν ἐν τῷ λέβητι, ἐδόξαζεν τὸν Θεὸν λέ-
γων· Εὐλογητὸς εἶ, Κύριε ὁ Θεός μου, ὁ δοξαζόμε-
νος ὑπὸ ἀγγέλων καὶ χηρουβὶμ, καὶ Σεραφίμ· ὁ ποιή-
σας ἐνὶ λόγῳ τὰ πάντα, ῥῦσαί με ἀπὸ τοῦ μιαροῦ
τούτου καὶ ἀντιπάλου τυράννου, ὅπως νικήσας τὴν ἀσθε-
νῆ αὐτοῦ δύναμιν, καταλογισθῶ μετὰ τῶν εὐαρεστησάν-
των τῇ δόξῃ σου. Τότε ὁ ἡγεμὼν ἐπιβλέψας ἐπὶ τὴν
παρθένον Εὐλαμπίαν, λέγει αὐτῇ· Σπλαγχνίζομαι
ἐπὶ σὲ, ἄκουσόν μου ὡς πατρός σου, καὶ θῦσον τοῖς
θεοῖς, ἵνα μὴ τιμωρίαις ἀναλώσω τὸ κάλλος σου·
ὁρᾷς γὰρ τὸν λέβητα πῶς ἐκέκαυται· τί οὖν βούλει;
θύεις, ἢ ὑποβαλῶ σε τῇ τιμωρίᾳ;

14 Ἡ δὲ Ἁγία ἀκούσασα τῶν ῥημάτων τοῦ ἡγεμόνος
ἐδειλίασεν, καὶ ἀναστενάξασα ἔφη· Ἀδελφέ μου Εὐ-
λάμπιε, πῶς μου ἐπελάθου; βοήθει μοι, ὅτι ἀγω-
νιᾷ μου ἡ καρδία μου ὁρῶσα τὰς τιμωρίας. Ἰδοὺ οὖν
ἐγὼ ἐλπίζω, δεομένου σου, σωσθῆναι. Ταῦτα εἰποῦσης
αὐτῆς, ὁ ἡγεμὼν ἔκθαμβος γενόμενος ἔφη· Εὐ-
ία, λαμπκενο λογίαις τισὶ, καὶ ἁπάταις πεποιθέναι

A. ANONYMO.

facta est; et quidam adstantium magna voce exclamarunt: Magnus Deus Eulampii, qui propter eum talia signa patravit.

12 Et ex illis exsiliens *c* quædam Puella amplexa est collum sancti Eulampii coram omnibus dicens: Memento, Frater mi, quod eadem nos mater pepererit, et eadem fidei ubera suxerimus; una nobis civitas, unum est genus; sepeliamur una, eadem nos ambos terra condet; magnus enim Deus, quem tu elegisti, et magna potestas illius; Frater mi, ne me prives Christi tui gratia, ut et ego digna reperiar, quæ serviam Deo, cui tu credidisti; pro me igitur deprecare, quia vereor supplicia, ut patienter ea feram, et digna reputer, quæ tecum certamen conficiam, et coronam adipiscar. Tum præfectus toto vultu iram manifestans, adstantem multitudinem veritus, jussit eum cum Virgine comprehendi et in carcerem abripi, eosque per totum corpus ferreis vinculis gravari: furor enim timorque eum corripuerant propter simulacri destructionem: dixit autem assessori suo: age, ineamus consilium, quomodo statim illos simus perdituri, priusquam totam civitatem ad deos deserendos commoveant. Tertio vero die præfectus pro tribunali sedens, jussit Virginem ad se adduci. E

13 Ea autem deducta, dixit præfectus: Dicito, quæ adstas, nomen et conditionem tuam. Reposuit Virgo: Libera sum et vocor Eulampia; precor autem, ut Christi fiam famula. Maximus dixit: Nonne aliud tibi nomen, et præ timore illud non confiteris? honestam enim te et decoram video: verum cur tibi visum est ad sacrificia accedere et excitare populum? pulchritudine impii delectata es? an tibi persuasit, usus veneficiis, hominem colere crucifixum? adeone te incendit, ut et nomen ejus indueris? Martyr Eulampia dixit: Sicut nos ambo una nativitas inter mortales edidit, ita spero, futurum, ut et ambo uni Deo viventi famulemur; accenderunt enim cor meum solius Dei vivi eloquia: parata igitur sum ad omnia tormenta: fac ergo, quod vis; futurum enim, spero, ut per preces fratris mei Eulampii digna habear, ut venerer Christum. Tunc iratus præfectus dixit: Alapis *d* eam cædentes dicite, ne tam impudenter præsidem alloquatur. Dum autem illa in facie percuteretur, jussit et sanctum Eulampium arcessi, dixitque: Ecce veneficum et deorum adversarium; præcepitque, ut succenderetur lebes et Sanctus in eum projiceretur. Ministri autem diaboli mandatum exequebantur: at sanctus Martyr, lebetem ingressus, glorificabat Deum, dicens: Benedictus es, Domine Deus, quem laudant angeli, et cherubim et seraphim: qui uno verbo universa creasti, libera me ab hoc insano et insenso tyranno, ut superata infirma ejus potentia, annumerer iis, qui gloriæ tuæ placent. Tunc præfectus virginem Eulampiam intuens, dixit illi: Miseret me tui; audi me ut patrem tuum, et sacrifica diis, ne pulchritudinem tuam suppliciis perdam: vides enim, ut succensus sit lebes; quid ergo placet? sacrificas, an te tormento subjiciam?

14 At sancta, auditis præfecti verbis, extimuit *e*, et ingemiscens dixit: Frater mi Eulampi, quomodo oblitus es mei? adjuva me, quia, visis tormentis, cor meum angustiis premitur. Ecce ergo confido, salvandam me precibus tuis. Hæc illa dicente, præses pavore perculsus dixit: Eulampia, vanis quibusdam verbis

una cum sorore Eulampia, ad eum tunc accedente, in carcerem truditur. c

Eulampia ex hoc educta alapis exditur, Eulampioque in bullientem lebetem conjecto, d

F

sese etiam in hunc illa, a Fratre roborata, conjicit, indeque ambo e

A. ANONYMO. fraudibusque confidere didicisti : ubi est Deus, qui te servet ? ubi Eulampius, qui succurrat tibi ? scito, quod sibi ipse prius nequiverit subvenire, sed male sit perditus : velis igitur sacrificare diis, ne et eidem supplicio animam tuam tradas. Mox sanctus Eulampius e lebete emergens dixit : Soror mea Eulampia, ne formidaveris tyrannum, neve impiis ejus verbis decipiaris ; nihil sunt tormenta ejus ; muniens ergo te Christi signaculo, huc ad me accede et cognosce, quam promptus sit ad servandum Christianorum Deus. At sancta Eulampia, ut audierat sancti martyris Eulampii vocem, formato Christi signo, se ipsa generose in lebetem conjecit *f*. Tunc sanctus Eulampius, plenus Spiritu Sancto, orare et dicere exorsus est : Domine Deus omnipotens, Pastor bone, illæsum conserva gregem tuum, abige lupum oves tuas rapientem, te invoco Deum misericordem, introduc nos in regnum tuum, aperi nobis januam misericordiæ tuæ, quia tua est gloria in secula ; et respondit ipsi sancta Eulampia, Amen. Finitis vero eorum precibus, factus est lebès bulliens instar glaciei *g*. Tunc concepta fiducia in lebete sancta Eulampia præfecto dixit : Insensate tyranne, nihil sunt tormenta tua ; si alios habes cruciatus, hisce nos affice.

f

g

B

post multorum adstantium, qui ideirco necantur, conversionem extracti

15 Ac tum adstantium plurimi videntes Virginem, tam intrepide locutam, crediderunt *h* in Deum, unanimiter exclamantes : Magnus est Christianorum Deus, et nos Christiani sumus, paratique ; ad cruciatus, quod igitur de nobis vis fieri, (fac *i*.) Tunc iratus præses jussit universam hanc multitudinem capite plecti. Hi vero sancto Eulampio dixerunt : Deprecare pro nobis, ut recipiat Deus pœnitentiam nostram. At sanctus Martyr, accepta ex lebete aqua aspergens, illos baptizavit *k* dicens : Illuminabit Deus corda vestra Spiritu suo sancto ; ac statim abducti capite truncati sunt. Tum jussit præfectus sanctum Eulampium et sanctam virginem Eulampiam e lebete extrahi dixitque illis : Nondumne vultis diis sacrificare ? Profecto, inquit sanctus Eulampius, præda tua non erimus, canis impudentissime : potens enim est Deus noster, qui nos e manibus tuis et ex omni tua malevolentia eripiat. Mox jussit præses ferreis uncinis oculos erui sancto Eulampio. Verum C sanctus Martyr, suspiciens tormentum, orabat dicens : Domine Deus meus, illumina mentis meæ oculos, ne quando obdormiam in mortem. Præfectus autem ad sanctam Virginem dixit : Ecce animæ tuæ magum, quomodo eum excæcarim, impedierimque, ne videat, aut ultra te veneficiis circumveniat. Tandem ergo veni, et nunc mihi obtempera diisque sacrifica ; nobilis enim cum sis et insigni scientia prædita, ignosce mihi, quod injuria *l* te affecerim : te namque dii maximi, redditi propitii, salvam et integram conservant, exspectantes te ad sacrificia sua. Veneror ergo in omnibus et honoro genus tuum, et ut sapientem te adhortor ; magno deo Apollini sacrifica.

h

i

k

l

aliis atque aliis tormentis afficiuntur, ac tandem,

16 Ad hæc respondit Sancta : O consilium pessimum ! sermones enim tui sunt absinthio amariores, et adhortationes tuæ velut laquei absconditi ; ne igitur existimes, fraudulentam tuam adulationem potuisse animum meum labefactare ; nam Domini mei gratia confortavit me, ut vincerem insanas inventiones tuas. Tunc eam præfectus e capillis capitis per trochleas *m* ad palum suspendi, rasamque interfici jussit. Illa ve-

ἐδιδάκθης· ποῦ ἐστιν ὁ Θεός, ὁ σώζων ; ποῦ ἐστιν D
Εὐλάμπιος ὁ βοηθών σοι; γνῶθι ὅτι πρῶτον ἑαυτῷ
βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνήθη, ἀλλὰ κακῶς ἀπώλετο· θέλη-
σον οὖν θύσαι τοῖς θεοῖς, μὴ καὶ σὺ τῇ αὐτῇ βασάνῳ
τὴν ψυχὴν παραδῷς. Τότε ἀνανεύσας ἐκ τοῦ λέβη-
τος ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος ἔφη· Ἀδελφή μου Εὐλαμ-
πία, μὴ πτοηθῇς τὸν τύραννον, μὴ δὲ ἀπατῶ τοῖς
ἀνοσίοις λόγοις αὐτοῦ, οὐδέν εἰσιν αἱ βάσανοι αὐτοῦ·
ποιήσασα οὖν καὶ σὺ τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα, θεῦρο
ἐνταῦθα, καὶ ἐπίγνωθι ποῖος ἐστὶν ταχὺς εἰς τὸ σώ-
ζειν ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν. Ἡ δὲ ἁγία Εὐλαμπία μό-
νον ἤκουσεν τῆς φωνῆς τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐλαμπίου,
ποιήσασα τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα, γενναίως ἔῤῥι-
ψεν ἑαυτὴν εἰς τὸν λέβητα. Τότε ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος
πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου ἤρξατο προσεύχεσθαι καὶ
λέγειν· Κύριε ὁ Θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ ποιμὴν
ὁ καλός, τήρησόν σου τὸ ποίμνιον ἄσυλον, ἀπέλα-
σον τὸν λύκον τὸν διαρπάζοντα τὰ πρόβατά σου, σὲ
ἐπικαλοῦμαι τὸν εὐσπλαγχνον Θεὸν, εἰσάγαγε ἡμᾶς
εἰς τὴν βασιλείαν σου, ἄνοιξον ἡμῖν τὴν θύραν τῆς εὐ-
σπλαγχνίας σου, ὅτι σου ἐστὶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας,
καὶ ἀπεκρίνατο αὐτῷ ἡ ἁγία Εὐλαμπία τὸ ἀμήν. Τε-
λεσάντων δὲ αὐτῶν τὴν εὐχὴν, ἐγένετο ὁ λέβης ὁ κο-
χλάζων ὡσεὶ κρύσταλλος. Τότε θαρσοποιηθεῖσα ἐν
τῷ λέβητι ἡ ἁγία Εὐλαμπία λέγει τῷ ἡγεμόνι· Ἀ-
ναίσθητε τύραννε, οὐδέν εἰσιν αἱ βάσανοί σου, εἰ ἔχεις E
καὶ ἑτέρας τιμωρίας, προσάγαγε ἡμῖν.

15 Καὶ δὴ πολλοὶ τῶν παρεστώτων ἰδόντες τὴν
Παρθένον οὕτω γενναίως διαλεγομένην, ἐπίστευσανεἰς
Θεὸν, ὁμοφώνως λέγοντες· Μέγας ὁ Θεὸς τῶν Χριστια-
νῶν, καὶ ἡμεῖς Χριστίανοί ἐσμεν, καὶ ἕτοιμοι πρὸς τὸ
τιμωρεῖσθαι· ὁ οὖν βούλει ἡμῖν*. Τότε ὁ ἡγεμὼν θυ- * supple
μωθεὶς κελεύει τὸ πλῆθος ἐκεῖνο ἅπαν ἀποκεφαλι- πράττε
σθῆναι. Λέγουσι τῷ ἁγίῳ Εὐλαμπίῳ· Δεήθητι ὑπὲρ
ἡμῶν, ἵνα δέξηται ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἡμῶν. Ὁ δὲ
ἅγιος Μάρτυς λαβὼν ὕδωρ ἐκ τοῦ λέβητος ἐπιραντί-
σας αὐτοὺς τῷ ὕδατι, ἐβάπτισεν αὐτοὺς εἰπών. Φω-
τίσει Κύριος τὰς καρδίας ὑμῶν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ πνεύ-
ματι, καὶ εὐθέως ἀπενεχθέντες ἀπεκεφαλίσθησαν.
Καὶ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἐκβληθῆναι ἐκ τοῦ λέβητος τὸν
ἅγιον Εὐλάμπιον, καὶ τὴν ἁγίαν Παρθένον Εὐλαμ-
πίαν, καὶ λέγει αὐτοῖς· Οὔπω ἐπείσθητε θῦσαι τοῖς
θεοῖς ; Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Οὗτος οὐ συλήσος
ἡμᾶς, ἀναιδέστατε κύων· ἱκανὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς ἡμῶν
ἐξελέσθαι ἡμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν σου, καὶ πάσης τῆς κακο-
νοίας σου. Καὶ ὁ ἡγεμὼν κελεύει ὀγκίνοις σιδηροῖς ἐξο-
φθαλμισθῆναι τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον. Ὁ δὲ ἅγιος Μάρ- F
τυς δεχόμενος τὰς πυνὰς* προσηύχετο λέγων· Κύ- * an ποινας ?
ριε ὁ Θεός μου, φώτισόν μου τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλ-
μοὺς, μήποτε ὑπνώσω εἰς θάνατον. Λέγει δὲ πρὸς τὴν
Παρθένον ὁ ἡγεμών· Ἰδοὺ τὸν μάγον τὸν τῆς ψυχῆς σου
πῶς ἐκύφλωσα, καὶ ἐκώλυσα τοῦ βλέπειν, καὶ ἐπὶ πολὺ
μαγεύειν σε. Λοιπὸν οὖν θεῦρο κάννῦν ἐπάκουσόν μου,
καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς· εὐγενὴς γὰρ τυγχάνουσα, καὶ ἐν
γνώσει σεμνῇ κοθεστηκυῖα, συγγνώσθητί μοι ὅτι ραρύ-
θρισά σε· σὲ γὰρ οἱ μέγιστοι θεοὶ ἐξευμενισάμενοι,
σῶαν καὶ ἀκεραίαν διαφυλάττουσι πρὸς θυσίαν ἑαυτῶν
ἀναμένοντές σε· σέβω οὖν ἐν πᾶσιν, καὶ τιμῶ σου τὸ
γένος· καὶ ὡς σοφὴν παρακαλῶ σε, θῦσον τῷ μεγαλῳ
θεῷ Ἀπόλλωνι.

16 Ἡ δὲ Ἁγία λέγει· Ὦ τῆς κακίστης βουλῆς ! οἱ
γὰρ λόγοι σου ἀψινθίου πικρότεροι εἰσὶν καὶ αἱ παραι-
νέσεις σου ὡς παγίδες κεκρυμμέναι· μὴ οὖν ὑπολάβῃς
ὅτι ἡ δολία σου παραίνεσις ὑποσκελίσαι δυνήσηται
τὸν λογισμόν μου· ἡ γὰρ τοῦ Κυρίου μου χάρις ἐνεδυ-
νάμωσέν με πρὸς τὸ νικῆσαι τὰς μιαράς σου ἐπινοίας.
Τότε ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν διὰ τροχίσκων ἐπὶ κόντου
κρεμασθῆναι αὐτὴν ἀπὸ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς, καὶ
ξεσμένην ἀποθανεῖν. Ἡ δὲ κρεμασθεῖσα εἶπεν· Δόξα
σοι

A σοι, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὅτι ἔδειξας τῇ δούλῃ σου τὰ ἐλέη σου, καὶ κατήσχυνας τὸν ἐχθρὸν ἡγεμόνα· οὐ γὰρ ἔχει ἴδια βασανιστήρια, ἀλλὰ τὸ περισσεύον τοῦ σώματός μου, καὶ εἰς κόσμον καὶ περιβολὴν παρὰ σου χαρισθέν μοι εἰς δόξαν σὴν, αὐτὸ δι' ἑαυτοῦ ἐχρήσατο ὁ ἡγεμὼν εἰς μαρτυρίαν μου. Ξεομένης δὲ αὐτῆς, καὶ μὴ αἰσθανομένης, ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν πρὸς τὴν Ἁγίαν· Ἀνδρίζου, Νύμφη Χριστοῦ, ἀνέωγεν γάρ σοι τὴν εἴσοδον ὁ Νυμφὼν, καὶ ὁ στέφανός σου ἕτοιμος· Καὶ κελεύει ὁ ἡγεμὸν παγῆναι πάλους καὶ ἐκταθῆναι τὸν ἅγιον Εὐλάμπιον, ὑποστρωθῆναι δὲ λίθους ὀξεῖς ὑπὸ τὰς πλευρᾶς αὐτοῦ καὶ ἄνωθεν εὐτόνως βασανίζεσθαι αὐτόν. Τῶν δὲ ὑπηρετῶν ἀτονισάντων, ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν κατενεχθῆναι τὴν ἁγίαν Παρθένον ἀπὸ τοῦ ὀργάνου, καὶ τὴν ὄψιν αὐτῆς συνθλασθῆναι. Οἱ δὲ ὑπηρέται τὸ προσταχθὲν ἐπετέλουν, ἡ δὲ ἁγία Εὐλαμπία προσηύχετο λέγουσα· Τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν Χριστὲ ὁ Θεὸς, ὁ διὰ τῆς σῆς ἀγαθότητος ὑποστηρίζων τοὺς λογισμοὺς τῆς δούλης σου, στήριξον πρὸς ὑπομονὴν τῶν ἐπαγομένων μοι βασάνων, καὶ ῥῦσαι με ἐκ τοῦ στόματος τοῦ τυράννου. Τότε ὁ ἡγεμὼν ἐξασθενήσας κελεύει ἀναληφθῆναι αὐτοὺς ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ, καὶ ἐκκαῆναι κάμινον ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νήκτας· ἐξεπυρώθη δὲ ἡ κάμινος σγόδρα, ὥστε μὴ δυνασθαί τινα τῇ B φλογί αὐτῆς ἐνατενίζειν. Τῇ οὖν τετάρτῃ ἡμέρᾳ κελεύει ὁ ἡγεμὼν εἰσαχθῆναι τοὺς Ἁγίους, καὶ λέγει αὐτοῖς· Ἴδε, Εὐλάμπιε, τυφλὸς ὑπάρχεις, καὶ οὐ δύνῃ θεάσασθαι τὴν φλόγα τοῦ πυρὸς, τὴν ἔχουσάν σε ἀπολέσαι διὰ τὰς ψυχὰς τῶν ἀθλίων τῶν διά σου ἀπολεσθέντων, καὶ διὰ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ὕβριν. Σὺ δὲ, γυναικάριον, εἰπέ μόνον, ὅτι μεγάλη ἡ Δήμητρα, καὶ ἀπολύω σε. Ὁ ἅγιος Εὐλάμπιος εἶπεν· Κακόφρων καὶ ἀπηνὴ, αἰσχήνθητι* Θεὸν τὸν δημιουργὸν πάντων, τὸν ἔχοντα ἐξουσίαν ἀπωλέσαι σε σὺν πᾶσι τοῖς εἰδώλοις σου.

* *l.* αἰσχύνθητι.

17 Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν βληθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν κάμινον. Ἐυθύμως δὲ ἡ ἁγία Εὐλαμπία καὶ αὐτὴ προέδραμεν· καὶ ἐμβληθέντων αὐτῶν, ἄγγελος Κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ ἀπεδίωξεν τὴν φλόγα, ὡς νομίζειν πάντας ἐκεῖσαι ὄντας, ὅτι παραχρῆμα ἀπώλοντο· τὰ γὰρ ἔξω τῆς καμίνου σφοδρῷ κυρὶ κατεφλέγετο. Οἱ δὲ Ἅγιοι ὡς ἐν παραδείσῳ περιεπάτουν ἐν μέσῳ τῆς καμίνου, εὐλογοῦντες καὶ δοξάζοντες τὸν Θεὸν. Ἰδὼν δὲ αὐτοὺς ὁ ἡγεμὼν ἐξέστη, καὶ ἀπεφήνατο κατ' αὐτῶν λέγων· Εὐλάμπιον τὸν πολ- C λαῖς μαγείαις κατεσκευασμένον, τὸν τῶν θεῶν ἐπίβουλον, καὶ τῷ αὐτοκράτορι μὴ πειθόμενον, κελεύομεν τὴν διὰ ξίφους κεφαλὴν ὑποστῆναι τιμωρίαν· Εὐλαμπίαν δὲ τὴν ἄσεμνον, καὶ πλάνην παρθένον συμμέτοχον οὖσαν τῷ μάγῳ, προκρίνουσα* τὸν θάνατον τῆς ζωῆς, κελεύομεν κατὰ τὸν θεσμὸν τοῦ αὐτοκράτορος καί αὐτῆς ἀποτμηθῆναι τὴν κεφαλὴν, Οἱ δὲ ὑπηρέται παραλαβόντες αὐτοὺς ἀπήγαγον ἐπὶ τὸν τόπον, ὁποῦ ἦν ἔθος ἀποτέμνεσθαι τοὺς καταδίκους. ὄχλος δὲ πολὺς ἠκολούθη αὐτοῖς. Ἡ οὖν ἁγία μάρτυς Εὐλαμπία ἤρξατο εὐλογεῖν τὸν Θεὸν καὶ λέγειν· Δόξα τῷ πανυψίστῳ Θεῷ, τῷ ἐκ τῆς πλάνης ἐλευθερώσαντί με, καὶ νῦν δέξαι τὸ πνεῦμα μου μετ' εἰρήνης ἐν χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ. Καὶ εἰποῦσα ταῦτα, κλίνασα τὰ γόνατα ἐπὶ τὴν γῆν ἐτελειώθη. Τότε ἰδὼν ὁ σπεκουλάτωρ, ὅτι ἀπέθανεν, φόβῳ συνεχόμενος διὰ τὴν ἀπειλὴν τοῦ ἡγεμόνος, τὸ σκήνωμα αὐτῆς ἀπεκεφάλισεν. Καὶ ἀκούσας ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ παῖς Εὐλάμπιος τὴν τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ τελείωσιν, θρύλλος γὰρ ἐκ τῶν περιεστώτων γέγονεν, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν προσηύξατο λέγων· Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ δοὺς τὴν ὑπομονὴν τῇ δούλῃ σου Εὐλαμπίᾳ ἐπίβλεψον καὶ ἐπ' ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλὸν, καὶ δέξαι τὴν ψυχὴν μου, καὶ ἀνάπαυσον αὐτὴν μετὰ πάντων τῶν εὐαρεστησάντων σοι, καὶ τελειωθέντων ἐν τῷ ὀνόματί σου, ὅτι σὺ εἶ εὐλογημένος εἰς

* *l.* προκρίνουσαν.

ro ita suspensa, Gloria tibi, inquit, omnipotens Deus, quod famulæ tuæ ostenderis clementiam tuam, et inimicum præsidem confuderis: non enim tormenta suum consecuta sunt effectum; sed quod de corpore meo superest, et a te mihi in ornatum vestitumque ad gloriam tuam fuit concessum, eo per se usus est præfectus ad martyrium meum. Deum autem ea raderetur, nec sentiret, sanctus Eulampius ita allocutus est Sanctam: Confortare, Sponsa Christi; Sponsus enim tuus ingressum tibi aperuit, et corona tibi est parata. Mox præfectus defigi palos jubet, ac super eos sanctum Eulampium extendi; tum lapides acutos lateribus ejus substerni, eumque superne crudeliter cruciari. Fatigatis autem ministris, præcepit præses, ut sanctam Virginem ab instrumento auferrent, ac faciem illius cæderent. Deum autem ministri mandatum exequebantur, ita orabat sancta Eulampia: Christe Deus, Lux vera, qui bonitate tua famulæ tuæ cogitationes confirmas, robur mihi adde, ut, quæ inferuntur mihi, patienter feram supplicia, et eripe me ex ore tyranni. Tunc defatigatus præses jussit eos in carcerem detrudi et per tres dies totidemque noctes caminum succendi: adeo au- E tem accensus est caminus, ut nemo posset in flammam oculos intendere. Quarta ergo die Sanctos adduci, præfectus jubet, dicitque illis: Ecce, Eulampi, cæcus es, adeoque flammam ignis nequis intueri, quæ te consumet propter miserorum *n* istorum animas, quos tu perdidisti, et ob injuriam imperatori illatam. Tu vero, Muliercula, dic modo, magnam esse Cererem, et absolvo te. Sanctus Eulampius dixit: Stulte et crudelis, revere Deum omnium Creatorem, qui potestatem habet perdendi te cum omnibus idolis tuis.

17 His auditis, jussit eum præses in caminum conjici *o*. Protinus autem et sancta Eulampia accurrit, et cum ambo essent injecti, angelus Domini descendens de cælo avertit flammam, ita ut, qui aderant, putarent, se statim perditum iri; quæ enim extra caminum erant, vehementi igne comburebantur. At Sancti in medio camini, tamquam in paradiso, deambulabant, benedicentes et glorificantes Deum. Videns autem illos præfectus obstupuit, sententiamque in eos tulit dicens: Eulampio multis magicis artibus F infecto, deorum contemptori et imperatori obtemperare nolenti, jubemus gladio caput abscindi: Eulampiam vero, impudentem et fraudulentam virginem, isti comparticipem venefico, quæ mortem vitæ præfert, jubemus pariter secundum imperatoris statuta capite plecti. Ministri autem comprehendentes illos abduxerunt ad locum, ubi damnati solebant morte mulctari. Eos autem magna sequebatur turba. Ergo sancta martyr Eulampia cœpit Deum laudare et dicere: Gloria sit altissimo Deo, qui me a superstitione liberaravit, et nunc cum pace suscipe spiritum meum in gaudium inenarrabile. Quæ cum dixisset, flexis humi genibus, exspiravit. Tunc videns speculator *p*, eam obiisse, timore correptus ob minas præfecti, cadaveri illius caput amputavit. At sanctus Dei famulus Eulampius, audita Sororis suæ morte (murmur enim inter circumstantes ortum erat) suspiciens *q* in cælum orabat dicens: Domine Deus noster, qui famulæ tuæ Eulampiæ perseverantiam concessisti, respice et in me peccatorem, et suscipe animam meam, eamque fac requiescere cum omnibus, qui placuerunt tibi, et vitam consummarunt in nomine tuo, quia

A. ANONYMO.

lata in eos capitis sententia, Eulampia orans, Eulampius, gladio percussus exspirat

o

p

q

A. ANONYMO. quia tu es benedictus in secula amen. Et his dictis, humi flectens, ictum gladii collo excepit, statimque spiritum tradidit Domino, cui gloria et potestas nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Καὶ ταῦτα εἰπῶν, κλίνας τὸ γόνυ, ἐδέξατο τὴν διὰ ξίφους σφαγὴν κατὰ τοῦ τραχήλου, καὶ εὐθέως ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα τῷ Κυρίῳ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. D

ANNOTATA.

a *Prolixior hæc, et in simulacra dicteriis referta coram multitudine, quæ diis sacrificatura accurrerat, Martyris oratio, tum sedatum tyranni responsum, atque circumstantium ad hæc audita tranquillitas exiguam, imo nullam, apud eruditos fidem inventura videntur, neque ea alibi, quam in critici parum auctoris cerebro procusa existimo.*

b *Confracta* S. Eulampii *precibus statua in his dumtaxat Actis et una, et Jovis fuisse memoratur, aliud de ea referentibus aliis. Ac Menæa quidem, uti et Sirleti Menologium, Martis illud simulacrum fuisse asserunt : in eo vero, quod Basilii jussu editum est, Menologio æque, ac in Galesinii Romano Mrl. plures idolorum, tacito eorum nomine, statuæ ad Martyris preces collapsæ, contritæque dicuntur : auctor autem Actorum, quæ apud Surium et Lipomanum ex Metaphraste desumpta exstant,* unam insignem imaginem, ad dextram positam....humi dejectam, et in pulverem comminutam, *scribit. Ego, ut, quod sentio, declarem, protritam effigiem Martis fuisse, arbitror. Id mihi potissime persuadet designatus his in Actis semel atque iterum Martis dies, quo Nicomediensibus ad fanum properandum, diisque sacrificandum erat.*

c *Ex his aliisque, statim subnexis, generosam Martyris nostri Sororem in ipso fano in collum Fratris irruisse, seque Christianam professam, intelligi datur, refragantibus aliis monumentis, quæ illud, dum in loco omnibus conspicuo* S. Eulampius *torquebatur, contigisse*
B *affirmant, quod et mihi similius vero apparet, cum tyranni, ob prostratum simulacrum in furorem acti, iracundia sanctum Martyrem illico ad supplicia jussisse abripi, neque, quod* E
subditur, prolixo satis Virginis cum Fratre colloquio moras indulgere potuisse videatur.

d *Vocem hanc Græcam* ἐξαλαπίζοντες, *studiose quæsitam, nullibi reperire potui; arbitror autem, a voce Latina* alapa *formatum fuisse* ἐξαλαπίζειν alapis cœdere : *ex adjunctis enim manifestatum fit, judicem præcepisse, ut alapis percuteretur Sancta ; qua pœna Romani judices compescere solebant reos, quos nimis in loquendo liberos experiebantur. Metaphrastes apud Lipomanum habet :* His (*lege* hæc, *ut apud Surium notatur in margine*) Martyr lingua libera aperte dicens adversus tyrannum, colaphos genis crudeliter impactos accepit, et fuit ejus vultus vehementer contusus.

e *Timor hic, tenerrimæ Virginis animo ad acerbissimi conspectum tormenti exortus, officere nihil ejus potest sanctitati, cum naturæ potius imbecillitati, quam liberæ voluntati sit adscribendus, atque non in aliis modo Sanctis (ut ex illorum Actis colligere est) sed vel in ipso Martyrum capite, Christo Domino, pavor quidam ac tristitia ad propositos cruciatus locum habuisse legantur. Vide Matth.* XXVI, ℣. 37, *Mar.* XIV, ℣. 33.

f *Neque hinc Actorum auctoritatem imminutum censeas, nisi similia multa plurimorum Christi pugilum facta fabulis placeat annumerare ; quod nisi sinceriorum etiam Actorum ignaris aut nimis studiose ad humanæ rationis tribunal pleraque Sanctorum gesta revocantibus, placere omnino non potest. Consule interim, ne hic longior sim, quæ habet Ruinartius in Actis sinceris SS. Perpetuæ et Dionysiæ, paginis mihi* 102 *et* 160.

g *Quot de Sanctis nostris egerunt scriptores, stupendum hujusmodi miraculum, quo statim spectatorum plurimi (ducenti scilicet, ut habent Menæa, Menologium Sirletianum, atque illud, quod Cardinalis Annibal Albanus edidit) ad Christum conversi dicuntur, communi consensu admiserunt. Unde autem Baronius hauserit, ollam fuisse ferventi oleo, non lebetem*
C *bullienti aqua repletum, in quem Martyres fuerint conjecti, haud compertum habeo : viderat* F
sane, ut ex ejus ad hunc locum annotatione liquet, quæ de Sanctis hisce apud Lipomanum Acta exstant; at , cum in iis Martyres in aquam bullientem immissi dicantur, aut monumentum aliud, in quo pro aqua oleum legebatur , eminentissimus scriptor fuerit seçutus, aut suopte id ingenio confinxerit, necesse est. Jam vero ad prodigiosam bullientis aquæ immutationem quod spectat, cum non sine multiplici sit exemplo, illud operosius discutere nihil attinet. Legi tamen inter plurima potest, quod Operis nostri tom. 6 *Septemb. pag.* 159, *num.* 14 *in vetustis S. Susannæ Actis de plumbo liquefacto, atque in os Sanctæ, nihil inde passæ, infuso refertur.*

h *Jam ante viderant illam intrepide cum tyranno loquentem, neque hinc ab idolorum cultu recesserant: potius ergo conversionis eorum occasio afferretur, quod Sanctos ambos sine ulla corporis læsione aquæ bullienti immersos conspexissent.*

i *Hanc vocem ex incuria, nescio cujus, in Græco omissam, adjiciendam duxi, ne periodus imperfecta remaneret.*

k *Acta pervolvens cum in hoc incidissem, multum, fateor, illorum mihi decrescebat auctoritas, dubiusque hærebam, num ob id præsertim, fabulæ sane, quam veritati magis consentaneum, iis edendis supersederem. Quæ enim, inquiebam, tanta in jamjam eluendis fuso pro Christo sanguine Baptismi necessitas? Quæ hæc* illuminabit *etc Sacramenti istius formula? quo tandem pacto Martyr, ligatis post tergum (ut Gallonius de SS. Mart. Cruciat. fig.* 23 *in lebetem conjectum exhibet) manibus, viros ducentos, procul etiam a se remotos, aqua aspersisset? At cum primum sæpius in aliis frequentatum comperissem, alterumque per errorem, baptizanti Martyri adscriptum, commode dici posse viderem; laborandum unice erat, ut reperiretur modus, quo probabiliter Sanctus salutari eos fonte abluisset: qui nodus ita tandem solvendus est visus. Hic quidem ducenti hi Christi Athletæ* statim *abducti et capite truncati feruntur, at in Menæis, utroque Menologio,*

ac

A *ac in Baronii et Galesinii Martyrologiis memorantur* una cum *Sanctis nostris obtruncatione capitis martyrium consummasse. Jam vero* SS. Eulampius et Eulampia, *tyranni jussu e lebete extracti, aliaque iterum supplicia perpessi, in carcerem sunt detrusi, in eoque integro triduo detenti. Fuerint ergo laudati ducenti Martyres, postquam se in Christum credere exclamassent, statim abducti, non ad necem, sed carcerem, ut superius allata confirmant, ibidemque cum* S. Eulampio *conversati; atque hic maxima de eorum baptismate, si locum habere debeat, difficultas disparebit.* A. ANONYMO.

l *Nisi hæc ficte a tyranno prolata censeantur, nimium hic mitis in Christi Martyrem exhibetur, cum, quæ ad ulciscendum deorum suorum contemptum Virgini intulerat mala, jure (quæ ejusmodi hominum cæcitas erat) intulisse se arbitrari debuisset, non injuriam appellare.*

m *Erat hoc supplicium, ut dicit Lipomanus, gravissimum, atque fere ita inferebatur: collectis in unum in superiori capitis parte capillis funis innectebatur, quo per trochleam immisso in sublime attollebatur martyr, cujus plerumque pedibus magni ponderis lapis, quo membrorum compages crudelissime luxarentur, appendebatur. Prolixius hæc apud Gallonium jam cit. diducta invenies.*

n *Ita scilicet homo idolorum cultui addictissimus ducentos, de quibus supra, Christi Martyres, ad fidem conversos, multo ipse miserior, appellabat.*

o *Solum hic et in Metaphrasticis, ubi tamen nihil de addito statim advolantis a cælo angeli prodigio legitur, cruciatum hunc narratum invenio, reliquis omnibus, illico post bullientis aquæ tormentum Martyres nostros gladio interfectos, attestantibus. An vero auctor miracula multiplicandi prurigine angelum e cælo deduxerit, edicere non ausim, certus, Dei erga Athletas suos plurima hujusmodi exstitisse favoris specimina, quæ cum SS. litterarum testimoniis, tum probatis plurium Sanctorum Actis possent confirmari.*

B p *Etiam Græce* σπεκουλάτωρ *hic pro carnifice sumitur; quam significationem ei convenire, vide in Glossariis Cangii.* E

q *Certe non corporeis, sed animæ oculis seu cogitatione; quoniam jam ante oculis corporeis captus fuerat. Melius profecto id exprimi potuisset.*

DE S. BASSIANO CONFESSORE

CONSTANTINOPOLI

SYLLOGE C. B.

Vitæ institutum, discipuli hosque inter S. Matrona Pergensis id amplexi, ætas, memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus,

PROBABILITER INTER ANNUM CDLIII ET CDLVIII *Sanctus, qui a Castellano memoratur, elogiisque,*

Etiamsi S. Bassianus *seu, ut ab aliis etiam vocatur,* Basianus *e sacris seu ecclesiasticis, in quibus memoratur, Græcorum libris in Mrl. Romanum hodiernum, ut non paucis aliis Sanctis factum, illatus haud sit, eum tamen hodie in Martyrologio suo Universali Castellanus recenset. Neque vero hic martyrologus idcirco est carpendus. Etsi enim impressa Græcorum Menæa ac Sirletianum Menologium, e quibus, ni fallor,* Bassianum *acceperit, subinde etiam Sanctis, uti apud nos tom.* 1 *Augusti in Patriarchis Constantinopolitanis, tom.* 3 *Septembris pag.* 744 *in Prætermissis, alibique item ac nominatim etiam ejusdem mensis Septembris tom.* 6, *pag.* 661 *videre fas est, indignos cultuve saltem destitutos accenseant, id tamen hic locum quantum ad hunc Sanctum nostrum, uti ex allegandis patescet, haud obtinet. Castellani itaque inhærens vestigiis de* S. Bassiano, *veluti de Sancto, in Opere nostro hic tracto, utque id præstem, præcipua primum, quibus a Græcis ornatur, elogia huc transcribo, hisque deinde nonnulla, quibus, quæ ad Sancti seu gesta seu ætatem cultumve spectent, discutiantur, dubiaque ac obscura dilucidentur, subjungo. Ab elogio, quod magna Græcorum Menæa excusa suppeditant, versiculisque huic de more præmissis duco initium. Hi, quibus ad Sancti nomen* Βασιανός *quasi e substantivo* βάσις *Latine* gradus, *adverbioque* ἄνω *Latine* sursum, *compositum, simulque ad hoc et ad aliud significationis oppositæ adverbium* κατω, *Latine* deorsum, *alluditur, Græcis hisce verbis expressi.* F

Ὁ Βασιανὸς τὸν κάτω λιπὼν βιὸν.
Χαίρων πρὸς αὐτὴν τὴν ἄνω χωρεῖ βάσιν,

Latine sic redduntur:

Basianus, dum, quæ deorsum est, linquit vitam,
Lætus ad illum ipsum, qui sursum est, ascendit gradum.

2 *Ita scilicet, Sanctum, relicta terra, ad cælum migrasse, hic indicatur; quod autem ad elogium spectat, id, quod prolixum non est, quodque Græcis hisce verbis concipitur,* Οὗτος ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Βασιανὸς ὑπῆρχεν ἐξ ἀνατολῶν τῆς Σύρων χώρας. Ἐπὶ δὲ τῆς βασιλείας Μαρκιανοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου ἦλθεν ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ τοσοῦτον διέλαμψεν ἀρεταῖς καὶ θαύμασιν, ὡς καὶ ναὸν κτίσαι ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ τὸν βασιλέα, ὃς καὶ μέχρι τῆς σήμερον ἐστίν. Ἐπληθύνθη δὲ ὁ ἀριθμὸς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ὡς εἰς τριακοσίους. Ἐξ ὧν ἦν καὶ ἡ ἁγία Ματρώνα. Οὗτω δὲ βιώσας καὶ πολλοὺς τῷ *e Menæis,*

AUCTORE C. B.

τῷ Θεῷ προσαγαγὼν καὶ νόσους θεραπεύσας, καὶ θαυμάτων ἀπείρων αὐτουργος γεγονὼς ἐν βαθυτάτῳ γήρα πρὸς Κυρὶον ἐξεδήμησεν, *Latinum efficitur hunc in modum:* Hic Sanctus Pater noster ex Orientali Syrorum regione est ortus; Constantinopolim autem, religiosissimo imperatore Marciano imperii habenas moderante, venit, itaque virtutibus et miraculis effulsit, ut etiam templum, quod hodieque conspicitur, sub ejus nomine imperator exstruxerit. Porro discipulorum ejus numerus, e quibus exstitit et sancta Matrona, circiter ad trecentos excrevit; cum autem ætatem sic exegisset, et multos ad Deum adduxisset et morbos curasset et infinita miracula edidisset, in summa senectute ad Dominum migravit. *Tale est, quod Menæa simulque etiam in Martyrologio suo Græco-barbaro Maximus Margunius, Menæis presse inhærere solitus, exhibent,* S. Bassiani *elogium; id autem cum elogio, quod in Menologio Sirletiano continetur, ad amussim adeo consonat, ut, si quis, quæ in Menæis de Sancto nostro narrantur, noscat, is simul etiam, quæ de eo referuntur*
B *in Sirletiano, habeat perspecta, utque proinde elogium in hoc contentum, modo huc transcripto Menæorum elogio, quo amplior rerum, ad* S. Bassianum *spectantium, notitia præbeatur, adjungendum non sit.*

Menologio Basiliano

3 *Verum de duobus aliis Sancti nostri hic adhuc transcribendis elogiis, quorum alterum Menologium,* Basilianum *vulgo dictum, alterum Ms., cujus exemplar habemus, Constantinopolitanum Sirmondi Synaxarium suppeditat, paulo aliter est loquendum. Id cuique, qui hæc cum elogio, e Menæis dato, contulerit, evadet perspicuum. Primum seu quod in Menologio Basiliano, studio et opera Cardinalis Annibalis Albani Græce et Latine typis Urbinatibus anno* 1727 *vulgato, exstat, Latine ibidem sic habet:* Sanctus pater noster Bassianus, ex Orientali Syrorum regione oriundus, Marciano pio imperatore, Constantinopolim profectus, ob virtutem suam imperatori statim innotuit, qui non modo eum tamquam patrem colebat, sed et ædes illius nomine, quæ ad hunc usque diem exstant, ædificavit. Fuit enim ad docendum appositissimus, ut multis persuaderet, relicto seculo, monasticam vitam agere: in quorum numero fuit sancta Matrona: crevitque discipu-
C lorum ejus numerus usque ad trecentos. Adhæc multa miracula patravit. Præterea si quis in gravissimum aliquod peccatum lapsus esset, et idcirco de sua salute desperaret, Vir sanctus, pari cum eo dolore suscepto, non prius conatu desistebat, quam lapsum, e diaboli manibus ereptum, per pœnitentiam ad Deum clementissimum adduceret. Insuper prophetiæ dono illustris, cum futura prædiceret, multis profuit. Exacta per hunc modum vita, confectus senio migravit ad Dominum, et a discipulis suis in ædibus, quæ ejus nomen præferunt, sepultus est. *Elogium isthoc cum elogio, e Menæis supra huc transcripto, modo confer, videbisque pauciora in hoc, quam in illo, de* S. Bassiano *asseverari.*

et Synaxario Sirmondiano

4 *Ad elogium, in Synaxario Sirmondiano contentum, progredior. Id paulo adhuc diffusius, quam jam datum, quod præterea, uti infra notabo, sub finem sat accurate loqui haud videtur, e Menologio Basiliano elogium, res ad Sanctum nostrum spectantes exponit. Verba Græca, e quibus componitur, sequentia hæc sunt:* Μνημὴ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βασιανοῦ, ὃς ἐγένετο ἐπὶ Μαρκιανοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου· ὡρμητο δὲ ἐκ τῶν τῆς ἀνατολῆς μερῶν ἐξ ἀπαλῶν ὀνύχων καὶ ἕως γήρως D τῇ τῶν καλῶν ἐργασίᾳ ἐνδιαυρίψας καὶ πολλοὺς τόπους διαμείψας καὶ πλείστοις ὠφέλεια καὶ σωτηριώδης ὁδὸς γεγονὼς καὶ τὴν βασιλίδα τῶν πόλεων καταλαβὼν μοναστήριον ἐν ταύτῃ ἐδείματο, Σεβῆρον τινὰ ἔχων συνεφαπτόμενον αὐτῷ εἰς τὸ ἔργον καὶ Ἰοάννην ὑπατικόν. Ἐν ταύτῃ μονῇ καὶ ἡ τιμία Ματρῶνα ἀνδρεῖον σχῆμα περιβαλλομένη εἰσηλθεῖν ἐθάρσησε καὶ μετὰ πολλῶν ἡμερῶν παραδρομὴν τῷ Μακαρίῳ ἐγνώσθη. Τούτου τὴν ἔνθεαν πολίτειαν οὐ μόνον ἄρχοντες κατεπλάγησαν, ἀλλὰ καὶ βασιλεῖς ὑπερεθάυμαζον ἐρχόμενοι πρὸς αὐτὸν καὶ ὠφελείας τυγχάνοντες· ἐπληθύνθη δὲ καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ μέχρι τῶν τριακοσίων. Αὐτὸς οὖν εἰς βαθὺ γῆρας ἐλάσας καὶ πλήρης ἡμερῶν γεγονὼς ἐν εἰρήνῃ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τῷ Θεῷ παρέθετο, μυρία θαύματα κατεργασάμενος ζῶν τε καὶ μετὰ θάνατον, οἷς ἐκπληττόμενος ὁ βασιλεὺς ναὸν ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ ἀνήγειρε πλησίον τῆς ἁγίας Ἄννης ἐν τῷ Δευτέρῳ, ἔνθα καὶ ἡ σύναξις αὐτοῦ ἐπιτελεῖται. *Ita hactenus Græcus Synaxarii Sirmondiani textus.*

hac transcriptis, a Græcis ornatur,

5 *En modo, quam hic subdo, interpretationem ejus Latinam. Sic habet:* Commemoratio sanctí patris nostri Basiani, qui sub religiosissimo Marciano floruit; fuerat autem a teneris unguiculis ex Orientis partibus profectus, cumque usque ad senectutem in virtutum exercitio operam posuisset ac locum sæpius mutasset, plurimisque utilis ac via ad salutem factus ad urbium etiam reginam *(Constantinopolim scilicet)* venisset, monasterium ibidem, adjutores in opere Severum quemdam ac Joannem, virum consularem, nactus, exstruxit. Id venerabilis Matrona, virili habitu induta, ingredi etiam est ausa, ac post multorum dierum decursum Sancto nota est facta. Divinam hujus vivendi rationem non solum viri principes suspexere, verum etiam imperatores, cum ad eum accessissent opemque fuissent experti, admirati sunt. Porro discipulorum ejus numerus ad trecentos etiam excrevit. Is igitur, cum ad summam senectutem pervenisset plenusque dierum esset effectus, Deo in pace spiritum tradidit, infinitis in vita et post mortem patratis miraculis, quibus perculsus imperator sub nomine ejus templum prope S. Annæ in Deutero, ubi et festivitas ejus celebratur, erexit. *Tale est postremum e tribus præcipuis, quæ huc visum est transcribere, Sancti nostri elogiis. Nonnulla modo, quæ in hisce occurrunt, examinemus, ac porro,* F *ut fieri poterit, dilucidemus.*

Constantinopolim veniens, monasterium ibidem

6 S. Bassianus *non tantum ex Orientis partibus, unde eum oriundum omnia jam data elogia affirmant, Constantinopolim venisse, sed et ibi monasterium extruxisse, in Constantinopolitano Sirmondi Synaxario proxime huc transcriptis verbis asseritur; verum, cum monasterium ibidem per* S. Bassianum *fuisse extructum, nec Menæa excusa, nec Basilianum et Sirletianum Menologia memoriæ uspiam prodant, hicne Synaxario laudato est standum? S. Matrona, quæ* S. Bassiani *discipulis in jam memoratis ecclesiasticis Græcorum libris annumeratur, in Menologio Basiliano* VIII *Novembris die et in Menæis excusis itemque in Menologio Sirletiano* IX *ejusdem mensis memoratur; in breviori autem hujus Vita, quæ penes nos, e codice Ms. nescio quo, a decessoribus nostris deprompta, exstat, sequentia isthæc leguntur sub finem verba:* Ὁ δὲ ὅσιος Βασιανὸς τὴν τοῦ σχήματος διατύπωσιν ἐν τῇ ἐρήμῳ θεόθεν δεξάμενος, ἐλθὼν ἐν Κωνσταντινουπόλει δύο μοναστήρια συνεστήσατο, τὸ μὲν γὰρ ἐν, ὅπερ καὶ ἐπώ-

νομον

A νωμον αὐτοῦ ἐστιν· τὸ δὲ ἕτερον τῇ ὁσίας Ματρώνας, κρατοῦντα τὸν αὐτὸν τύπον, τὸν παρὰ τοῦ ὁσίου νενομοθετημένον. Sanctus autem Basianus, habitus forma in eremo divinitus accepta, Constantinopolim veniens, duo monasteria exstruxit, unum quidem, quod ab eo nomen habet, alterum autem sanctæ Matronæ, quæ eamdem regulam, a Sancto præscriptam, observant. *Brevioris quidem, in qua, non unum tantummodo, sed duo monasteria a* S. Bassiano *Constantinopoli fuisse exstructa, disertissime sane his verbis asseritur, Vitæ illius et auctor et ætas omnino in obscuro sunt; dubitarique adeo non immerito potest, an non tunc demum, cum jam aliquot post* S. Bassiani *obitum secula essent elapsa, in litteras fuerit conjecta.*

a Severo quodam ac Joanne viro consulari, adjutus

7 *Verum, etsi id ita sit ac proin lucubratio illa, quæ præterea idcirco, quod, quemadmodum jam innui, codex etiam, e quo fuerit accepta, ignoretur, minori in pretio est habenda, fidem indubitatam in iis, quæ de* S. Bassiano *memoriæ prodit, haud mereatur, vel ex eo tamen, quod decessores nostri illam e qualicumque sibi prælucente exemplari excerpserint, idque, si eam nihili prorsus fecissent,* B *facturi haud fuisse videantur, haud omnino contemnendam, in animum non immerito induxeris; cum autem sic habeat, per verba supra huc transcripta, quibus, Constantinopoli duo monasteria a* S. Bassiano *fuisse ædificata, affirmat, qualecumque pondus Synaxario Sirmondiano, unum ibidem a* Bassiano *monasterium, Severo quodam ac Joanne viro consulari juvantibus, fuisse exstructum, per verba, supra pariter huc transcripta, asseveranti, adjungit. Adhæc inter eos, qui Constantinopolitano anni* DXVIII *concilio subscripti inveniuntur, Martyrius,* μονῆς τοῦ ὁσίου Βασιανοῦ *archimandrita, comparet, monasteriique ejusdem Theophanes, ut Cangius in Constantinopoli Christ. lib.* IV, *pag.* 120 *docet, loco non uno mentionem instituit. Reponi quidem potest, monasterium, de quo hic nobis sermo,* S. Bassiani *nomine potuisse distingui, non quod ab ipsomet hoc Sancto, sed quod in hujus, ad Superos felici e vivis excessu jam translati, honorem fuisset exstructum; verum, etsi id ita sit, re tamen vera illud, quod ab ipsomet* S. Bassiano *esset exstructum, fuisse Sancti hujus nomine distinctum, vel ex eo apparet, quod hoc ipso nomine, vivente adhuc* C Bassiano, *fuerit vocatum, ut fidem faciunt duo S. Matronæ, supra adhuc memoratæ, elogia, quorum alterum in Menologio Basiliano ad* VIII, *alterum ad* IX *Novembris diem in Menæis occurrit.*

ante annum 453, non tamen, ut apparet,

8 *Jam vero, cum hæc ita habeant, nec quidquam, quod non fuisse a* S. Bassiano *monasterium Constantinopoli ædificatum vel utcumque suadeat, alicunde adducatur, id abs eo, suppetias Severo quodam ac Joanne viro consulari ferentibus, fuisse re ipsa factum, Synaxario Sirmondiano asserenti apparet absque ullo etiam scrupulo assentiendum. Verum quandonam id a Sancto factum? In codice nostro Græco † MS.* 194 *continetur prolixior S. Matronæ Pergensis, mox iterum memoratæ, Vita, a Simeone Metaphraste conscripta. In hac autem, quæ apud Lipomanum et Surium e sermone Græco in Latinum versa ad* VIII *Novembris diem exstat, narratur, qui S. Matrona, quæ, cum jam prolem marito suo peperisset, clanculum abs illo (licitene, an secus, ad* VIII *vel* IX, *quo utroque, ut jam dictum, Sanctæ illius memoria recolitur, Novembris diem, si tum de ea fuerit tractandum, examinabitur) ex ardenti soli Deo serviendi desiderio discesserat, Constantinopoli aliquamdiu in* S. Bassiani *monasterio sub virili habitu fuerit versata, Emesam deinde, eodem Sancto, sexum ejus divinitus edocto, curante, secesserit, ac tum, cum ibidem illa sacris Virginibus, in quarum monasterium fuerat admissa, fuisset jam præfecta, S. Joannis Baptistæ caput prope civitatem illam fuerit inventum; cum autem de secunda sacri hujus pignoris inventione sermo ibidem instituatur, hæcque, uti apud nos tom.* IV *Junii, ubi de sancto illo Domini nostri Jesu Christi Præcursore actum, pag.* 722 *et seqq. ostenditur, anno* 453 *contigerit, consectarium fit, ut* S. Bassianus *Constantinopoli monasterium, utpote in quo, priusquam jam dicta capitis S. Joannis secunda inventio eveniret, S. Matrona, teste Metaphraste, fuisset versata, ante annum* 453 *exstruxerit.*

AUCTORE C. B.

9 *Atque ita quidem annum, ante quem* S. Bassianus *monasterium Constantinopoli exstruxerit, habemus; nunc etiam in annum, ante quem id Sanctus haud fecerit, inquiramus. Nihil quidem, e quo hunc determines, subministrat supra huc transcriptum e Synaxario Sirmondiano* S. Bassiani *elogium; verum id una cum Menologio Sirletiano præstant duo alia supra pariter huc transcripta Sancti nostri elogia. In his enim, quorum alterum in Menæis excusis, alterum in Menologio Basiliano recensetur,* S. Bassianus *Constantinopolim, imperii habenas Marciano tenente, venisse asseritur; cum autem Marcianus, uti inter eruditos convenit, ante annum* 450 *imperio præesse haud inceperit, nec sane* Bassianus, *priusquam Constantinopolim veniret, monasterium ibi ædificarit, consectarium fit, ut id ille ante dictum annum* 450 *haud fecerit. At vero, inquiet fortassis nonnemo, S. Matrona, postquam a* S. Bassiano *monasterium Constantinopoli fuisset exstructum, ibidem e jam dictis aliquamdiu in hoc fuit versata, Emesam deinde in sacrarum Virginum monasterium secessit, jamque, cum sacrum S. Joannis Baptistæ caput prope civitatem illam anno* 453 *fuit inventum, parthenoni isti, uti in Vita ejus Metaphrastes etiam docet, fuerat præfecta; cum autem hæc omnia, si dictum monasterium ante annum* 450 *a* Bassiano *haud fuerit exstructum, intra trium* F *fere dumtaxat annorum spatium, ut consideranti patescet, debeant fuisse facta, ac intra tam breve tempus fuisse reipsa facta, creditu appareat admodum difficile, dubitari idcirco posse videtur, an ante annum* 450 *sacrum illud asceterium a* Bassiano *haud fuerit exstructum.*

ante annum 450, ac proin E

vel hoc ipso anno vel haud multo serius ædificat, vitam in eo,

10 *Fateor, sic habet; verum, cum equidem ista omnia absolute, utut difficulter, potuerint intra tres etiam dumtaxat annos fuisse peracta, Menæis duobusque Menologiis, Sirletiano scilicet et Basiliano, unanimi consensu id, e quo ante annum* 450 *Constantinopoli monasterium a* Bassiano *haud fuisse exstructum, consequitur, asseverantibus, assentiendum apparet, cumque tamen, ut jam supra docui, monasterium Constantinopoli Sanctus ante annum* 453 *ædificarit, consectarium e modo disputatis fit, ut id verosimiliter vel anno* 450 *vel haud multo serius fecerit. Porro* S. Bassianus *qui, quemadmodum ejus elogium, e Synaxario Sirmondiano*

AUCTORE C. B.

Sirmondiano supra huc transcriptum, prodit, non prius, quam cum virtuti operam diutissime dedisset, ac jam, non paucis cum copioso animarum lucro regionibus peragratis, senex esset effectus, Constantinopolim venerat, ibidem deinceps in monasterio, a se exstructo, sanctissime usque ad summam senectutem vivere perrexit. Verum quodnam vitæ institutum fuit secutus? Monachum illum exstitisse, indubitatum vel ex eo apparet, quod ætatem in monasterio exegerit, quod hujus inquilinos sub disciplina sua habuerit quodque hi in supra laudata, quæ Metaphrastem habet auctorem, S. Matronæ Pergensis Vita loco non uno monachi *diserte appellentur. Ast illum* Acæmetam *hodie nuncupat in Martyrologio suo Universali Castellanus; quod qua ratione impulsus faciat, omnino ignoro.*

dubium, an ad Acæmetarum, ut Castellanus æstimasse videtur,

11 *Acæmetæ quidem seu monachi* Ἀκοίμητοι, *ita a Græcis dicti, quod in eorum monasteriis divinum Officium noctu diuque sine ullo cessationis intervallo, monachis idcirco tres in cœtus, qui sibi hunc in finem succedebant, divisis, celebraretur, Constantinopoli eodem quinto, quo* S. Bassianus *floruit, æræ Christianæ seculo, ut in Opere nostro, tom.* 1 *Januarii pag.* 1018, *et duabus seqq. invenies, fuere instituti; verum horum vivendi rationem amplexum esse* S. Bassianum *aut in monasterium a se conditum introduxisse, nuspiam litteris reperio mandatum. Nec, ut Castellano hic assentiar, moveri queo ex eo, quod, nisi Acæmeta credatur* S. Bassianus, *vitæ institutum, quod fuerit professus, assignari haud queat. Etsi enim res ita habeat, non pauca tamen Constantinopoli et alibi, priusquam acæmetæ instituerentur, monasteria exstitere hæcque certe in vitæ, quæ servabant, institutis ab Acæmetis discrepuere; cum autem sic habeat, quid ni unum ex his Acæmetarum instituto præferre ac porro amplecti* Bassianus *potuerit? Quid ni etiam factum esse queat, ut institutum novum et sibi et monachis suis servandum præscripserit? Sane vitæ normam, sibi a* S. Bassiano *præscriptam, observasse duo, quæ hic Constantinopoli exstruxerit, monasteria in breviori, quam supra adhuc laudavi, S. Matronæ Vita per verba, num.* 6 *jam recitata, asseruntur; etsi autem hæc forsan de regula, quam, primum ab alio traditam,* Bassianus *dumtaxat adoptarit, queant intelligi, Acæmetarumque institutum e Constantinopolitano horum monasterio fuerit etiam temporis lapsu, uti ex Theophane, Cedreno et Nicephoro Callisti (Operis nostri tom.* 1 *Januarii a pag.* 1018 *videsis) intelligitur, in alia tum intra, tum extra urbem Constantinopolitanam monasteria invectum, nihil tamen omnino impellit, ut vel pro verosimili habeam,* Bassianum *illud fuisse amplexum seu in monasterium, Constantinopoli a se conditum, induxisse.*

institutum, sanctissime agit, discipulique trecentis ac hos inter S. Matrona.

12 *Etsi itaque professione monachum exstitisse* S. Bassianum, *omnino, ut jam supra docui, sit certum, anne tamen, quæ Acæmetarum fuit, vitæ rationem fuerit amplexus, est admodum, uti e jam nunc dictis apparet, incertum ac dubium. Verum qualiscumque tandem, cui Sanctus sese addixit, vitæ ratio exstiterit, sanctissime equidem, ut jam dixi, in monasterio, a se exstructo, vixit, nec paucos ibidem, qui illam fuere amplexi, discipulos fuit adeptus. Hosce numero exstitisse trecentos, Menologium Basilianum et Constantinopolitanum Sirmondi Synaxarium in supra huc transcriptis Sancti nostri elogiis affirmant; etsi autem Menæa non* trecentos, *sed tantummodo* fere trecentos S. Bassiani *discipulos numerent, unanimi tamen consensu tam hæc, quam jam dicta Sirmondiani Synaxarii et Menologii Basiliani elogia S. Matronam discipulis* S. Bassiani *accensent. Verum quæ qualisve hæc fuit?* S. Bassiani *elogio, quod in Menologio apponitur nota:* In apographo Ms. erat adscriptum: „ Hæc Matrona fuit Macedo- „ niana. „ *Verum, quiscumque sit, qui ita Matronam,* S. Bassiani *discipulam, secta exstitisse Macedonianam, indicavit, id verosimillime fecerit, quod, cum translationi, qua S. Joannis Baptistæ caput, prope Emesam anno* 453 *inventum, in civitatem hanc fuit delatum, interfuisse Matronam,* S. Bassiani *discipulam, legisset, hanc cum Matrona, quæ, cum idem S. Joannis Baptistæ caput sub Valente e Cilicia in Bithyniam indeque post sub Theodosio Constantinopolim transferretur, sacrum illud pignus, tamquam ministra et custos, comitata fuisse apud nos tomo* 4 *Junii pag.* 713 *et binis seqq. ex Sozomeno refertur, ac, uti ex ibidem allegatis liquet, secta Macedoniana exstitit, existimarit eamdem.*

de qua, cum altera homonyma perperam confusa,

13 *Verum posteriorem hanc Matronam a Matrona,* S. Bassiani *discipula, esse diversam, vel ex eo fit perspicuum, quod, cum ultimo hic memorata capitis S Joannis Baptistæ e Bithynia Constantinopolim sub Theodosio translatio anno* 390, *uti apud nos loco proxime cit. videre licet, contigerit, necessario Matrona, quæ tum sacri illius pignoris custos fuit, anno dein* 453 *labente, quo, ut supra vidimus, idem Præcursoris Domini caput prope Emesam fuit inventum, octogenaria debeat, si tum adhuc in vivis fuit superstes, exstitisse major; Matrona autem,* S. Bassiani *discipula, quæ translationi, qua id, cum ibi fuisset inventum, in civitatem Emesenam fuit delatum, interfuit, tum adhuc exstiterit juvenis, uti intelligitur ex eo, quod e jam dictis ante translationem illam in* S. Bassiani *monasterio, quod, ut docui, ante annum* 450 *haud fuit exstructum, vitam monasticam, virili habitu assumpto, fuerit amplexa, ac tum, ut Metaphrastes in ejus Vita etiam tradit, non plures quam viginti quinque ætatis annos numerarit. Adhæc Matrona, quæ sub Valente ac Theodosio caput S. Joannis custodiisse perhibetur, Cosilai prope Chalcedonem, virginitate perpetuo servata, diem extremum clausit; Matrona autem,* S. Bassiani *discipula, Constantinopoli relicto, e quo prolem pepererat, marito, vitæ cursum absolvit. Ast sive ob jam dictam, sive ob aliam quamcumque causam sit factum, ut verba supra relata, quibus Macedoniana exstitisse Matrona,* S. Bassiani *discipula, asseritur, Ms. Menologii Sirletiani apographo fuerint adscripta, Macedonianam equidem illam exstitisse, haudquaquam queo mihi habere persuasum.*

hic nonnulla, ad Bassianum partim etiam spectantia

14 *Ita animo comparatus sum, quod nihil omnino, e quo vel utcumque Macedonianæ sectæ evadat suspecta, invenire uspiam, re quamvis diligentissime discussa, potuerim. Neque vero, Macedoniana si fuisset, sese, cum primum mundo nuntium remiserat, vitæ monasticæ præceptis imbuendam* Bassiano, *viro imprimis Catholico, Constantinopoli, ut jam vidimus, tradidisset; ne autem, postquam hinc a* Bassiano *Emesam, ut pariter vidimus, fuisset profecta, Macedonianam*

A *Macedónianam factam, suspicemur, obstat post secutus mulieris, pro Sancta a Græcis cultæ, Constantinopolim, peragratis regionibus variis, ad eumdem* S. Bassianum *regressus, aliaque, quæ, maximi etiam tunc fuisse abs illa Sanctum hunc factum, argumento sunt, in supra laudata illius Vita a Simeone Metaphraste narrata. Hæc idcirco simulque, quod non minus, quam quæ Matronæ Emesam Constantinopoli discessum præcessere, ad* S. Bassianum *partim spectent, compendio, cui mox reliqua, de Sancto nostro dicenda, subjungam, hic exhibeo. Cum Matrona,* S. Bassiani *discipula, quæ, quemadmodum supra docui, anno* 453 *capitis S. Joannis Baptistæ in civitatem Emesenam translationi interfuit, unguento inde accepto cæcum illuminasset, Domitianus ejus maritus, rei hujus, quaquaversum citissime vulgatæ, fama excitus, novaque inde uxoris, quam ubique requirebat, inveniendæ spe concepta impulsus Emesam venit; ast illa, hominem adesse subodorata, mox, quo incidendi in manus ejus periculum evadat, Hierosolymam primum, tum in montem Sina, ac dein Berythum, ubi et aliquas discipulas sibi*

B *adjungit, profecta, Constantinopolim tandem* Bassiani *conveniendi desiderio capta divinitusque ad id in somnis excitata revertitur.*

atque ex Matronæ per Metaphrastem Vita

15 *Eo appulsa Marcellum diaconum, quo suadente, a* Bassiano *Emesam ad virginum monasterium missa antea fuerat, accersit, reditusque causam abs illo rogata, sese dumtaxat, ut arduum longi itineris laborem, senectute ac mulierum imbecillitate despecta, susciperet, vehementi quodam eos, a quibus primam spiritualis vitæ institutionem acceperat, ac maxime* Bassianum *conveniendi desiderio fuisse adductam, respondet, ac dein, quæ sibi post suum ex urbe Constantinopolitana discessum contigerint, exponit; Marcellus autem, statim singulis* Bassiano *narratis, abs hoc, ut quietum aliquod et a tumultu alienum non procul a monasterio habitaculum, ad quod facilis sibi esset accessus, Matronæ quamprimum præstituat, jubetur, cumque id ille, Magistri præcepto mox obtemperans, fecisset, Matrona in apta, quam paraverat, domo quamprimum locatur.* Quem in locum *(ipsiusmet Metaphrastæ apud Lipomanum verba sunt)* cum ma-

C gnus venisset Bassianus, eamque esset allocutus et dixisset, quæ opportebat, quin etiam ab ea didicisset de iis, quæ ei obtigerant, et eam impertiisset iis, quibus indigebat, eam rogavit, an sibi opus esset aliquo alio; cum ea autem dixisset, alias sorores esse Berythi et eas velle ad ipsam venire et una degere, hoc episcopo Beryti statim litteris significat, et, quas nominatim quærebat Matrona, jussit ad eam quamprimum mittere. Eæ ergo emissæ et cohabitantes cum Matrona ei summam exhibebant obedientiam.

in compendium contracta,

16 *Verum Matrona, quæ eximiis, quibus effulgebat, virtutibus notior indies ac non paucis primariæ nobilitatis feminis gratior reddebatur, haud ita dudum post monasterium, fundo aliisque operi necessariis, sibi a Patricii Sporacii uxore, quæ ei sanitatis sibi restitutæ beneficium referebat acceptum, subministratis, ædificat, ac una cum sororibus, quæ Beryto ad eam venerant, in novas illas ædes, prioribus, in quas, jubente* Bassiano, *introducta primum fuerat, relictis, migrat, easdemque deinceps, ex Athanasiæ, prædivitis feminæ, quæ disciplinæ ejus sese commiserat, facultatibus sibi oblatis ac* Bassiani *consilio ac-*

AUCTORE C. B.

ceptis, non parum auctas, ad mortem usque, quam centesimo vitæ suæ anno obiit, perpetuo occupat. Tale est eorum, quæ de Matrona, Constantinopolim ad Bassianum *reversa, a Metaphraste narrantur, compendium. Ac id quidem, maximi etiam tunc a Matrona factum fuisse* S. Bassianum, *luculentissime sane prodit; cum autem tunc etiam, uti in eodem compendio ac proin et in Vita, per Metaphrastem scripta, traditur, Matronæ curam* Bassianus *gesserit, ædesque, in quibus et tum aliquamdiu cum sororibus, Beryto per* Bassianum *ad se evocatis, fuit morata, per Marcellum ei jusserit parari, hinc factum reor, ut, quamvis verosimiliter ipsamet Matrona, uti e jam dictis a Metaphraste traditur, Constantinopolitanum, quod ab ea nomen habuit, monasterium exstruxerit, id tamen a* Bassiano *exstructum, in breviori Matronæ Vita, per verba, num.* 6 *huc transcripta, asseratur; verum etsi hinc monumentum isthoc litterarium erroris forsan in Conditore monasterii S. Ma-* E *tronæ assignando insimulari haud immerito queat, fuisse tamen in hoc eamdem, quæ in* S. Bassiani *monasterio, vitæ rationem observatam, verosimiliter recte affirmat.*

proferuntur, sibi adjunctis, inter annum 451

17 *Ea sedet sententia, quod, cum* S. Bassianus, *quamdiu post S. Matronæ ad se reditum in vivis adhuc mansit superstes, præfatum, quod hæc Constantinopoli tum condidit, monasterium consiliis suis ac curis maxima ex parte, ut apparet, rexerit, is haud facile permissurus fuisse videatur, ut alia in hoc, quam quæ a monachis suis servabatur, ac ab ipsamet Matrona, cum apud hosce, prius quam Emesam secederet, sub virili habitu latebat, aliquamdiu fuerat servata, vivendi ratio observaretur. Res quidem minime est certa; sed cum nihil, quo certa reddatur, occurrat, ad reliqua modo, quæ in supra huc transcripta* S. Bassiani *elogia observanda sunt, progredior ac primo, quamdiu hic, postquam Constantinopolim Matrona esset reversa, in vivis adhuc manserit superstes, seu potius, quandonam circiter, trecentis sibi jam adjunctis, ut supra docui, discipulis, e mortali hac vita ad immortalem migrarit, indago.* S. Bassiano *templum, uti mox infra e Synaxario Sirmondiano, Menæis excusis, Sirletianoque ac Basiliano Me-* F *nologiis ostendam, ab imperatore Marciano fuit exstructum; cum autem sic habeat, enimvero hinc, cum certe* S. Bassiano, *in vivis adhuc existenti, templum Marcianus, qui, uti ex eruditorum consensu jam dixi, anno* 457 *obiit, haud exstruxerit, fuisse ante annum* 458 *e vivis sublatum Sanctum nostrum, non inepte concluditur.*

et annum 455 *e vivis excedit,*

18 *Reponi quidem potest, S. Matronam, spectatis iis, quæ ex ejus per Metaphrastem Vita supra retulimus, e civitate Berytensi, postquam Emesæ capitis S. Joannis translationi anno* 453 *adhuc juvenis interfuerat, Constantinopolim,* Bassiano *adhuc vivente, reversam, exstitisse jam tum senem, idque, ut consideranti patescet, verum esse non posse, si* S. Bassianus *ante annum* 458 *vita sit functus. Ast, etsi sic habeat, atque adeo obitus* S. Bassiani *epocha, tam mature signata, cum iis, quæ in S. Matronæ Vita Metaphrastes scribit, nequeat componi, potius tamen supra laudatis ecclesiasticis Græcorum libris, unanimi consensu id, e quo,* Bassianum

AUCTORE C. B.

ante dictum annum 458 *vere obiisse, consequitur, asseverantibus, quam solo Metaphraste, S. Matronæ verba, quibus hæc, dum Constantinopolim, vivente adhuc* Bassiano, *reversa, reditus sui causam (num.* 14 *videsis) Marcello exponit, sese exstitisse jam tum senem, prodit, affingente, standum apparet; maxime cum hic scriptor non secus ac Menologii Basiliani auctor, qui,* S. Bassiano *templum a Marciano fuisse erectum, disertissime, ut mox docebo, affirmat, quatuor amplius seculis a S. Matronæ ætate abfuerit, nec omnia, quæ in S. Matronæ Vita scribit, e notitiis, undequaque probatis ac certis (Operis nostri tom.* 4 *Junii pag.* 721, *num.* 131 *videsis) deprompserit. Porro cum hæc sic habeant ac* S. Bassianus, *qui, Constantinopolim revertente S. Matrona, nondum e jam dictis obierat, in vivis certe, dum hæc antea capitis S. Joannis Baptistæ translationi, anno* 453 *factæ, interesset, exstiterit adhuc superstes, annum hunc inter et annum* 458 *ad Superos illum migrasse, sat probabile redditum ex omnibus modo*

B *allegatis autumans, de iis, quæ Sancti obitum secuta narrantur, nunc pauca subjungo.*

temploque, per Marcianum imperatorem, uti ex iis,

19 S. Bassianum, *cum Constantinopolim, Marciano imperatore, venisset, ita virtutibus et miraculis,* ut etiam templum, quod hodieque conspicitur, sub ejus nomine imperator exstruxerit, *effulsisse, num.* 2 *huc transcriptum e Magnis Græcorum Menæis excusis elogium ac proin et Sirletianum, quod, ut dixi, Menæis ad amussim consonat, Menologium affirmat; etsi autem nec hoc, nec illa, quis imperator sub* S. Bassiani *nomine templum exstruxerit, diserte ac expresse notent, rem tamen, cum verbis, affirmationem illam proxime prægressis, de solo, qui, uti inter eruditos convenit, anno* 457 *obiit, Marciano imperatore loquantur, fuisse abs hoc factam, videntur indicare. Nec aliter de Synaxario Sirmondiano, quod, postquam,* S. Bassianum *sub Marciano, imperatore floruisse, sub initium asseruit, nonnullis deinde interpositis, fuisse Sancto, infinitis in Vita et post mortem miraculis claro, templum ab imperatore exstructum, sub finem, non expresso ibidem hujus nomine, memoriæ prodit, pronuntiandum apparet. Ita autumo, non tantum, quod tam in dicto Synaxario quam in Menæis et Menologio Sirletia-*

C *no, imperatoris haud alterius, quam Marciani, nomen legatur, verum etiam, ac præcipue quidem, quod Sancti nostri elogium, e Menologio Basiliano num.* 3 *huc transcriptum, initio habeat,* Bassianus,..... Marciano pio imperatore, Constantinopolim profectus, ob virtutem suam imperatori statim innotuit, qui non modo eum tamquam patrem colebat, sed et ædes illius nomine, quæ ad hunc usque diem exstant, ædificavit, *hisque verbis, utpote quibus imperator, a Marciano diversus, designari haud queat, fuisse abs hoc ædem, seu potius, ut Græce est,* τὸν ναὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, *id est,* templum sub nomine ejus, Bassiani *nempe, exstructum, apertissime significetur, nec sit, cur hic a Menologio Basiliano vel Menæa cum Sirletiano, vel Synaxarium Sirmondianum dissonare merito existimetur.*

quæ hic adducuntur, apparet,

20 *Fuisse quidem in duodecima urbis Constantinopolitanæ regione, nomine* Deutero *seu* secundo, πλησίον τῆς ἁγίας Ἄννες, prope S. Annæ, *id est, prope ædem, S. Annæ sacram, quam, ut Procopius, author synchronus, lib.* 1 *de Ædificiis cap.* 3 *docet, Justinianus, haud citius quam seculo sexto imperator, exstruxit,* D S. Bassiani *templum ab imperatore ædificatum, elogii, e Synaxario Sirmondiano num.* 4 *huc transcripti, auctor sub finem affirmat. Verum quid si anticipatione, ut loquuntur, usus id faciat, non quod prope illam ipsam sacram S. Annæ ædem, jam tum, cum illud ædificaretur, exstantem, sed quod prope locum, quo hæc postea fuit exstructa ac ætate sua exstabat,* S. Bassiani *templum imperator ædificarit? Sane, cum ita, ut apparet, non absurde queat, ita etiam debet is auctor exponi, quod alioquin cum Menologii Basiliani auctore, qui,* S. Bassiano *fuisse a Marciano templum erectum, luculentissime, ut jam docui, tradit, pugnare foret dicendus, quodque auctores, qui invicem in speciem adversantur, inter sese non collidendi, sed, si fieri possit, conciliandi sint. Nec refert,* S. Bassianum, *cum senio confectus migrasset ad Dominum, a discipulis suis* in ædibus, quæ ejus nomen præferunt, *seu potius, ut Græce est,* ἐν τῷ δηλωθέντι αὐτοῦ ναῷ, *id est,* in præfato suo templo, *sepultum fuisse, a Menologio Basiliano affirmari.* E

exstructo, in quo

21 *Etsi enim ita hujus auctor,* S. Bassianum *in illo ipso templo, quod sub hujus Sancti nostri nomine a Marciano erectum, antea narrarat, humatum insinuet, sicque illud* S. Bassiano, *in vivis adhuc existenti, fuisse a Marciano, quod certo est falsum, exstructum, videatur indicare, haud ita tamen est intelligendus, sed, sufficienti, ut nonnumquam alias, accuratione in scribendo haud adhibita,* S. Bassianum *in templo, quod sub ejus nomine Marcianus ædificasset, sepultum scripsisse est censendus, non quod Sanctus in hoc ipso templo, jam prius sibi, quam moreretur, erecto, sed quod eo loco, quo id postea Marcianus exstruxit, terræ fuerit mandatus, aut etiam, quod, cum primum loco alio fuisset depositus, postea inde ad dictum templum, cum id, quod, ut arbitror, ad monasterium, a* Bassiano *antea conditum, fuerit adjectum, ad umbilicum jam fuisset adductum, fuerit translatus. At vero, inquiet adhuc fortassis non nemo, si Constantinopoli templum, quod a* S. Bassiano *nomen habuit, vere a Marciano, anno, ut dictum,* 457 *e vivis sublato, fuerit exstructum, consectarium erit, ut Sanctus, utpote qui post annum* 453, *uti e supra dictis colligitur, in vi-* F *vis adhuc exstiterit superstes, jam inde a secundo aut tertio post mortem anno ædem nomini suo sacram fuerit adeptus. Fateor, sic habet; sed quid tum? Id quidem ævi nostri, at non seculi* v, *quo* S. Bassianus *floruit, moribus spectatis, incredibile apparet. Tunc enim ac diu adhuc post, cum monachi seu alterius cujuscumque status homines, qui sancte vixisse credebantur, in vita et post mortem patrarant miracula, statim eis honores, Sanctis deferri soliti, discussionibus multis prævie haud adhibitis, nec juris, quæ postea sapientissime introductæ fuerunt, formulis præmissis, deferebantur.*

et cultum annuum obtinuit, honoratur.

22 *Imo vero seculis, ab ætate nostra haud adeo remotis, cum jam dudum usus Servos Dei non prius, quam cum diligentissime juxta ac rigidissime eorum causæ fuissent discussæ, solenni ritu in Sanctorum Album referendi fuisset inductus, subinde etiam est factum, ut, qui multis in vita ac statim post mortem inclaruerant miraculis, honorem illum, viæ uno alterove post obitum elapso anno, fuerint adepti.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *adepti. Sic, ut hic unum saltem e multis, quæ afferri possent, rei hujus exemplis lectori ob oculos ponam, S. Petrus martyr, cum anno* 1252 *ab impio sicario fuisset occisus, anno proxime sequenti multis miraculis illustris sanctorum Martyrum numero ab Innocentio IV, summo Pontifice, fuit adscriptus. Cum itaque hæc sic habeant, ac* S. Bassianus, *ut ejus e Synaxario Sirmondiano num.* 4 *huc transcriptum elogium in fine testatur, infinita et post mortem et in vita, sancte acta, patrarit miracula, enimvero, fuisse illi ædem sacram, cum uno dumtaxat alterove anno excessisset e vivis, a Marciano erectam incredibile nemini debet videri. Nec tantum Sanctus, cum breve tantummodo, posquam vitam hanc mortalem cum immortali commutarat, temporis spatium esset elapsum, æde sacra sibi exstructa, verum etiam festo, quod celebratum in hac annuatim fuerit, honoratus fuisse videtur. Certe annuam ejus festivitatem fuisse saltem ibidem aliquando celebratam, fidem facit supra relatum, quo in Synaxario Sirmondiano ornatur, elogium, quod statim atque* S. Bassiano *templum in Deutero fuisse exstructum, sub finem narravit,* σύναξιν *ejus seu festivitatem ibidem celebrari, subjungit.*

AUCTORE C. B.

DE S. CERBONIO EP. CONF.

VERONÆ IN ITALIA

SYLLOGE

Memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, tempus sedis.

B

FORTE SUB SEC. V FINEM *Sanctus, qui a tempore immemorabili Veronæ colitur,*

Duos hoc die Martyrologium Romanum hodiernum annuntiat Cerbonios, alterum Populoniensem in Hetruria, alterum Veronensem in Venetorum in Italia dominio episcopum. De priori, quod verosimilius altero sit minus antiquus, mox post acturi, de posteriori nunc agimus. Unus hic est e triginta sex antiquissimæ juxta ac notissimæ civitatis Veronensis præsulibus, quos hæc veluti Sanctos veneratur. Nullus quidem ex his præter S. Zenonem, Operi nostro ad XII *Aprilis diem jam insertum, Usuardi Fastis sacris, quibus solis olim Romana Ecclesia utebatur, invenitur adscriptus; verum, etsi id ita sit, fuerunt tamen illi omnes triginta sex episcopi, ut illustrissimus Augustinus Valerius, Veronensis et ipse episcopus, in antiquis ecclesiæ suæ Monumentis, apud Venetos anno* 1576 *in lucem emissis, fol.* 1 *et seqq. ex Veteri Martyrologio ac seculi* XV *scriptoribus probat, cultu publico a tempore immemorabili gavisi; hinc autem, ni fallar, potissimum est factum, ut ex iisdem sanctis triginta sex Episcopis, cum jam horum plures Martyrologio suo, Venetiis itidem biennio dumtaxat post ibidem edita, quæ mox memoravi, ecclesiæ Veronensis monumenta vulgato, Galesinius inscripsisset, omnino viginti tres ac nominatim* S. Cerbonius, *qui etiam* Cerbonus *vocatus invenitur, in Mrl. Rom. hodiernum fuerint deinde illati.*

C

codemque, quo Fastis sacris inscribitur,

2 *Certe hic sanctus Veronensis Episcopus, qui a Martyrologio Romano. Antverpiæ anno* 1586 *Christophori Plantini typis excuso, adhuc exsulat, in eodem deinde Mrl., quod auctum et emendatum Antverpiæ pariter apud Joannem Moretum* 1591 *prodiit, paucis hisce verbis* Veronæ item Cerbonii episcopi *hodie annuntiatus comparet; ut vel hinc* S. Cerbonium, *Veronensem episcopum, certe ante annum* 1580 *Mrl. Romano non fuisse inscriptum, haud temere credi queat, utque proinde huic illum recenter fuisse adjectum, Castellanus in Nota, ad Martyrologii sui Universalis, in quo* S. Cerbonium *hodie memorat, marginem apposita, recte observet. Verum an recte pariter, non fuisse ab iis, qui* S. Cerbonium *in Mrl. Rom. hodierum intulere, in emortualem ejus diem inquisitum, ibidem adjungit? Id ejusdem asseverare non ausim; ast, utcumque res habeat, Galesinius jam antea eodem, quo Mrl. Rom.,* X *Octobris die* S. Cerbonium *in Mrl. suo commemorarat sequentem in modum:* Veronæ item sancti Cerbonii episcopi, qui propagandæ disciplinæ Euangelicæ studiosus, sapientiæ laude clarus, Veronensi ecclesia religiose administrata, magna cum testificatione sanctitatis quievit in Domino. *Adhæc non tantum Ferrarius, qui in suo Sanctorum Italiæ Catalogo* Cerbonium *recenset, ad* X *Octobris diem pariter id facit, verum etiam, ad Superos hoc ipso die illum migrasse, Augustinus Valerius diserte affirmat, hunc que deinde in Veronensibus episcopis tom.* 5 *Italiæ sacræ secutus est Ughellus.*

D

E

F

X, *ut apparet, Octobris die obiit,*

3 *Locus, quo, quod dixi, Augustinus Valerius affirmat, fol.* 38 *apud eum occurrit in* S. Cerbonii *elogio seu, uti abs illo vocatur, Historia, sequentibus hisce verbis concepta:* Cerbonius, Veronæ episcopus, vir fuit Euangelicæ disciplinæ propagandæ incredibili studio inflammatus et mirabiliter extirpandis hæresibus deditus: cum sapientia eloquentiam ita conjunxit, ut magnam apud universum Veronensem populum prudentiæ et sanctitatis famam suo tempore fuerit consecutus. Senio confectus obiit sexto idus Octobris, *id est,* X *mensis hujus die,* magnum suarum virtutum desiderium relinquens. Sepultus fuit in basilica sancti Proculi. *Ita scriptor, postremo laudatus; cum autem antiquum, ex ecclesiæ cathedralis Veronensis membranis Martyrologium, in quo triginta sex sanctorum Veronensium Episcoporum nomina repererit descripta, Operis sui initio laudet, ex eo verosimiliter, quod in Mrl. illo* Cerbonii *nomen ad* X *Octobris diem invenerit descriptum, die isthoc*

AUCTORE C. B.

isthocobiisse Sanctum, injam dato ejus elogio seu Historia affirmarit. Utut sit, S. Cerbonius *die* x *Octobris obiisse in vetusta quoque S. Proculi prope Veronam ecclesiæ tabella apud Onuphrium Panvinium lib.* 4 *Antiquit. Veronensium cap.* 3 *asseritur; cum autem sic habeat, nec monumentum ullum, quod alio die Sancti obitum consignet, reperiatur, tum re etiam ipsa vitam hanc mortalem cum immortali eum commutasse, ex omnibus modo allegatis sat probabile apparet. Proximum est, ut nunc in annum seu potius (hunc enim utcumque vel conjectando etiam in spississimis, quibus undequaque res, ad antiquos Veronenses episcopos spectantes, involutæ sunt, tenebris assequi quis queat?) in seculum, quo* S Cerbonius *seu obierit seu sedem episcopalem Veronensem occuparit, inquiramus, aut saltem nec id certo assignari posse, ostendamus.*

sedem Veronensem non sec. VIII *seu, ut Ferrarius tradit,*

4 *Ferrarius, qui, quemadmodum jam indicavi, in suo, quo Italiæ Sanctos complectitur, Catalogo* S. Cerbonium *hodie signat, ibidem simul suppeditat modo hic recitandum,* B *quo illum exornat, elogium, ex elogio, quod supra ex Augustino Valerio transcripsi, magnam partem desumptum hisque verbis conceptum:* Cerbonius episcopus Veronensis XXXIV S. Annoni, cum eloquentia, doctrina et vitæ probitate præstaret, subrogatus est. Is Euangelicæ disciplinæ propagandæ cupidissimus, sedulam in ea re operam navavit, extirpandisque hæresibus maxime intentus fuit. Cum itaque et doctrina et vitæ innocentis exemplo ecclesiam suam expurgasset, pluraque sanctitatis reliquisset indicia, ad laborum præmium 6 Idus Octobris evolavit, in æde S. Proculi tumulatus. *Quod si itaque Ferrario standum hic sit, consectarium erit, ut* S. Cerbonius, *utpote quem hic scriptor S. Annoni, circa annum* 780, *ut in Opere nostro ad* XXIII *Maii diem, quo de hoc sancto Veronensi Episcopo actum, ex Ughello in Episcopis Veronensibus et Onuphrio Panvinio in Antiquit. Veronensibus lib.* 5, *cap.* 15 *docuimus, e vivis sublato, in sedem Veronensem successisse, verbis jam datis prodat, certo hanc haud citius quam cum jam octavum æræ Christianæ seculum multum esset provectum ac proin septimum penitus esset elapsum, occu-*
C *parit.*

post S. Annonem,

5 *Verum in Veronensium, quem Ughellus tom.* 5 *Italiæ sacræ, per Coletum auctæ, a col.* 678 *exhibet, episcoporum elencho col.* 696 *proxime ante S. Simplicium, qui, ut ibidem asseritur, circa annum* 490 *floruit, ponitur* S. Cerbonius; *etsi autem elenchus ille a vero tempore et ordine, quo, qui ante S. Annonem, a Ferrario memoratum, sedem Veronensem occuparunt, episcopi vixerint ac invicem successerint, plus semel aberret, ac ubique fere monumentorum antiquorum fide destituatur, in episcopis tamen, qui S. Annoni successere, plenior est ac magis probatus, quam ut probabile fiat, locum hosce inter proxime etiam post S. Annonem* S. Cerbonio, *contra ac in dicto elencho fit, posse concedi. Petronium quidem, qui in hoc proxime ante* S. Cerbonium *ab Ughello locatur, seculo etiam* IX *ac proin post S. Annonem floruisse, Hieronymus Dalla Corte in Historia Veronensi part.* I, *lib.* 4, *pag.* 197 *et seq. tradit; ast, quin hic a vero (Operis nostri tom.* 2 *Septembris pag.* 677 *in sancto illo Veronensi Episcopo videsis) is scriptor longe aberret, dubitandum haud videtur. At vero,* D *inquies, cum* S. Cerbonius, *uti e jam dictis sat probabile, ne dicam certum, apparet, ante S. Annonem, imo et ante annum* 720, *quo, ut Ughellus docet, Paternus, proximus Annonis decessor, jam erat Veronensis episcopus, sedem Veronensem occuparit, quo tempore quove seculo ad hanc fuit evectus?*

sed, uti ex antiquo documento hic adducto

6 *Rhythmicam quamdam, quæ a Mabillonio primum inter Analecta vetera tom.* I, *pag.* 371 *et seqq. vulgata, post etiam inter scriptores Rerum Italicarum tom.* 2, *part.* 2, *col.* 1095 *fuit recusa, Veronæ descriptionem auctor anonymus, regnante Pippino, Caroli M. filio, elucubravit; de hoc autem sec.* VIII *documento, in quo SS. Euprepius, Dimidrianus, Simplicius, Proculus, Saturninus, Lucilius, Gricinus et Zenon exstitisse octo primi ecclesiæ Veronensis episcopi, hancque eo, quo hic recensentur, ordine gubernasse traduntur, nobilissimus Scipio Maffeius tom.* 5 *Italiæ sacræ auctæ ad Nicolaum Coletum col.* 672, *Ughellum aliosque, qui antiquorum Veronensium episcoporum elenchos consarcinarunt, monumento nullo niti, nec habere, ubi pedem figant, præfatus,* E *sic scribit:* Mihi ergo nec vetustius nec sincerius documentum usque in hanc diem reperienti piaculum videretur ab anonymi traditione recedere; præcipue cum et secundus testis adsit, qui annis plus quam ducentis hujus argumenti scriptores ceteros antecessit; nempe Joannes, ecclesiæ Veronensis diaconus, qui in imperiali, quam exaravit, Historia nunc deperdita primos octo Veronensium præsules iisdem nominibus ac eodem prorsus ordine recitabat, ut ex Panvinio Antiquitatum Veronensium lib. 4, cap. 3 discimus, qui eam chronicam legerat.

probatur, post S. Zenonem

7 *Ita laudatus Maffeius, qui, postquam deinde, S. Proculum et S. Lucilium, quorum alter quartus, alter sextus ecclesiæ Veronensis episcopus exstitisse in dicta Veronæ descriptione asseritur, sec.* IV *sedisse probavit, mox etiam duos Zenones perperam a Baronio statui ac* S. Zenonem, *qui octo primorum Veronensium episcoporum ultimus in eadem Veronæ descriptione recensetur, præfato etiam sec.* IV, *sed ad finem jam vergente, floruisse ostendit; cum autem sic habeat ac eruditissimo Maffeio, qui a descriptione illa seu ab octo pri-* F *morum, quæ huic intexitur, episcoporum Veronensium serie, per scriptorem anonymum tradita, recedere piaculum existimavit, hic standum appareat, consectarium fit, ut* S. Cerbonius, *utpote qui in serie illa seu inter octo primos Veronensis ecclesiæ episcopos locum haud habeat ac proin post horum ultimum Zenonem, sub sec.* IV *finem vita functum, sedisse sit dicendus, non nisi post sec.* IV *aut certe non diu ante sec.* V *floruerit. Ast num re etiam vera Sanctus vel finito propemodum sec.* IV, *vel sec.* V *jam currente vixit? Augustinus Valerius Veronensis episcopus, supra plus semel jam laudatus, in dictis ecclesiæ suæ Monumentis ante folium primum exhibet expansum episcoporum Veronensium Catalogum; in hoc autem proxime post S. Zenonem, qui, ut dictum, sub seculi* IV *finem floruit Veronensiumque octavus exstitit episcopus, signatur* Cerbonius; *ut hic, si Catalogo illo standum sit, vel sec.* IV *jam exeunte, vel* V *dumtaxat ineunte Veronensem cathedram occuparit.*

8 *Verum, præterquam quod is in ipsismet*

octo

verosimiliterque vel v vel vi vel vii sec. occupavit

octo primis ecclesiæ Veronensis episcopis cum supra laudata Veronæ descriptione seu cum illorum, quam hæc complectitur, serie aliisque propemodum omnibus eorumdem catalogis pugnet, ex iis, quæ apud nos de S. Zenone ad XII *Aprilis diem, quo hic colitur, et apud Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ auctæ col.* 693 *Syagrio proferuntur, fuisse hunc, non autem* S. Cerbonium, *proximum S. Zenonis in sedem Veronensem successorem, verosimilius apparet. Adhæc tempus, quo* S. Cerbonius *ac plerique alii Veronenses episcopi, ab Ughello inter S. Zenonem et Paternum seu seculum* IV *inter et* VIII *notati, in vivis exstiterint ac quinam ex illis invicem successerint, e fidei probatæ documentis, uti ipsemet Ughellus col.* 692 *in S. Probo post Panvinium fatetur, haud constat. Itaque, etsi quidem, vel* V, *vel* VI, *vel* VII *sec. sedisse* S. Cerbonium, *ob jam supra dicta verosimile autumem, anne tamen id haud diu admodum post S. Zenonis obitum seu sec.* IV *exeunte, currenteve* V, *an contra altero e binis seqq. secc. habuerit locum, pro certo asseverare non ausim. Ast, etsi sic habeat,* Cerbo-
B nium *tamen sub sec.* V *finem obiisse, supra in margine, adjecto dubitantium vocabulo* forte, *indicavi, quod ab Ughello proxime ante S. Simplicium, quem circa annum* 490 *floruisse, ait, signetur, quodque, ubi is scriptor erroris, uti hic fit, convinci haud potest, Veronensium episcoporum, quem contexuit, ordini potius, quam scriptoribus aliis, adhærere voluerim, secus sine hæsitatione facturus, si lux clarior, qua sedis mortisve* S. Corbinii *epocha certius ac propius determinari queat, aliquando affulserit.*

AUCTORE C. B.

tumulumque in Veronensi S. Proculi ecclesia nactus asseritur.

9 *Ceterum Augustinus Valerius, mox iterum laudatus, qui,* S. Cerbonium *Veronæ in S. Proculi ecclesia esse sepultum, in ejus elogio, supra huc transcripto, tradit, in præfato suo Opere pag.* 3 *versa affert duas Veronensis S. Proculi ecclesiæ inscriptiones, alteram e tabula lapidea, alteram e tabula vetusta membranacea acceptas, in quibus, servari seu quiescere ibidem sacra* S. Cerbonii *ac aliorum aliquot Sanctorum corpora asseritur. Eo pro ambabus, quarum etiam prior apud Onuphrium Panvinium lib.* 4 *Antiq. Veronensium cap.* 3 *videri potest, brevitatis causa studiosum lectorem remitto, qui etiam, quod de* S. Cerbonii *aliorumque Sanctorum corporibus Veronæ in S. Proculi ecclesia quiescentibus seu servatis in duabus dictis inscriptionibus traditur, ab eodem Augustino Valerio in reliquiarum, Veronæ asservatarum, indice, quem hic scriptor in dicto suo Opere etiam suppeditat, pag.* 86 *confirmatum aut, si mavis, denuo affirmatum inveniet. Alia, quæ de* S. Cerbonio *hic disseram, nuspiam occurrunt,* E *nec est, cur id mirum cuipiam apparet, cum plurimorum, qui ante annum* 760 *floruerunt, episcoporum Veronensium gesta obscurissima esse et incerta, nimiaque jam vetustate ac majorum fatali ignavia, tenebris vertustatis oppressa, Onuphrius Panvinius, Ughello aliisque passim Italiæ scriptoribus ab eo haud dissentientibus, lib.* 4 *Antiq. Veronensium conqueratur.*

DE S. CERBONIO EP. CONF.

IN ILVA HETRURIÆ IN MARI THYRRENO INSULA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti memoria in Fastis sacris, cultus in Italia, itemque, quo aliquot inde translatæ fuerunt ejus reliquiæ, in Galliis et apud aliquot canonicos Regulares.

C F

VEROSIMILIUS ANNO DLXXV. *Sanctus, qui in insula Ilva potius, quam Populonii annuntiandus videtur.*

Præsules tres, Regulus videlicet, Felix et Cerbonius *qui ex Africa exsules sanctitate in Tuscia seu Hetruria claruere, in Fastis sacris non paucis memorantur. De duobus prioribus ad* I *Septembris diem, quo coluntur, jam egimus. De tertio, quod hodie Mlr. Romano inscribatur, tractaturi modo sumus. Etsi hic hodie in Lucensi et Antverpiensi apud Florentinium Hieronymianis majoribus apographis haud memoretur, in Corbeiensi tamen apud eumdem Florentinium majori itidem Hieronymiano apographo recensetur hoc modo :* Natalis S. Cerbonii in Populonio. *Isti porro Corbeiensi accedunt Florentinum ac alia nonnulla Usuardina (neque enim ab ipsomet Usuardo Sanctus celebratur) apud Sollerium auctaria, Florarium nostrum Ms., Viola Sanctorum anno* 1508 *excusa, Bellinus, Galesinius, Maurolycus, ac denique præter alios martyrologos recentiores non paucos in Catalogo Sanctorum Italiæ Ferrarius. Ac Sanctus quidem ab omnibus jam memoratis seu Fastis sacris seu Fastorum sacrorum auctoribus vel Populonii vel absque loci, cui attribuatur, designatione annuntiatur. Verum Castellanus, qui Mrl. Romanum secutus Populonii pariter* Cerbonium *in Mrl. suo Universali signarat, in hujus deinde Supplemento potiori jure eum in insula Ilva annuntiandum pag.* 714 *observat; neque vero immerito; etsi enim* Cerbonius *Populonii exsititerit episcopus, non tamen ibidem, sed in Ilva, Hetruriæ in mari Thyrreno insula, mortalem hanc vitam cum immortali commutavit, uti ex ejus Actis ac Gregorio Magno Dialogorum lib.* 3, *cap.* XI *constat.*

elogioque huc transcripto a Ferrario ornatur,

2 *Porro etsi omnia et singula, quibus Sanctus in Fastis sacris seu jam laudatis, seu aliis celebratur, elogia huc transcribere operæ pretium non putem, id tamen, quod Ferrarius ex Gregorio Magno et eccl. Canonic. Reg. Officio suppeditat, hic lectori, ut statim a Comment. hujus innitio qualecumque Sancti habeat notitiam, ob oculos pono. Sequentibus his verbis id concipitur :* Cerbonis S. Reguli discipulus cum eo et aliis ex Africa in Hetruriam venit, ac cum illum

AUCTORE C. B.

illum jussu Totilæ *(Gothorum regis)* decollatum una cum Felice diacono *(imo episcopo)* sepelisset, Populoniam reversus, episcopus ejus creatur. Qui cum aliquot hospitio exceptos apud se, ne a Gothis interficerentur, abscondisset, Totila jubente, Merulis loco ab Urbe septem M. P. distante ferocissimo urso devorandus objicitur : qui e cavea eductus, ubi citato cursu ad sanctum Virum pervenisset, præter morem, cum fame premeretur, demisso capite, pedes cœpit illius lambere non sine omnium et regis ipsius admiratione, qui eum statim reveritus dimisit. Cum autem postea advenientes Longobardi omnia sibi obvia vastarent, Cerbonius cum suis in Ilvam insulam evadens, cum ægritudine captus, sibi migrandum esse intelligeret, clericis suis præcepit, ut corpus suum Populoniam in sepulchro, quod jam sibi vivens paraverat tumulandum deferrent : quibus se, quod Longobardi regionem occupassent, excusantibus, respondit, non esse, quod sibi timerent, si, cito corpore delato et sepulto, statim recederent. Cum itaque obiisset VI Idus Octobris, clericis jussa exequentibus, cum copiosus imber toto illo maris spatio, quod inter insulam et Populoniam est, descendere, ne gutta quidem navim, in qua sacrum corpus ferebatur, attigit. Eo sepulto, statimque juxta S. Episcopi præceptum abeuntibus, illico Gommarus, Longobardorum dux sævissimus, urbem invasit. B

e Populoniensi, in qua fuit sepultus,

3 *Ilvæ insulæ, in qua* S. Cerbonius, *cum in eam, grassantibus per Italiam Longobardis, migrasset, obiisse a Ferrario hic asseritur, reque etiam ipsa, ut jam dixi, obiit, Baudrandus in Dictionario suo Geographico sequentem, quam hic partim transcribo, præbet notitiam:* Ilva, insula Italiæ Ptolomæo, Melæ et Plinio, qui addit, eam a Græcis Æthaliam vocari, nunc L'Elba Italis, L'Isle d'Elbe Gallis, estque in mari Tyrrheno contra Plumbinum urbem Hetruriæ, a qua distat decem milliaribus tantum, ferro abundat, et ejus circuitus est quadraginta milliarium Italicorum, ut ego pluries vidi, suntque tantum in ea quinque parochiæ, ultra Argoum portum et Portum-longum arces. *Ita de insula, in qua* S. Cerbonius *obiit, laudatus Baudrandus ; quod autem ad Populonium seu Populoniam, ubi idem Sanctus noster terræ, uti* C *a Ferrario recte etiam narratur, ex voluntate sua fuit mandatus, jam spectat, civitatis hujus, quam* S. Cerbonius, *dum viveret, episcopali munere gubernavit, ad* 1 *Septembris diem in historico-critico de S. Regulo Commentario num.* 3 *e Baudrando etiam, per quem tribus dumtaxat a Plumbino, Hetruriæ ex adverso Ilvæ insulæ, uti ex hujus mox data notitia docemur, civitate, miliaribus locatur, notitiam jam dedimus, mox addentes, suspicari nos, a vero aberrare eumdem geographum, dum Populonii, quam ibidem refert, eversionem eo tempore, quo Bernardus, Caroli Magni nepos, rex Italiæ anno* 813 *inauguratus annoque* 817 *e vivis sublatus, in Italia regnavit, accidisse affirmat.*

civitate, per Græcos

4 *Suspicioni ansam dederunt Annales, Eginhardi nomine citari soliti, qui ad annum* 809 *apud Chesnium tom.* 2, *pag.* 255 *sic habent:* In Tuscia Populonium, civitas magna *, a Græcis, qui Ὀροβιῶται (id est, montium incolæ) vocantur, deprædata est. *Orlendius quidem, Populonium a Niceta patritio Constantinopolitano, imperatoris Orientis duce, Italiæ regnum moderante Bernardo, Caroli Magni nepote, ac proin eo temporis spatio, quod ab* D *anno* 813 *usque ad annum* 816 *excurrit, excisum fuisse, in Orbe sacro et profano part.* 2, *lib.* 3, *cap.* 43, *num.* 6 *sub finem, scriptoribus aliis ac nominatim Blondo et Leandro Alberto pro se allegatis, pariter affirmat, postea etiam, id a sese ibidem demonstratum, confidentissime num.* 8 *pronuntians. Verum, cum nec a Blondo, nec a Leandro Alberto, nec ab ullis scriptoribus aliis, qui, Populoniam a Græcis tum fuisse excisam, scribunt, testimonium seu documentum antiquum, e quo res constet, adducatur in medium, qui hanc solam illorum, qui recentiores omnes sunt, auctoritate ac fide suffultam pro demonstrata habere Orlendius potuerit, haud satis perspicio. Crediderit verosimiliter, absque unius saltem seu documenti seu scriptoris antiquioris auctoritate haud fuisse assertam. Utut sit, Populoniam equidem sub Bernardo, Italiæ rege, seu eo temporis spatio, quod ab anno* 813 *usque ad annum* 817 *excurrit, a Græcis fuisse excisam, verosimile haud apparet. Tunc enim hosce inter et Francos, qui Papulonium, Longobardis ereptum, Pontifici Romano tradiderant,* E *idque sine bello everti haud sivissent, bellum haud exarsit.*

sub sec. IX *initium,*

5 *Fuit quidem eo tempore inter utramque gentem illam lis quædam de limitibus in Dalmatia exorta; verum tota illa controversa, uti apud Pagium in Criticis ad annum* 817, *num.* IX *et seq. videre licet, pacifice ex mutuo partium consensu sine ulla sanguinis effusione aut bello fuit composita ; contra autem cum anno* 809, *quo, qui tum floruit, Annalium supra dictorum auctor, deprædatum fuisse a Græcis Populonium, memoriæ prodit, Francos inter et Græcos, uti idem Pagius in Criticis ad annum illum num,* 9 *docet, exarserit, enimvero tum, non autem, Bernardo rege Italiam moderante, Populonii excidium evenisse, dictumque adeo, qui civitatem illam a Græcis deprædatam tum fuisse, dum taxat scribit, auctorem hic, ut nonnumquam fieri solet, minus aliquid, quam significatum voluerit, asseruisse, pro admodum verosimili habeo. Nec tantum ante annum* 813 *seu Bernardi, regnare in Italia exorsi, epocham, verum etiam diu ante annum* 809, *quo e dictis Populonii excidium verosimillime evenit, figendum id erit, si iis, quæ Ughellus tom.* 3 *Italiæ sacræ auctæ col.* 703 *scribit, sit standum. Ibi enim sic habet:* Post S. Cerbonii excessum *(anno* 575, *ut infra videbimus, verosimilius innectendum)* Longobardi Populoniæ intulerunt excidium, ut refert idem M. Gregorius lib 1, epist., oportuitque vacuam diu illam fuisse ecclesiam, cum nec ibi ullus esset sacerdos, qui ibidem, ut supra vidimus, divinum cultum promoveret. F

non autem sub seculi VI *finem per Longobardos,*

6 *Ast, inquit in Orbe soc. et prof. part.* 2, *lib.* 3. *cap.* 43, *num.* 8 *Orlendius supra laudatus,* falsum est, excisam tum fuisse a Longobardis Populoniam, neque id ex laudata Gregorii Magni epistola colligi poterat; sed solum ejus incolas, præsertim sacerdotes catholicos, ita male habitos a Longobardis, ut inde aufugerint, neque ullus esset eorum, qui curam gregis gesserit. Propterea sanctus Pontifex Balbino episcopo Russellano mandavit, ut Populoniensem ecclesiam, ea tempestate pastore viduatam et sacerdotibus destitutam inviseret ordinaretque presbyteros aliosque sacros ministros, qui sacra Christianæ Religionis iisdem populis administrarent.

* *al.* maritima

A rent. *Ita ille, qui deinde, verba, quibus Gregorii Magni epistola, ab Ughello laudata, constat, transcribit, nihilque ex hisce, quod et Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri monachi, qui Parisiis anno* 1705 *S. Gregorii Magni Opera et Vitam tomis quatuor edidere, sese existimasse, in suis in Epistolam illam tom.* 2, *col.* 500 *et seq. Notis haud obscure produnt, pro Populonii excidio Longobardis attribuendo ac statim post* S. Cerbonii *excessum seu sub sec.* VI *finem statuendo posse elici, rectissime concludit.*

excisa, Massam translatus, 7 *At vero, inquiet fortassis non nemo, quorsum hæc de tempore, quo Populonium fuerit eversum?* S. Cerbonii *corpus in cathedrali Massana ecclesia sub majori altari in arca marmorea requiescere, Ughellus tom.* 3 *Italiæ sacræ auctæ col.* 702 *affirmat; cum id autem, uti passim putatur, e civitate Populoniensi, cum hæc fuit excisa, ad Massanam una cum sede episcopali fuerit translatum, enimvero, ut, quo tempore civitas illa fuerit eversa, noscatur, non parum ad institutum nostrum hic facere nemo non videt. Quare, cum luctu-*

B *osus ille eventus, nec statim post* S. Cerbonii *excessum seu sub sec.* VI *finem, nec vel stante adhuc in Italia Longobardorum regno, vel etiam, ut Coletus, qui Ughelli Italiam sacram auxit, ibidem tom.* 3, *col.* 703 *absque ullo vade antiquo tradit, anno* 800, *sed, uti e jam dictis verosimillimum apparet, anno* 809 *evenerit, consectarium fit, ut tum quoque vel certe haud diu admodum post sacrum* S. Cerbonii *corpus Populonio, ubi id primum in sepulcro, quod Sanctus, dum adhuc esset in vivis, sibimetipsi, Gregorio Magno teste, jusserat parari, fuerat humatum, ad civitatem Massanam fuerit translatum.*

cultu ibi aliisque Italiæ locis 8 *Nec dubitandum apparet, quin a tempore, quo id factum,* S. Cerbonius *ibidem in cathedrali ecclesia, quæ, ut Ughellus tom.* 3 *Italiæ sacræ auctæ col.* 702 *docet, sub* S. Cerbonii *patrocinio existens, sacras ejus exuvias sub altari majori, ut jam dictum, asservat, satisque, utut structuræ antiquæ, ampla est et pulchra, insigni fuerit cultu ccelesiastico gavisus atque etiam gaudere hodieque pergat. Hic porro ad alias etiam ecclesias sese extenC dit. Florentinius, apud quem, ut jam docui, in Corbeiensi Hieronymiano apographo* S. Cerbonius *hodie annuntiatur, ita deinde in notis suis scribit.* Addit M. Corbeiense ad calcem hujus laterculi memoriam S. Cerbonii, episcopi Populoniensis, qui in nostro et Antverpiensi desideratur; quamvis in ecclesia, *majori scilicet Lucensi,* cujus usui fuerunt libri nostri, S. Cerbonii memoria celebris sit, et prope urbem Lucam ecclesia S. Cerbonio dicata existat, penes quam dudum sacrarum virginum parthenopeum fuit, nunc reformatorum S. Francisci asceterium perdurat. *Sanctus itaque non modo Massæ, verum etiam, uti ex hisce Florentinii verbis nemo non concludet, Lucæ et in ejus vicinia cultu ecclesiastico afficitur, idque aliis etiam Italiæ, ac potissimum Etruriæ locis fieri, mihi sat verosimile facit insignis Viri sanctitas, ab ipsomet Gregorio Magno, ut infra ex ipsismet hujus verbis videre licebit, celebrata.*

9 *Neque intra Italiæ fines, ubi etiam Officio ecclesiastico a Regularibus Congregationis S. Salvatoris canonicis* S. Cerbonius *quotannis colitur, ecclesiasticus ejus cultus sese continuit. Id e jam nunc dicendis patescet. Malanus in suo Usuardi Martyrologio, Lovanii anno* 1568 *typis excuso, characteribus aliis, quam quibus Sanctos, ab ipsomet Usuardo memoratos, celebrare solet,* Cerbonium *hodie sic annuntiat:* Sancti Cerbonii, episcopi et confessoris; *ac dein ad* XVII *mensis hujus diem speciei ejusdem characteribus ita memorat;* Sancti Cerbonii, Populoniensis episcopi, cujus reliquias attulit frater Robertus Pisanus; *Castellanus autem, cum postremam hanc Sancti nostri annuntiationem, quam Molanus ac* X *Octobris diem, verbis hisce* cujus reliquias *etc. omissis, suppeditat, ac deinde, vocibus iisdem additis, ad* XVII *mensis ejusdem diem repetit, vidisset, in adjecto ad Martyrologium suum Universale Supplemento pag.* 714 *monet, ut ad* S. Cerbonii, *quam ibidem suppeditarat, annuntationem sequentia hæc im margine adscribantur verba:* Cujus aliquot reliquiæ ex Italia allatæ fuerunt per Robertum Pisanum, Parisiis S. Mariæ canonicum, qui illas ecclesiæ huic dono dedit, ubi festum ejus celebratur proximo post S. Dionysii Octavam die, quo illud in prima sua Usuardi editione Molanus ex antiqui E ecclesiæ illius Martyrologii extracto seu exemplari, vocabulo NOBIS, quod ibidem post vocem ATTULIT legitur, vocemque NOSTER, in NR contractam, quæ ibidem extat ac quam legere non poterat, omisso, repetiit; quod fecit, ut ab iis, qui Martyrologii illius archetypum haud viderunt, canonicus ille pro monacho acciperetur.

fuerunt allatæ, 10 *Ita laudatus martyrologus, qui, quamvis quo seculo quove anno, quod maxime cuperem, sacræ aliquot, ut memorat, Sancti nostri exuviæ ad Parisiensem S. Mariæ ecclesiam fuerint allatæ, haud addat, solius tamen prioris seu, quæ anno* 1568 *Lovanii prodiit, Usuardi per Molanum editionis, in qua illud abs hoc martyrologo postridie Octavæ S. Dionysii seu* XVII *Octobris die assertum seu repetitum sit, recte meminit. In posterioribus enim annorum* 1573 *et* 1583 *Usuardi per Molanum editionibus* S. Cerbonius *ad solam* X *Octobris diem, nulla omnino ejus ad* XVII *facta mentione, sequentibus hisce annuntiatur verbis:* Sancti Cerbonii, episcopi et confessoris Populoniensis, cujus reliquias attulit ad Gallias frater Robertus Pisanus. *Porro ex iis, qui, seu hac seu altera a Castel-* F *lano memorata Molani annuntiatione decepti, Robertum Pisanum, ecclesiæ S. Mariæ Parisiis canonicum, pro monacho, ut Castellanus verbis jam nunc recitatis ait, accepere, exstitisse etiam videtur Adrianus Bailletus. Dici enim, cum Populonium fuisset excisum, fuisse inde* S. Cerbonii *corpus ablatum ac in Gallias, curante* Religioso, *nomine* Roberto Pisano, *portatum, tom.* 3 *Vitarum in Octobri col.* 154 *ad Vitæ* S. Cerbonii *calcem affirmat. Nec tantum Parisiensem illum canonicum pro religioso seu monacho, verum etiam* S. Cerbonii *reliquias, quarum dumtaxat partem in Gallias fuisse delatam, Molanus, utpote antiquum, in quo id tantummodo, uti e proxime recitatis Castellani verbis apparet, tradebatur, Mrl. indubie secutus, significare intenderit, pro integro Sancti corpore e dicta Molani annuntiatione male intellecta perperam accepisse videtur.*

11 *Ubi enim, in Galliam Sancti corpus translatum dici, loco mox citato asseruit, partem hujus in Parisiensi S. Mariæ ecclesia existere*

AUCTORE C. B. *uti etiam in Parisiensi S. Mariæ, qui aliquot ejus reliquiæ*

AUCTORE C. B. *ecclesia afficitur; quod et in variis Galliarum diœcesibus.*

existere contendi, statim adjungit, in eo etiam, ut apparet, carpendus, quod ita, etsi etiam Parisiense anni, ni fallar, 1703 *aut certe, quo laudatum tertium Vitarum tomum edidit, anni* 1704 *Kalendarium Spirituale, in quo utroque,* S. Cerbonii *reliquias Parisiis in S. Mariæ thesauro sacro asservari, ad* XVII *Octobris diem diserte notatur, in margine citet, pro dubio tamen, anne id sit verum, a sese haberi innuat. Verum, etsi sic habeat recte equidem* S. Cerbonii *reliquias, quæ Parisiis, utut verosimillime haud eo, contra ac a nonnullis dici innuit, Populonio allatæ, haberi putantur, particularis cultus, quo ibidem Sanctus quotannis gaudet, fundamentum esse, affirmat. Certe* S. Cerbonium, *qui, quemadmodum Castellanus verbis supra huc trancriptis docet, in Parisiensi S. Mariæ ecclesia postridie Octavæ S. Dionysii seu* XVII, *quæ hanc proxime excipit, Octobris die quotannis colitur, tum etiam in diœcesi Parisiensi cultu annuo affici, fidem facit Parisiense, quod ad manum habeo, quodque eo die Officium de* S. Cerbonio *ritu simplici recitandum proponit, Breviarium. Porro,* S. Cerbonium *in aliis etiam Galliæ diœcesibus ad eamdem* XVII *Octobris diem quotannis coli, laudatus Bailletus loco cit. etiam affirmat. Ac id quidem, quod hic, pluribus diversarum ecclesiarum Breviariis adductis, probare haud vacat, ibidem juxta ac in diœcesi Parisiensi non* X, *quo* S. Cerbonius *supra adductis Fastis sacris inscribitur ac, uti infra docebo, obiit, sed* XVII *Octobris die verosimillime idcirco fit, quod tum reliquiæ ejus, a supra memorato Roberto Pisano, Parisiensi S. Mariæ ecclesiæ donatæ, solenni in hanc ritu olim fuerint illatæ. Ita autumare me facit Florarium nostrum Ms., in quo ad* XVII *Octobris diem signatur* Translatio..... S. Cerboni episcopi et confessoris in Galliam.

B

et apud aliquot canonicos Regulares fit,

12 *Utut sit, Sanctum equidem in Galliis cultu haud modico gaudere, e modo hic adductis satis superque liquet; ast, cum sic habeat, ac, ut supra vidimus, Sanctus quoque in Italia a Regularibus Congregationis S. Salvatoris canonicis quotannis colatur, sciscitabitur modo fortassis non nemo, an honore is thoc pariter a Regularibus Congregationis Gallicanæ canonicis afficiatur. Editiones tres diversæ, quibus anno* 1648, 1666 *et* 1758 *Sanctorum Proprium, ad canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ usum, Parisiis prodiit, ad manum mihi sunt; in illis autem omnibus* S. Cerbonius *nuspiam nominatur, nedum, ut Officio ecclesiastico vel ad* X *Octobris vel ad aliam quamcumque anni diem colatur, præscribitur. Anne forsan* S. Cerbonium *Ordini suo haud adscribendum, Regularis Congregationis Gallicanæ canonici arbitrantur? Verum Sanctus, qui, ut dictum, a Regularibus Congregationis S. Salvatoris in Italia canonicis ad* X *Octobris diem quotannis colitur, diserte in horum, quod ad manum mihi est, Proprio* canonicus Regularis *vocatur, idemque etiam in Regularium Congregationis Windesheimensis canonicorum, quod mihi pariter ad manum est, Proprio fit ad* XII *Octobris diem, quo abhisce, diem* X *et* XI *S. Joanne Bridlingtoniensi primaque S. Augustini translatione occupantibus,* S. Cerbonius *colitur. Nescio, an, ut Regulares posterioris hujus Congregationis canonici Ordini suo* S. Cerbonium *adscriberent, Regularium Congregationis S. Salvatoris, qui id e jam dictis faciunt, canonicorum exemplo fuerint impulsi.* C D

etsi interim Sanctus exstisse

13 *Certe in canonicorum Regularium Congregationis Windesheimensis, quod penes nos exstat, Breviario pergameno, sec.* XV *aut aliquanto adhuc citius conscripto, nuspiam locum habet* Cerbonius; *verum, utcumque habeat, Regularibus equidem Congregationis Windesheimensis canonicis duarum adhuc aliarum Congregationum, Lateranensis videlicet et S. Crucis Conimbricensis, Regulares canonici, utpote non magis, quam qui Congregationis Gallicanæ sunt, in suis mihi prælucentibus anni* 1635 *et anni* 1648 *Sanctorum Propriis* S. Cerbonium *memorantes, haud suffragantur. Nec, ut apparet, Constantinus Ghinius, utut ipsemet Regularis Congregationis S. Salvatoris canonicus, multum iisdem favet. Etsi enim hic in suis Sanctorum Canonicorum Natalibus* S. Cerbonium *hodie signet, eum tamen nec* Canonicum Regularem *appellat, nec quidquam, quo, canonicum Regularem exstitisse, vel utcumque insinuet, in sat prolixo, quo Sanctum exornat, elogio in medium adducit, ubi tamen S. Joannem, Bridlingtoniensem in Anglia canonicum Regularem, quem hodie quoque cum pluribus* E *aliis Fastis sacris celebrat, nosque hic etiam sumus daturi,* Canonici Regularis *nomenclatione diserte distinguit.*

canonicus Regularis haud videatur.

14 *Et vero nihil uspiam invenio, quod adstipuletur iis, qui* Canonici Regularis *titulum* S. Cerbonio *attribuunt, reque etiam ipsa Sanctum haud exstitisse canonicum Regularem, haud difficulter quisque fatebitur, qui, quæ Corbinianus Khamm in Hierarchiæ Augustanæ part.* 3 *Prodromo de primæva Canonicorum Regularium origine scribit, attente expenderit. Aliquamdiu quidem Sanctus, cum jam S. Regulus, cum quo et S. Felice in Italiam venerat, a Totila, Gothorum rege, fuisset occisus, Populonii, quo tum secesserat,* Domino die ac nocte sine querela in ecclesia beatæ Mariæ semper Virginis sub Florentio episcopo ejusdem civitatis Populonii, qui illo tempore præerat, *serviisse in sua, de qua* § *seq. sermonem instituemus, Vita apud Ughellum tom.* 3 *Italiæ sacræ, a Coleto auctæ, col* 705 *narratur; verum, etsi quidem,* Cerbonium *sub episcopo Florentio aut, si velis, sub præsulis hujus moderamine ac disciplina vitam aliquamdiu exegisse, ita indicetur, nihil tamen omnino, e quo id vel religionis emissis votis vel quapiam, unde* Canonicus Regularis *dici queat, regula servata, fecisse illum colligas, adjungitur. Nec* Cerbonium, *quod equidem illum vel Regulam hujusmodi servasse, vel tria Religionis vota nuncupasse, probari haud queat, cunonicis Regularibus recte accenseas, etsi etiam sit, cur in Africa, priusquam ibi crearetur episcopus, sub S. Reguli moderamine ac disciplina aliquamdiu vixisse credatur. Sed hæc, ut meam de* Canonici Regularis *titulo, qui* S. Cerbonio *tribuitur, sententiam utcumque aperirem, jam dixisse contentus, ad ea, quæ* § *seq. dicere constitui, jam progredior.* F

§ II

§ II. E Sancti, quæ exstant, Vitis, quænam edenda; quæ certa in hac sunt, ab aliis haud paris fidei secernuntur, nonnullaque, in S. Regulo jam discussa, compendio exhibentur.

E duabus, quarum juxta ac alterius Orlendius hic meminit,

Varia jam prodiisse, plurimum adulterata et corrupta, S. Cerbonii *seu* (Cerbo *enim etiam et* Cerbonus *vocari Sanctus invenitur)* Cerbonis *Acta, Orlendius in Orbe sacro et profano part.* 2, *lib.* 3, *cap.* 43, *num.* 7 *præfatus, ita deinde prosequitur:* Ejus (S. Cerbonii *nimirum)* Vita adhuc inedita exstat in Bibliotheca Vaticana cod. 6453, quam citat Floravantes Martinellus fol. 99 sui libri, cui titulus est: ROMA EX ETHNICA SACRA. Hanc quoque asservari in tabulario Metropolis *(Senensis)* prodit Ubertus Benevolentius; immo vult, meliorem esse illa, quæ in bibliotheca Vaticana reperitur, cum ista ex Senensi descripta esse videatur. Aliam pariter citat Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die x mensis Octobris, eamque præfatus Benevolentius cum neutris concordare existimat; ipse vero aliam vulgavit, excerptam ex tabulario ecclesiæ metropolitanæ Senensis, fol. 12. signat. num. 108, quam Ughelli continuator nuper edidit in Additionibus ad tom. 3 Italiæ sacræ in Populon. et Massens. Episcopis. *Ambæ Sancti nostri Vitæ, quarum præter tertiam, a Baronio memoratam, Orlendius hic meminit, in Musei nostri supellectile litteraria etiam servantur. Ac prior quidem, seu quæ nondum typis integra fuit vulgata, ex eodem, in quo illam exstare, idem Orlendius hic ait, codice Vaticano* 6453, *posterior vero seu quæ tomo* 3 *Italiæ sacræ auctæ a col.* 703 *exstat inserta, e Ms. Membranaceo eminentissimi Cardinalis Barberini Legendario F.* 284 *notatur accepta.*

Sancti Vitis prior, hactenus inedita, apud nos etiam exstat.

16 *Tam in hac, quam in illa, eadem fere, si rem ipsam spectes, narrantur. Nec scio, an quidquam notatu admodum dignum, quod pariter in duabus hisce lucubrationibus non legatur, Sancti nostri Vita, a Baronio memorata, suppeditet. Hanc quidem cum neutra ex aliis jam dictis, quarum etiam meminit, Sancti nostri Vitis concordare, Benevolentius, ut verbis mox datis docet Orlendius, existimavit; verum ei hac in re absque scrupulo assentiri haud queo, quod, cum lucubratio illa, ipsomet, in cujus Bibliotheca exstabat, testante Baronio, a vocibus* Vir venerabilis *etc. inchoaretur, ac fere etiam ab hisce undecimum, quod a nonnullis etiam* S. Cerbonii Vita *vocatur, Gregorii Magni Dialog. lib.* 3 *caput inchoetur, dubitandum appareat, an in illa pariter non legantur fere omnia, quæ in hoc, nihil omnino, quod in duabus dictis Sancti nostri Vitis non narretur, complectente, referri inveniuntur. Utut sit, cum Vitam equidem, a Baronio memoratam, videre hactenus haud licuerit, pluribus de hac missis, de solis duabus aliis Sancti nostri Vitis, quarum, ut dixi, alteram typis jam vulgatam, alteram Ms. habemus, sermonem modo instituamus, ac in ambarum, ab auctoribus anonymis scriptarum, ætatem ac fidem inquiramus. Priorem, quam Nicolaus Coletus Italiæ sacræ auctæ a col.* 703 *inseruit, fuisse ante Caroli Magni tempora scriptam, Ubertus Benevolentius, uti ipsemet Italiæ sacræ auctæ loco mox cit. prodit, existimavit.*

AUCTORE C. B.

Hæc aliaque jam edita, quæ, quamvis forte sec. x *haud antiquiores, in nonnullis tamen*

17 *Ast, an hæc a veritate haud deviet opinio, Limpenus in suo apud nos ad* 1 *Septembris diem historico-critico de S. Regulo Comment. num.* 20 *dubitavit; neque vero immerito; in tota enim lucubratione illa nihilomnino occurrit, e quo, non fuisse aliquamdiu etiam post annum* 814, *Carolo Magno emortualem, exaratam, indubitanter possit concludi. Nec scio, an falsitatis posset convinci, qui eam sec.* x *haud antiquiorem pronuntiaret. Et vero is, a quo fuit conscripta, haud parum sese a* S. Cerbonii *ætate fuisse remotum, ipsemet prodit, initio sic scribens:* Beatus..... Cerbonius, sicut prisci Catholici Viri tradiderunt, ex Africa regione oriundus fuit. *Verum, etsi sic habeat ac proin Vita illa, quod et de altera hactenus inedita (neque enim ullum, quod hanc illa antiquiorem probet, argumentum adducas) est* E *dicendum, non prius etiam, quam cum jam* x *æræ Christ. seculum esset in cursu, in litteras fuerit conjecta, ambæ tamen non pauca, quæ vel fidem indubitatam merentur, vel saltem rejicienda, tamquam certo falsa, non sunt, complectuntur. Ac non minus quidem, quæ de miraculo, quo* S. Cerbonius, *immani urso Totilæ Gothorum regis jussu objectus, evasit illæsus, quam quæ de Sancti in Ilva, maris Thyrreni insula, quo sese, Longobardis per Italiam longe lateque grassantibus, receperat, e vivis excessu, facta in conditorio, quod sibi Populonii pararat, sepultura, miraculoque hanc comitato memoriæ produnt, fidem sane indubitatam merentur.*

fidem indubitatam merentur, nec a veri specie

18 *Omnia enim et singula e Gregorii Magni, qui eodem, quo* S. Cerbonius, *sec.* VI *floruit, eaque partim e Venantio Lunensi episcopo, viro utique fide dignissimo, partim e testibus oculatis audierat, sunt deprompta; quod autem ad reliqua, quæ in iisdem Vitis narrantur, jam spectat, illa harum auctores partim ex antiquioribus S. Reguli Actis, partim ex* F *traditione (neque enim illos quidquam e proprio suo ingenio finxisse, suspicandum reor) accepisse videntur. Ita autumo, quod, dum biographorum illorum alter, qui Vitam jam editam contexuit, de regione, e qua* Cerbonius *oriundus sit, loquitur, tradidisse hanc priscos Catholicos viros, supra huc transcriptis verbis affirmet, quodque deinde, dum de S. Reguli martyrio et sepultura sermonem instituit, sequentem id faciat in modum:* Illo namque in tempore Totila rex perfidus crudeli examinatione cum satellitibus suis Gothis Italiam devastabat; beatum vero Regulum, sicut in Digestis suis legitur, capitali extraxit* sententia. Cerbonius vero et Felix sanctissimi episcopi cadaver sui magistri et archiepiscopi mirifice sepelierunt. *Etiamsi, an Sancti nostri, in qua hæc leguntur, Vita ante Caroli Magni ætatem scripta sit, Limpenus, ut jam insinuavi, dubitarit, vetusta tamen esse, quæ hic vocantur* Digesta, *S. Reguli Acta, ac ex hisce, quæ de sancto isthoc Martyre in Sancti nostri, de qua hic loquimur, Vita alteraque in lucem nondum edita narrantur, haud dubie esse accepta, loco supra cit. sibi habuit persuasum.*

* extinxit

19 *Nec vero apparet absimile, ea pariter,*

AUCTOR C. B. *in nonnullis aliis recedunt, nonnulla etiam,*

quæ seu de sacrarum litterarum doctrina, per S. Regulum S. Cerbonio *tradita hujusque deinde cum illo ex Africa discessu, seu de aliis, quæ cum rebus, ad S. Regulum spectantibus, sunt connexa, in ambabus jam dictis Sancti nostri Vitis vel in harum altera narrantur, ex antiquioribus S. Reguli Actis seu, uti e dictis vocantur,* Digestis *esse deprompta; cum autem sic habeat, esse enim vero non videtur, cur veri speciem putentur excedere. Ast quid censendum de iis, quæ non ex illis Actis, sed e sola traditione videntur profecta? Haud unum idemque de hisce omnibus ferendum est judicium. Quæ de* S. Cerbonii, *cum jam Totilæ jussu S. Regulus fuisset occisus, Populonium secessu, de ejusdem apud Florentium, civitatis hujus episcopum, commoratione ac ad cathedram Populoniensem, hoc defuncto, promotione memoriæ in una aut altera e duabus Sancti nostri Vitis produntur, sunt hujusmodi, ut fidem non excedant facileque ex antiqua ipsiusmet Populoniensis ecclesiæ traditione ad posteros promanare potuerint; cum autem sic habeat, nec quidquam, ob quod non credantur, aliunde*
B *occurrat, ea ego non tantum non veluti certo falsa rejicienda, verum etiam, si non ut certo vera, saltem ut vero admodum similia reor admittenda: ast, quæ deinde de* S. Cerbonio, *apud Vigilium summum Pontificem accusato, adjunctisque eventum hunc proxime prægressis ac seculis, in iisdem duabus Sancti nostri Vitis referuntur, prodigiosa adeo sunt ac creditu difficilia, ut non nisi ægerrime apud eruditos, qui vel utcumque critices minus etiam severæ artem norunt, fidem indubitatam rear inventura.*

quæ fidem exsuperant, complectuntur.

20 *Neque vero hanc ullo modo mereri mihi videntur; etsi enim miracula vel eo solo nomine, quod miracula sint, rejicienda ac pro figmentis habenda, neutiquam putem, rationi tamen consonum reor, ut miracula, vel ex eo, quod miracula sint, indubitanter haud credantur, nisi testimoniis, quæ ad assensum a cordato ac prudenti viro extorquendum sufficiant, sint suffulta; creditu autem perquam difficilia, imo prope incredibilia, quæ, ut jam insinuavi, Sancti nostri apud Vigilium Papam accusationem proxime prægressa ac deinde secuta in ambabus* S. Cerbonii *Vitis narrantur, e pluribus constant miraculis, quæ nec in Gre-*
C *gorii Magni Papæ, qui tamen alia ad* S. Cerbonium *spectantia miracula commemorat, nec in ullius alterius scriptoris antiqui testimonio, sed in sola traditione, eaque, ut certum apparet, dumtaxat populari, a vero aberrare sæpissime solita, sunt fundata. Quare, etsi quidem,* S. Cerbonium, *uti in ejus Vitis traditur, fuisse apud Vigilium Papam accusatum, Romamque idcirco accersitum sese apud hunc noxa omni vacuum monstrasse, haud difficulter Vitarum illarum fide inducam in animum, prodigia tamen aliaque, quæ eventum illum comitata in iisdem Vitis narrantur, facileque a sola fingendi licentia queunt esse profecta, fide vel utcumque firma credere haud possum; quam merito autem ita animo comparatus sim, studiosus lector vel e solo brevi illorum, quod subdo, compendio intelliget.*

Hæc lectori ob oculos hic paucis ponuntur,

21 S. Cerbonius, *episcopus jam factus, cum vitæ sanctitate Domino summopere placeret, angelos, laudes Deo canentes, ante auroram frequenter audit. Hinc rem Domino facturum se gratam ratus, primo diluculo diebus Dominicis singulis, quibus potissimum cœlestis cantus auribus ejus solebat insonare, Missam cantu celebrare cœpit; cum autem, hac finita,* D *sese una cum omnibus ecclesiæ suæ sacerdotibus cibo ac potu reficeret, itaque, qui, orto jam sole, e locis vicinis ad cathedralem ecclesiam, quo Sacro, vel per episcopum suum vel per presbyterum alium celebrando interessent, diebus Dominicis confluebant, nullum tunc ibidem, qui Sacris operaretur, sacerdotem invenirent jejunum, abs illis, idcirco succensentibus,* S. Cerbonius *violati seu neglecti officii apud Vigilium, summum Pontificem, insimulatur, Romam, quo abs hoc per nuntios arcessitur, sese confert, eoque, non uno in via patrato miraculo, appulsus, Pontifici sese una cum anserum, quos, doni loco huic offerendos, sequi sese jusserat, multitudine sistit, causamque, ob quam, Romam accitus esset, sciscitatus ac edoctus, a Vigilio, cum hic ipsemet, suis apud Deum precibus id agente Sancto, summo diluculo angelos, laudes Deo canentes, audivisset, ad diœcesim suam honorifice dimittitur. Tale est eorum, quæ in ambabus Sancti nostri Vitis vix ac ne vix quidem credibilia apparent, compendium; e modo autem, quo in hisce proponuntur, adhuc minus credibilia evadunt, ut quisque facile intelliget, qui easdem ambas* E *Vitas vel perfunctorie dumtaxat iis, quibus illa continentur, locis evolverit.*

rationeque, ob quam vita hactenus inedita edatur, adducta,

22 *Diffuse omnia tam in illarum altera, tom.* 3 *Italiæ sacræ auctæ, ut jam dixi, inserta, quam in altera, hactenus inedita, quam, in capita et numeros pro more nostro distinctam, edituri modo sumus, num.* 7 *et duodecim seqq. explanantur. Nec multum, ut jam insinuavi, in aliis, quæ vel dubio procul vera sunt vel certe fidem minime superant, de Sancto nostro narrandis binæ illæ lucubrationes, si res ipsa seu sola substantia spectetur, invicem dissonant. Verum, etsi sic habeat, eam tamen, quæ in lucem hactenus haud prodiit, præstare altera, quæ jam lucem aspexit, mihi idcirco apparet, quod secus atque in hac fit, vel omnia vel saltem pleraque, quæ de Sancto narrat, eo ipso, quo gesta sunt, ordine proponat; quod quam veritati sit consonum, quisque facile deprehendet, qui hunc cum tempore, quo, ut* § *proxime seq. ostensurus sum,* S. Cerbonius *ad Populoniensem cathedram fuit promotus, quo deinde Romam ad Vigilium Papam accessit, quo ab urso prodigiose evasit illæsus ac quo* F *denique vitam hanc mortalem cum immortali commutavit, contulerit. Cum itaque* S. Cerbonii *Vitæ, quæ jam typorum beneficio prodiit, utcumque etiam præferenda videatur altera hactenus inedita, non illam ad Commentarii hujus calcem recudere, sed hanc etiam, adjectis, ubi id congruum arbitrabor, Annotationibus, publici juris facere est visum, tum ut fidem, a Papebrocho tom.* 3 *Maii in S. Florentio episcopo num.* 5 *datam, liberem, tum ut lector, ita ambarum lucubrationum illarum habiturus copiam, alteram cum altera conferre, suumque hoc modo aptius queat de utraque ferre judicium.*

quæstionibus aliquot per responsa, e Comment. de S. Regulo compendio hic data, satisfit.

23 *Ceterum, ut, quæ mihi* § *præsenti præstitui, expedirem, modo adhuc quæstiones quædam, quibus Sancti Vitæ, ad crisim jam vocatæ, vel materiem vel occasionem præbent, forent hic discutiendæ; ac primo quidem, cum Arianorum persecutio, ut edenda Sancti nostri Vita num.* 2 *docet,* Cerbonium *ex Africa exsulare coegerit, in tempus, quo id factum sit, inquirerem; deinde vero, an Sanctus, cum in*

Africa

A *Africa adhuc commoraretur, exstiterit episcopus, et an, quod ad gregem suum, cum ecclesiæ Africanæ reddita pax fuisset, non redierit, in culpæ suspicionem queat adduci, examinarem; verum cum* S. Cerbonius *ex Africa in Italiam exsul una cum S. Regulo migrarit, tres illæ quæstiones ad* 1 *Septembris diem, quo de posteriori hoc Sancto egimus, discussæ jam fuerunt; ac ad primam quidem, S. Regulum ac proin et* S. Cerbonium *vel ipsomet, qui in annum Christi* 523 *incidit, emortuali Trasamundi, Wandalorum in Africa regis, anno, vel uno alterove e proxime præcedentibus in exsilium abiisse, ob rationes, ibidem in Comment. Historico-critico num.* 34 *et quatuor seqq. allegatas, est responsum; quod autem ad duas reliquas spectat,* S. Cerbonii *Vitæ, quæ, fuisse hunc, priusquam ex Africa fugeret, creatum episcopum, memoriæ prodit, esse assentiendum, Sanctumque non secus, ac S. Regulum nullius prorsus noxæ ex eo, quod, Africanæ ecclesiæ reddita pace, ad gregem suum haud redierit, exstitisse reum, dilucide, quæ in eodem Commentario num.* 40 *et quinque seqq. in medium adduB cuntur, ostendunt, cumque necesse non sit, ut iis, quæ ibidem dicta sunt, hic quidquam addatur, lectorem, eadem expendendi avidum, eo remitto, et ad quæstiones alias, § sequenti discutiendas, me accingo.*

§ III. Cuinam vitæ rationi Sanctus in Italia se addixerit; quo tempore cathedram Populoniensem ascenderit, quo fuerit Urso a Totila objectus et quo denique e vita migrarit.

Sanctus, qui in Italiam appulsus vitam eremiticam una cum S. Regulo

Anne Sanctus noster uti fugæ ex Africa, ita etiam solitariæ in Italia vitæ socium S. Regulo sese adjunxerit, dubitandi ansam præbet Sancti nostri Vita, Commentario huic subdenda. Dum enim de Regulo, una cum SS. C Cerbonio *et Felice episcopis in Italiam jam appulso, num.* 3 *loquitur, sequentia isthæc adhibet verba :* Sed dum *(S. Regulus)* Romuleos contingeret fines, sequestratus a Sociis cœpit heremiticam vitam ducere et a Felice famulatum habere; *cum ita autem S. Regulus a Sociis suis sese sejunxisse ac vitam eremiticam ducere cœpisse tradatur, nec ulla* S. Cerbonii, *veluti qui tunc ei adhæserit, mentio instituatur, esse enimvero videtur, cur a non nemine, an tum Sanctus vitæ solitariæ socium S. Regulo sese adjunxerit, revocari queat in dubium. Verum in altera Sancti nostri Vita apud Ughellum Italiæ sacræ auctæ col.* 704 *de S. Regulo binisque ejus sociis* SS. Cerbonio *et Felice, in Italiam jam appulsis, sequentia leguntur verba :* Venientes autem in Romuleis finibus congruum locum sibi vendicaverunt, quatenus optimo omnipotenti Deo sequestratis omnibus eremiticam duxerunt * vitam : *sic autem, vitæ solitariæ in Italia Socios sese S. Regulo adjunxisse* SS. Cerbonium *et Felicem, indicatur, nec quo minus id abs his re etiam ipsa factum existimetur, impedire debet Sancti Vita, Commentario huic subjicienda.*

* ducerent

AUCTORE C. B.

25 *Etsi enim, dum de solitaria S. Reguli vita agit, vixisse hunc ab omnibus sejunctum, tradat, sicque a solitariæ, quam S. Regulo attribuit, vitæ societate* S. Cerbonium, *cujus ibidem non meminit, excludere videatur, ita tamen ejus auctor potest, ac proin, ut cum Vita altera, quæ, tam* SS. Cerbonium *et Felicem, quam S. Regulum, vitam eremiticam duxisse, docet, in concordiam adducatur, etiam debet censeri locutus, non quod solus S. Regulus vitæ solitariæ sese addixerit, sed quod eremus, in qua id fecit, ab eremis, in quas secessere* SS. Cerbonius *et Felix, aliquanto intervallo abfuerit. Maneat itaque tam SS. Felicem et* Cerbonium, *quam S. Regulum, vitam eremiticam duxisse. Porro cum hanc, statim atque ex Africa exsules, quod e supra dictis haud diu ante annum* 523, *Trasamundo Wandalorum regi emortualem, evenit, in Italiam essent appulsi, susceperint constanterque usque ad S. Reguli martyrium, anno* 542, *uti in Historico-critico, quo res, ad Sanctum* E *hunc spectantes, in Opere nostro ad* 1 *septembris diem elucidantur, Commentario num.* 46 *et seq. probabilius innectendum, tenuerint, consectarium fit, ut Sanctus una cum SS. Regulo et Felice novemdecim circiter annis in solitudine vixerit; quid autem post S. Reguli, quem ipse et S. Felix terræ mandarunt, martyrium egerit, vita edenda num.* 4 *exponit sequentibus his verbis :* Post mortem vero antistitis sui *(S. Reguli nempe)* cœpit beatus Cerbonius omnes populos docere in eisdem partibus commorantes, monens eos, ut in orationibus et vigiliis et jejuniis et helemosinis consisterent, quemadmodum ipse beatus pontifex *(S. Regulus)* assuetus erat agere. Baptizabat vero populum, qui adhuc gentili errore detinebatur, convertens eos ad fidem rectam et ad unitatem sanctæ fidei Catholicæ et ut Christum Dei Filium adorarent.

annis circiter 19 ibidem duxit,

Populoniensisque episcopus anno circiter 544 creatus

26 *Verum multum abest, ut Sanctus tantum in his, quæ hic narrantur, quantum antea in vita eremitica, temporis spatium posuerit; Sanctus enim, cum jam illa post S. Reguli martyrium, probabilius, ut mox monui, anno* 542 *innectendum, gessisset, Populonium, ut Vita edenda refert, sese contulit, ibidemque aliquamdiu apud Florentium, civitatis illius* F *episcopum, commoratus, in hujus defuncti locum fuit suffectus; id autem ante annum* 546 *evenit, uti e jam nunc dicendis intelliges.* Cerbonius, *cum ad cathedram Populoniensem jam fuisset promotus, Romam, ut supra vidimus, ad Vigilium Papam, a quo arcessitus fuerat, sese contulit, ibidemque summo isti Pontifici fuit locutus; cum autem sic habeat ac Vigilius Papa anno* 546, *uti apud Pagium in Criticis videre licet, Romæ haud exstiterit, ac tum ex Italia a Justiniano imperatore arcessitus Constantinopolim sese contulerit, nec amplius Romæ ante mortem, quam anno* 555, *cum in Italiam tandem Constantinopoli rediret, in Sicilia obiit, exstiterit, consectarium fit, ut* S. Cerbonius, *utpote Romæ, cum jam esset Populoniensis episcopus, Vigilio Papæ e jam dictis locutus, ad cathedram illam ante annum* 546 *fuerit promotus. Porro cum ea, quæ Sanctus, priusquam post S. Reguli martyrium secutamque id S. Florentii mortem Populoniensium*

crearetur

AUCTORE C. B.

crearetur episcopus, gessisse, in Vitâ edenda narratur, verosimiliter duorum saltem fere, uti quisque, qui, quæ jam dixi, expenderit, facile agnoscet, annorum spatium occuparint, Cerbonium *anno circiter* 544 *Populoniensem ecclesiam episcopi munere gubernandam suscepisse, verosimile apparet. Nec, uti e jam nunc de Vigilio dictis nemo non colliget, diu admodum post factum esse potest, ut Sanctus ad summum Pontificem Romam sese arcessitus contulerit, ibidemque ei fuerit locutus.*

ab urso immani, cui, ut ipsismet Gregorii Magni verbis hic refertur,

27 *Ast cum iis, quæ Vigilium inter et* Cerbonium *gesta, Vita edenda narrat, mox insigne, quo Sanctus, Totilæ jussu urso immani objectus, abs hoc evasit illæsus, prodigium subjungat, anne id pariter haud diu post annum* 544 *evenit? Ità mihi in animum duco, rationemque, cur ita opiner, mox reddam; ast, priusquam id faciam, lubet factum, Sancto nostro honorificum admodum, quod et a Gregorio Magno Dialog. lib.* 3, *cap.* XI *et in Vita edenda num.* 20 *et binis seqq. refertur, ipsismet sancti hujus Pontificis verbis lectori hic ob oculos ponere. Sic isthæc habent:* Vir quoque vitæ venerabilis Cerbonius, Populonii episcopus, magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem B dedit. Nam, cum hospitalitatis studio valde esset intentus, die quadam traseuntes milites hospitio suscepit, quos Gothis supervenientibus abscondit, eorumque vitam ab illorum nequitia abscondendo servavit. Quod dum Gothorum regi perfido Totilæ nuntiatum fuisset, crudelitatis immanissimæ vesania succensus, hunc ad locum, qui ab octavo hujus urbis milliario Merulis dicitur, ubi tunc ipse cum exercitu sedebat, jussit deduci eumque in spectaculo populi ursis ad devorandum projici. Cumque idem rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset, ad inspiciendam mortem Episcopi, magna populi turba confluxit. Dimissus itaque ursus ex cavea est; qui accensus et concitus Episcopum petiit; sed subito suæ feritatis oblitus, deflexa cervice submissoque humiliter capite, lambere Episcopi pedes cœpit; ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum Virum Dei et ferina corda essent hominum et quasi humana bestiarum. Tunc populus, qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem C venerationis. Tunc ad ejus reverentiam colendam rex ipse permotus est; quippe cum quo superno judicio actum erat, ut, qui Deum sequi prius in custodienda vita Episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur.

Totilæ jussu fuerat objectus, verosimilius anno 546

28 *Ita hactenus Gregorius, mox etiam ex hisce, qui rei hic narratæ præsentes adfuere, eamque sese cum omni illic populo vidisse, testantur, nonnullos adhuc ætate sua exstitisse superstites, adjungens; cum autem rem eamdem seu prodigium, quod modo huc transcriptis verbis memoriæ prodit, eo loco,* qui ab octavo hujus urbis milliario Merulis dicitur, ubi tunc ipse *(Totilas)* cum exercitu sedebat, *evenisse scribat, ita modum, ut tempus, quod illud acciderit, determinarit queat, suppeditat. Etenim per vocem* hujus, *quæ hic in Gregorii verbis legitur, urbem Romanam, ubi hic sanctus Pontifex Dialogos suos elucubravit, designari, Benedictini e Congregatione S. Mauri monachi, qui Parisiis anno* 1705 *Opera illius et Vitam tomis quatuor edidere, tom* 4, *pag.* 201 *existimant. His porro deinde, quod, cum prodigium illud post S. Reguli martyrium seu, uti e supra dictis facile colliges, post annum* 542 *evenerit, nec post hunc unquam Totilas, spectatiis iis, quæ Procopius de bello Gothico tradit, octo dumtaxat Populonio milliariis castrametatus fuisse videatur, urbs hæc per præfatam vocem* hujus *designari in Gregorii verbis haud queat, Limpenus ad* 1 *Septembris diem in S. Felice episcopo num.* 5 *est assensus; cum id autem, ut mihi equidem apparet, haud immerito fecerit, ac Totilas, qui Romam anno* 546, *uti inter eruditos convenit, obsidione cinxit, haud procul abs urbe illa tunc abfuerit, enimvero etiam tunc, quod de* S. Cerbonio, *ursi immanis morsibus, Totila jubente, objecto hisque prodigiose sine ulla læsione erepto, Gregorius narrat, evenisse, verosimilius cum supra laudatis Congregationis S. Mauri monachis opinor.* D

evasit illæsus, diem extremum in insula Ilva, e qua tamen, miraculo etiam,

29 *Audi, qui opportune ad institutum nostrum scriptores isti loco proxime cit. loquantur.* Gregorius, *inquiunt,* referens miraculum in S. Cerbonio, Populonii episcopo, factum, tempore quo Totila Gothorum rex Merulis octavo ab urbe Roma milliario castrametabatur, id suis diebus contigisse, observat. Totila, qui regnare cœpit anno 541, Romam bis obsidione cinxit et expugnavit, annis videlicet 546 et E 549. Prior obsidio in annum integrum protracta, quo tempore Totila non longe ab Urbe distabat. Unde vero propius videtur tunc id accidisse, quod narrat *(supra scilicet huc jam transcriptis verbis)* Gregorius. *Ita illi. Porro cum Sanctus noster prodigio, quod recte e jam dictis cum anno* 546 *conjungunt, ab urso, cui, jubente Totila, devorandus fuerat objectus, evaserit illæsus, reliquum est, ut, quæ deinde in vivis adhuc superstes egerit ac quo tempore e vita hac mortali ad immortalem migrarit, modo adhuc dispiciamus.* Cerbonium, *populo sibi subjecto salutis monita dedisse, mira ciborum abstinentia, piis operibus, morumque suavitate ac modestia enituisse, itaque ad decrepitam ætatem pervenisse, Vita edenda, narrato, in cujus epocham jam inquisivimus, prodigio, num.* 23 *tradit, mox etiam adjungens, tunc eum, cum Longobardi Italiam occupassent, in insulam Ilvam sese recepisse, ibidemque obiisse, ac sua ex voluntate Populonii, miraculo etiam, cum eo inde corpus ejus transferretur, in via patrato, in sepulcro,* F *quod ibidem, dum adhuc viveret, sibi pararat, depositum fuisse.*

uti hic ipsismet etiam Gregorii Magni verbis narratur, in via patrato, Populoniitumulandus, fuit elatus,

30 *Narrat etiam hæc eadem supra dicto Dialogorum lib.* 3, *cap.* XI *Gregorius Magnus; quare, ut omnia et singula, quæ sanctus Pontifex de* Cerbonio *tradit, ipsismet hujus verbis lectori exhibeam, lubet etiam hisce illa, prius quam in tempus, quo gesta sint, inquiram, proponere.* De quo etiam Viro (Cerbonio *nempe)* aliud quoque *(ita proxime post verba, quibus miraculum supra relatum exponit, pergit Gregorius)* miraculum, Venantio Lunensi episcopo narrante, cognovi. In ea namque Populonii ecclesia, cui præerat, sepulcrum sibi præparavit, sed cum Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vastasset, ad Ilvam insulam recessit. Qui ingruente ægritudine ad mortem veniens, clericis suis sibique obsequentibus præcepit, dicens: In sepulcro meo, quod mihi præparavi Populonii, me ponite. Cui illi cum dicerent: Corpus tuum illuc qualiter reducere possumus, qui a Longobardis teneri loca eadem et ubique eos illic discurrere scimus? Ipse respondit:

A spondit: Reducite me securi, nolite metuere, sed festine sepelire me curate: mox autem, ut sepultum fuerit corpus meum, ex eodem loco sub omni festinatione recedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt navi, cumque Populonium tenderent, collecto in nubibus aere immensa nimis pluvia erupit. Sed ut patesceret omnibus, cujus Viri corpus navi illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Ilva insula usque Populonium duodecim millibus distat, circa utraque navis latera procellosa valde pluvia descendit, et in navim eamdem una pluviæ gutta non cecidit. Pervenerunt itaque ad locum clerici et sepulturæ tradiderunt corpus Sacerdotis sui. Cujus præcepta servantes ad navem sub festinatione reversi sunt. Quam mox ut intrare potuerant, in eumdem locum, ubi Vir Domini sepultus fuerat, Longobardorum dux crudelissimus Gummarith advenit. Ex cujus adventu Virum Dei habuisse spiritum prophetiæ claruit, qui ministros suos a sepulturæ suæ loco sub festinatione discedere præcepit.

sub ducum, qui post Clephum Longobardis præfuere, primordia, non anno 575.

B 31 *Longobardos, cum in Italiam anno* 568 *irrupissent, post Alboïni et Clephi regum suorum interitum sub triginta amplius ducibus per annos decem exstitisse, tuncque primo eorumdem ducum progressu quam maxime Italiam esse deprædatos, Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib.* 2, *cap.* 32 *docet, id autem cum Baronius haberet perspectum, simulque, crudelissimum Longobardorum ducem, nomine* Gummarith, *cujus ad locum, quo* S. Cerbonius *fuerat sepultus, adventum haud multum fuisse prægressam hujus mortem, Gregorius verbis jam nunc recit. prodit, e dictorum triginta amplius ducum numero exstitisse, persuasum sibi haberet, illam idcirco ad horum primordia retulit, in Annalibus suis ad annum* 573 *sic scribens:* Dispersis creatis ducibus per diversas Italiæ regiones, cum eorum crudelitatis fama percurreret, frequentes erant fidelium latebræ atque fugæ..... Inter alios autem una cum suis clericis magnus ille confessor Cerbonius, episcopus Populonii, qui Gothorum tempore sese ipsis objecit intrepide, modo exundante vehementiori Longobardorum sævitia in Ilvam insulam Tyrrheni maris se contulit, ubi et, Deo juvante, vitæ præsentis finem accepit..... Moritur igi-

C tur..... primordiis ducum Longobardorum incursionis sanctissimus hic Episcopus. *Ita eruditissimus scriptor laudatus. Ac recte quidem, ut mihi ob jam dicta apparet, Sancti nostri mortem ad ducum, quos sibi post regum suorum Alboïni et Clephi necem Longobardi præfecere, primordia refert; ast hæc seu decennii, quo Longobardos sub ducibus post Clephi necem fuisse, Paulus Diaconus loco proxime cit. scribit, initium haud recte anno Christi* 573 *pariter innectit.*

sed, quemadmodum ex hic adductis

32 *Id enim dumtaxat facit, quod ab anno* 568, *usque ad Aprilem, cujus secunda die, ut Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib.* 2, *cap.* 7 *docet, Pannoniam Longobardi reliquere, provecto, horum in Italia regni, quod annos tres et sex menses tenuisse Alboïnum, idem Paulus Diaconus libri ejusdem cap.* 58 *scribit, initium repetat, hincque Clephum, post quem, anno uno et sex mensibus, uti iterum ex eodem Paulo intelligitur, ab Alboïni, cui successerat, nece interfectum, sub ducibus Longobardi fuere, anno* 573 *interiisse, existimet. Verum ab anno* 568, *ad Aprilem provecto, seu a Longobardorum, qui tum accidit, in Italiam ingressu non repetendum horum in Italia regni initium, e jam nunc dicendis patescet. Ticinensis per Longobardos sub Alboïno obsidio sub anni* 569 *finem aut sequentis initium, uti e Paulo Diacono de Gestis Longobardorum lib.* 2, *cap.* 25 *et seq. nemo non concludet, fuit incepta; cum autem obsidio illa, uti idem Paulus ibidem testatur, ultra tres annos durarit, consectarium fit, ut Alboïnus, qui, quemadmodum ex Paulo etiam intelligitur, aliquot adhuc post eamdem obsidionem mensibus in vivis mansit superstes, ante annum* 573, *ultra Aprilem jam provectum, haud fuerit necatus, utque proinde, si ab anno* 568, *ad Aprilem provecto, seu a Longobardorum, qui tum accidit, in Italiam ingressu repetendum sit horum in Italia regni initium, id Alboïnus, non tantum annis tribus mensibusque sex, ut Paulus Diaconus loco supra cit. diserte docet, sed quinquennio amplius tenuerit.*

AUCTORE C. B.

E *probatur, anno* 575 *innectenda,*

33 *Observarunt id Sigonius lib.* 1 *de Regno Italiæ, et Bacchinius, dum anno* 1708 *Agnelli Pontificale, a Muratorio deinde Rerum Italicarum Scriptorum tom.* 2 *recusum, vulgavit, in Prævia, quam dicto Pontificali inseruit, ad Petri Senioris Ravennatis episcopi Vitam Dissertatione, hincque, ne a Paulo, quo hic standum, recedere cogerentur, Longobardorum in Italiam ingressus epocham a regni, per illos in eadem Italia inchoati, epocha distinxere. Ac prior quidem hanc a Mediolano per Longobardos subacto, posterior vero, quod eodem fere recidit, a Ticinensis obsidionis, sub anni* 569 *finem aut sequentis initium, ut dixi, inchoatæ, initio recte repetit. Jam vero, cum res ita habeat, ac anni tres mensesque sex, quos Alboïnum in Italia regnasse, Paulus Diaconus loco supra cit. scribit, ab anni* 569 *fine aut sequentis initio computati ad Julium circiter anni* 573, *auctique mensibus octodecim, post quos Clephum, Alboïni successorem, occisum fuisse, Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib.* 2, *cap.* 31 *tradit, ad finem anni* 574 *deducant, consectarium fit, ut decennii, quo post cædem Clephi sub ducibus Longobardos exstitisse, idem Paulus ibidem cap.* 32 *affirmat, initium* F *seu annus primus anno Christi non* 573, *sed* 575 *debeat innecti; cum autem sub ducum illorum primordia seu sub decennii, quo dominati sunt, initium Sancti nostri obitus, ut jam supra docui, contigerit, consectarium ulterius fit, ut is similiter non anno* 573, *sed anno* 575 *illigari verosimilius debeat.*

uno e posterioribus octo anni hujus

34 *Ac mihi quidem præterea uni ex octo posterioribus, non autem uni e quatuor prioribus anni hujus mensibus illigandus videtur, quod, quemadmodum Gregorius Magnus supra huc transcriptis verbis docet, Sanctus in insulam Ilvam, ubi obiit, non secesserit, nisi cum Longobardorum gens cuncta in Italia jam vastasset, idque certo tum, cum jam quatuor priores anni* 575 *menses essent elapsi, obtinuerit locum, ut jam nunc ostendam. Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib.* 2, *cap.* 32 *sic scribit:* Per hos, *de quibus hic jam egimus,* Longobardorum duces septimo anno ab adventu Albuuïn et totius gentis, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus,

AUCTORE C. B.

regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia ex maxima parte capta et a Longobardis subjugata est. *Ita Longobardorum historicus; nec ab eo Gregorius Turonensis Historiæ Francorum lib.* 4, *cap.* 41, *al.* 35, *dissentit; sic enim ibi habet:* Alboïnus ..... Longobardorum rex..... Italiam cum omni illa Longobardorum gente petiit..... Quam regionem ingressi, maxime per septem annos pervagantes, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem; *Ita autem tam quæ sex primis post Longobardorum in Italiam ingressum annis ab Alboïno et Clepho, quam quæ deinde septimo post eumdem ingressum anno a ducibus, sub quibus e jam dictis Longobardi tum fuerunt, gesta sunt, Gregorius hic perstringit; ut eum inter et Paulum Diaconum, qui, Italiam septimo post Longobardorum in hanc ingressum anno misere per supra memoratos horum duces vastatam fuisse, proxime huc transcriptis verbis docet, quam optime conveniat.*

mensibus, Octobri nempe, obiit, cum forsan ante in insula Ilva, quo sese

35 *Quapropter, cum sic habeat, ac sub Aprilem anni* 575, *quo e jam dictis dominari cœpere duces illi, septimus a Longobardorum in Italiam ingressu annus compleatur, consectarium fit, ut, quod de Italia per eosdem duces subjugata ac vastata Paulus Diaconus et Gregorius Turonensis produnt, quatuor prioribus dicti anni* 575 *mensibus fuerit peractum, utque proinde post hos Sancti nostri in insulam Ilvam secessus, huncque deinde secutus obitus contigerit. Quod si iis, quæ Pagius in Criticis ad annum* 571, *num.* 2 *scribit, standum foret, Italiæ per Longobardorum duces vastatio non septimo post horum in regionem illam ingressum anno, seu, ut jam docui, prioribus quatuor anni* 575 *mensibus, sed duobus circiter annis serius foret signanda; verum Saxius in suis in Sigonium de Italiæ regno, Mediolani anno* 1732 *recusum, Notis col.* 15 *et seq. dilucide et solide Pagium ea in re refellit. Quod cum ita sit, ac proin Italiæ vastatio, post quam, ut dixi, Sanctus in insulam Ilvam sese recepit, indubie prioribus quatuor anni* 575 *mensibus evenerit, non est, cur opinio, qua post hos Sancti in dictam insulam secessum mortemque hunc secutam statuo, a vero putetur aliena; contra autem veram esse, seu Sancti mortem, anno* 575, *ut docui illigandam, post quatuor illos menses seu uno e posterioribus octo anni istius mensibus contigisse, probatur etiam ex edita Sancti Vita, in qua cum hic* x *Octobris die obiisse disertissime sub finem dicatur, re etiam ipsa id tum accidisse apparet credendum.*

C

receperat, vitam solitariam aliquot jam mensibus duxisset.

36 *Ceterum Sylvanus Razzius Operi suo, quo Sanctorum Tusciæ Vitas, idiomate Italico a se conscriptas, sub sec.* XVI *finem vulgavit, Gregorii Magni Dialog. libri* 3 *undecimum, quod totum de* S. Cerbonio *est, caput, Italice a se redditum, ac jam supra sæpius laudatum, ad* x *Octobris diem inseruit; reperiri autem in insula Ilva montem,* S. Cerbonii *nomine distinctum, in Annotatione, quam capiti isti subjecit, affirmat, hincque Sanctum, cum in insulam illam, grassantibus per Italiam Longobardis, sese recepisset, solitariam in monte illo vitam aliquamdiu duxisse, absque errore credi posse, opinatur. Neque vero hic ei multum refragari velim; etsi enim, id a Sancto factum, nullo omnino queat antiquitatis testimonio probari, Razzio tamen Vita Sancti edita utcumque suffragatur, utpote sub finem sic habens:* Beatus Cerbonius... ad insulam, quæ Elba vocatur,... recessit, ibique cum suis clericis latebram fovebat; *cum autem sic habeat, ac Sanctus e jam dictis* x *Octobris die obierit, a veritate indubie devium pronuntiare non ausim, qui dixerit factum esse, ut is, cum post anni* 575 *Aprilem, quo circiter septimus a Longobardorum in Italiam ingressu annus fuit completus, in insulam Ilvam, Italia pene tota per Longobardos jam occupata, vicinisque etiam Populonio locis vastatis, secessisset, vitam ibidem solitariam, cui admodum, uti e supra dictis pronum est colligere, erat addictus, per aliquot menses duxerit, ac tum demum, cum id fecisset, jam decrepitæ ætatis senex ad Superos migrarit præfato* x *Octobris die, quo etiam, ut initio docui, in Fastis sacris memoratur, ac nominatim in Mrl. Romano hodierno per hæc, quæ etiam, priusquam Comment. huic finem imponam, huc transcribo, sequentia verba:* Populonii in Tuscia S. Cerbonii, episcopi et confessoris, qui, ut sanctus Gregorius refert, in vita et morte miraculis claruit.

D

E

VITA

Auctore anonymo

Ex Bibliothecæ Vaticanæ Ms. 6453, *cum Vita altera, quæ jam prodiit* a, *collata.*

a

CAPUT I.

Sanctus traditur S. Regulo erudiendus, ordinatur episcopus, ex Africa in Italiam secedit, Populonii apud S. Florentium episcopum moratur, Populoniensisque factus episcopus apud Pontificem accusatur.

F

Dominante in Africa Ariana hæresi, S. Cerbonius cum S. Regulo, b

Tempore, quo Ariana hæresis in toto mundo pullularet, maximeque apud gentem Guandalorum, quæ Africanam gentem devastabat, quæ eamdem quasi pro divinitate excolebat, erat beatus Regulus archiepiscopus *b* in eadem regione., qui, gratia Sancti Spiritus afflatus, prædicare ceperat populum, ut ab heresi se sequestraret, et Christi * Dei Filium, qui est verus Deus, totis nisibus coleret: sed, dum prædicatio ejus casso labore deficeret, cepit ipse sanctus Regulus anxie dolere, quoniam gens illa cotidie famulos Christi laniabant. Illis vero diebus veniens pater beati Cerbonii, cum videret ipsum Dei sacerdotem miraculis coruscantem, et sanam doctrinam, quæ de Domino Jesu Christo erat, omnibus prædicantem, commendavit eum beato Regulo, ut eum doceret Christi doctrinam, quatenus divini cultus sacras Litteras disceret.

* *l.* Christum

2 Tunc beatus Regulus docuit beatum Cerbonium

a quo litteris fuerat imbutus episcopusque ordinatus,

bonium omnes sacras Scripturas, et effectus est ejus discipulus *c*. Sed dum cerneret beatus Regulus insaniam pravitatis hereticæ, relicta sede, qua sacerdotes alios beabat, ascitis sibi beato Cerbonio et Felice duobus episcopis, quos ipse sacraverat *d*, pelagi tramitem, celoce sibi injuncta, cum tribus presbyteris et duobus diaconibus aliisque sociis commeantibus *e*, marinis fluctibus iter arripuit *f*. Sed dum alta pelagi peragrarent, marinus fragor est perturbatus, et valida tempestas contra eos surrexit et omnes in perturbationes dejecit, solummodo beatum Regulum nil perterruit, quia erat fisus de pietate Domini sui.

c

d

e

f

inde in Italiam venit, Reguloque ibidem jussu Totilæ occiso,

3 Depræcatus est namque Dominum, cui pure deserviebat, cui cuncta obediunt, ut intra procellas ejus navis fieret gubernator. Cujus omnipotens Deus statim præces audivit, mare vero pacificum extitit, et suos Servos quietos abire præcepit *g*. Sed dum Romuleos contingeret fines, sequestratus a Sociis cœpit heremiticam vitam ducere *h* et a Felice famulatum habere; qui dum hæc perageret et multa in eodem loco
B signa faceret, a quibusdam relatum est Totilæ perfido regi, qui misit suos executores, et præcepit, ut ad eum pergeret, et, si contemneret, capitalem subiret sententiam. Cujus mox dicti verba compleverunt *i*. Sed beatus Cerbonius et Felix ejus corpusculum sepulturæ tradiderunt *k*.

g

h

i

k

Populonium se confert,

4 Post mortem vero antistitis sui cœpit beatus Cerbonius omnes populos docere in eisdem partibus commorantes, monens eos, ut in orationibus et vigiliis et jejuniis et helemosinis consisterent, quemadmodum ipse beatus pontifex assuetus erat agere. Baptizabat vero populum, qui adhuc gentili errore detinebatur, convertens eos ad fidem rectam et ad unitatem sanctæ fidei Catholicæ, et ut Christum Dei Filium adorarent. His ita gestis, pervenit beatus Cerbonius in Populoniensem civitatem, in qua erat ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ, ubi erat venerabilis Florentius episcopus ejus civitatis *l* orans Dominum die ac nocte cum omni devotione.

l

apud Florentium episcopum aliquamdiu commoratur,

5 Venerabilis autem Florentius episcopus, ut vidit beatum Cerbonium, gavisus est gaudio magno, et suscepit eum cum omni amore et honore, commorantes insimul usque dum viveret episcopus, servientes Domino cum omni alacritate et simplicitate cordis; et omnis populus gaudio repletus est, quia jam audierant de illo magna multaque mirabilia. Contigit autem in illis diebus, ut beatus Florentius dormitionem acciperet in Domino, cujus animam beatus Cerbonius ab angelis usque ad cælum vidit deferri. Congregati vero sunt cives et clerici Populoniensis civitatis in unum dicentes: Tu eris noster pastor, quia scimus a Domino te huc directum, ut regas populum nostrum.

in hujus defuncti locum invitus sufficitur,

6 Beatus vero Cerbonius hæc audiens dicebat, non se esse dignum huic operi mancipari; sacerdotes vero una cum omni populo cœperunt clamare ac dicere: Cognoscimus te, Pater sancte, Domino dignum esse et Spiritu Sancto repletum, et scientiam prudentissimam habere, et pro hac causa valde nobis necessarius es, ut sis plebis
* *an exorator?* nostræ rector et doctor et exortator * apud Dominum. Beatus vero Cerbonius cœpit se excusare proclamans, se esse indignum. Populus vero una cum clero una voce dixerunt: Si tu nolueris nos miseros sub tua protectione habere et nolueris noster pastor esse, requirat Deus animas nostras de manu tua. Cum vero beatus Cerbonius hæc audisset, statim accepit cathedram episcopalem, et ibi multo tempore populum gubernavit usque ad diem mortis suæ *m*.

A. ANONYMO.

m

Populoniensium offensionem incurrit,

7 Tantam namque illi Deus gratiam, dum adhuc viveret, concessit, ut ab hora, qua angeli Missam canebant, ipse mereretur suis auribus audire: hora vero, qua hæc agebantur, prima hora Dominici diei erat *n*: ex hac autem consuetudine accepta beatus Cerbonius semper Dominico die in episcopio suo prima aurora diei Missam super altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ canebat, et clericis, qui cum eo erant, caritatem in amorem sanctæ Dei Genitricis facere præcipiebat. Populus vero, qui in villis habitabat, ad ecclesiam illam sic maturius venire nequibat. Cumque jam sol ortus esset, populus ex villis confluebat, ut Missas et benedictionem acciperet; sed minime poterant, quia beatus Cerbonius cum aliis sacerdotibus cibo jam refecti erant *o*. Quod cum populus hæc audiret, indignatus valde dicebat: Quid est hoc,
E quod noster Gubernator agit, qui Missam prima aurora diei canit, et tam ipse, quam et sacerdotes sui panem et vinum pro caritate sumunt?

n

o

abs hisce apud Vigilium Papam accusatur,

8 Murmur ita populi inter se excitantes, omnes unanimiter ad accusandum beatum Cerbonium ad Papam Vigilium perrexerunt *p*. Sabato vero die ad vesperum, ut mos erat, ipse apostolicus ad ecclesiam beati Petri Apostoli venerat. Ibi itaque Populoniensis populus, qui parochiani erant beati Cerbonii, prostraverunt se ad pedes domini Apostolici dicentes: Miserere nostri, beate et sanctissime pater, quia Episcopus, quem nos habemus, non nobis Christianitatem observat secundum suum ministerium; quoniam die Dominico primo diluculo Missam canit, et ipse et sacerdotes sui omnes quasi pro caritate cibum sumunt. Quando autem nos, qui longe consistimus, jam sole orto ad ipsam matrem ecclesiam venimus, nullus e sacerdotibus nobis Missas canit.

p

et ab hoc Romam, quo sese expurget,

9 Papa vero Vigilius hoc audiens repletus est furore magno super beatum Cerbonium, misitque confestim legatos suos ad illum dicens:
F Ite et dicite Cerbonio episcopo Populoniensi ex auctoritate beati Petri Apostoli principis Apostolorum, et sanctorum Canonum, et mea, ut cum summa festinatione huc ante me veniat, ut inquiram, si verum est, que * filii illius ecclesiæ dicunt, an non; quia, si ita est, magnam heresim *q* mittit in populo. Legati vero cum summa festinatione ad eum pergunt, et, sicut Papa Vigilius illis præceperat, nuntiaverunt. Erat autem dies Sabati, quando nuntii ad eum pervenerunt.

* *l.* quod

q

per legatos arcessitur.

10 Beatus ergo Cerbonius cum magno amore ipsos legatos recepit et dixit: Hodie nos præparemus, ut crastino die in servitio domini Papæ, sicut præcepit, eamus: erat namque Dominicus dies, quando iter arripere debebant. Tunc matutino tempore surgens ipse et sacerdotes sui ad laudes Deo canendas, dixit diacono suo: Frater, exi et vide, si adhuc juxta consuetudinem nostram tempus est Missas canere: ille vero foras exiens et intuens reversus est dicens: Domine sancte, aurora * est juxta vestram consuetudinem Missas canendi.

* *an.* hora?

Beatus

A. ANONYMO. Beatus vero Cerbonius præparavit se Missas canere super altare beatæ Mariæ et benedictionem
r pro caritate *r* cum omnibus clericis suis, sicut erat usus, accepit. Tunc dixit beatus Cerbonius ad legatos illos : Fratres in amore Dei et beatæ Genitricis Mariæ Virginis refectionem facite nobiscum, sicut et nos faciemus. Illi respondentes dixerunt : Non sumus nos heretici *f*, neque
s mandatum Domini transgredi volumus, sicut tu facis, qui in die Dominico primo diluculo Missam canis, et quasi pro caritate panem et potum accipis.

ANNOTATA.

a *Exstat hæc tom.* 3 *Italiæ Sacræ auctæ col.* 703 *et sex seqq. Adi Commentarium prævium* § 2.

b *Ad* 1 *Septembris diem, quo S. Regulus martyr Mrl. Romano hodierno exstat insertus, historico-criticum de sancto isthoc Africano Episcopo Comment. texuimus ; in hoc autem, qua ratione ei* Archiepiscopi *titulus, quem nemo ex præsulibus Africanæ ecclesiæ um-*
B *quam gessit, hic ei attribuatur aut queat attribui, num.* 39 *et seq. exponitur.*

c *Quæ de* S. Cerbonio, *in S. Reguli disciplinam dato et per hunc instructo, hic narrantur, in Vita edita, præmisso, qui nihil, quod non cuilibet alteri martyri conveniat, complectitur, Prologo, paucisque tantummodo adhuc, quibus* S. Cerbonium *ex Africa oriundum docemur, adjectis verbis, sequentem redduntur in modum* : Ab ipso..... pueritiæ suæ tempore parente ejus (Cerbonii *nimirum)* beato Regulo archiepiscopo eum commendaverunt, ut ab ipso sacris doctrinis imbueretur. Beatus igitur Regulus cum omni alacritate eum suscipiens totius veritatem Christianæ Religionis mirifice illum instruxit.

d Episcopi *pariter titulo hic memoratum, de quo etiam ad* 1 *Septembris diem jam egimus, S. Felicem Vita edita distinguit; ast tam hunc, quam* S. Cerbonium *a S. Regulo fuisse ordinatum, non adjungit.*

e *Ex horum numero exstitisse* 55. *Justum*
C *et Clementem, de quibus ad* v *Junii, itemque S. Octavianum, de quo ad* 2 *Septembris diem jam egimus, nonnulli contendunt; verum historico-criticum, quem ad lit.* b *laudavi, de S. Regulo Comment. num.* 45 *videsis. Vita edita* S. Cerbonii *S. Regulo non alios, quam* Cerbonium *et Felicem, Socios adjungit.*

f *Quandonam probabilius id factum, in iterum laudato de S. Regulo Comment. historico-critico num.* 34 *et quatuor seqq. ostenditur.*

g *Vita edita, S. Regulum mansisse in tempestate imperterritum, non dicit, nec quod de solo eodem S. Regulo Dominum deprecato hic refertur, Sancto isti magis, quam* SS. Cerbonio *et Felici, attribuit. En, quæ huc spectant, ejus verba :* Subito surrexit contra eos sæva tempestas usque adeo, ut in perturbatione baratri omnes pervenirent. Tunc beatus Regulus una cum beato Cerbonio et Felice Dominum deprecati sunt Conditorem, ut eorum navis inter tremulas undas fieret gubernator, et suos servos exules ab illo aquarum impetu liberare dignaretur. Quorum voces omnipotens Deus subito piis precibus exaudivit ; sicque mare pacificum exstitit, uta ventorum classibus minime perturbaretur.

h *Solum S. Regulum, postquam una cum* SS. Cerbonio *et Felice in Italiam esset appul-* D
sus, eremiticam ibidem vitam duxisse, videtur hic indicari ; verum qui hic vitæ Sancti nostri locus cum jam antea edita ejus Vita, in qua tam SS. Cerbonius *et Felix, quam S. Regulus, id ibidem tum fecisse traduntur, in concordiam queat adduci, in Comment. præv. num.* 24 *et seq. exposui.*

i *Id anno* 542 *probabilius contigisse, apud nos in historico-critico de S. Regulo Comment. plus semel jam laudato num.* 46 *et binis seqq. probatur.*

k *In Vita jam edita legitur :* Cerbonius vero et Felix, sanctissimi episcopi, cadaver sui magistri et archiepiscopi MIRIFICE sepelierunt, *itaque forsan alluditur ad miracula, quæ S. Reguli mortem ac sepulturam comitata fuisse in Sancti hujus Historia, apud nos Historico-critico de eodem Sancto Commentario, longioribus digressionibus interpolationibusque refectis, inserta, narrantur; verum quam parvam fidem miracula illa mereantur, ex iis, quæ in Comment. isto num.* 18 *et seq. allegantur, intelliges.*

l *Cum Florentius hic memoratus, de quo in-* E
ter Sanctos ad XV *Maii diem actum apud nos jam est, Populoniensi ecclesiæ, uti ex hoc Vitæ Sancti nostro loco constat, ante* S. Cerbonium *præfuerit, liquet sane ab Ughello tom.* 3 *Italiæ Sacræ in Massæ-Populoniæ episcopis perperam asseverari, nullum omnino, qui in Populoniæ Massæque sede floruerit, ante* S. Cerbonem *occurrere ; verum, cum id scriptor ille litteris mandabat, e Sancti nostri Vitis, quarum alteram hic damus, alteram Coletus Italiæ Sacræ Ughelli adjunxit, neutra adhuc tenebris in lucem fuerat prolata.*

m *Cum Sanctus, uti in Comment. præv. monstravi, verosimilius anno* 575, *postquam jam ab anno circiter* 544 *ecclesiæ Populoniensi præfuisset episcopus, ad Superos migrarit, hanc sane* multo tempore, *uti hic traditur, gubernarit.*

n *Vita jam edita hic pro* Missam *habet* ruinam ; *ast Vitæ ejusdem exemplar, quod penes nos exstat, quodque, ut in Comment. præv. num.* 15 *jam monui, e Ms. membranaceo eminentissimi Cardinalis Barberini Legendario* F
F. 284 *notatur acceptum, etiam habet* Missam, *cumque verbis, quibus, a* S. Cerbonio *angelos, Missam canentes, fuisse auditos, ait, mox jungat,* in initio diei auroræ die Dominico in excelsis has laudes attentius semper audiebat, *haud dubie preces, quæ, dum incruentum Missæ Sacrificium Domino offertur, recitari in Dei honorem ac laudem solent, per* Missam *hic et in Vita, quam edimus, et in dicto exemplari intelliguntur. Ast, etsi id ita sit, mihi tamen verosimile haud apparet, a Sancto angelos, preces hujusmodi, Dei laudibus repletas, quales sunt v.g. hymni* Gloria in excelsis Deo, *alterque, qui* triumphalis *et a voce ἅγιος, Latine* Sanctus, *ter in eo repetita* trisagius *etiam non inepte vocatur canentes, diebus Dominicis singulis sub auroram fuisse auditos. Scio quidem, Sanctos nonnullos ac nominatim (Operis nostri tom.* 8 *Septembris in S. Michaele et omnibus Angelis num.* 522 *videsis) S. Nicolaum Tolentinatem cantu angelico subinde recreatos fuisse, a scriptoribus, fide etiam dignissimis, referri; verum, id frequentissime* S. Cerbonio *accidisse, sola fide scriptoris,*

A *ris, qui rem, ducentis amplius annis ab ætate sua remotam, e vulgi tantummodo traditione scribit, moxque etiam miracula miraculis absque ullo vade antiquo accumulat, in animum quis vel utcumque firmiter inducat?*

o *Ita cum Christi fidelibus, curæ suæ commissis, egisse* S. Cerbonium, *creditu est oppido difficile. Eum quidem a* nimia senectutis debilitate *excusare Vita edita videtur; verum, cum Sanctus ad annum usque* 575, *ut in Comment. prævio num.* 33 *docui, vitam protraxerit, eaque, quæ hic narrantur, verosimilius, uti, quæ in eodem Comment. num.* 26 *dixi, suadent, anno circiter* 545 *egerit, tum multo quinquagenario major, nisi eum ad nonaginta amplius annorum ætatem pervenisse adstruxeris, exstitisse haud potest. Utut sit, ut quid, cum ipse Missam ante auroram celebrabat, e sacerdotibus suis nullum, qui Sacris serius operaretur, reliquisset jejunum, omnesque ad* caritatem, *id est, ad communem, quæ in mutuæ charitatis indicium sumi olim a fidelibus solebat, refectionem coegisset?*

p *Populonienses una omnes Romam, quo*
B *apud Vigilium Papam accusarent* S. Cerbonium, *properasse, ab omni veri specie abhorret.*

q *Vocabulo isthoc intelligi hic videtur, non opinio Ecclesiæ doctrinæ, sed praxis Ecclesiæ praxi, qua Missam ante auroram solisque ortum (Labbeum tom* 1 *Concil. col.* 560 *et quatuor seqq. videsis) celebrare nefas erat, contraria.*

r *Id est, pastum in mutuæ charitatis testificationem.*

s *Ita etiam, improprie loquendo, subinde vocantur, qui, quamvis quidem errorem cum pertinacia, ut hæretici faciunt, haud tueantur, horum tamen instar Ecclesiæ præcepta consuetudinesve infringunt.*

CAPUT II.

Sanctus Romam cum legatis proficiscitur, in via patrat miracula, Pontifici se sistit ac satisfacit, Populonium redit, prodigiose ab urso evadit illæsus, in insulam Ilvam secedit, ibidemque mortuus Populonium ad tumulum effertur.

C

Cerbonius, Romam tendens, in via Papæ legatis, a

Tunc arripientes iter, ut Romam pergerent, cum pervenissent trans fluvium Cornium, ubi vocatur Salinolas *a*, cœpit magna sitis illos legatos detinere et dicebant ad beatum Cerbonium: Pater sancte, magnam sitim habemus, indica nobis aquam, ut bibere valeamus. Respondit beatus Cerbonius: Credite mihi, fratres, quia in isto loco aquam minime scimus præter istud mare. Illi autem pergentes usque ad dimidium milliarium, sitis magna eos prægravabat, ita ut nullus eorum staret super pedes suos *b* et dicebant ad beatum Cerbonium: Pater sancte, adjuva nos, quia præsentialiter expiramus. A. ANONYMO. *b*

præ siti fere expirantibus prodigiose succurrit,

12 Beatus Præsul dixit ad illos: Fratres, quare non me audistis, ut propter amorem Dei caritatem nobiscum faceretis, et noluistis accipere cibum et potum? Rogo ergo Dominum meum pro vobis, aliud nescio, quod faciam. Dum beatus Cerbonius pro eis oraret, videns duas cervas ante se præeuntes, dicebat illis: Præcipio vobis in nomine Domini mei Jesu Christi, ut non sit vobis licentia eundi, donec me expectetis, et statim steterunt. Tunc apprehendi vasculum suum et perrexit ad illas et lacte plenum vasculum mulsit ex illis, et, cum hoc fecisset, absolvit eas dicens: Licentiam habeatis Domini mei Jesu Christi pergendi ubicumque vultis *c*. Reversus est autem ad illos legatos, qui secum erant, et invenit eos tamquam mortuos jacentes præ nimia anxietate sitis, et dedit eis lac bibere, et refocillati sunt et restituti sanitati. *c*

E *raram in Deo monstrat fiduciam, tres viros,*

13 Deinde simul pergentes itinere, quo cœperant, transactisque duobus diebus, dixit diaconus suus beato Cerbonio: Domine pater, tu ad dominum Papam Romanum pergis: quod munus illi offerre habes pro benedictione de ecclesia nostra? Timeo, si ad illum vacuus veneris, ne furor illius plus, quam modo est, super te exardescat. Beatus autem Cerbonius dixit: Noli mihi multum molestus esse, Deus meus, in quem spero, dabit mihi, quod ad ipsum Papam pro benedictione conferam. Inde antequam Romam pervenirent, tres viri febrium vexationem habentes beato Cerbonio obviam venerunt et benedictionem petierunt.

febri laborantes, Dei auxilio pro eis implorato, sanat,

14 Beatus autem Cerbonius signaculum sanctæ Crucis super eos faciens prostravit se in oratione dicens: Domine Jesu Christe, qui es trinus et unus, suppliciter ego indignus rogo misericordiam tuam, ut istos infirmos ab infirmitate eorum liberare digneris, quia tu es Deus omnipotens Salvator et Creator, qui peccata dimittis et omnibus infirmitatibus medelam tuæ misericordiæ concedis; et statim sani facti sunt *d*. Videntes autem illi legati, qui ab Apostolico fuerant missi, mirabilia, quæ per eum Dominus fecit, extimuerunt valde et inter se dicebant: si iste Episcopus Vir Dei electus non fuisset, non potuisset tanta miracula facere. *d*

F *Romam appulsus, Pontifici, a quo honorifice suscipitur,* e

15 Pervenerunt autem ad vallem et descenderunt de monte, qui nuncupatur Gaudii, et venerunt in Pratum Neronis *e*, ubi ipsi legati licentiam acceperunt a beato Cerbonio, ut ejus adventum domino Papæ notum facerent. Cumque præfati legati ad Dominum Papam reversi fuissent, cœperunt ei narrare mirabilia, quæ beatus Cerbonius in itinere fecerat. Timor vero magnus apprehendit summum Pontificem, statimque convocans ordinavit omnem clerum suum, qui cum illo erat, cum planetis et dalmaticis et incenso, et cum Letaniis et Psalmodiis venit ei obviam ad gradus beati Petri Apostoli.

cum multitudine anserum, doni loco ei offerenda, se sistit,

16 Beatus autem Cerbonius dum per Pratum Neronis iter carperet, vidit aves copiosas et multas, quæ vocitantur Anseres, juxta morem suum congregatas, et fecit signaculum Crucis contra eas dicens: Non habeatis licentiam Domini mei Jesu Christi, ut volitetis in aliquem locum, donec veniatis mecum in præsentia domini

A. Anonymo. mini Papæ. Illæ vero hæc audientes venerunt prope eum, et ille cum suo baculo eas duxit usque ad gradus beati Petri Apostoli, ubi dominus Papa obviam venit, dixitque ei beatus Cerbonius: Ecce, Pater, munera parva, quæ vobis de ecclesia nostra adduximus. At vero Papa magnas ei gratias egit. Tunc beatus Cerbonius contra ipsas aves signaculum sanctæ Crucis fecit et absolvit eas dicens: Ex jussione Domini mei Jesu Christi vobis præcipio, ut voliteris, ubicumque volueritis. Tunc cœperunt ipsæ volitare in aere et abierunt *f*.

f causamque, ob quam arcessitus esset, edoctus;

17. Tunc Vigilius Papa, hoc miraculo viso, amplius territus mirari cœpit, et benigne pacificeque rogabat sanctum Virum, ut cum illo introiret in ecclesia beati Petri Apostoli. Cum autem ingressus fuisset beatus Cerbonius, perrexerunt ad sepulcrum sancti Petri et oravit, et post orationem interrogavit beatus Cerbonius summum Pontificem dicens: Cur me, sancte Pater, venire præcepisti? Indica mihi. Respondens Papa Vigilius dixit: Parochiani de ecclesia tua venerunt ad me proclamando dicentes, quod tu omni die Dominico summo diluculo
B Missam canis, et statim pro benedictione et
g caritate panem et potum accipis *g*; cum autem ipsi ad matrem ecclesiam jam sole orto veniunt, abstinentem ibi presbyterum non inveniunt, qui eis Missas canere possit. Mirum ita mihi est, cur ita agis, quod nullus alius agere videretur.

eidem Pontifici, impetrato a Deo in ejus favorem
** l. exhortor*

18 Respondens beatus Cerbonius dixit: Domine Pater, potens est Deus ostendere miracula sua, cui voluerit; sed tamen ego, in quantum prævaleo, vobis do consilium. Hodie Sabbathum est; exortor* vos, ut in hac nocte firmiter oremus et non negligamus Dominum deprecari: forsitam antequam a vobis segreger, scire permittet, qualiter ego agam talia. In ipsa igitur nocte orationibus vacare non cessaverunt, usque dum tempus matutinum advenit. Tunc beatus Cerbonius ad dominum Papam dixit: Surge, Pater, et eamus, quia hora matutini jam imminet. Cumque matutinæ Laudes fuissent finitæ, beatus Cerbonius dixit diacono suo: Vade et prospice eminus, si advenit hora nostra, ut mos est, Missam canendi. Reversus est dicens: Pater sancte, hora est, quia jam aurora venit.

C 19 Tunc beatus Cerbonius vocavit domnum
miraculo, satisfacit, Populoniumque rediens Apostolicum ad se et apprehendit dexteram manum ejus, et pedem suum dexterum similiter super suum poni fecit, quasi ad signum sanctæ Crucis eum tenere debuisset, et dixit ei: Pater, aspice in cælum. Tunc ipsi pariter ambo audientes Angelos in cælum canere Missam *h*, dicentes: Gloria in excelsis Deo. Beatus itaque Papa dixit ad beatum Cerbonium: Vere scio, quia Spiritus Sancti gratia in te habitat, quia Dominus revelavit tibi secreta sua; ego autem, dum advixero, in ecclesia beati Petri Apostolorum principis, ubi custos sum, te imitabor et secundum tuum exemplum faciam et successores multi post, qui hanc doctrinam retinebunt. Beatus vero Cerbonius, licentia accepta ab Apostolico, rediit Populoniam *i*.

h

i sanctis operibus præcipueque hospitalitate effulget,
** successores*

20 Ab illo ergo die quoties ad illum Vir sanctus veniebat, de sua sede Papa se elevabat et veniebat contra eum, quod et fecit cunctis diebus vitæ ejus, et post eorum obitum omnes decessores* ejus, qui apostolico ordine functi sunt, ipsum exemplum detinent usque hodiernum diem: nam consuetudo Apostolici Ecclesiæ Romanæ non est, ut propter regem D
vel alium pontificem se levet, sed tantum Populoniensis ecclesiæ episcopo assurgit *k*. Vir *k*
autem Domini Cerbonius miræ sanctitatis extitit, de quo beatus Papa Gregorius in Dialogo
suo *l* testimonium protulit dicens, quia cum *l*
idem Vir sanctus hospitalitatis studio valde esset intentus, quadam die transeuntes milites hospitio suscepit, quos Gothis supervenientibus abscondit, eorumque vitam abscondendo servavit ab illorum nequitia *m*. *m*

divinitus ab urso, cui a Totila, hac offenso, n

21 Quod dum Gothorum regi perfido Totilæ nuntiatum fuisset, crudelitatis immanissime vesania succensus, hunc ad locum, qui octavo hujus urbis miliario Merolis *n* dicitur, ubi tunc ipse cum exercitu sedebat, deduci, eumque in spectaculo populi urso ad devorandum projici*: cumque idem rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset ad aspiciendam mortem Episcopi, magna turba confluxit. Tunc Episcopus deductus est in medio, atque ad ejus mortem immanissimus ursus exquisitus, qui, dum humana membra crudeliter carperet, sævi regis animum satiaret.

** supple jussit*

devorandus fueratobjectus, evadit illæsus,

22 Dimissus itaque ursus ex cavea est, et concitus Episcopum petiit; sed subito suæ feritatis oblitus deflexa cervice submissoque humiliter capite, cœpit lambere pedes Episcopi, ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum Virum Dei ferina corda essent hominum et quasi humana bestiarum. Tunc populus, qui ad spectaculum mortis venerat, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc E
ad ejus reverentiam colendam rex ipse permotus est; quippe cum quo superno judicio actum fuerat, ut, qui Deum sequi prius in custodienda vita Episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur *o*. Cujus rei testes sunt, qui tunc præsentes adhuc nonnulli supersunt, eamque cum omni illic populo se vidisse testantur. *o*

decrepitæque jam ætatis, in insula Ilva quo ob Longobardos secesserat,

23 Sanctus igitur Cerbonius, in fide recta persistens, omni populo monita prædicabat salutis: erat namque miræ abstinentiæ, piis operibus pollens, suavis et modestus tam clero, quam populo, usque ad decrepitam ætatem pertingens *p*. Sed cum gens Longobardorum totos *p*
Italiæ fines præoccuparet, ad insulam Hylbam perfugit, ibique usque ad diem obitus sui permansit *q*. In ea autem Populonii ecclesia, cui *q*
præerat, dum adhuc viveret, sepulcrum sibi præparavit, qui irruente ægritudine ad mortem veniens, clericis suis sibique obsequentibus præcepit dicens: In sepulcro meo, quod mihi Populonii paravi, ibi me ponite.

vita functus, Populonium, decorante in via funus miraculo, desertur,
** l. respondentes*
r
** illuc*

24 Qui respondentibus * dixerunt: Cum illic scimus discurrere Longobardos et tenere eadem loca *r*, quomodo te ducemus illic *? Ipse vero respondit: Reducite me securi et nolite metuere, sed festine me sepelire curate: mox autem, ut sepultum fuerit corpus meum, ex loco eodem cum omni festinatione discedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt navi; cumque Populonium tenderent, collecto in nubibus aere immensa pluvia erupit. Sed, ut cunctis patesceret, cujus Viri corpus navis illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Hylba insula usque ad Populoniam duodecim milibus distat, circa utraque navis latera procellosa valde pluvia descendit, et in navi eadem una pluviæ gutta non cecidit.

25 Pervenientes itaque ad locum clerici sepulturæ

ibidemque, statim post superveniente Longobardorum duce Gummarith, sepelitur.

pulturæ tradunt corpus Sacerdotis sui, cujus præcepta servantes, ad navem cum omni festinatione reversi sunt quam mox ut intrare potuerunt, in eodem loco, ubi Vir Domini sepultus fuerat. Longobardorum dux crudelissimus Gumarith advenit *s*, ex cujus adventu Virum Dei habuisse spiritum prophetiæ claruit, qui ministros suos a sepulturæ suæ loco sub festinatione discedere præcepit *t*. Hoc illi concessit divina Pietas, qui, dum viveret custos et rector eorum fuit, et post obitum ab inimicorum jaculis protegendo servavit. Glorificemus ergo Dominum, qui mirabilis est in Sanctis suis, hic et in æternum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vita edita melius, ut apparet, legit:* Cum autem pervenisset ultra fluvium Corneam ad locum, qui dicitur Salinela; *verum nec fluvium, qui* Cornius *aut* Cornea, *nec locum, qui* Salinela *aut* Salinolas *vocetur, apud geographos invenio. Apud Ortelium in Tusciæ Antiquæ*
B *typo prope Populonium notatur Vetulonius lacus, parvusque, qui in hunc se exonerat, fluvius. Hic, qui nullo nomine ab Ortelio distinguitur, Populonioque Romam properantibus occurrit, fuerit forsan olim* Cornius *aut* Cornea *vocatus; quod autem spectat ad locum, qui fuerit* Salinela *aut* Salinolas *appellatus, hunc haud procul a mari situm fuisse, suadet hic subjectum, quod legatis Pontificiis, aquam sibi indicari postulantibus, dedisse Sanctus memoratur, responsum.*

b *Vita edita habet:* Sic æstuabant siti, ut nullus super equos tenere se posset.

c *Rarum enimvero, si modo hic memorentur vera, miraculum!*

d *Etiamsi pro vero admitteretur, quod hic narratur, miraculum, dubitari tamen adhuc posset, an Sanctus oratione, quæ hic ei tribuitur, Dominum sit precatus.*

e *Nec montem, qui a gaudio, nec pratum, quod a Nerone nomen habeat, prope Romam uspiam invenio.*

f *Anserum, qui* e S. Cerbonii *præcepto secuti eum ad Pontificem, mendacio etiam, ut apparet, quo illos a se Populonio adductos*
C *Sanctus dixerit, infulse admixto, hic narrantur, miraculum usque adeo nonnullis placuit, ut id in non pauca Usuardina apud Sollerium Auctaria exstet illatum; verum hinc nihil prorsus ad fidem ejus accedit.*

g *Adi, quæ cap. præcedenti subjeci, Annotata ad litt.* o *et* r.

h *In Vita edita habetur:* Cumque ipse et Papa præfatus in cælum aspicerent, audierunt ambo voces Angelorum canentes: Gloria in excelsis Deo; *ex hoc autem Vitæ, quam edimus, loco, per* Missam *id, quod supra dixi, hic intelligi, confirmatur.*

i *De iis, quæ huc usque a num.* 7 *memoriæ produntur, censendum quid sit, in Comment. præv.* § 2 *exposui. Nimirum, quod nonnumquam usuvenit, ut, quæ vere gesta sunt, adjunctis fictitiis ornentur, id quoque verosimiliter hic factum, induco in animum. Fuerit scilicet rei, nescio cujus,* S. Cerbonius *apud Pontificem insimulatus, hincque deinde, quo omni etiam noxæ suspicione liberaretur Sanctus, miracula aliaque, quæ hic narrantur, parum admodum credibilia temporis lapsu fuerint ex infida vulgi fama, incrementa* A. ANONYMO. *eundo semper acquirente verisque falsa addente, in* S. Cerbonii *honorem ineptissime juxta ac imprudentissime conficta nec minori imprudentia adoptata ab iis, qui ambas ejus Vitas contexuere.*

k *Hæc scriptorem, rerum haud satis peritum nimioque in sedem Populoniensem affectu abreptum, videntur arguere.*

l *Imo Dialogorum lib.* 3, *cap.* XI.

m *Milites, quos* S. Cerbonius *hospitio excepit, exstitisse Romanos, Bailletus hodie in Sanctorum Vitis recte, ni fallar, opinatur.*

n *Locum,* Merolis *vel* Merulis *vocatum, ad quem deduci Sanctus a Totila est jussus, nec prope Romam, nec in territorio Populoniensi a geographis notatum invenio. Is tamen Roma haud procul abfuisse videtur. Comment. præv. num.* 28 *et seq. videsis.*

o *Hoc miraculum* S. Cerbonii *ad cathedram Populoniensem promotioni secutæque hanc apud Vigilium Papam accusationi in Vita jam edita præmittitur; verum rectene, an secus, statue ex iis, quæ in Comment. præv. num.* 26 *et tribus seqq. disserui. Porro si mira-* E
culum illud re forsan vera anno 546, *cui verosimilius, ut ibidem docui, debet innecti, haud evenit, certo equidem locum ante annum* 553 *habuerit, cum Totila, qui prodigioso isti eventui occasionem dedit præsensque fuit, anno* 552, *ut Pagius in Criticis recte docet, fuerit necatus.*

p *Cum Sanctus, qui, quemadmodum apud nos ad* 1 *Septembris diem in Historico-critico de S. Regulo Comment.* § IV *ostenditur, haud diu ante annum* 523 *ex Africa in Italiam exsul migravit ac jam tum consecratus fuerat episcopus, anno demum* 575, *uti in Comment. præv. num.* 33 *docui, excesserit e vivis, eum sane ad decrepitam, uti hic in Vita, quam edimus, altera etiam Vita, quæ jam prodiit, assentiente, declaratur, ætatem pertigisse, est necesse.*

q *Vita edita habet:* Cum sæva tempestas Longobardorum Italiam devastaret nullisque parceret credentibus..... Videns beatus Cerbonius tantum scelus pullulari ad insulam, quæ Elba vocatur, propter crudelitatem Longobardorum gentis recessit ibique cum suis clericis latebram fovebat. *Quod si itaque, quæ Vita illa* F
suppeditat, spectentur, Sanctus noster, non cum jam vastata fuisset, sed cum vastaretur a Longobardis Italia, in insulam Ilvam sese recepit; verum Vita, quam edimus, id a Sancto, non amplius vastantibus, sed jam occupantibus Italiam Longobardis, factum esse, hic prodit, eique luculentissime suffragatur, quo hic standum, Gregorius Magnus utpote verbis, in Comment. præv. num. 30 *transcriptis, de* S. Cerbonio *sic scribens:* Cum Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vastasset, ad Ilvam insulam recessit; *hinc autem simulque ex eo, quod illa Italiæ per Longobardos vastatio prioribus quatuor anni* 575 *mensibus, ut in Comment. præv. num.* 34 *et seq. ostendi, obtinuerit locum, Sanctum uno e posterioribus octo anni ejusdem mensibus obiisse, ibidem conclusi.*

r *Populonium nempe, hujusque, in qua sepulcrum sibi Sanctus pararat, regionem.*

s *Cum Longobardi, priusquam* S. Cerbonius *moreretur, civitatem Populoniensem, uti e supra relato, quod illi, sepeliri in hac volenti, dedisse*

A ANONYMO. *dedisse Populonienses clerici memorantur, responso intelligitur, jam occupassent, nec tamen hisce, dum Sancti corpus Populonii sepeliere, quidpiam molestiæ intulerint, oportet vel ut tum inde ad tempus recessissent, vel ut et per locum, in quem, statim atque sepultus esset Sanctus, dux Gummarith ingressus hic asseritur, ea ipsa, in qua id factum erat, Populoniensis urbis regio intelligatur, et iidem Longobardi, dum Sancti corpus Populonium navi fuit advectum, excubias ad portum haud egerint. Ceterum de miraculis, postremo hic relatis, Comment. præv. num. 27 et tribus seqq. videsis.* D

t *Vita edita, quod, quam hic damus, non facit, emortualem etiam* S. Cerbonii *diem diserte sub finem assignat his verbis:* Migravit beatus Cerbonius ex hac vita ad Dominum VI Idus Octobris.

DE S. PAULINO, ARCHIEPISC.

EBORACENSI CONFESSORE

IN ANGLIA

J. B. F.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

E

§ I. Notitia diœcesis, cui Sanctus præfuit: memoria illius in variis Martyrologiis: antiquus cultus: corporis translatio: gesta præsertim ex Beda tradenda.

ANNO DCXLIV. *Sanctus, qui Eboraci, secunda Angliæ metropoli,*

Eboracum, *vulgo* York, *Angliæ secunda metropolis, sedet in sui nominis, cujus caput est, comitatu. Hic seu ager Eboracensis, Anglis* York-Shire, *qui* totius Angliæ *(verba sunt Camdeni in illius Descriptione)* provincia est longe maxima, temperatæ censetur ubertatis. Si hic saxosa vel arenosa sit sterilitas, illic lætissima arvorum fœcunditas, si hic sylvis sit nuda, illic densissimis nemoribus obumbrata, ita provide temperante natura, ut ipsa regio etiam sua varietate gratior et lætior videatur. *In dicta hujus provinciæ, de qua plura apud laudatum Camdenum curiosus lector videre poterit, civitate primaria* S. Paulinus, *postquam a S. Justo, Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo, fuisset consecratus episcopus,* C *sedem suam locavit, pro cathedrali adeptus ecclesiam, S. Petro Apostolo dedicatam, cujus primordia et incrementa in Monastici Anglicani vol.* 3, *pag.* 128 *refert Will. Dugdale sequentibus his verbis:* Anno vero secundo post adventum Paulini, rex Edwinus de rege West-Saxonum gloriosa potitus victoria Guichelmo, (sicut legitur plenius in Historia Anglorum) insistente Paulino, baptizatus est in domo lignea, quam ob hanc erexerat causam, anno regni sui XI, qui est annus Incarnationis DCXXVII; adventus vero Anglorum in Britanniam annus CLXXX. In quo postmodum loco, de cemento et lapide, per quadrum ædificata, doctori suo Paulino sedem episcopatus donavit.

sedem suam habuit, a martyrologis, tam clarisicis,

2 Baptizatus est igitur rex Edwinus primus omnium regum Northanhymbrorum die sancto Paschæ et multi cum eo in ecclesia S. Petri Eboraci, quam ipse de ligno pro sede episcopatus construxerat: mox tamen majorem incœpit lapideam, quam sanctus Oswaldus rex postea perfecit. Paulini, *primi Eboracensis ecclesiæ archiepiscopi, celebris est memoria passim in omnibus Martyrologiis, post ejus obitum editis. Venerabilis Beda, in Martyrologio genuino:* Et in Britannia, Paulini episcopi Eboraci; *quæ totidem verba inde mutuatus est Rabanus. Usuardus Sanctum sic commemorat:* In Britannia, sancti Paulini episcopi et confessoris. *Elogium Adonis a Notkero contractum habet:* In Britannia sancti Paulini episcopi Eboraci, qui ordinatus episcopus a beato Justo, qui a sancto Augustino, quem beatus Gregorius ad prædicandum Anglorum genti direxerat, consecratus episcopus fuerat, gentem Nordanhumbrorum, hoc est, eam nationem Anglorum, quæ ad Aquilonem Umbri fluminis habitabat, cum rege suo Eduino, Verbum fidei prædicando convertit. Et clarus vita et miraculis VI Idus Octobris in pace quievit. *Accedit nostrum Ms. Florarium Sanctorum, anno* 1486 *exaratum, in quo annus Sancti emortualis recte additur his verbis:* F In Britannia Majori S. Paulini episcopi Eboracensis..... et clarus vita et doctrina ac miraculis in pace quievit anno Salutis DCXLIIII.

quam recentioribus præsertimque a Bucelino

3 *In Mrl. quoque Rom. hoc die sequens legitur annuntiatio:* Eboraci in Anglia, sancti Paulini episcopi, discipuli beati Gregorii Papæ, qui cum aliis ad prædicandum Euangelium illuc ab eo missus, Edwinum regem, ejusque populum ad fidem Christi convertit. *Consonat Molanus in suis Auctariis Usuardinis. Illum pariter memorat Joannes Wilsonius in suo Martyrologio Anglicano, editionis anni* 1640 *ad præcitatum diem cum elogio Anglico, quod hic Latine subjicio:* Rossæ in Cantia depositio S. Paulini episcopi et confessoris, qui cum S. Augustino ei Sociis Angliam ingressus convertit regnum Nordanhumbrorum, una cum Edwino istius provinciæ rege, atque ita factus est eorum apostolus. Primus Eboracensis archiepiscopus creatus erat; sed post Edwini regis mortem inde expulsus rediit in Cantiam, ibique provinciam Roffensem in culto divino dirigebat: ubi in

A in magna vitæ sanctitate tandem in Domino requievit circa annum Christi DCXLIV. Ejus corpus magna cum solennitate sepultum est Roffæ in ecclesia cathedrali S. Andreæ, ibique cum debita veneratione servatum. *Wilsonio addo Benedictinos, qui eundem sanctum Archiepiscopum Ordini suo adscripserunt, martyrologos Wionium, Menardum et Bucelinum, quorum primus in Ligno Vitæ lib. 3, et secundus in Martyrologio sic habent* : Eboraci in Britannia, sancti Paulini episcopi, discipuli beati Gregorii Papæ, qui cum aliis ad prædicandum Euangelium illuc ab eo missus, Eduinum regem Nordamhumbrorum, ejusque populum ad fidem Christi convertit.

insigni elogio huc transcripto celebratur.

4 *Tertius, nempe Gabriel Bucelinus, in Menologio* Paulinum *pluribus celebrat verbis, quæ subdo* : Eboraci in Anglia S. Paulini ep., discipuli B. Gregorii Papæ, cui cum aliis ad prædicandum Euangelium illuc ab eo missus, Eduvinum regem ejusque populum ad fidem Christi convertit. Paulinus, alter sui sæculi Paulus, verbo et exemplo potens, e celebri S. Andreæ in urbe Romana cœnobio, ad labores B apostolicos in Angliam missus, maximus sane meritis ea regna demeruit, et primus ipse Eboracensium archiepiscopus, longe spectatissimam cathedram, admirabili vitæ sanctitatis fundavit et initiavit. Præter autem Edwinum regem ejusque filios principes Osfridum et Eadfridum, ex Quenburge filia Cearli Merciorum regis genitos; Edilhinum non multo post et Buscfream, ac Ediltridim, Edilburge regina natos; sed et Iffi postea filium Osfridi, procerumque plurimos Christo lucratus, innumeram insuper populi multitudinem ad fluvios Gleni et Sualva, irremisso labore regnum Dei et pœnitentiam prædicans, in provinciis amplissimis Berniciorum et Deirorum baptizavit. Neque his solum amplis terminis, tanti Apostoli zelus, labor et meritum se continuit; sed et ad Orientales usque Anglos sese exporrexit, quorum regem Carpualdum, Edwino maxime rege connitente, ingenti similiter merito, ad Ecclesiæ gremium adduxit : insuper ad externos etiam Anglos fidei lumen protulit, Lindisinæque provinciæ, quæ prima est ad Meridianam Humbri fluminis ripam pertingens usque ad C mare, Verbum Dei prædicavit, ubi cum alios, tum Bleitam Lincolniæ præfectum ejusque familiam Christi fide imbuit, in qua civitate ecclesiam perinsignem exstruxit et dedicavit, quæ licet postea injuria temporum collapsa, plurimis tamen inter ipsas ruinas miraculis illustrata est, multis ibidem optatæ sanitatis beneficia prodigiose accipientibus. Instituit item Lindisfarnensem episcopatum celeberrimum, ejusque cathedram primo egregiæ sanctitatis Pontifice honorio insignivit. Cæso Edwino rege, Paulinus in Cantiam profugit, qua in provincia, Roffensi episcopo Romano in itinere aquis merso subrogatus, de illo quoque loco optime meruit, ibique tandem animam Deo, corpus terræ commendavit anno Christi 644, sepultus in templo S. Andreæ ibidem ab Ethelberto rege exstructo, multis deinceps prodigiis gloriosus, cujus sacrum corpus, multo post S. Lanfrancus noster elevans, multo honorificentius condidit.

Cultus ejus probatur ex solennitate

5 *Hæc Bucelinus, quorum aliqua certa sunt ex S. Beda, alia dubia vel ex verisimilibus conjecturis tantum dicta. Insigni elogio* S. Paulinum *etiam celebrat Maihewus in Trophæis Benedictinis Angliæ tom. 2; ut enimvero hagiologorum, qui* Paulinum, *Eboracensem primo ac dein Roffensem episcopum, Fastis Sacris a sese adornatis inscripsere, haud parvus sit numerus; etsi autem ex omnibus et singulis, qui id fecere, antiquus Sancti cultu inferri haud queat, hunc tamen speciatim probat Historia translationis ipsius relata in Vita Gundulfi, episcopi Roffensis, quam a monacho Roffensi et Gundulfo coætaneo compositam, Henricus Wharthonus in Angliæ Sacræ parte 2, pag. 273 publici juris fecit. Translationem illam non sine solennitate et prodigio peractam ex laudato auctore lectori hic legendam propono.*

AUCTORE J. B. F.

facta circa annum 1080, quando illius reliquiæ in novam ecclesiam

6 Defuncto Ernosto, Roffensis ecclesiæ episcopo, ordinaretur vir vere dignissimus episcopatu Gundulfus a Lanfranco, Dorobernensi episcopo, in ecclesia Dorobernensi duodecimo Kalendas Aprilis anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, undecimo vero adventus Normannorum in Angliam sub comite Guillelmo rege postmodum Anglorum nobilissimo. Consecratus autem ex more propriam tendit invisere sedem; triputiantibus turbis Roffensem ingreditur urbem, pontificali sede in- E tronizatus inducitur, præsul omni veneratione ex eo habetur. Redduntur et ei denique possessiones quædam Roffensis ecclesiæ, quas præsulantibus antecessoribus suis Lanfrancus in sua tenuerat ditione. Ea vero conditione redduntur, ut in ecclesia Roffensi, sicut jam præsul uterque deliberaverat, monachi ponantur..... Tempore ergo brevi elapso, ecclesia nova, veteri destructa, incipitur; officinarum ambitus convenienter disponuntur; opus omne intra paucos annos, Lanfranco pecunias subministrante multas, perficitur..... Habito cum sapientibus consilio, idem venerabilis pater *(Gundulfus)* collecto monachorum et clericorum conventu necnon et copiosa multitudine plebis, cum magna solennitate accessit ad sepulchrum sanctissimi confessoris Paulini, qui in veteri reconditus fuerat, et thesaurum sanctarum reliquiarum ejus in novam transferri et in loco ad hoc præparato reponi fecit.

Roffensem non sine prodigio translatæ fuere;

7 Interim fuit sibi quædam matrona mentis et corporis infirmitate gravi detenta, quæ promissione facta, quod nunquam ulterius crimen quoddam, quo turpiter premebatur, iteraret, F si sanitatem recipere posset, meritis B. Paulini sospitati reddita est; sed pactum promissum minime servavit. Nam ut rediit corporis sanitas, subsecuta est citius in vita illius iterati criminis perversitas. Tempore denique sequenti pro necessitatibus quibusdam, quibus vir suus impeditus fuerat, cum oblatione sua opem auxilii quæsitura Sanctum Dei adiit. Sed illa, quam interius conscientia turpis fœdabat, vi quadam divinæ indignationis quasi statu vehementi repulsa, cum spreto munere multum verecunda domum rediit; et non multo post languore gravi percussa infæliciter diem expectabat extremum. Sed pius Dominus, qui nullum spergit, nullum a misericordia sua excludit, inspiravit ei gratiam suam; et, advocato ad se venerabili Gundulfo episcopo per humilem confessionem reatus sui turpitudinem pandit, perseverantiam emendationis integram in vita sua ex magna cordis contritione promittit. Quid plura? In hac pollicitatione a pio pontifice ovis morbida recipitur; antidotum salubris pœnitentiæ adhibetur, et sic demum perfecta sanitate recepta,

AUCTORE J. B. F.

recepta, cum oblatione sua sancto Dei Paulino humiliter se præsentavit, mentisque novitate ad munditiam vitæ mutata, non est cum munere a Sancto repulsa; sed gaudio sospitatis manente, ad domum suam alacriter remeavit, gratias referens Deo et pontifici Gundulfo, per cujus consilium a tanto periculo liberata fuit.

quæ translatio quotannis celebrata dicitur.

8 *Joannes Capgravius in Catalogo Sanctorum Angliæ pag.* 265, *ubi hujus translationis mentionem facit, hanc solennitatem, non a Gundulfo, cui a monacho anonymi verbis jam datis adscribitur, sed a Lanfranco, Dorobernensis sive, ut nunc loquimur, Cantuariensis ecclesiæ tunc temporis archiepiscopo, fuisse peractam, hoc modo refert* : Elapso autem multo tempore, Gundulpho ibidem *(in ecclesia Roffensi)* pontificante, Lanfrancus archiepiscopus veterem ecclesiam beati Andreæ *(diœcesis Roffensis cathedralem)* funditus destruxit novamque basilicam reedificavit, ossa sancti Paulini de terrâ levavit et in scrinio honorifice collocavit. *Verum monacho anonymo, qui et Capgravio est antiquior, et Godwinum, Landavensem episcopum, de Præsulibus Angliæ sibi assentientem habet, est standum.* B *Nec, etsi secus foret, id nobis hic officeret, cum equidem,* Paulini *ossa, occupante sedem Roffensem Gundulfo, fuisse translata, Capgravium inter et monachum anonymum convenit. Hanc porro Sancti translationem in ecclesia Roffensi* x *Januarii annuo festo celebrari soluisse, discimus ex Harpsfeldii Anglicana Historia, in qua is scriptor Seculo* 7, *cap.* XI *his verbis Sancti elogium absolvit* : Post multos annos ab obitu translatum est corpus ejus in locum honorificentiorem, ob crebra per eum edita miracula. Quæ translatio facta est quarto Iduum Januarii. Quo die in ecclesia Roffensi annua ejus memoria stata solennitate celebratur. *Atque ita de cultu* S. Paulini *antiquo dubitandum sane non est; etsi autem, a quo tempore is cœperit, pro certo edicere nequeam, videtur tamen venerabili Beda, qui anno* 735 *obiit, haud recentior esse, cum* Paulini *nomen id illius Martyrologio tam metrico apud Dacherium tom.* 10 *Spicilegii, quam altero, quod ante Operis nostri tomum* 2 *Martii editum est, reperiatur.*

C *Magnis a variis ac nominatim a Beda, e quo excerpta ejus Acta damus, laudibus effertur.*

9 *Præclara Sancti gesta, quæ illum plurimum commendant, venerabilis Beda in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum posteritati tradidit. Florentius Branovius Wigorniensis monachus, Wilielmus Malmesburiensis, itemque Henricus Huntindoniensis* S. Paulini *meminerunt. Joannes Capgravius, qui anno* 1464 *adhuc erat in vivis, in Legenda Sanctorum Angliæ Vitam* S. Paulini *partim ex Beda, partim aliunde adornavit, de miris illius virtutibus, quas integro fere seculo Capgravio antiquior Matthæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarum commemorarat, nonnulla adjungens, quæ eamdem cum Historia Bedæ non mereri fidem, nemo non judicabit. Longum esset omnes, qui de Sancto tractarunt, recentiores enumerare. Hos inter eminent Polydorus Virgilius, Nicolaus Harpsfeldius, Baronius in Annalibus tomo* 8, *Eduardus Maihewus in Trophæis Sanctorum Congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti, et Aloysius Lipomanus episcopis Veronensis, qui Sanctum, excerptis ex Beda ejus virtutibus, insigni elogio adornarunt. Ac id quidem seu potius Sancti Acta, quæ Laurentius Surius ex venerabili Beda descripta suæ collectioni de Actis Sanctorum hoc die inseruit, huic Commentario subjiciam; alia vero, quæ scriptores alii de illo memorant, in Comment. hujus decursu, ubi id res poposcerit, laudabo.* D

§ II. S. Paulini vita privata : missio in Britanniam et vita apostolica sub S. Augustino : Sancti per S. Justum ordinatio : gens Nordanhymbrorum cum suo rege, prædicante Paulino, baptizaretur.

Sanctus fuit monachus,

Venerabilis Beda lib. 1. *cap.* 29 *refert, S. Gregorium I Papam anno* 601 *S. Augustino, Anglorum apostolo, plures cooperatores ac verbi ministros cum S. Laurentio misisse, quos S. Augustinus, postquam Ædilberctum* E *Cantuariorum regem cum multis illius subditis jam converterat, in tam uberi messe operarios a laudato Pontifice Romano petierat. Inter illos vero Viros apostolicos præcipue fuerunt, ut loquitur ibidem Beda,* Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus, *etc., quos omnes* Monachos *nominat idem sanctus Pontifex in sua Epistola commendatitia, Incarnati Verbi anno* 601 *ad Mennam Tolosanum et alios complures per Galliam episcopos directa :* Quia igitur Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverendissimus communis frater et coepiscopus noster Augustinus eos, qui secuti sunt ad hoc opus exequendum, per diversa loca asserat non posse sufficere, aliquantos ad eum monachos cum dilectissimis et communibus filiis Laurentio presbytero et Mellito abbate prævidimus transmittendos.

et a S. Gregorio Papa in Britanniam

11 *Ex hisce jam S. Gregorii verbis, S.* Paulinum *professione monachum fuisse manifestum sit; at quam regulam in monasticæ vitæ exercitio fuerit secutus, et in quo cœnobio vixerit, nos omnino latet. Gabriel Bucelinus in Menologio refert, illum fuisse monachum cœnobii S. Andreæ in urbe Romana ac S. Gregorii Papæ discipulum (de qua re silent antiquiores) ac proinde eumdem professione monachum fuisse sub regula, quam S. Gregorius secutus est, sive S. Equitii, ut censuit Cardinalis Baronius, sive S. Benedicti, ut alii credunt; qua de re consuli possunt Commentarius prævius ad ejusdem sancti Pontificis Vitam in Opere nostro ad diem* XII *Martii datam, et alter Commentarius ad Acta S. Augustini Cantuariensis die* XXVI *Maii num.* 2. *Mabillonius interim Sæculo* 2 *Benedictino* Paulinum *inter Prætermissos tantummodo reposuit sine asterisco, qui, ut ibidem præmisit,* designat eos, qui germani Benedictini esse videntur. *Utut sit, fuit equidem* S. Paulinus *unus e monachis Romanis, quos S. Gregorius I Papa S. Augustino ad Anglorum in Britannia gentem ab idolatria ad verum Dei cultum adducendam, felici sane successu, adjutores dedit. Porro geminam*

A *minam apostolicorum virorum manum ad hanc sacram expeditionem, quam ante aditum pontificatum ipsemet aggredi ardentissime concupierat, in Britanniam misit.*

missus anno 601,

12 *Primo scilicet illuc destinavit anno* 596 servum Dei Augustinum et alios plures cum eo monachos, timentes Dominum, prædicare Verbum Dei genti Anglorum; *ut loquitur Beda lib.* I, *cap.* 23 *addens, S. Augustinum iisdem monachis abbatem a S. Gregorio I Papa tunc præpositum fuisse, ordinandum episcopum, si ab Anglis reciperetur. Ubi vero Augustinus Cantuariorum regem Ædilberctum cum multis ei subjectis ad Christianam fidem jam adduxerat, majorem in tam uberi messe operariorum numerum a laudato Romano Pontifice petiit, isque reparatæ Salutis anno* 601 *ad illum* plures cooperatores ac verbi ministros *direxit, referente eodem venerabili Beda lib.* I, *cap.* 29. *Ex hac secunda operariorum classe, quæ anno* 601 *in Angliam appulit, fuisse* Paulinum, *disertis verbis exprimit sanctus historicus Anglorum lib.* I, *cap.* 29: Præterea idem Papa Gregorius Augustino epi-

B scopo (quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos) misit cum præfatis legatariis plures cooperatores ac Verbi ministros, in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus *etc.*

videndi rationem hic expositam

13 *De gestis illius ante episcopatum, quæ a nullo tradita legi, conjicere licet ex iis; quæ venerabilis Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum cap.* 26 *de S. Augustino et Sociis, in Britanniam appulsis et ab Ædilbercto rege humaniter acceptis posteritati tradidit.* At ubi, *inquit*, datam sibi mansionem intraverunt, cœperunt apostolicam primitivæ ecclesiæ vitam imitari; orationibus videlicet assiduis, vigiliis ac jejuniis serviendo, Verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta hujus mundi, velut aliena, spernendo, ea tantum, quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo, secundum quæ docebant, ipsi per omnia vivendo, et paratum ad patiendum adversa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea, quam prædicabant, veritate animum habendo. Quid mora? Crediderunt nonnulli et

C baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cælestis..... At, ubi ipse etiam *(Ædilberctus rex)* inter alios delectatus vita mundissima Sanctorum, et promissis eorum suavissimis, quæ vera esse, miraculorum quoque multorum ostensione firmaverant, credens baptizatus est, cœpere plures ad audiendum Verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare.

observavit, et Evangelium Anglis annuntiavit.

14 *Hæc si non omnia, magna tamen ex parte etiam ad* S. Paulinum *pertinent, licet hic non cum primo manipulo, de quo hic sanctus historicus Anglorum mentionem facit, sed cum secundo in Britanniam advenerit. Certe nullus dubito, quin* S. Paulinus *et ejus Socii, cum primum in Britanniam appulerunt, B. Augustini Anglorum apostoli vestigiis inhærentes ejusdem laudatam vivendi rationem fuerint amplexi. Ex venerabili Beda constat, Sanctum nostrum ab Incarnati Verbi anno* 601, *quo tempore ad Anglos appulit, divini Verbi prædicationi et Anglorum conversioni in Cantio vicinisque provinciis strenue et viriliter insudasse usque ad seculi* VII *annum* 25, *quo a S. Justo archiepiscopo Cantuariensi ordinatus, profectus est Eboricum ad Edwinum, Nordanhymbrorum regem, cum Edilburga, Ethelberti regis filia, quam in conjugem petierat Edwinus.*

AUCTORE J. B. F.

Ordinatus a S Justo episcopus

15 S. Paulini *a S. Justo archiepiscopo Cantuariensi, cujus gesta illustrabuntur ad diem* X *Novembris, ordinationem et discessum ad Edwinum Nordanhymbrorum regem venerabilis Beda lib.* 2, *cap.* 9 *hoc modo recenset:* Huic autem genti *(Nordanhymbroum)* occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus rex ejus *(Edwinus)* cognatione junctus est regibus Cantuariorum, accepta in conjugem Edelburga, filia Edelberthi regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Hujus consortium cum ipse, missis procis a frater ejus Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret, responsum est, non esse licitum, Christianam virginem pagano in conjugium dari, ne fides et sacramenta cælestis Regis consortio profanarentur regis, qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verba nuntii referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius E permissurum, ut fidem cultumque suæ religionis cum omnibus, qui secum venissent, viris sive fœminis, sacerdotibus seu ministris more Christiano servaret. Neque abnegavit se etiam eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inveniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, et, juxta quod dispositum fuerat, ordinatur episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamque et comites ejus, ne paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione et sacramentorum cælestium celebratione confirmaret. Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo archiepiscopo sub die duodecima Kalendarum Augustarum, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quinto.

filiam regis Edwini

16 *Tum subdit Venerabilis:* Cumque in provinciam *(Nordanhymbrorum)* venisset *(Paulinus)* laboravit multum, ut eos, qui secum venerant ne a fide discederent, Domino adjuvante, contineret, et aliquos (si forte posset) de paganis ad fidei gratiam prædicando converteret. Sed, sicut Apostolus ait, quamvis multo tempore illo laborante in Verbo. Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio gloriæ Christi. *Paulo lætior sancto Episcopo fuit annus sequens seu* 626, *quo rex Edwinus permisit filiam suam, ex Edelburga sibi recens natam, cum duodecim e familia sua baptizari, quod eodem capite refert Beda:* Cumque idem rex *(Edwinus)* præsente Paulino episcopo, gratias ageret diis suis pro nata sibi filia *(qui nomen Eanfled)* contra Episcopus gratias cœpit agere Domino Christo, regique adstruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, ut regina sospes et absque dolore gravi sobolem procrearet. Cujus verbis delectatus rex promisit se, abrenuntiatis idolis, Christo serviturum, si vitam sibi et victoriam donaret pugnanti adversus regem *(Occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmum)* a quo homicida ille, qui eum vulneraverat, missus est, et in pignus promissionis implendæ, eandem filiam suam, Christo consecrandam, Paulino episcopo adsignavit: quæ baptizata est die sancto Pentecostes

AUCTORE J. B. F.

Pentecostes prima de gente Nordhumbrorum cum duodecim aliis de familia ejus.

etsi ipsum regem sacro fonte abluit.

17 *Debellato vero Cuichelmo Occidentalium Saxonum rege, Edwinus victor domum rediens, idolis sacrificare, prout* S. Paulino *sponderat, desinit, et a venerabili Episcopo rationem fidei ediscere incipit; tandem anno reparatæ Salutis* 627 *die* XII *Aprilis ipse rex et regni proceres sacro fonte abluuntur, ut legitur cap.* 14 : Igitur accepit rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem et lavacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui undecimo, qui est annus Dominicæ Incarnationis sexcentesimus vicesimus septimus, ab adventu vero Anglorum in Britanniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ pridie Iduum Aprilium in ecclesia S. Petri Apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cum catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatus donavit. Mox autem, ut baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, majorem et augustiorem ipso in loco de lapide fabricare basilicam, in cujus medio ipsum, quod prius fecerat, oratorium includeretur.

B

§ III. Sancti cura fidei propagandæ : S. Honorii per Sanctum ordinatio : pallium et facultas ipsi ab Honorio I Papa concessa : orta persecutione fugit in Cantium, fitque episcopus Roffensis : mors et sepultura.

Sanctus Christum, rege Edwino ad fidem jam converso,

C

Rege Edwino, favente Deo, ad Christum jam converso, S. Paulino *non defuisse quotidianam occasionem apostolicam zelum suum exercendi, ipsumque regem Edwinum, fervore fidei accensum, ut paganos ab idolis ad verum Christi cultum adduceret, strenue allaborasse Sanctus Anglorum historicus lib.* 2, *cap.* 15 *sic refert :* Tantam autem (ut fertur) devotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum Carpualdo, filio regis Ædualdi, persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et sacramenta Christi cum sua provincia suscipere. *Sanctum vero nostrum propagandæ fidei indefessum incubuisse, luculenter probant hæc venerabilis Bedæ verba :* Tantus autem fertur tunc fuisse fervor fidei ac desiderium lavacri salutaris genti Nordhumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in regiam villam, quæ vocatur Adregin, triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi et baptizandi officio deditus moraretur : quibus diebus cunctis a mane usque ad vesperam nil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem Christi Verbo Salutis instruere, atque instructam in fluvio Gleni, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere.

D

in urbe Lindocolina etiam prædicat, in Cantuariensis archiepiscopi defuncti locum

19 *Non solum in provincia Eboracensi, verum etiam in Lincolnea inanium deorum cultores ad Christi Domini et Dei veri cultum traducere conatus est; in cujus comitatus civitate primaria Lindocolina Bleccam, dictæ urbis præfectum, a falsorum numinum cultu cum tota sua familia revocatum, baptismo lustravit. Quo peracto, Sanctus Lindocolinæ egregii operis ecclesiam exstruxit, et S. Honorium (de quo in nostro Opere ad diem* XXX *Septembris actum est) in defuncti S. Justi Cantuariensis archiepiscopi locum consecravit. Quod venerabilis Beda his verbis refert :* Prædicabat autem Paulinus Verbum etiam provinciæ Lindisi, quæ est prima ad meridianam Humbri fluminis ripam, pertingens usque ad mare : præfectumque Lindocolinæ civitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum, in qua videlicet civitate et ecclesiam operis egregii de lapide fecit, cujus tecto vel longa incuria vel hostili manu dejecto, parietes hactenus stare videntur : et omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad utilitatem eorum, quæ fideliter credunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium pro eo consecravit episcopum.

E

impetrata ad id a Pontifice Romano facultate, Honorium ordinat

20 *Pro hac S. Honorii in Cantuariensis ecclesiæ antistitem consecratione petitum Honorii Papæ consensum, impetratumque fuisse, sufficienter colligitur ex ejusdem Romani Pontificis litteris statim recitandis, in quibus utrique Angliæ metropolitano, Honorio scilicet* et Paulino *concessit, ut altero ex hac vita migrante, alter, qui superesset, posset alium in defuncti locum sine alia a Romano Pontifice petita venia consecrare. Causam vero sequentem addidit :* Quod quidem tam pro vestræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatiis, quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum et juxta vestra desideria præberemus *etc. Pro hoc consensu Romanæ Sedis impetrando S. Honorius, quique illum ordinavit* S. Paulinus *ad Honorium I summum Pontificem litteras dedere, quibus suas etiam addiderunt duo Christiani Anglorum reges, Eadbaldus Cantuariorum et Edwinus Nordanhymbrorum. Regum episcoporumque litteras huc usque non reperi, verum Honorii Papæ responsum, quod sic sonat, Beda lib.* 2, *cap.* 17 *recensuit.*

F

pallioque una cum hoc, uti litteræ hic adductæ docent donatur.

21 Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Eduino, regi Anglorum, Honorius episcopus, servus servorum Dei, salutem. Ita christianitatis vestræ integritas circa Conditoris sui cultum fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo adnunciata, vestri operis multipliciter referat fructum..... Ea vero, quæ pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo adtribuere illis sine ulla dilatione prævidimus, et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino, direximus, ut, dum quis eorum de hoc sæculo ad Auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alter episcopum ex hac nostra auctoritate

A ritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatiis, quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum et juxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram Gratia superna custodiat.

Hæc scriptæ fuerunt anno 634.

22 *Licet hæc epistola, ad Edwinum regem, cum hujus, anno ex infra allegandis Bedæ verbis* 633 *occisi, mors nondum esset Romæ nunciata, directa, omni temporis nota careat, tamen ex subscriptione, litteris ejusdem Pontificis, S. Honorio missis, adjecta, clare discimus tempus supra dictæ epistolæ Honorii Papæ ad regem Edwinum; ambæ enim eodem tempore scriptæ et in Britanniam missæ fuerunt, ut utramque conferenti satis liquet; memorata autem subscriptio, prout scilicet (Pagium in Criticis ad annum* 633, *num.* 20 *et duobus seqq. videsis) a Chiffletio recte restituta in nova, quæ anno* 1681 *prodiit, Ecclesiasticæ gentis Anglorum per Bedam Historiæ editione exhibetur, ibidem lib.* 2, *cap.* 18 *sic habet:* Datæ die tertio Iduum Juniarum,

B imperantibus dominis nostris piissimis augustis, Heraclio anno vicesimo quarto, post consulatum ejusdem anno vicesimo tertio; atque Constantino filio ipsius anno vicesimo tertio et consulatus ejus anno tertio; sed et Heraclio felicissimo cæsare item filio ejus anno tertio, Indictione septima, id est, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto. *Proinde epistola ad regem Edwinum ab Honorio Pontifice Romano directa fuit eodem anno (nempe* 634*) quo ejusdem summi Pontificis litteræ ad S. Honorium Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopum missæ fuerunt.*

cum jam, exsulante in pugna Edwino rege

23 *Ast, cum id factum, jam maxime rerum facies in Anglia erat mutata. Dum enim rex Edwinus ex composito cum* S. Paulino *omnes nervos intenderet, ut totius sui regni incolas ad Christi fidem adduceret, prospereque, quæ tum ad religionis propagationem, tum ad regni felicitatem conducunt, apud Anglos fluerent, maximam Anglicana ecclesia anno* 633 *in Edwini regis nece passa erat jacturam, resque in ea admodum pertubatæ fuerant, ita ut* S. Paulinus *coactus fuisset sedem Eboracensem deserere et in Cantium fugere. Tristem historiam Beda lib.* 2, *cap.* 20

C *hoc modo narrat:* At vero Eduinus, cum decem et septem annis genti Anglorum simul et Brittonum gloriosissime præesset, e quibus sex etiam ipse, ut diximus, Christi regno militavit, rebellavit adversus eum Cedualla, rex Brittonum, auxilium præbente illi Penda, viro strenuissimo de regio genere Merciorum, qui et ipse eo tempore gentis ejusdem regno annis viginti et duobus varia sorte præfuit. Et conserto gravi prælio in campo, qui vocatus Hethfelth, occisus est Eduinus die quarta Iduum Octobris anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio, cum esset annorum quadraginta et octo, ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus etc.

ortaque persecutione, Paulinus in Cantium fugisse,

24 Quo tempore maxima est facta strages in Ecclesia vel gente Nordanhymbrorum; maxime quod unus ex ducibus, a quibus acta est, paganus; alter, quia barbarus erat, pagano sævior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus et Christiani erat nomi-

nis ignarus. At vero Cedualla, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut ne sexui quidem muliebri vel innocuæ parvulorum parceret ætati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus erasurum se esse deliberans. Sic nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris..... Turbatis itaque rebus Nordanhymbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi præsidii, nisi in fuga esse videretur, Paulinus, assumpta secum Edelberge regina, quam pridem adduxerat, rediit in Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eatbaldo *(Edelberga fratre)* honorifice susceptus est.

AUCTORE J. B. F.

ubi haud diu post ecclesiæ Roffensi præfectus

25 *Modo, quid* Paulino, *in Cantium jam profugo, acciderit, videamus. Sanctus, amissa sede sua Eboracensi, Cantuaricæ haud diu admodum fuerat versatus, quando S. Honorius ecclesiæ Cantuariensis archiepiscopus illum ecclesiæ Roffensis episcopatui, tunc temporis morte Romani episcopi vacanti, præfecit.* Rossa *vernacule* Rochester *nunc dicta,* E *quamque Beda* a primario quondam illius, qui dicebatur Rhof, Rhofescestre *cognominatam fuisse, scribit, civitas est provinciæ Cantiæ, Cantuariam inter et Londinum sita, cui S. Augustinus Anglorum apostolus S. Justum, qui postea metropolitanæ sedi Cantuariensi præfuit, olim primum dedit episcopum. Sed venerabilem Bedam prosequentem audiamus.* Quo in tempore Rhofensis ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus, præsul illius, ad Honorium Papam a justo archiepiscopo *(Cantuariensi)* legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris: ac per hoc curam illius præfatus Paulinus invitatione Honorii antistitis et Eadbaldi regis suscepit ac tenuit, usquedum et ipse suo tempore ad cælestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit.

moritur eodem anno 634 *et sepelitur Roffæ in ecclesia S. Andreæ.*

26 *Cum, Beda aliisque antiquis silentibus, de ejusdem Sancti gestis plura non habeam, restat, ut mortem ex Beda subjungam:* Anno ab Incarnatione sexcentesimo quadragesimo quarto reverendissimus pater Paulinus quondam quidem Eboracensis, sed tunc temporis F episcopus Rhofensis civitatis, transiit ad Dominum, sexto Iduum Octobris die: qui decem et novem annos et menses duos et viginti unum dies episcopatum tenuit; sepultusque est in secretario beati apostoli Andreæ, quod rex Edilbertus a fundamentis in Rhofi civitate construxit. In cujus locum Honorius archiepiscopus *(Cantuariensis)* ordinavit Ithamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione antecessoribus suis æquandum. *Jacuit ibidem corpus* S. Paulini *usque ad annum reparatæ Salutis circiter* 1080, *quo a Gundulpho Roffensi episcopo in novam ecclesiam solemniter translatum fuisse, annotavi* § 1. *In qua ecclesia mansit usque ad Angliæ a Catholica religione defectionem, ex quo tempore quid de sanctis his pignoribus actum sit, mihi prorsus incompertum est.*

A. VENER. BEDA.

ACTA,

Auctore venerabili Beda,

Ex Trimestri quarto Laurentii Surii.

CAPUT I.

Sanctus, gentis Nordan-Humbrorum ordinatus episcopus, Christi fidem prædicat et Edwini filiam baptizat: Edwinum, qui se Christi legem amplexurum olim spoponderat, promissa persolvere jubet.

B

Gentis Nordan-Humbrorum

Gens Nordan-Humbrorum, hoc est, ea natio Anglorum, quæ ad Aquilonarem Humbri fluminis plagam habitabat, cum rege suo Eduino verbum fidei, prædicante Paulino (beati Gregorii discipulo *a*) primum accepit. Cum videlicet regi in auspicium suscipiendæ fidei et regni cœlestis, potestas etiam terreni creverat imperii, ita ut (quod nemo Anglorum ante eum fecit) omnes Britanniæ fines, qua vel ipsorum, vel Britonum provinciæ habitabantur, sub ditione acceperit. Quin et Mevanias *b* insulas, sicut et supra docuimus, imperio subjugavit Anglorum. Quarum prior, quæ ad Austrum est, et situ amplior et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentorum sexaginta milliarum *c* mensuram juxta æstimationem Anglorum: secunda trecentarum et ultra spatium tenet.

a

b

c

C

Sanctus episcopus ordinatus

2 Huic autem genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus rex ejus, cognatione junctus est regi Cantuariorum, accepta in conjugem Edelburga *d*, filia Edelberti *e* regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Hujus consortium eum primo ipse missis procis a fratre ejus Eadbaldo *f*, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret: responsum est, non esse licitum, Christianam virginem pagano in conjugium dari, ne fides et sacramenta cælestis Regis consortio prophanarentur regis, qui veri cultus esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verba nuntii referrent, promisit, se nihil omnimodis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum, ut fidem cultumque suæ religionis cum omnibus, qui secum venissent, viris sive fœminis, sacerdotibus seu ministris, more Christiano servaret. Neque abnegavit, se etiam eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus, sanctior ac Deo dignior posset inveniri. Itaque promittitur atque Eduino mittitur, et, juxta quod dispositum fuerat, ordinatur episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamque et comites ejus, ne paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione et sacramentorum cælestium celebratione confirmaret.

d e

f

D

Christi fidem anno 621 prædicat,

g

3 Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo *g* archiepiscopo sub die duodecimo Calendarum Augusti anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quinto. Et sic cum præfata virgine ad regem Eduinum, quasi comes copulæ carnalis advenit. Sed ipse potius toto animo intendens, ut gentem, quam adibat, ad agnitionem veritatis advocans, juxta vocem Apostoli *h*, Uni viro virginem castam exhiberet Christo: cumque in provinciam venisset, laboravit multum, ut et eos, qui secum venerant, ne a fide deficerent, Domino adjuvante, contineret, et aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam prædicando converteret. Sed sicut Apostolus ait *i*, quamvis multo tempore, illo laborante in Verbo, Deus seculi hujus excæcavit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio Euangelii gloriæ Christi.

h

i

E

annoque sequenti, cum a sicario rex Edwinnus fere fuisset occisus,

4 Anno autem sequenti venit in provinciam quidam sicarius, vocabulo Eumer, missus a rege Occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmo, sperans, se regem Eduinum regno simul et vita privaturum, qui habebat sicam bicipitem toxicatam, ut, si ferri vulnus minus ad mortem regis sufficeret, peste juvaretur veneni. Pervenit autem ad regem primo die Paschæ juxta amnem Doroventionem *k*, ubi tunc erat villa regalis. Intravitque quasi nuntium domini sui referens, et cum simulatam legationem ore adstuto volveret, exurrexit repente et evaginata sub veste sica, impetum fecit in regem. Quod cum videret Lilla, minister regis amicissimus, non habens scutum ad manum, quo regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictum pungentis. Sed tanta vi hostis ferrum infixit, ut per corpus militis occisi etiam regem vulneraret. Qui cum mox gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordheri, sica nefanda peremit.

k

filiam ejus baptizat,

F

5 Eadem autem nocte sacrosancta Dominicæ Paschæ pepererat regina filiam regi, cui nomen Eanfled: cumque idem rex, præsente Paulino episcopo, gratias ageret diis fuit pro nata sibi filia, econtra Episcopus gratias cœpit agere Domino, regique adstruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, ut regina sospes et absque dolore gravi sobolem procrearet. Cujus verbis delectatus rex, promisit, se, abrenuntiatis idolis, Christo serviturum, si vitam sibi et victoriam donaret pugnanti adversus regem, a quo homicida ille, qui eum vulneraverat, missus fuerat: et in pignus promissionis implendæ, eandem filiam suam Christo consecrandam Paulino episcopo assignavit, quæ baptizata est in die sancto Pentecostes, prima de gente Nordan-Humbrorum cum duodecim aliis de familia ejus. Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto rex, collecto exercitu, venit adversus regem Occidentalium Saxonum, ac, bello initio, universos, quos in necem suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, non statim et inconsulte sacramenta fidei Christianæ percipere voluit, quamvis nec idolis ultra servivit, ex quo se Christo serviturum esse promiserat. Verum primo diligentius ex eo tempore et ab ipso

A ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, et cum suis primatibus, quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et ipse, cum esset vir natura sagacissimus, sæpe diu solus residens, ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi esset faciendum, quæ religio servanda, tractabat.

Edwinumque, ut votum, *l*

6 Quo tempore exhortatorias ad fidem litteras a Pontifice Sedis Apostolicæ Bonifacio accepit Eduinus *l*. Sed oraculum cæleste, quod Eduino quondam exulanti apud Redualdum regem Anglorum* pietas divina revelare dignata est,non minimum ac suscipienda vel intelligenda doctrinæ monita salutaris, sensum juvit illius. Cum ergo videret Paulinus, difficulter posse sublimitatem animi regalis ad humilitatem viæ salutaris, et suspiciendum mysterium vivificæ Crucis inclinari, ac pro salute illius et simul et gentis, cui præerat,et verbo exhortationis apud homines, et apud divinam pietatem verbo deprecationis ageret : tandem, ut verosimile videtur, didicit in spiritu, quod vel quale esset

* *adde* Orientalium

B oraculum,regi quondam cælitus ostensum.Nec exinde distulit, quin continuo regem admoneret, explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, si temporis illius ærumnis exemptus, ad regni fastigia perveniret. Erat autem oraculum hujusmodi.

m *quod olim vitæ periculo expositus*

7 Cum, persequente illum Edelfrido *m*, qui ante eum regnavit, per diversa occultus loca vel multo annorum tempore profugus vagaretur, tandem venit ad regem Redualdum, obsecrans, ut vitam suam a tanti persecutoris insidiis tutando servaret. Qui, libenter eum suscipiens, promisit, se,quæ petebat, esse facturum. At postquam Edelfredus in hac eum provincia apparuisse et apud regem illius familiariter cum sociis habitare cognovit, misit nuncios, qui Redualdo pecuniam multam pro nece ejus offerrent; neque aliquid profecit. Misit secundo, misit tertio et copiosiora argenti dona offerens, et bellum illi, si contemneretur, incidens. Qui vel minis fractus vel corruptus muneribus, cessit deprecanti, et sive occidere se Eduinum, seu legatariis tradere promisit. Quod ubi fidelissimus quidam amicus illius animadvertit, intravit cubiculum, quo dormire disponebat, (erat

C autem prima hora noctis) et evocatum foras, quid erga eum agere rex promisisset, edocuit, et insuper adjecit : Si ergo vis, hac ipsa hora educam te de hac provincia, et in ea loca te introducam, ubi nunquam te vel Redualdus vel Edelfridus invenire valeant. Qui ait : Gratias quidem ago benevolentiæ tuæ, non tamen hoc facere possum, quod suggeris, ut pactum, quod cum tanto rege inii, ipse primus irritum faciam, cum ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarum intulerit, quin potius, si moriturus sum, ille me magis, quam ignobilior quisquam morti tradat ; quo enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ provincias, tot annorum temporumque curriculis vagabundus, hostium vitabam insidias?

in visione sibi oblata emiserat

8 Abeunte igitur amico, remansit Eduinus solus foris, residensque mœstus ante palatium multis cœpit cogitationum æstibus affici, quid ageret, quove pedem verteret, nescius. Cumque diu tacitis mentis angoribus, et cæco carperetur igne, vidit subito intempestæ noctis silentio appropinquantem sibi hominem vultus habitusque incogniti : quem videns ut ignotum et inopinatum non parum expavit. At ille accedens, salutavit eum, et interrogavit, quare illa hora, cæteris quiescentibus et alto sopore pressis, solus ipse mœstus in lapide pervigil sederet. At ille vicissim sciscitabatur, quid ad eum pertineret, utrum ipse intus an foris noctem transigeret. Qui respondens ait : Ne me æstimes tuæ mœstitiæ et insomniorum et forinsecæ ac solitariæ sessionis causam nescire. Scio enim certissime, qui es, et quare mœres, et quare ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velles ei, qui his te mœroribus absolvat, et Redualdo suadeat, ut nec ipse tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hostibus perimendum tradat? Qui cum se omnia, quæ posset, huic tali pro mercede beneficii daturum esse responderet, adjecit : Quod si etiam te regem futurum, extinctis hostibus, in veritate promittat, ita ut non solum omnes progenitores tuos, sed et omnes, qui ante reges in gente Anglorum fuerunt, potestate transcendas ? At Eduinus, constantior interrogando factus, non dubitabat promittere, quin ei, qui tanta sibi beneficia donaret, di- E
gnis ipse gratiarum actionibus responderet. Tum ille tertio : Si autem, inquit, is, qui tibi tanta aliaque dona veraciter adventura prædixerit, etiam consilium tibi tuæ salutis ac vitæ melius atque utilius, quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit, ostendere poterit,num ei obtemperare et monita ejus salutaria suscipere consentis? Nec distulit Eduinus, quin continuo polliceretur, se in omnibus secuturum doctrinam illius, qui se tot ac tantis calamitatibus ereptum ad regni apicem proveheret. Quo accepto responso, confestim is, qui loquebatur cum eo, imposuit dexteram suam capitis ejus dicens : Cum ergo tibi signum hoc advenerit, memento hujus temporis ac loquelæ nostræ, et ea, quæ promittis, tunc adimplere ne differas. Et his dictis, ut fertur, repente disparuit, ut intelligeret, non hominem esse, qui sibi apparuisset, sed spiritum. Et cum regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, gavisus quidem de collata sibi pia ac benigna consolatione, sed multum sollicitus, ac mente sedula cogitans, quis esset ille, vel unde veniret, qui hæc sibi loqueretur.

F

solvereque differebat,

9 Venit autem præfatis amicus illius, lætoque vultu salutans eum : Surge, inquit, intra : et sopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra simul et animum compone : quia mutatum est cor regis, nec tibi aliquid mali manere, sed fidem potius pollicitam servare disponit. Postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, reginæ in secreto revelavit, revocavit eum ab illa intentione, admonens, quia nulla ratione conveniat tanto regi, amicum suum optimum in necessitate positum, auro vendere, neque fidem suam, quæ omnibus ornamentis preciosior est, amore pecuniæ perdere. Quid plura? Fecit rex, ut dictum est, nec solum exulem nunciis hostilibus non tradidit, sed etiam eum, ut in regnum perveniret, adjuvit. Nam mox redeuntibus domum nunciis, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copiosum : eumque sibi occurrentem cum exercitu multum impari, (non enim dederat illi spatium, quo totum suum congregaret, atque adunaret exercitum) occidit in finibus gentis Merciorum *n*, ad Orientalem plagam amnis, qui vocatur Idle *o*. In quo certamine et

filius

A. VENER. BEDA. filius Reduald, vocabulo Regenheri, occisus est. Ac sic Eduinus juxta oraculum, quod acceperat, non tantum regis sibi infesti insidias vitavit, verum etiam eidem perempto in regni gloriam successit.

sine mora adimpleat, gravissimis verbis impellit. 10 Cum ergo, prædicante Paulino verbum Dei, rex credere differret, et per aliquod tempus, ut diximus, horis competentibus solitarius sederet, et quid agendum sibi esset, quæve religio sequenda, sedulus secum ipse scrutari consuesset, ingrediens ad eum quodam die Vir Dei, imposuit dexteram capiti ejus, et, an hoc signum cognosceret, requisivit. Qui, cum tremens ad pedes ejus procidere vellet, levavit eum, et quasi familiari voce affatus: Ecce, inquit, hostium manus, quos timuisti, Domino donante, evasisti. Ecce regnum, quod desiderasti, ipso largiente, percepisti. Memento, ut tertium, quod promisisti, facere non differas, suscipiendo fidem ejus et præcepta servando, qui te a temporalibus adversis eripuit et temporalis regni honore sublimavit. Et si deinceps voluntati ejus, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam a perpetuis malorum
B tormentis te liberans, æterni secum regni in cælis faciet, esse participem.

ANNOTATA.

a *Hæc verba, quæ frustra apud Bedam quæsieris, sunt Laurentii Surii.*

b *Hæ insulæ, ut habet Beda lib. 2, cap. 5, sitæ sunt inter Hiberniam et Britanniam.*

c *Legendum, ut Beda habet,* familiarum; *hic autem, ut sæpe alias, per vocabulum* familia *significatur terræ portio, familiæ uni alendæ sufficiens. Adi in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario Cangium.*

d *De Edelburgæ seu melius Ethelburgæ cultu, quæ post mortem S. Edwini regis (is die* XII *Octobris colitur) conjugis sui vidua in monasterio Lyming in Cantio, non procul a mari et portu Dubrensi sito, ubi sancte mortua et sepulta est, religiosum habitum induit, de hujus cultu, inquam, argumenta, quibus stabiliri possit, sat solida non reperiuntur, ut videre est in Operis nostri tom. 3 Septembris pag.* 208.

e *De S. Edelberto seu potius Ethelberto,*
C *Cantianorum et Anglo-Saxonum rege, actum est in Opere nostro ad* XXIV *Februarii diem, quo ab Ecclesia colitur.*

f *De Eadbaldo, filio S. Ethelberti regis, agit Beda lib. 2, cap. 6.*

g *S. Justus, Cantuariensis seu Doroverniensis ecclesiæ quartus archiepiscopus,* X *Novembris colitur.*

h *Epist. 2 ad Corinthios cap.* XI, ℣. 2.

i *Epist. 2 ad Corinthios cap.* IV, ℣. 4.

k *Doroventio seu Dorventio, Anglis Derwent, fluvius est in parte regionis Eboracensis Orientali,* qui, *ut dicit Cambdenus,* imbribus auctus, et quasi irritatus, vicinis partibus superinfunditur et in Ousam prosilit, sicque fremens in Humbrum æstuarium aquas invehit suas.

l *Idem Pontifex, ut Beda Hist. Gentis Anglorum lib. 2, cap.* XI *docet, ad Ethelburgam, Edwini regis conjugem, alias etiam litteras misit, quibus eam, ut maritum suum ad fidem adducere conaretur, est hortatus.*

m *Edelfridus seu, ut volunt alii, Ethelfredus nonus Nordhumbrorum regnum tenuit.*

n *Merciæ regnum vulgo* Middelengle, *id* D
est, media Anglia, *olim complectebatur, ut refert Cambdenus, illam Angliæ partem, ubi nunc sunt sequentes provinciæ:* Glocestria, Wigornia, Herefordia, Warewicus, Oxenfordia, Cestria, Salopia et Straffordia.

o *Hujus nominis fluvium huc usque in Mappis geographicis reperire non potui; unde, hic male nominatum esse hoc flumen, existimo.*

CAPUT II.

Edwinus rex baptizatus templum, in quo plures sacro fonte a Paulino lustrantur, exstruit: Sanctus, Carpualdo rege ad fidem converso, Christum Lincolniensibus prædicat. Sancti effigies. E

Edwinus cum suis consilium Quibus auditis, rex, suscipere quidem se fidem, quam docebat, et velle et debere, respondebat; verum adhuc cum amicis, principibus et consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, ut, si et illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Et, annuente Paulino, fecit, ut dixerat. Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur ab omnibus, qualis sibi doctrina hæc eatenus inaudita et novus divinitatis, qui prædicabatur, cultus videretur. Cui primus pontificum ipsius Coifi continuo respondit: Tu, vide, rex, quale sit hoc, quod nobis prædicatur: ego tibi verissime, quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet, nihil utilitatis religio illa, quam hucusque tenuimus. Nullus enim tuorum studiosius quam ego culturæ deorum nostrorum se subdidit, et nihilominus multi sunt, qui ampliora a te beneficia, quam ego, et majores accipiunt F
dignitates, magisque prosperantur in omnibus, quæ agenda vel acquirenda disponunt. Si autem dii aliquid valerent, me potius juvare vellent, qui illis impensius servire curavi. Unde restat, ut, si ea, quæ nunc nobis nova prædicantur, meliora et fortiora, habita examinatione, perspexeris, absque ullo cunctamine suscipere illa festinemus. Cujus suasioni verbisque prudentibus alius optimatum tribuens assensum, continuo subdidit.

de suscipiendo fide init. 12 Talis, inquiens, mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris, ad comparationem ejus, quod nobis incertum est, temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio, et calido cœnaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hyemalium pluviarum vel nivium, adveniens unus passerum, domum citissime pervolaverit: qui cum per unum ostium ingrediens, mox per aliud exierit, ipso quidem tempore, quod intus est, hyemis tempestate non tangitur: sed tamen parvissimo serenitatis momento excurso *a*, mox

de

A de hyeme in hyemem regrediens, tuis oculis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet : quid autem sequatur, quidve præcesserit, prorsus ignoramus. Unde si hæc nova doctrina certius aliquid attulit, merito sequenda esse videtur. His similia et cæteri majores natu ac regis consiliarii divinitus admoniti, prosequebantur.

haeque susceptа,

13 Adjecit autem Coifi, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo, quem prædicabat, verbum facientem. Quod cum, jubente rege, faceret, exclamavit, auditis ejus sermonibus, dicens; Jam olim intellexeram, nihil esse, quod colebamus : quia videlicet quanto studiosius in eo cultu veritatem quærebam, tanto minus inveniebam. Nunc autem aperte profiteor, quia in hac prædicatione veritas datur, quæ nobis vitæ, salutis ac beatitudinis æternæ dona valet tribuere. Unde suggero, rex, ut templa et altaria, quæ sine fructu utilitatis sacravimus, ocyus anathemăti et igni tradamus. Quid plura? Præbuit palam assensum evangelizandi beato Paulino rex, et, abrenunciata idololatria, fidem se Christi suscipere, confessus est.

B

idolisque destructis,

14 Cumque a præfato Pontifice sacrorum suorum quæreret, quis aras et fana idolorum cum septis, quibus erant circumdata, primus prophanare deberet, ille respondit : Ego. Quis enim ea, quæ per stultitiam colui, ad exemplum omnium aptius, quam ipse per sapientiam mihi a Deo vero donatam destruam? Statimque, abjecta superstitione vanitatis, rogavit sibi regem arma dare et equum emissarium, quem ascendens, ad idola destruenda veniret. Non enim licuerat Pontificem sacrorum vel arma ferre, vel in equo sedere. Accinctus ergo gladio accepit lanceam in manu, et ascendens emissarium regis, pergebat ad idola. Quod adspiciens vulgus, existimabat eum insanire. Nec distulit ille mox, ut appropiabat ad fanum, profanare illud, injecta in eo lancea, quam tenebat, multumque gavisus de agnitione veri Dei cultus, jussit sociis destruere ac succendere fanum cum omnibus septis suis. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum, non longe ab Eboraco, ad Orientem ultra amnem Dorventionem, et vocatur hodie Gotmundin Gahan : ubi pontifex ille, inspirante Deo vero, polluit ac destruxit eas, quas ipse sacraverat, aras.

C

a S. Paulino baptizatur,

15 Igitur accepit rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem et lavacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui undecimo, qui est annus Dominicæ Incarnationis sexcentesimus vigesimus septimus, ab adventu vero Anglorum in Britanniam anno circiter centesimo octogesimo. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilis, in ecclesia sancti Petri Apostoli, quam idem ipse de ligno, cum catechizaretur atque ad percipiendum Baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti Paulino sedem episcopatus donavit.

templum statim post exstruit,

16 Mox autem, ut Baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, majorem ipso in loco et augustiorem de lapide fabricare basilicam, in cujus medio ipsum, quod prius fecerat, oratorium includeretur. Præparatis ergo fundamentis in gyro prioris oratorii, per quadrum cœpit ædificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, rex ipse impia nece occisus, opus idem successori suo Oswaldo perficiendum reliquit. A. VENER. BEDA.

plurimosque interea S. Paulino

17 Paulinus ergo ex eo tempore sex annis continuis, id est, usque ad finem imperii regis illius, Verbum Dei, annuente ac favente ipso, in ea provincia prædicabat; credebantque et baptizabantur, quotquot erant præordinati ad vitam æternam *b*. In quibus erant Osfridus *c* et Eadfridus, filii regis Eduini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quenburga, filia Cearli regis Merciorum. Baptizati sunt tempore sequenti et alii liberi ejus de Edelburga regina progeniti Edilhim et Ediltridis filia, et alter filius Buscfrea; quorum primi, albati adhuc, rapti sunt de hac vita et Eboraci in ecclesia sepulti. Baptizatus est et Iffi filius Osfridi, necnon et alii nobiles et egregii viri non pauci.

b c

aquis sacris lustrante,

18 Tantus autem fertur tunc fuisse fervor fidei ac desiderium lavacri salutaris genti Nordhumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in regiam villam, quæ vocatur Adregin *d*, triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi et baptizandi officio deditus, moraretur : quibus diebus cunctis a mane usque ad vesperam nil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque in- E structam in fluvio Gleni *e*, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium regum deserta et alia pro illa est facta in loco, qui vocatur Melmin *f*. Hæc quidem in provincia Berniciorum *g* : sed et in provincia Deirorum *h*, ubi sæpius manere cum rege solebat, baptizabat in fluvio Sualva *i*, qui vicum *k* juxta Cataractam præterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi ecclesiæ poterant ædificari. Attamen in Campo-Dono *l*, ubi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum pagani, a quibus Eduinus rex occisus est, cum eadem villa succenderunt. Pro qua reges posteriores fecere sibi villam in regione, quæ vocatur Loidis *m*. Evasit autem ignem altare, quia lapideum erat, et servatur adhuc in monasterio reverendissimi abbatis et presbyteri Trunwulsi, quod est in sylva Elmete *n*.

d

e

f

g

h

i

k

l

m

n

conversionem ad fidem Carpualdo etiam, Anglorum Orientalium regi, persuadet :

19 Tantam autem devotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum Carpualdo, filio Redualdi, persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et Sacramenta Christi cum sua provincia suscipere. Et quidem pater ejus Reduald jam dudum in Cantio sacramentis fidei Christianæ imbutus est, sed frustra. Nam rediens domum ab uxore sua et quibusdam perversis doctoribus seductus est, atque a synceritate fidei depravatus, habuit posteriora pejora prioribus : ita ut in morem antiquorum Samaritanorum et Christo servire videretur et diis, quibus antea serviebat, atque in eodem fano et altare haberet ad sacrificium Christi et arulam ad victimas dæmoniorum. Quod videlicet fanum rex ejusdem provinciæ Aldulf (qui nostra ætate fuit) usque ad suum tempus perdurasse et se in pueritia vidisse testatur.

hos, illo occiso, Felix episcopus ad Christum adduxit,

20 Erat autem præfatus rex Redual natu nobilis, quamlibet actu ignobilis, filius Tytili, cujus pater fuit Vuffa, a quo reges Anglorum Orientalium Vuffingas appellant *. Verum Carpuald non multo post, quam fidem accepit, tempore occisus est a viro gentili, nomine Richberto, et exinde tribus annis provincia in errore versata

* *lege* appellantur

A. VENER. BEDA. versata est, donec accepit regnum ejusdem frater Carpualdi Sibertus, vir per omnia doctissimus atque Christianissimus. Qui, vivente adhuc fratre, cum exularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est. Quorum participem mox, ubi regnare cœpit, totam suam provinciam facere curavit. Cujus studiis gloriosissime favit Felix *o* episcopus, qui de Burgundiorum partibus, ubi ortus et ordinatus erat, cum venisset ad Honorium archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum. Nec vota ipsius in cassum cecidere : quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritalis cultor invenit. Siquidem totam illam provinciam juxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem et opera justitiæ ac perpetuæ felicitatis dona perduxit. Accepitque sedem episcopatus in civitate Dummocæ *p*, et, cum decem et septem annis eidem provinciæ pontificali regimine præfuisset, ibidem in pace vitam finivit.

Lincolniensibusque etiam prædicavit Paulinus;

21 Prædicabat autem Paulinus verbum etiam provinciæ Lindisi, quæ est prima ad Meridianam Humbri fluminis ripam, pertingens usque ad mare, præfectumque Lindocolinæ civitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum. In qua videlicet civitate et ecclesiam operis egregii de lapide fecit, cujus tecto vel longa incuria vel hostili manu dejecto, parietes hactenus stare videntur, et omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad utilitatem eorum, qui fideliter quærunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium pro eo consecravit episcopum, ut in sequentibus suo loco dicemus.

qui quali fuerit effigie, hic explicatur.

22 De hujus fide provinciæ narravit mihi presbyter et abbas quidam, vir veracissimus de monasterio Peartan *q*, vocabulo Deda, retulisse sibi quendam seniorum, baptizatum se fuisse die media a Paulino episcopo, præsente rege Eduino, et multam populi turbam in fluvio Trehenta juxta civitatem, quæ lingua Anglorum Trovulfinga Cestir. vocatur. Qui etiam effigiem ejusdem Paulini referre est * solitus, quod esset longæ staturæ, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco, pertenui, venerabilis simul et terribilis adspectu. Habuit autem secum in ministerio et Jacobum Diaconum, virum utique industrium ac nobilem in Christo et in ecclesia, qui ad nostra usque tempora permansit.

* *lege* esset

ANNOTATA.

a *Venerabilis Beda habet* : Sed tamen minimo spatio serenitatis ad momentum excurso.

b *Act. Apostolorum cap.* 13, ỳ. 48.

c *Osfridus, filius Edwini regis, cum patre suo in gravi prælio in campo, qui vocatur* Hatfelde, *a Cedwallo rege Brittonum, adjuvante cum Penda, rege Merciorum, occisus est , ut videri potest in Chronicis Joannis Bromton.*

d Adregin *seu, ut vult Cambdenus,* Ad-Grebin *villa olim regia, qui locus hodie* Yeverin *nominatur.*

e Gleni *fluviolus in Baronia Wallover, qui vallem, quam intermeat,* Glendal *denominat.*

f *Hic locus, ut dicit Cambdenus, postea* Melfeld *vocatus est.*

g *Provincia* Berniciorum *pars fuit Nordhumbriæ, ubi nunc est comitatus Nordhumbriæ, et pars Meridionalis Scotiæ usque ad Edimburgum.*

h Deira, *seu provincia Deirorum, pars fuit regni Nordhumbriæ, teste Cambdeno, quæ ab Humbro fluvio ad Tesam fluvium sese extendebat, locumque occupabat, ubi nunc Eboracensis, Lancastriensis et Vestmaria provinciæ exstiunt. Hæ duæ regiones, nempe Deira et Bernicia, licet olim suos reges habuerint, tamen temporis decursu in unum regnum coaluerunt.*

i Sualva *seu melius Swala fluvius in agro Eboracensi, qui, ut habet Cambdenus, a celeritate illud nomen sortitus est.*

k *De illo vico juxta Cataractam his verbis loquitur Cambdenus :* Tribus mill. pass. infra Richmondiam *(oppidulum ducali titulo insignitum)* Swala vetustam illam urbem præterfluit, quam Ptolemæus et Antoninus Caturactonium et Catarracton dicunt, Beda autem Catarracton, et alibi vicum juxta Catarractam, unde a Catarractis nomen illud inditum existimo, cum Catarracta juxta sit, sed propius Richmondia..... Urbem olim celeberrimam fuisse, ex Ptolemæo colligitur .... Hodie verò, ut inquit ille, magnum nil nisi nomen habet. Vinculus enim est pertenuis, Catericke et Catarrick-bridge dictus.

l Cambodunum *(perperam* Campo-dunum *scribi , vult Cambdenus) oppidum in agro Eboracensi ad amnem Calderum , Anglis* Caldery, *primis Saxonum temporibus celebre.*

m Leedes, *Saxonice* Loydis, *dicit Cambdenus,* oppidum lanificio opulentum, ubi Oswius Northumbrius Pendam Mercium fudit, quodque villa regia factum fuit, cum Cambodunum hostili igne succensum jacuit.

n Elmet ; *de hac regione seu sylva hæc habet Cambdenus :* Regiuncula circumvicina (Leedes) vetusto nomine Elmet appellata fuit.... In hac calx viva passim effoditur, et in Occiduam hinc regionem, quæ frigidior est, ad agros lætificandos divenditur. Hanc regiunculam Edwinus anno Christi DCXX sui juris fecit.

o *De hoc Sancto actum est in Opere nostro ad diem* VIII *Martii.*

p *Urbs* Dumwich, *quam Beda more Saxonico* Dummock *appellat, est maritima provinciæ Suffolciæ.*

q Peartan *in hoc nobili cœnobio rex Oswaldus sepultus est, quod monasterium, ut scribit Petrus Blesensis,* Danorum vesania quondam concrematum devotus comes Lincolniæ Gilbertus de Gaunt restauravit, ipsique multas possessiones assignavit.

CAPUT

A

CAPUT III.

Felix regimen Edwini, cui Honorius Papa literas, et S. Paulino pallium mittit. Moritur Edwinus, et, orta persecutione, Sanctus fugit in Cantium, ibique, postquam ecclesiam Roffensem rexisset, moritur.

Felix Edwini regimen.

Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quoquoversum imperium regis Eduini pervenerat, fuisse perhibetur, ut (sicut usque hodie in proverbio dicitur) etiamsi mulier una cum recens nato parvulo vellet totam perambulare
B insulam a mari ad mare, nullo se lædente, valeret. Tantum quoque rex idem utilitati suæ gentis consuluit, ut plerisque in locis, ubi fontes lucidos juxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium, erectis
a stipitibus æreos caucos *a* suspendi juberet : neque hos quisquam, nisi ad usum necessarium, contingere præ magnitudine vel timoris ejus auderet, vel amoris vellet. Tantum vero excellentiæ in regno habuit, ut non solum in pugna ante illum vexilla gesfarentur, sed et tempore pacis equitantem inter civitates, sive villas, aut provincias suas cum ministris, semper antecedere signifer consuevisset : nec non et incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani Tufam, Angli vero appellant Thuuf, ante eum ferre solebat.

Honorius Papa S. Paulino

24 Quo tempore præsulatum Sedis Apostolicæ Honorius, Bonifacii successor, habebat : qui, ubi gentem Nord-Humbrorum cum suo rege ad fidem confessionemque Christi, Paulino evangelizante, conversam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit et regi Eduino literas exhortatorias, paterna illum charitate accendens, ut in fide veritatis, quam acceperat, persistere semper ac proficere curaret. Quarum
C videlicet literarum iste est ordo : „ Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Eduino, regi Anglorum, Honorius episcopus, servus servorum Dei, salutem. Ita Christianitatis „ vestræ integritas circa Conditoris sui cultum, „ fidei est ardore succensa, ut longe lateque re„ splendeat, et in omni mundo annunciata, ve„ stri operis multipliciter referat fructum. Sic „ enim vos reges esse cognoscitis, dum Regem et „ Creatorem vestrum orthodoxa prædicatione „ edocti, Deum venerando colitis, eique, quod hu„ mana valet conditio, mentis vestræ synceram „ devotionem exolvitis. Quid Deo nostro aliud „ offerre valebimus, nisi ut in bonis actibus per„ sistentes, ipsumque Authorem humani generis „ confitentes, eum colere, eique vota nostra „ reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fi„ li, paterna vos charitate, qua convenit, exhorta„ mur, ut hoc, quod vos divina misericordia ad „ suam gratiam vocare dignata est, solicita in- A. VENER. BEDA.
„ tentione et assiduis orationibus servare omni„ modo festinetis : ut, qui vos in præsenti se„ culo ex omni errore absolutos ad agnitionem „ sui nominis est dignatus perducere, et cæle„ stis patriæ vobis præparet mansionem.

pallium mittit.

25 „ Prædicatoris igitur vestri, domini mei „ Apostolicæ memoriæ Gregorii lectione fre„ quenter occupati, præ oculis affectum doctri„ næ ipsius, quem pro vestris animabus liben„ ter exercuit, habetote : quatenus ejus oratio „ et regnum vestrum populumque augeat, et „ vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræ„ sentet. Ea vero, quæ a nobis pro vestris sa„ cerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei „ vestræ synceritate, quæ nobis multimoda re„ latione per præsentium portitores laudabiliter „ insinuata est, gratuito animo attribuere illis „ sine ulla dilatione providimus, et duo pallia „ utrisque metropolitanis, id est, Honorio et „ Paulino, direximus, ut, dum quis eorum de „ hoc seculo ad Authorem suum fuerit accersi„ tus, in loco ipsius alterum episcopum ex hac „ nostra auctoritate debeat subrogare. Quod qui„ dem tam pro vestræ charitatis affectu, quam „ pro tantarum provinciarum spatiis, quæ inter „ nos et vos esse noscuntur, sumus invitati con- E
„ cedere, ut in omnibus devotioni vestræ no„ strum concursum et justa vestra desideria „ præberemus. Incolumem excellentiam vestram „ gratia superna custodiat. „

Defuncto Edwino et

26 Cum autem Eduinus decem et septem annis genti Anglorum simul et Britonum gloriosissime præesset, e quibus etiam sex ipse, ut dixímus, Christi regno militavit, rebellavit adversus eum Carduella * rex Britonum, auxi- * *lege* Cedullalium præbente illi Penda, viro strenuissimo, de regio genere Merciorum, qui et ipse ex eo tempore gentis ejusdem regno annis viginti duobus varia forte præfuit. Et conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hethfelth, occisus est Eduinus die quarto Iduum Octobris anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo trigesimo tertio, cum esset annorum quadraginta octo, ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfrid, juvenis bellicosus, cecidit, alter Edfrid, necessitate cogente, ad Pendam regem transfugit, et ab eo postmodum, regnante Oswaldo, contra fidem jurisjurandi peremptus est.

orta persecutione,

27 Quo tempore maxima est facta strages in ecclesia vel gente Nort-Humbrorum, maxime, quod unus ex ducibus (a quibus acta est) paganus ; alter, quia barbarus erat, pagano sævior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus, et Christiani erat nominis ignarus. At vero Carduella, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut nec sexui quidem muliebri vel innocuæ parvulorum parceret ætati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus erasurum se esse deliberans. Sed nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris : quippe cum usque hodie moris sit Britonum fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare, quam paganis. Allatum est autem caput Eduini regis Eboracum, et illatum

A. VENER. BEDA. latum postea ecclesiæ beati Petri Apostoli, quam ipse cœpit, sed successor ejus Oswald perfecit, ut supra docuimus. Positum est autem in porticu sancti Papæ Gregorii, a cujus ipse discipulis *b* verbum visæ susceperat.

b Sanctus in Cantium fugit,

28 Turbatis itaque rebus Nord-Humbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi præsidii nisi in fuga videretur, Paulinus, assumpta secum Edelburga regina, quam pridem adduxerat, rediit Cantium navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Edulbaldo * multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Baasso, milite regis Eduini fortissimo, habens secum Heanfredam filiam et Vulcfream filium Eduini, necnon et Iffi, filium Osfridi, filii ejus : quos postea mater metu Edboldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Decberto * : ibique ambo in infantia defuncti, et juxta honorem vel regiis pueris, vel innocentibus Christi congruum, in ecclesia sepulti sunt. Attulit quoque secum vasa preciosa Eduini regis perplura, in quibus et crucem magnam auream, et calicem aureum, consecratum ad ministerium altaris : quæ hactenus in ecclesia Cantii conservata monstrantur.

* Eadbaldo

* *lege* Dagoberto

B

c fit episcopus Roffæ,

d

27 Quo tempore Rhofensis *c* ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus *d*, præsul illius, ad Honorium Papam a Justo archiepiscopo legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus invitatione Honorii antistitis et Eadbaldi regis suscepit, ac tenuit usque dum et ipse suo tempore ad cælestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit. In qua ecclesia moriens, pallium quoque, quod a Romano Papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Jacobum diaconum, virum utique ecclesiasticum et sanctum, qui multo ex hinc tempore in ecclesia manens, magnas antiquo hosti prædas docendo et baptizando eripuit. Cujus nomine vicus, in quo maxime solebat habitare, Juxta Cataractam usque hodie cognominatur. Qui, quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia et crescente numero fidelium, etiam magister ecclesiasticæ cantionis juxta morem Romanorum seu Cantuariorum multis cœpit existere. Et ipse senex, et plenus dierum, juxta Scripturas, patrum viam secutus est.

D

ibique obit.

30 Anno autem ab Incarnatione Domini sexcentesimo quadragesimo quarto reverendissimus pater Paulinus, quondam quidem Eboracensis, sed tunc episcopus Rhofensis civitatis, transiit ad Dominum sexto Iduum Octobris die, qui decem et novem annos, et viginti unum dies episcopatum tenuit, sepultusque est in secretario beati Apostoli Andreæ, quod rex Edilbertus a fundamentis in eadem Rhofi civitate construxit. In cujus locum Honorius archiepiscopus ordinavit Itamar *e*, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione antecessoribus suis æquandum.

e

E

ANNOTATA.

a *Illa vox, ut notat Cangius in Glossario, pateram seu vas ad aquam hauriendam significat.*

b *Hic Beda* S. Paulinum *S. Gregorii pontificis discipulum vocat.*

c Roffa, *vulgo* Rochester, *urbs est Angliæ meridionalis in Cantio, et episcopalis sub archiepiscopo Cantuariensi, estque media inter Cantuariam et Londinum.*

d Romanus, *de quo hic loquitur Beda, secundus fuit Roffensis ecclesiæ præsul.*

e *De* S. Ithamaro *vide quæ in nostro Opere ad* x *Junii excusa sunt.*

DE S. TECLECHILDE

SEU TELECHILDE VIRGINE

PRIMA ABBATISSA JOTRENSI

C F

IN GALLIA

C. B.

SYLLOGE

Sanctæ cultus, memoria in Fastis Sacris recentioribus, notitia qualiscumque et ætas et inscriptione sepulcrali et S. Bertilæ Actis.

VEROSIMILLIME SEC. VII PROVECTO. *In Jotrensi, cujus hic datur notitia, monasterio*

Jotrum, Gallice Jouarre, *antiquum est Galliæ in Bria seu, uti in mediæ ætatis Actis vocatur,* Briegio pago, *quatuor in Ortum a civitate Meldensi leucis Sacrarum Virginum asceterium, haud procul a Matronæ et Minoris-Mucræ confluentibus supercilio montis impositum exiguoque, cui originem dedit, oppido homonymo adjectum. Percelebrui huic diœcesis Meldensis parthenoni, quod, quemadmodum e vetustis fideque dignis, quas Sæc.* 2 *Benedictino Mabillonius exhibet, S. Columbani et S. Agili Vitis docemur,* intra Jorani *(ita hæ ibidem loquuntur)* saltus arva *nobilissimus vir, nomine* Ado, *S. Audoeni, Rothomagensis archiepiscopi, germanus frater, præscripta asceticam illic vitam ducturis S. Columbani Regula, exstruxit amplissimeque dotavit, singulari Dei favore fuit concessum, ut duæ priores,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *res, quæ moderatæ illud sunt, abbatissæ, Agilberta videlicet et* Teclechildis *seu* Telechildis *aut etiam (varie enim a variis hujus Sanctæ nostræ nomen exprimitur)* Theodiechildis, Theodechildis, Theodolechildis *vel denique* Teutehildis, Teudlechildis *seu potius* Theodlecheldis, *eximia prorsus vitæ ac morum sanctitate exstiterint illustres. De harum prima seu Agilberta, quæ* Theodechildi, *vita functæ, in cœnobii Jotrensis regimen proxime successit, ad* XI *Augusti diem, quod quotannis ibidem tunc colatur, in Opere nostro jam egimus; de secunda vero (quæ, quamvis ex Pagii in Criticis ad annum* 680, *num.* 20 *et Plessæi num.* 6 *hic memorandis de sepulcrali ejus inscriptione dictis* Theodlecheldis, *genuina appellatione servata, videatur vocanda, hic tamen etiam a me modis aliis, jam nunc assignatis, indiscriminatim, ut a scriptoribus aliis passim fit, nuncupatur) ad præsentem hic diem, quod tum in dicto quoque cœnobio, imo et in aliis etiam abs hoc diversis diœcesis Meldensis locis cultu ecclesiastico annuatim afficiatur,*

B *sumus acturi.*

juxta ac in aliis diœcesis Meldensis locis S. Teclechildis colitur.

2 *Ac Sanctam quidem hodie in Jotrensi monasterio coli, Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 15, *num.* 4 *disertissime affirmat, eique suffragantur Bucelinus et Menardus, utpote ambo, prior nempe post elogium, quo in Menologio suo Benedictino* S. Theodechildem *hodie exornat, posterior vero in hodiernis suis in Martyrologium itidem Benedictinum Observationibus, monasterii Jotrensis Sanctorum Proprium citantes, et vel sic* S. Telechildem *ibidem coli indicantes; quod autem ad diœcesis Meldensis loca, a monasterio Jotrensi distincta, spectat, in horum saltem nonnullis annuo etiam cultu* Telechildem *hodie gaudere, suadet Meldense penes nos exstans Breviarium, anno* 1640 *ex illustrissimi Meldensis episcopi Dominici Seguieri mandato in lucem emissum, ac ab universis diœcesis Meldensis ecclesiis, monasteriis, collegiis Ordinibusque adhibendum, quod, quamvis quidem ecclesiasticum de* S. Theutechilde *Officium hodie haud proponat, commemorationem tamen de ea faciendam præscribit. Adhæc proprium, quod ecclesiæ Meldensis Historiæ, a se contextæ annoque*

C 1731 *vulgatæ, Plessæus præfixit, diœcesis Meldensis Kalendarium hodie* S. Telechildis *nomen sibi habet inscriptum. Atque ita quidem de cultu, quo quotannis hodie in diœcesi Meldensi ac nominatim in Jotrensi, quod in hac situm est, monasterio Sancta afficitur, satis superque constat: est an nuspiam extra diœcesim illam honore isthoc etiam potitur? Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 15, *num.* 4 *sub finem sic scribit:* In veteri Kalendario, quod videtur fuisse parthenonis sanctæ Mariæ Suessionensis, ante annos quingentos manu exarato, modo Bibliothecæ Longipontis, notatur VI. Idus Octobris memoria Thelechildis virginis; *hinc autem simulque ex eo, quod, quemadmodum etiam idem Mabillonius lib. proxime cit. num.* 3 *docet, Ætheria, Suessionensis hic memorati parthenonis prima abbatissa, ad hoc e Jotrensi, ubi verosimiliter sub* S. Theodlecheldis *disciplina aliquamdiu erat versata, asceterio fuerit adscita, suspicari subit, fuisse olim saltem Sanctam cœlitum honoribus in eodem etiam Suessionensi parthenone aliquando affectam.*

3 *Porro e cultu, quem, si non ibidem, in Jotrensi certe ac aliis diœcesis Meldensis locis nacta est, ortum reor, ut, quamvis nec ab Usuardo nec ab ullis aliis martyrologis classicis memoretur, ab iis tamen, qui Usuardum post transcripsere, adjecta ad hunc fuerit. Utut sit, in Usuardino equidem ecclesiæ Tornacensis codice, verosimiliter inter annos* 1219 *et* 1252, *uti in sua ad Usuardum Præfatione num.* 215 *Sollerius ostendit, exarato, hodie* S. Teclechildis, *prout ex Usuardi, quæ apud hunc ibi exstant, Auctariis liquet, annuntiatur, eamque, vel e dicto Tornacensi vel ex aliis forte adhuc antiquioribus Usuardi auctis codicibus acceptam, in suas ad hunc Additiones hodie etiam intulit Molanus; hujus autem exemplo vel nolitiis aliunde acquisitis moti deinde etiam alii nonnulli recentiores hagiologi, Ferrarius nempe in Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo, Saussayus in Gallicano, Castellanus in Universali suo Martyrologio, ac denique etiam in Benedictinis a se adornatis Fastis sacris Wionus, Dorgainus, Menardus et Bucelinus, qui, cum* S. E Telechildis *vitam ad S. Columbani institutum exegerit, hoc verosimillime a S. Benedicti Regula, Cointio interim ac decessoribus nostris aliter hac de re sentientibus, haud differre, existimarint. Nec tantum, ut Sancta in Hagiologiis jam dictis recenseretur, verum etiam, ut tandem de terra levaretur, ecclesiasticus, quo gaudere noscebatur, cultus fortassis effecerit. Ast, utcumque res hæc habeat, fuere equidem sacræ ejus exuviæ e loco humiliori ad sublimiorem translatæ. Id e jam nunc dicendis patescet.*

AUCTORE C. B *variisque Fastis sacris recentioribus inscripta, anno* 1627 *e monumento.*

4 *Jotri præter abbatialem parthenonis basilicam, quæ patronam sibi vindicat B. Virginem Mariam, adhuc aliæ, ut Plessæus in ecclesiæ Meldensis Hist. lib.* I, *num.* 54 *ac post eum Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 8, *col.* 1708 *docent, perantiquæ seu ecclesiæ seu sacræ ædiculæ existunt, quarum altera, S. Petro dedicata, jam dudum totius oppidi parochialis est facta, altera, S. Pauli primi eremitæ nomine distincta, juxta abbatiæ muros sub terra in parochiæ cœmeterio est sita. E subterraneo isthoc loco sacro seu crypta, quæ et cryptam alteram, S. Ebregisili Meldensis episcopi, in hac,* F *ut creditur, sepulti, appellatione insignitam, sibi habet adjunctam, anno* 1627, *tertia decima Octobris die, sacræ* S. Theodlecheldis, *ut putabatur, reliquiæ, e tumulo seu monumento, supra terram columnis marmoreis levato, in quo ibidem usque ad tempus illud jacuerant, extractæ, a Philippo Cospeano, tunc Namnetensi, postea Lexoviensi episcopo, coram Maria Medicæa, Ludovici XIII Galliarum regis matre, in majorem parthenonis Jotrensis basilicam, ut Plessæus et scriptores mox laudati affirmant, fuerunt translatæ, ac, ut Mabillonius Sæc.* 2 *Bened. pag.* 488 *et in Annalibus lib.* 15, *num.* 4 *addit, argenteæ thecæ inclusæ; re autem etiam vera* S. Telechildis *exstitisse sacras illas exuvias, ex eo fit perspicuum, quod, diversis aliis, qui, eodem Mabillonio una cum auctoribus proxime citatis teste, in dicto subterraneo loco e terra pariter prominentes cernantur, tumulis seu monumentis nullum omnino, e quo, cujus reliquiæ seu membra in horum [singulis*

in quo continerí ejus reliquiæ, apposita inscriptio probabat, fuit translata.

AUCTORE C. B.

contineantur, colligas, indicium præferentibus, monumentum tamen, e quo S. Theodechildis, *ut putabatur, reliquiæ fuerunt extractæ, sepulcrali sibi incisa, quæ hasce reipsa* S. Teclechildis *esse, inscriptione antiqua, uncialibus litteris, ut Mabillonius loco proxime cit. testatur, exarata, sit munitum.*

Ex hac porro, duobus hic modis diversis,

5 *Hanc, quæ, quod alia adhuc, ad Sanctam spectantia hicque infra memoranda, nos doceat, lectori ob oculos in antecessum hic poni meretur, Mabillonius aliter in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, aliter in Annalibus suis Benedictinis exhibet. In Actis, adjuncta etiam, quam hic mox in paginæ ora subdo, marginali nota, tom.* 2, *pag.* 488 *habet :*

Hoc membra post ultima teguntur fata sepulchro Beatæ
Theodiechieldis intemeratæ virginis genere nobilis.
Meritis fulgens, strenua moribus, flagravit in dogmate fame.
B Cenubii hujus mater sacratas Deo virgines,
Sumentes oleum cum lampadibus, prudentes invitat
* *f.* post metam hujus ævi. Spon... ias so.. turri rex PM. H. Æ.. * demum
Exultat paradisi adepta triumphos ;

in Annalibus vero tom. I, *pag.* 456 :

Hoc membra post ultima teguntur fata sepulcro
Beatæ Theodlecheldis intemeratæ virginis,
Genere nobilis. Meretis fulgens, strenua moribus,
Flagravit in dogmate almo.
Cenubii hujus mater sacratas Deo virgines,
Sumentes oleum cum lampadibus, prudentes
... filias occurri rex. P. M. hæc demum exuit atra.....

quorum neutrum accuratum Plessæus, inspecto archetypo, invenit,

6 *Plessæus, supra adhuc laudatus Historiæ ecclesiæ Meldensis scriptor, cum circa duos hosce, quibus sepulcralis* S. Telechildis *inscriptio a Mabillonio proponitur, modos dubius hæreret, sese, quo hanc suis ipsemet oculis examinaret, ad Jotrense, ut Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 8, *col.* 1709 *tradunt, monasterium contulit, ibique omnibus sedulo*
C *discussis, dictam inscriptionem, nec integram prout in Actis, nec integram prout in Annalibus Benedictinis a Mabillonio describitur, accuratam, uti ex præfatæ, quam scripsit, Hist. pag.* 665 *intelliges, deprehendit. Ast, anne etiam omni ubique accuratione destitutam invenit ? Prior, inquit loco jam nunc cit., inscriptionis pars, prout in Benedictinis Mabillonii Annalibus exstat, est exacta, si excipias ultimum ejus vocabulum* almo, *cui, quod in Actis exstat, vocabulum* famæ, *per litteram Æ, prout distincte in autographo legitur, debet substitui ; quod autem ad secundam partem (a vocabulo scilicet* Cenubii *inceptam) spectat, hæc multo melius prout in Actis, quam prout in Annalibus exhibetur, refert autographum.*

aliumque una cum nonnullis

7 Sed *(ipsamet sunt Plessæi, quæ Latine reddo, Gallicana verba)* notandum est primo, inscriptionem integram duabus tabulis lapideis, pedum fere quinque ac dimidii longitudinem æquantibus, quarum quæque tres scripturæ lineas complectitur, esse incisam ; secundo, lapidum illorum secundum, qui secundam inscriptionis partem continet, ac Septemtrioni obversus dextro tumuli lateri est applicitus, fuisse serra in longitudine, ita ut tredecim aut quatuordecim pollices ei desint, desectum, adeoque præterea lineam ultimam loci uligine detritam, ut characteres vix internoscantur. Majorem illius partem scalpri cuspide instaurare seculo præterito voluere ; at, præterquam quod, qui id attentarunt, litterarum formam imitandi artem haud calluerint, divinare eos etiam voluisse, sicque omnia deturpasse, palam est. Divinabo et ego vice mea, cum nulla amplius aliter agendi ratio supersit ; sed archetypum, ne vitietur, relinquam intactum. En, qui tres secundi illius lapidis legam lineas : D

*Cenubii hujus mater sacratas Deo virg*ines sumen-
tes oleum cum lampadibus prudentes invitat Spon-
so *filias occurrere* x.... *exultat par*adisi in gloria.

ad hunc confirmandum conducentibus

8 Character Italicus hic exhibet, quæ integra nobis ex inscriptione restant ; Romanus, quæ mihi videntur substitui posse iis, quæ ex illa desiderantur. Jam monui, lapidi non nisi tredecim aut quatuordecim pollices in longitudine esse avulsos. Spatium isthoc nimis est angustum, ut inscriptionis Actorum voces PARADISI ADEPTA TRIUMPHOS capiat, iis substitui PARADISI IN GLORIA ; quæ verba eumdem sensum efficiunt reliquumque lineæ omnino implere queunt. Difficultas igitur quantum ad duas tresve voces, quas non expressi, tantummodo superest. Qui seculo elapso inscriptionem *(hanc supra ex Mabillonii Sanctorum Actis et Annal. Benedictinis num.* 5 *huc transcriptam videsis)* instaurarunt, litteram x cum duabus postremis vocis præcedentis litteris junxerunt ; ut legerint TURRI REX ; quod sensum, rationi consonum, efficere non potest. Constructio omnino exigit OCCURRERE voxque REX nominativus est superfluus. Antiqui hujus epitaphii litteræ optime sunt sculptæ ; sed nostras ad amussim haud referunt. Lineæ transversæ, quæ litteras E, F et L formant, sunt admodum breves ; ut, nisi quis animum sedulo advertat, periculum sit, ne quamque harum omnium litterarum pro I accipiat.

suaque de emortuali Sanctæ die conjectura proposuit,

9 Atque id accidit in verbo OCCURRERE ; primam hujus litteram E pro littera I accepere legeruntque OCCURRI. Deinde, cum sequeretur X, litteram hanc cum duabus postremis litteris verbi OCCURRERE junxere, feceruntque vocem REX. *Ita hactenus Plessæus, qui, hisce ad modum alium, quo sepulcralem Sanctæ inscriptionem reddendum putat, confirmandum adductis, simul etiam, ut mox innuit, suspicatus est, spatium, quod in ultima e tribus ex ipso proxime hic datis inscriptionis illius lineis inter litteram* x *et vocem* exultat *relictum est vocibus vacuum, tribus prioribus vocabuli* Kalendas *litteris et voce* Maii *esse implendum ; ut significetur,* S. Telechildem x *Kal. Maii seu* XXII *Aprilis die excessisse e vivis. Verum, etsi quidem dictæ inscriptionis, prout hæc in Actis et Annalibus Benedictinis a Mabillonio exhibetur, litteris* P *et* M *tres priores litteras vocabuli* Kalendas *esse substituendas, sat probabile Plessæus ibidem efficiat, nihil tamen adjungit, quo tuto credas, deceptum eum non fuisse in opinione, qua, in inscriptionis archetypo legi etiam vocem* Maii, *existimavit ;*

A *existimavit; cum autem sic habeat, est sane, an* XXII *Aprilis die, uti e dicta suspicione sua Plessæus conjecit, diem extremum* Telechildis *clauserit, incertum, etsi interim ex eo, quod hæc hodie colatur, conjectura illa etiam haud sit (neque enim iisdem semper, quibus obierunt, diebus Sancti coluntur) pro certo falsa habenda. His præmissis, modo progredior ad alia, quæ, nullis prorsus monumentis aliis antiquis, quæ de Sancta ex instituto tractent gestaque ejus singillatim exponant, exstantibus, e jam data sepulcrali ejusdem inscriptione, ut supra insinuavi, docemur.*

a Mabillonio exhibita, diluecide etiam, Telechildem genere nobilem, etsi interim,

10 *Hæc itaque et quidem tam duobus modis diversis, quibus supra a Mabillonio exhibetur, quam alio, quem Plessæus proponit, accepta,* S. Telechildem *fuisse illustri loco natam, nos docet, uti etiam virtutum suarum merito ac splendore cælorum gloria potitam filias suas invitare, ut exemplum, quod præbuit, sequantur ac porro sese gerant, ut prudentes Evangelii virgines, quæ cœlestem Sponsum cum lampadibus ardentibus, id est, cum*

B *corde, amoris illius igne incenso, exspectabant; etsi autem hoc postremum omnino aperte seu expressis, ut aiunt, terminis haud edicat,* Telechildem *tamen exstitisse* genere nobilem, *dissertissime tradit. Ast, cum nihilominus generatim dumtaxat id faciat, scriptores quidam, id pariter tantummodo ita facere haud contenti, nonnullos etiam, qui sanguine cum Sancta fuerint conjuncti, nominatim recensent. Volunt scilicet, Bettonem seu Belfridum, et Abolinum seu Abobinum, quorum prior* S. Telechildem *et Agilbertum, Parisiensem episcopum, posterior secundam monasterii Jotrensis abbatissam S. Aguilbertam et Ebrigisilum, Meldensem episcopum, genuerit, exstitisse fratres germanos Baldamque et Modam habuisse sorores. Hanc porro genealogiam, quæ si vera sit,* S. Telechildis *fuerit Agilberti, Parisiensis episcopi, soror sanguineque sane cum Balda et Moda itemque cum Aguilberta hujusque fratre Ebregisilo Meldensi episcopo quam proxime conjuncta, a pluribus adoptari auctoribus, Plessæus in sua Meldensis ecclesiæ Historia pag.* 663 *affirmat.*

an, quos aiunt, consanguineos habuerit, sit dubium, exstitisse ac Jotro præfuisse liquet;

11 *Ast simul, semetipsum in hujus decursu illam secutum, falsus, mox verbis Gallicis, quæ Latina facio, subjungit:* Optandum interim foret, ut ea aliquos adhuc alios, quibus tutius fides adhiberi posset, testes haberet; *hinc autem reor, auctores, a quibus dictam genealogiam adoptari ait, haud esse admodum antiquos proferrique abs hisce tantummodo monumenta, quorum ætas haud sat prope, ut fidem ea in re certam faciant, ad* S. Telechildis *ætatem accedit. Menardus quidem, qui auctorum illorum unus est reque etiam ipsa genealogiam istam in suis in Martyrologium Benedictinum Observationibus pagg.* 300, 345 *et* 415 *amplectitur, pro sese monasterii Jotrensis monumenta laudat: verum, cujus ætatis, quæ singulis hisce tribus locis* Vetera *etiam appellat, monumenta illa sint, non edicit, dubitarique non immerito potest, an et ista et* antiquior, *ut vocatur,* monasterii Jotrensis traditio, *in qua eamdem genealogiam etiam fundari, Plessæus loco proxime cit. ait, trium amplius aut quatuor seculorum antiquitatem sibi adjungant. Quapropter, an quos aiunt, qui genealogiam istam amplectuntur, consanguineos habuerit* S. Theodechildis, *dubitari pariter non immerito potest. Verum, etsi sic habeat, Sanctam equidem exstitisse* genere nobilem, *e sepulcrali ejus jam sæpissime memorata, quam Mabillonius quidem veterrimis ac pene detritis characteribus exaratam, Plessæus vero haud diu etiam post* Telechildis *obitum positam affirmat, inscriptione omnino est certum. Nec illud tantum ex hac, verum etiam Jotrensis* cœnobii matrem *seu abbatissam exstitisse* Theodechildem, *habetur compertum. Etenim pronomen demonstrativum* hujus, *quo vocabulum* cenubii *in eadem inscriptione, Sanctæ monumento incisa, afficitur, indubie Jotrense, ad quod crypta, id complectens, spectabat, cœnobium designat.*

AUCTORE C. B.

hoc autem postremum, quod verosimillime inter annum 630 *et* 635,

12 *Porro, etsi nihil prorsus, e quo,* S. Telechildem *etiam primam, quæ Jotrense monasterium abbatissæ munere rexerit, exstitisse concludas, in antiquissimo illo documento inveniatur, rem tamen ita habere, e Sanctorum, in quo, ut Menardus in suis in Martyrologium Benedictinum Observationibus pag.* 345 *testatur,* Theodechildis *fuisse prima Jotrensis abbatissa asseritur, abbatiæ Jotrensis Proprio, ex antiqua abbatiæ ejusdem traditione, ex Jotrensium abbatissarum, quas inter* Theodechildis *ordine prima semper comparet, catalogis ac denique ex unanimi scriptorum omnium, qui de re illa tractarunt, consensu reor etiam indubitatum. Ast quandonam Sanctam, quam verosimiliter ex vicino Eboriacensi parthenone, nunc* S. Farræ *dicto, ad Jotrensis regimen fuisse assumptam, Mabillonius et Galliæ Christianæ auctæ Scriptores arbitrantur, muneri isti fuisse admotam ac quamdiu deinde id gessisse, statuamus? Cœnobium Jotrense ante annum circiter* 643 *jam fuisse exstructum, vel ex eo palam fit, quod Jonas monachus, S. Columbani Vitam circa annum istum, ut Mabillonius Sæc.* 2 *Benedictino pag.* 487 *ait, litteris commendans, illius asceterii mentionem instituat; id autem aliquot etiam annis citius conditum fuisse, apparet vix non certum, remque, qui de ea agunt, scriptores unanimi consensu omnes, ac inprimis Mabillonius, Cointius et Plessæus, circa annum vel* 631 *vel* 634 *consignant; ut, si monasterium Jotrense, statim atque fuerat exstructum, inhabitari a sanctimonialibus cœperit, id verosimillime* S. Theodechildis, *quæ e dictis primum tenet inter abbatissas Jotrenses locum, ab intercepto inter annum* 630 *et* 635 *temporis spatio moderari inceperit.*

E

F

uti hic adducta,

13 *Verum in S. Agili abbatis, circa annum* 650 *defuncti, Vita, ab auctore suppare conscripta atque apud nos ad* XXX, *quo Sanctus ille colitur, Augusti diem vulgata, de Adone monasterii Jotrensis fundatore sequentia isthæc num.* 19 *leguntur verba:* Ado ....., non solum seipsum propriis voluntatibus ac copiis abdicavit, verum etiam in proprio solo intra Joram saltus, ope fratris venerabilis Audoëni super amnem Maternam, monasterium ædificavit, cui Jotrum nomen imposuit, atque ex rebus propriis fœcundissime ditavit: in quo etiam monastice secundum B. Columbani instituta una cum caterva præclaræ religionis maxima superno Regi militavit; *cum autem, uti ex hoc auctoris laudati textu nemo*

non

AUCTORE C. B.

non colliget, in monasterio Jotrensi ipsemet hujus fundator Ado religiosa vota nuncuparit, illudque adeo monachis ab initio videatur fuisse addictum, hinc simul et ex eo, quod S. Bertila seu Bertilia, quæ cœnobii Kalensis, haud diu admodum post Jotrense, uti ex infra dicendis patescet, a Bathilde regina fundati, curam prima suscepit, aliquamdiu priusquam id faceret, inter Jotrenses moniales, ut Vita ejus, ab auctore anonymo fere æquali conscripta ac a Mabillonio Sæc. III *Benedictino inserta, fidem facit, sub* Teutechilde *abbatissa vitam duxerit, Cointius in ecclesiasticis Francorum Annalibus ad annum* 634, *num.* 12 *concludit, in Jotrensi monasterio, quod initio virorum, non puellarum, fuerit, brevi interjecto temporis spatio, hasce illis fuisse substitutas.*

suadent, obtinere incepe-rit locum, etiam docemur e S. Bertilæ Vita,

14 *At Mabillonius, qui pariter et ab initio monachos in monasterio Jotrensi exstitisse, et nihilominus S. Bertiliam, quæ monasterii Kalensis, haud diu post Jotrense a Bathilde fundati, prima abbatissa fuit creata, e monasterio Jotrensi fuisse assumptam, Sæc.* 2 *Benedictino pag.* 487 *ex ejusdem S. Bertiliæ Vita mox laudata statuit, statim simul, verosimile non esse, tam cito e monasterio Jotro monachos, ut puellis, Deo sacris, locum facerent, fuisse ejectos, affirmat, ac deinde subjungit:* Dicendum proinde apud Jotrum, sicut in aliis parthenonibus passim, duos fuisse conventus, tantisper disparatos, sanctimonialium unum, alterum monachorum, a quibus illæ regerentur. Sic in parthenonibus S. Romarici in monte Habendensi, S. Salabergæ in Monte-Clavato, S. Gertrudis apud Niviallam, S. Bathildis apud Kalam, et aliis binam congregationem, virorum ac puellarum, observavimus. *Ita laudatus scriptor; huic autem non tantum Pagius in Criticis ad annum* 705, *num.* 20, *Plessæus in ecclesiæ Meldensis Historia pag.* 664, *Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom.* 8, *col.* 1708 *aliique utplurimum eruditi hodie assentiuntur, verum etiam seculo* VII, *quo monasterium Jotrense fuit exstructum, mos vere, uti exempla a Mabillonio allegata, aliaque passim obvia ostendunt, obtinuit, ut, cum nova fundarentur monasteria, duplicia isthæc ædificarentur, quorum primarium mulierum, secundarium esset, qui Sacra hisce ministrarent, virorum; quæ cum sic habeant, ad hunc modum pariter, ut censuit Mabillonius, Jotrense cœnobium fuisse reipsa adificatum, illudque proinde, quod e jam dictis verosimillime circa annum vel* 631 *vel* 634 *fuit exstructum,* S. Theodlecheldem *inter annum* 630 *et* 635 *moderari incepisse, vero sane, ut jam supra indicavi, apparet simillimum. Modo etiam, quamdiu deinde Sancta, quod susceperat, sacri illius asceterii regimen tenuerit, aut, si mavis, quamdiu adhuc post id susceptum in vivis manserit superstes, dispiciamus. Etsi Sanctam exstitisse abbatissam Jotrensem, e supra relato ejus epitaphio haud constaret, id tamen ex antiqua, quam supra memoravi, S. Bertiliæ Vita haberetur compertum. In hac enim, S. Bertilia* ad monasterium puellarum, quod vocatur Jotrus, *fuisse perducta et* domnæ Teutlethildæ abbatissæ *commendata, disertissime, uti apud Mabillonium Sæc.* III *Benedictino part.* 1, *pag.* 21 *videre licet, asseritur.*

e cujus, præterea, quæ

15 *Nec id tantum seu* S. Theodlecheldem *monasterii Jotrensis regimen gessisse, verum etiam hoc illam usque ad tempus, quo monasterium Kalense a S. Bathilde jam fuerat exstructum, ac ad umbilicum, ita ut inhabitari posset, adductum, adhuc tenuisse, e vetusto illo monumento docemur. Verba omnia, quibus id ibidem fit, vel idcirco, quod qualemcumque etiam Sanctæ nostræ notitiam suppeditent, huc transcribo. Postquam itaque, qui Vitam illam contexuit, S. Bertiliam aliquamdiu in monasterio Jotrensi sub* S. Theodlechelde *fuisse versatam, memoriæ prodidit, ita deinde apud Mabillonium loco proxime cit. pag.* 23 *prosequitur:* His..... temporibus post discessum domni Chlodovei regis religiosa et optima conjunx ipsius domna Baltechildis regina cum parvulo filio rege Chlotario irreprehensibiliter regnum gubernabat Francorum, et ab omnibus pontificibus vel proceribus cunctoque populo regni sui, ejus meritis compellentibus, miro diligebatur affectu. Erat enim religiosa et Domino multum devota, ecclesiarum pauperumque curam gerens. Cum magno igitur vigore animi E viriliter gubernabat palatium. Cum pontificibus autem et primatibus populi sui consilium accepit, ut regali villa, quæ dicitur Kala, monasterium construeret puellarum, quatenus, cum ad legitimam ætatem præfatus filius suus Chlotarius pervenisset et regnum sibi commissum per semetipsum gerere potuisset, tunc ipsa, relicta cura regali, sub Religionis ordine in supradictum ingrederetur monasterium. Eo vero quod omnes ipsa miro diligebat affectu et diligebatur a cunctis, complacuit consilium universis ac consensum ei omnes præbuerunt.

hic recitantur, verbis,

16 At illa, ut erat prudens et sapiens, sub omni celeritate monasterium ibidem construere præcepit, et futura prævidens, necessariam ancillis Dei substantiam delegavit. Jamque, præparato diligenter cœnobio, animo revolvere cœpit, quam meritis et honestate seu moribus puellarum reperiret dignam, de qua fidens gregem sacrarum virginum ibi adunatum sub norma sanctæ Religionis ei committeret. Cumque de multis multa audiret, istius sanctæ puellæ Bertilæ, felici fama percurrente, pervenit per relationem fidelium notitia usque ad aures regales F domnæ Baltechildis gloriosæ et Christianissimæ reginæ, quæ gavisa est de ejus sanctitatis exemplo; et illico accepto consilio decrevit, ut hanc super sanctas feminas, quas pro Christi amore et S. Mariæ reverentia in cœnobio supranominato congregaverat, matrem constitueret; quod, Domino dispensante, postea perfecit. Magna siquidem cum devotione et humilitate domnam Teutchildem poposcit abbatissam, ut ex suo monasterio aliquas famulas Dei sibi destinaret, quæ suum regere deberent cœnobium. At illa percunctata diu sanctam supplicationem reginæ denegare non potuit, sed sponte gloriosæ domnæ ad petitionem satisfecit, præfatamque domnam Bertilam cum quibusdam sanctis puellis spiritali matri domnæ Balthechildi cum summa diligentia et honore debito, ut decebat, per magnum sacerdotem domnum Genesium ad Kalæ supradictum cœnobium perducere præcepit; utque omnis illa congregatio velut matri spiritali ei commendaretur, prædictæ domnæ reginæ præsentialiter suggessit, fisa de ejus religione et pudica conversatione.

17

A *S. Telechildem usque ad monasterii Calensis structuram a Bathilde*

17 Quas illa gloriosa Balthechildis regina velut munus cœleste cum magno honore suscepit, et, sicut ei mandatum a domna Teutlehilde fuerat, onus regiminis super omne cœnobium ei imposuit, atque abbatissam esse præcepit. *Ita S. Bertiliæ biographus, cum autem, uti ex hoc ejus textu discimus, S. Baltechildis seu, ut ab aliis vocatur, Bathildis regina ad Calense, quod extruxerat, cœnobium sanctimoniales aliquot e parthenone Jotrensi mitti a* Theodlechilde *hujus abbatissa postularit, inde enim vero hanc, quæ, quemadmodum ex eodem textu etiam docemur, Bathildis voluntati obtemperans, eo una cum aliis aliquot sacris virginibus S. Bertiliam, religiosæ coloniæ præficiendam, e Jotrensi suo monasterio misit, sacrum isthoc asceterium tum adhuc, cum Calense jam esset a S. Bathilde exstructum, ac ad umbilicum, ita ut inhabitari posset, adductum, abbatissæ munere gubernasse, aptissime colligitur. Verum, ut annus quoque, circa quem id Sancta nostra adhuc fecerit, innotescat, modo etiam in tempus, quo circiter Calense cœnobium a S. Bathilde ædificari inceptum absolutumque fuerit, in-*

B *quiramus. Vepezius in Chronico suo Benedict. tom.* 2, *pag.* 410 *et* 412, *anno* 662, *Mabillonius Sæc.* 3 *Benedict. part.* 1, *pag.* 25, *anno* 656 *et in Annal. Benedict. tom.* 1, *pag.* 444, *anno* 657 *monasterii Calensis structuram seu factam a S. Bathilde fundationem innectit. Ast utrumque hunc scriptorem Plessæus in ecclesiæ Meldensis Historia tom.* 1, *pag.* 699 *et seq. idcirco carpit, dictumque monasterium ante annum* 656 *a sancta illa regina conditum fuisse, contendit; idcirco autem id facit, quod, spectatis iis, quæ Beda Hist. Gentis Anglorum lib.* 4, *cap.* 23 *scribit, Hereswita, Aldulfi Orientalium Anglorum regis mater, anno* 647 *vitam monasticam in Calensi Franciæ monasterio egerit, idque proinde anno illo jam steterit. At monasterium, quod jam inde anno* 467 *steterit, a Bathilde conditum fuisse, credere non permittit vitæ condito, qua tum sancta hæc regina, utpote quæ Clodoveo II regi nondum nupta Erchinoaldo majori domus adhuc serviret, exstitisse in Vita sua, ab auctore æquali conscripta atque apud nos tom.* 2 *Januarii edita, perhi-*

C *betur.*

anno demum, uti hic, Bedam inter et S. Bertiliæ biographum concordia servata, probatur,

18 *Et vero S. Bathildem ante Clodovei II mariti sui mortem, quæ, ut Pagius in Criticis dilucide probat, anno* 656 *evenit, exstruere Calense cœnobium haud incepisse, S. Bertiliæ biographus num.* 15 *et seq. huc jam transcriptis verbis luculentissime, uti hæc expendenti patescet, prodit; cum autem scriptore illo, utpote qui Sanctæ huic fuerit fere æqualis, resque, quas in sua de hac lucubratione, fide ubique integerrime servata, recenset, habuerit probissime perspectas, standum hic sit, necesse est, ut vel supra laudatus, e quo jam stetisse anno* 647 *Kalense monasterium, consequitur, gentis Anglorum historicus errasse dicatur, vel modus, qui hunc cum illo in concordiam adducat, inveniatur. Vidit id haud dubie Mabillonius, hincque tom.* 1 *Annal. Benedict. pag.* 444, *fuisse in Cala villa regia a S. Chrotilde, quæ anno circiter* 546 *obiit, sacrarum virginum cœnobium exstructum, præfatus, mox simul, fuisse deinde hujus loco, eversis vetustis ædificiis, a S. Bathilde novum monasterium, idque amplissimum, erectum, subjungit, ita scilicet exponens, qui in villa regia Kala puellarum monasterium exstruxisse S. Bathildis a S. Bertiliæ biographo, veritate salva, dicatur, et tamen ibidem jam antea, prout ex Beda secundum jam dicta consequitur, sacrarum virginum cœnobium exstiterit. Neque vero absque gravi causa S. Bertiliæ biographum ita interpretatus est Mabillonius. Etenim in S. Bathildis Vita, apud nos ad* XXVI *Januarii diem secundo loco edita et tamen ab antiquo etiam auctore in litteras missa, num.* 21 *sequentia isthæc de S. Clothilde, Clodovei I regis conjuge, occurrunt verba:* Cœnobium, in honore sancti Georgii, sacrarum virginum in Cala prima construxit. Quod postea, quia ambitus ecclesiolæ strictior erat ad capiendum plurimum gregem sanctimonialium, a sæpe memorata domina Bathilde eversum est et basilica prægrandi spatio amplitudinis constructa.

octore C. B.

660 circiter absolutam, Jotrense cœnobium rexisse ac proin vixisse, colligitur,

19 *Verum Pagius, qui demum post Clodovei II mortem seu annum* 656 *monasterium in regali villa Cala a Bathilde condi fuisse inceptum, recte in Criticis ad annum* 705, *num.* 18 *et seqq. putat, simul etiam, sanctæ hujus reginæ Vitæ verbis, quæ jam nunc recitavi, insuper habitis, cœnobium ibidem antea a S. Clothilde exstructum non fuisse, Bedamque, qui, Hereswitam, anno, uti ex verbis ejus consequitur,* 647, *in monasterio Calensi exstitisse monacham, prodit, errore abreptum, monasterium Calense pro aliquo alio Galliarum sumpsisse, contendit. Ac id quidem merito a se fieri ut probet, varia argumenta adducit; ast, cum hæc negativa fere dumtaxat sint aut certe hujusmodi, ut enervari haud difficulter queant, severiorem Pagii, qua Beda juxta ac antiquus Vitæ S. Bathildis scriptor erroris absque sat solida, ut mihi equidem apparet, ratione arguuntur, censuram rejiciendam Mabilloniique qua Beda et S. Bertiliæ biographus, in speciem pugnantes, in concordiam adducuntur, interpretationem amplectendam, unusquisque ni fallor, qui, quæ jam dixi, attente expenderit, facile agnoscet; cum autem secundum hanc, etsi etiam, spectatis iis, quæ Beda loco supra cit. scribit, Hereswita Calæ in sacrarum virginum cœnobio vitam monasticam anno* 647 *ac*

E

verosimiliter aliquot adhuc annis citius duxerit, monasterium tamen ibidem, contra ac Plessæus vult, a S. Bathilde condi ante annum 656 *haud fuerit inceptum, consectarium fit, ut verosimillime id demum anno circiter* 660 *ad umbilicum, ita ut inhabitari posset, fuerit adductum, utque proinde* S. Theodlechildis, *utpote quæ certe eo pariter tum demum, cum id factum esset, sacras aliquot virgines una cum S. Bertilia, uti in hujus Vita supra huc transcriptis verbis narratur, e Jotrensi suo monasterio miserit, id verosimillime adhuc usque ad annum circiter* 660 *rexerit, atque adeo in vivis fuerit superstes.*

F

etsi interim, an non aliquanto adhuc diutius vixerit, sit incertum.

20 *Jam vero cum sic habeat ac Sancta nostra, ut supra vidimus, ab eo circiter temporis spatio, quod inter annum* 630 *et* 635 *intercessit, sacrum istud asceterium abbatissæ munere gubernarit, consectarium fit, ut hoc verosimillime annis ut minimum quinque supra viginti gesserit. Ast, an post hosce expletos seu post annum circiter* 660 Theodlechildis *Jotro aliquamdiu adhuc haud præfuit ac proin et in vivis mansit superstes? Mabillonius in Annalibus*

AUCTORE C. B.

libus Benedictinis ad annum 660, *pag.* 456 *ait:* Non diu post hunc annum supervixit Teudlechildis seu Theodlecheldis, prima Jotri abbatissa ; *verum nihil omnino, quo hanc assertionem suam probet, adjungit. Castellanus interim in Martyrologio suo Universali, Plessæus in ecclesiæ Meldensis Historia, aliique ac inprimis, qui Martyrologium Parisiense, anno* 1727 *excusum, adornarunt, Mabillonium hic secuti,* S. Theodechildis *obitum anno circiter* 660 *consignant; verum, quo circiter isthæc anno, nullis omnino, e quibus hunc vel utcumque determines, monumentis antiquis exstantibus, ex hac vita migrarit, omnino etiam est incertum. Neque vero illum, qui, Sanctam anno* 670 *exstitisse adhuc in vivis superstitem, assereret, a veritate certo devium pronuntiare ausim; cum autem sic habeat ac verosimillime equidem ante annum* 660, *uti e supra dictis facile colliges, haud obierit, hinc, ut quid minus incerti notarem, supra in margine id, non anno circiter* 660, *sed verosimillime sec.* VII *provecto accidisse, tantummodo indicavi. Ceterum* D *ne quid, ad Sanctæ, quæ absconditam adeo in Deo Vitam, ut posteris solo nomine nota evaserit, duxisse Galliæ Christ. auctæ tom.* 8, *col.* 1709 *asseritur, seu commendationem seu laudem utcumque conducens, silentio præteream, lectori hic adhuc, quæ tom.* 1 *Annal. Benedict. pag.* 456 *Mabillonius suppeditat, ob oculos pono. Ibidem itaque hic scriptor sic habet:* Quantum religio in Jotro parthenone sub Teudechildis regimine floruerit, id argumento est, quod Ætheria *(Cointium in Francorum Annal. ad annum* 674, *num.* 9, *itemque Mabillonium laudatum Annal. tom. mox cit. pag.* 455 *et* 482 *videsis)* ex eo assumpta sit ad informandum novum cœnobium beatæ Mariæ apud Suessionas ; et quod indidem paullo ante Balthildis regina piissima sacras virgines cum Bertilana seu Berthila abbatissa *(adi, quæ supra ex hujus Vita recitavi, verba)* accersivit ad Calense monasterium in sanctiori disciplina instituendum.

B

DE S. TANCHA VIRG. MART. E

IN DIŒCESI TRICASSINA IN CAMPANIA GALLIÆ

J. B. F.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sanctæ in Martyrologiis memoria : ejus cultus : reliquiæ : tempus martyrii incertum et Passio edenda.

SECULO INCERTO *Sancta, quam memorant martyrologi,*

colitur in diversis diœcesis

Diœcesim *Tricassinam vitæ sanctitate et pretiosa in conspectu Domini morte, quam pro tuenda castitate heroico subiit animo, illustriorem reddidit* S. Tancha, *cujus hodie Acta exhibemus. Hæc Puella virtutum suarum claritudine Deo et hominibus amabilis, antiquis martyrologis incognita et præterita, hodie primum in Usuardi Lubeco-Coloniensi* C *apud Sollerium Auctario recensetur hoc modo :* Trecas sancti *(sanctæ)* Anchæ virginis et martyris. *Verba hæc descripsit Grevenus et ex hoc deinde, qui tamen melius scribit* Tanchæ, *Molanus, Maurolycus, Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Mrl. Rom. non sunt, et Canisius in Mrl. Germanico; his accedit Mrl. Parisiense, in quo legitur :* Prope Ramerudem in agro Trecensi sanctæ Tanchæ, quæ pro tuenda virginitate gloriosam mortem oppetiit; *et Martyrologium Universale a Castellano Gallice editum, cujus verba Latine reddita sic sonant:* In Lustria, prope Ramerudem, diœcesis Trecensis oppidum, in Campania Galliæ, sanctæ Tanchæ virginis et martyris, in diœcesi Andegavensi honoratæ. *His martyrologis citatis adde Trecensis ecclesiæ, monasteriorum Cellensis ac sancti Lupi Martyrologia. Arturus a Monasterio in suo Gynæceo sequentem de* S. Tancha *mentionem facit :* In territorio Archiacensi juxta oppidum Ramerudense, diœcesis Trecensis, santæ Tanchæ virginis et martyris, quæ ex illustri nata prosapia et puritate mentis et integritate corporis Christo Sponso fidem servavit necnon sanguine suo purpuravit.

2 *Diversæ diœcesis Trecensis ecclesiæ Sanctam nostram cœlitum honoribus celebrant, aliæ ritu, ut vocant, semiduplici, aliæ cultu solenniori et cum Octava, quales sunt ecclesiæ parœciæ de Lustria, quæ sequileuca ab oppido Ramerudensi distat, et parthenonis B. Mariæ in urbe Tricassina, ubi sacrum ejus caput, argentea theca inclusum, asservatur. Disco id ex Annotationibus, quas Nicolaus Des-Guerrois in Opere, cui titulus,* Sanctitas Christianæ diœcesis ac civitatis Trecensis, *ad calcem Vitæ Sanctæ nostræ adjecit ; illas hac interpretatione Latina donavi :* Trecis monasterium sanctæ Mariæ ad Moniales, Ordinis S. Benedicti, pretiosum S. Tanchæ caput possidet, theca argentea inclusum ; in quo monasterio quotannis decima Octobris die solenniter colitur; idem etiam fit x Octobris et Dominica proxime sequente in templo parœciæ de Lustria, ad quod vicini et longe dissiti populi venerationis ergo concurrunt. F

Tricassinæ ecclesiis,

3 *Cætera loca, in quibus* S. Tancha *speciali veneratione afficitur, enumerat Arturus a Monasterio in Annotationibus, quas suo Gynæceo ad diem* XVII *Aprilis, qui dies translationis est* S. Tanchæ, *inseruit. En ejus verba :* Ingenti veneratione colitur *(S. Tancha)* multis in locis diœcesis Trecensis, pagis, villis, oppidis; nempe in parœciis de Lustria, Arcyacensi, de Insulis, Ramerudensi etc., ac in urbe Trecensi: ubi caput ejus, Theca argentea inclusum, asservatur apud abbatiam Dominæ nostræ ad Nonnas Ordinis Benedictini, habeturque magna in reverentia : fit de ea Officium

A cum solenne. *Laudatus Des-Guerrois in jam citato Opere pag.* 154 *refert, in territorio parœciæ de Lustria duas ædiculas existere, in quibus Sancta nostra cultu, ecclesiarum patronis deferri solito, honoratur; unam nempe sat bene constructam, in qua dies ipsi Sanctæ festi ritu solenniori, non sine magna ad eam undequaque concurrentium multitudine celebrantur; alteram pervetustam a victoribus Anglis regnante Carolo VI, in Sanctæ honorem erectam. In priori vero ædicula, quæ* de Bouchetto *vocatur, Sancta sepulta fuit, ipsiusque sepulchri, in nominato sacello asservati, pulvere, ut refert laudatus Des-Guerrois, fluxu sanguinis laborantes sanantur.*

ei in diœcesi Andegavensi.

4 *Atque hinc, qualis quantaque in his ecclesiis veneratio Sanctæ nostræ deferatur, abunde innotescit. Verum non in diœcesi Tricassina tantum, sed et in diœcesi Andegavensi cœlitum honores duarum lectionum recitatione* S. Tanchæ *exhibentur, quas ex ejusdem diœcesis Breviario depromptas lectori legendas hic propono. Lectio prima* : Tancha virgo, patre nata est Antiochensi viro probo et justo :

B qui fidei causa patria cedere coactus, in Campaniæ finibus haud procul Remiruco oppido habitavit. Ea ingenio prædita miti atque mansueto, naturæ lenitatem singulari morum suavitate et humilitate ornavit. Cumque se ab infantia Deo consecrasset, ei soli placere studuit, animo semper cœlestia cogitans et terrena despectui habens. Castitatis autem quanto amore teneretur, ipse rei eventus comprobavit. *Lectio secunda* : Nam cum jussu patris Arceium, visendi cujusdam paterni cognati causa, qui eam de sacro fonte susceperat, in equo proficisceretur: servus, qui eam ducebat, primum verbis de stupro interpellare cœpit, deinde intentato gladio, ni suæ libidini morem gereret, mortem minitari. Cui Tancha : Melius est, inquit, mihi mori, quam incidere in manus peccatoris. Tum vero ille Virginem de equo excutiens, cum injectis manibus vim inferre conatus esset : fortiter obsistenti os genasque impacto ensis capulo graviter percussit, adeo ut magna vis sanguinis ex ore et naribus profluueret ; et mox cæsa cervice caput amputavit, sexto Idus Octobris.

C De ea et illud post mortem memorabile traditur, caput utraque manu sustentasse, et haud secus ac si viveret incedentem, a Baniæ monte, ubi interfecta est, per stadii spatium, usque ad Lustri vallem detulisse, ubi corpus longo post tempore divinæ revelationis indicio repertum, multis editis miraculis Virginis sanctitatem declaravit.

Ejus reliquiæ, excepto capite, hodie non reperiuntur.

5 *Atque hæc de Sanctæ cultu dicta sufficiant. De sacris ejus reliquiis pauca jam dicemus. Pretiosum Sanctæ nostræ caput Trecis in parthenone S. Mariæ asservari, superius animadvertimus : præterea sacrum ejus corpus in sacello prope ecclesiam de Lustria sepultum fuisse tradunt, qui Sanctæ neminere, scriptores. At, in qua dictæ diœcesis ecclesia hæc sacra pignora nunc existant, prorsus ignotum esse, aperte fatetur D. Des-Guerrois, probantque Acta, quæ D. Joannes, LXXVII episcopus Trecensis, incolis parœciarum de Insulis et de Lustria, de reliquiis ejusdem Sanctæ acriter disceptantibus, silentium impositurus, anno Incarnati Verbi* 1441 *confici jussit. Hæc Acta seu Instrumenta publica D. Camuzatus in Promptuario ecclesiæ Tricassinæ refert, quorum totam seriem lectori proponere, necesse non duco; ne longior sim, quæ huc maxime pertinent, verba transcribo* : In nomine Domini amen. Universis præsentes literas inspecturis, Joannes, miseratione divina Trecensis episcopus, salutem in Domino. Cum nuper.....districte prohibemus supradictis parrochianis et incolis de Insulis et de dicto Rameruco, quod a modo affirmare non præsumant, quod apud se vel eorum ecclesiam sit corpus supradictæ B. Tanchæ, ne hoc prætextu de cætero retrahant, aut quovis modo scienter impediant euntes peregrinationis causa aut ire volentes ad supra dictam ecclesiam de Lustria, vel ad capellam de Bouchetto juxta dictam Lustriam, in qua fuit sepultum et inhumatum corpus gloriosum supra dictæ Sanctæ..... Sane licet in Legenda sæpe dictæ Sanctæ, tam apud ecclesiam de Lustria, quam alibi inventa, bene caveatur supra dictum corpus fuisse a dicta capella de Bouchetto levatum et exhumatum, et miraculose apud dictam ecclesiam de Lustria repositum et incapsatum, quia tamen his temporibus nihil aut modicum illic de supra dicto corpore invenitur, nos similiter prohibemus parrochianis et incolis illius E villæ de Lustria, ne de cætero veraciter audeant asserere, quod apud suam præfatam ecclesiam sit prænominatæ S. Virginis corpus gloriosum, nisi forsan imposterum et illic reperiretur et episcopali vel alia sufficiente auctoritate hoc ipsum decerneretur. *Illas vero reliquias nec postea inventas fuisse claris verbis indicat laudatus Des-Guerrois in sæpe citati Operis Annotatis ad Vitam ejusdem Sanctæ.*

AUCTORE J. B. F.

Tempus martyrii incertum.

6 *Tempus, quo Sancta gloriosissimo pro tuenda castitate martyrio consummata fuerit, huc usque pro certo definiri non potest. Ipsius parentes Antiochiam, civitatem Syriæ percelebrem, metu persecutionum deseruisse ac in diœcesis Tricassinæ territorio Ramerudensi habitasse, narrant Sanctæ Acta; at quo seculo contigerit ea transmigratio, nulla docet temporum nota, nec eadem auctorum, qui Sanctæ Acta posteritati commendare allaborarunt, est opinio. Lahierus in SS. Virginum Menologio adventum illum circa reparatæ Salutis annum* 300 *figit, quo tempore Romani Antio-* F *chenos tyrannice, ut refert, vexarent. Alii vero sec.* VI, *capta scilicet a Cosrhoe civitate Antiochia, illos e Syria in Campaniam fugisse volunt. Denique Des-Guerrois in Notis ad Vitam* S. Tanchæ *dicit, Sanctæ parentes Antiochia seculi septimi anno trigesimo septimo discessisse, dum Sarraceni, tota Syria jam devastata, Antiochenos crudeliter persequerentur; cujus opinionis fuisse videtur Castellanus, qui in Martyrologio Gallico in margine ad diem* X *Octobris emortuale Sanctæ nostræ tempus sec.* VII *adscripsit. At nulli ex his tribus in medium adductis opinionibus, quæ totidem sunt conjecturæ, sat tuto licet adhærere; cum auctores, qui tempus ipsius in cœlis natale, monumentorum defectu incognitum, conjectando hic determinare volunt, fidem indubiam, utpote a* S. Tanchæ *ætate nimium remoti, nullo modo mereantur.*

Passio edenda.

7 *Quod ad Acta* S. Tanchæ *pertinet, quæ sub sequenti titulo :* Passio S. Tanchæ virg. et mart. *vel* Legenda S. Tanchæ, *preli beneficio posteritati transmiserunt D. Des-Guerrois, P. Lahierus,*

AUCTORE J. B. F.

Lahierus, Arturus a Monasterio, P. Simon Martinus in Sanctis Deserti Reliquiis, et Renatus Benedictus, illa in omnibus fere conveniunt cum Passione hic edenda, quæ ex Ms. Legendario Pruviniensi deprompta in supellectili nostra litteraria asservatur. Illis Actis, sicut et Passioni Commentario subjiciendæ, licet ex vetustis Legendariis descripta videantur, tamen non indubitatam in omnibus fidem adhibendam esse autumo, cum nulla nota chronologica sint præmunita, ex qua ætas Sanctæ vel tempus, quo Acta exarata fuerunt, erui possit; præterea omnia, quæ in illis referuntur, ex synchronis supparibusve scriptoribus hausta esse, nullo ex capite constat. De horum vero Actorum vetustate multa dicere nequeo : nam vetusta quidem credo, si ad ætatem nostram respicere velimus : sed verisimiliter longo tempore post mortem Sanctæ fuerunt concinnata. Hinc non aliam iis auctoritatem tribuere possumus, quam quod ex his Actis seu Passione innotescat, qualis de S. Tancha *in diœcesi Tricassina olim fuerit et adhuc forte perseveret traditio.*

B

PASSIO

S. TANCHÆ VIRGINIS

ET MARTYRIS

Auctore anonymo,

Ex Ms. Legend. Pruviniensi.

PROLOGUS.

Regnante Domino nostro Jesu Christo sine termino, quin etiam ab ipsius Incarnati Verbi mysterio, sed a Passionis suæ vel gloriosæ Resurrectionis Ascensionisque triumpho, Sanctorum ubique terrarum in tantum præclara studuit confessio, ut plures omnis generis sexus et ætatis perpetuæ gloriæ coronam consequerentur martyrio, dum cæli civibus in excelsis gaudium ex ovibus compertis, et felix esset ante Dominum exultatio. Gloriosa quoque virgo Tancha, tempore Christianorum nova martyr effecta, velut hesperus aut lucifer in æthereis C syderibus diebus floribus veris mundo rutilans emicuit *a*. Cujus originem quia paginæ hujus series incertam produxit, veteres relatores scriptor onerat de fide, ne Christum offendat, quem metuit : nisi quia charitas omnia, quæ pia sunt, sperat et credit, famam Virginis, venustis * ortæ natalibus *b*, auditoribus absolvit. Unde etiam sæpe contingit, quod rei eventus tam nobiles quam mediocres, tam majores quam minores profugos et vagos elicit a propriis terminis, ut exules secretius disponant vitam et consilium, tempus et modum suæ conditionis. Sed hi felices, qui pro Christo pro copiis inopiam, pro mollitie duritiem amplexi cupiunt exiliari, ut a carnalibus et cognatis amicis remoti, liberius ad munera Domini valeant expediri. Quique per Euangelium Dominum sequuti patrem et matrem, uxorem et filios et possessiones deserentes et seipsos sibi abnegantes in sublimitate duodecim Apostolorum confessuri et cum Filio Dei orbem terræ in æquitate judicaturi tam perfecti, tanto honore, tanta dignitate sunt D a Rege cæli honorandi.

a

* *l.* vetustis.

b

ANNOTATA.

a *Eadem fere habet laudatus Des-Guerrois in libro, cui titulus :* Sanctitas Christiana ecclesiæ Tricassinæ.

b *Saussayus et alii Sanctæ biographi dicunt Virginem nobilibus ortam natalibus.*

CAPUT UNICUM.

Sanctæ in juventute pietas et castitas, pro quo tuenda crudeliter occiditur.

Sanctæ a teneris annis

Itaque quidam clarissimi generis Christicolæ ab Antiochia profecti versus Occidentem cum uxoribus et liberis et facultatibus advecti in E Franciam, alii in territorio Remirurense *a*, alii vero in Arceyensi *b* advenæ quiescentes, voluerunt esse coloni. Pater autem S. Tanchæ non procul a præfato oppido, scilicet Remirys, tribus milliaribus inferius ab ortu solis mansurus tabernaculum fixit, more sanctorum Patriarcharum, videlicet Abraham, Isaac et Jacob, domum regens et erudiens familiam in timore sancto juxta præceptum Domini. B. Tancha ad mansuetudinem columbæ, sicut lilium inter spinas, cor contritum et humile semper habebat inter seculares, ubi inerat : dum longe aliena mens abesset ab his, quos præsentes cernebat. Nam a primis annorum rudimentis Christo Domino suam consecraverat infantiam, et Virguncula pulchræ ac sanctæ indolis per mores et actus despecto sæculo crescebat de virtute in virtutem, malens vitam suam soli Deo secretam esse, quam humanis laudibus et auris popularibus agitatam, per infamiam aut favorem seu in contrarium agitationem.

a

b

in Deum pietas et ‡ *an* Adolescentula ?

3 Et quia felix Adolescencia * per omnia nequibat propter custodiam parentum et frequentiam familiæ complere, quæ gestabat in sancta devotione, tanto fortius flagrabat in sui Creatoris amore. Hinc etiam ab illis gentilibus dictum est : quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis : et major exiguo regnabat in corpore virtus, et bonitas nutritur in teneræ ætatis debilitate, et virtus perficitur in infirmitate. Et sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii per desertum in altum ascendit ; sic B. virgo Tancha a concupiscentiis mortificata, et fervore Spiritus accensa, atque universis virtutum floribus, odoribusque decorata inter ordinatum desertorum morum populum devotionem mentis in sublime ad aures * Domini dirigebat, cujus intentio tota versabatur in cælo, dicens cum Apostolo : Nostra conversatio in cælis est. Si quidem de vita ejus secreta, Domino teste, fileam ; credo, quia magis calamus scribentis quam pia gesta defuissent.

F

* *lege* nares

invicta castitas,

4 Ergo ad illud tempus vertamus eloquium, quo virginalis Athleta contra diabolum dimicandi statuit articulum. Ventum erat ad id *c*, ut rapta foret, ne malitia mutaret sensum ejus aut

c

ne

A ne fictio deciperet intellectum ejus, placita enim erat Deo anima ejus in vita immaculata: propterea properavit eam educere de medio iniquitatum, ut consummata in brevi expleret
d tempora multa *d*. Et quia in vita sua tot et tanta et talia gessit, et quod inter cætera summo studio beatæ favit castitati, in exitu ejus
e Dominus declaravit. Tunc cognatus *e* patris S. Tanchæ virginis apud oppidum Arceyense manens, per dies solemnes ad convivium ipsum patremfamilias invitavit, ut biduo vel triduo simul jucundarentur in Domino. Cui jam venienti dixit ille Arceyensis: Ubinam est filiola mea Tancha (erat enim, ut ita dicam, compater ipsius, qui sacram Infantem de sancto fonte susceperat) et adjecit: Nunquid non adduxisti eam tecum? Qui respondens ait: Nequaquam; nam res nostras custodit et familiam disponit. Et ecce unus e famulis domus Arceyensis equo parato profert se propter Puellam iturum, et, jubentibus illis, profectus est.

pro qua tuenda fortiter cum

5 Cumque venisset ad illam, et mandata patris nuntiasset, Virgo Domini multum ac diu
B dubitans expavit: sed præterire timens obedientiam patris, infesto juveni se tandem dubia credidit et profecti sunt. Et cum jam prope essent ad locum, qui dicitur Mons Banaiæ, serpens antiquus induit funestum comitem et Puellam pavidam cœpit affari de libidine. At illa suspirans respondit: Nequaquam potest fieri, ut mihi miscearis; et videns illum diabolico occupatum veneno cœpit circumspicere, si quis arans aut viator aut pastor visus procul appareret; sed nullum prorsus hominem vidit, quem sibi adjutorem clamans invocaret, et cum humanum sibi videret deesse auxilium, cœpit subnixis precibus implorare auxilium Domini, et discussam mentem convertit ad Dominum dicens: Respiciens eram ad auxilium hominum, et non erat auxiliator; circumspexi, et non fuit, qui auxilium præstaret; quæsivi, et non fuit, qui adjuvaret. Dominus Deus sit auxiliator meus, ne sim confusa. Libera, Domine, corpus meum et animam meam a persequente et corruptore diabolo, et mittere digneris S. Spiritum tuum de superna sede Majestatis tuæ, qui defendat et custodiat pudorem meum ab isto pravo insectatore, ut non præveleat adversum me malitia ejus, inviolataque valeam tibi occurrere, et digneris me inter beatorum spiri-
C tuum consortium et virgineos choros computare.

libidinoso homine pugnat,

6 Adhuc Sanctam orare interrupit vesanus ille obstruens, et quid, inquit, tamdiu murmuras? aut voluntati meæ obtemperes, aut gladius meus pertransibit carnes tuas. Respondit B. Tancha: Melius est mihi mori, quam incidere in manus peccatoris. Tunc excussit eam de equo, ipseque descendit insanus et manus
f injiciens voluit incestus *f* inferre vim sanctæ Virgini, quæ repellens illum a se, fulta virtute Spiritus Sancti, constanter stabat fortis. Tanta enim virtute circumdedit eam virtus Spiritus Sancti, ut Virgo Domini immobilis non posset ab hoste prosterni. Fit certamen et luctantur ambo in campo; sed non sicut nudos in palæstra illudere solet unctio, appetit incestus virgineum violare pudorem, sed virgineum decus obstat, et defendit sancta virgo suam devotam castitatem. Veritas orta de terra descendit stans in præsentia, quæ fuit cælestis, de cælo prospexit justitia; Virgo certat et resistit, et oppugnat in stadio spectantibus angelis, consi- A. Anonymo.
derante Domino. Tandem pessimus hostis cernens se nihil proficere, incendium libidinis vertit in iram furoris, et os et genas sanctæ Virginis cœpit gladii capulo percutere, rivusque sanguinis manans ex naribus et ore non cessat discurrere; tunc vibrato gladio cervicem Virginis perculit, et statim raptus a diabolo nusquam comparuit.

7 Beata vero Tancha sub ictu percussoris im- *a quo occidetur.*
mobilis super pedes stans erecta non corruit, et cæsum caput tenens, susceptum propriis manibus *g*, loco, ubi decollata fuerat, iens uno stadio usque ad vallem Lustri deportavit angelo ducente, ibique secus arborem spinæ nobile depositum corporis et capitis collocavit *h*. O quam h
venerandus est ager et sacer ille locus, ubi pro fide Christi martyrii rosei decoris effusus est sanguis innoxius. Tua sit, Christe, hinc gratia, tua laus, tua virtus et magnalia, qui vere gloriosus et mirabilis et potens es per omnia, qui Sanctos tuos de hoste generis humani sic triumphantes glorificas, ut etiam in sexu fæmineo declarare digneris tantam virtutem atque victoriam et insuper tam magna mirabilia. Beata Tancham jacentem super humum in soli- E
tudine, non alii quam angeli levaverunt de viridi cespite, et quanto caruit humano solatio, tanto melius fuit procurato divino. Ad celebres ejus exequias angelorum convenit frequentia, et per centies centena millia millium Sanctorum corpus virginale cælestis circumfulsit curia; non aliæ scito manus quam angelicæ terram patefecerunt et foveam præparaverunt: non alii quam angeli et beatorum spiritus corpusculum subtus collocaverunt et sepelierunt. Et quia indignum est, ut pes peccatorum præsumat calcare corpora Sanctorum, Christus ab excelsis servavit corpus in imis: cum igitur jacet in terris, Deus curat illam ab astris, ne sulcaret arans super ejus funera glebam, ne rabidi volucris aquilæ vel vulturis ungues, ne lupus atque canis membra violarent jacentis; exanimes artus non liquit cælica virtus, declarans terris virtutem virginitatis, monstravit populis, quantæ fuit bonitatis: nam circa tumulum sacrum posuit munimina, contra naturam producere faciens terram Idibus Octobris tot urticas, vepres, tribulos et indagine spinas circa et super tumulum Virginis, ut illam spissam indaginem etiam tenuissimum reptile vix posset pertransire. F

ANNOTATA.

a Remirurum *seu* Ramerudes *oppidulum est diœcesis Trecensis in Campania Galliæ situm ad Albam fluvium.*

b Artiaca *vel* Arciaca, *Gallice* Arci sur Aube, *ab aliquibus etiam* Arcia *vocata, oppidulum est ad Albam fluvium in agro Tricassino.*

c *Videsis libri Sapientiæ caput* 4, ℣. 11.

d *Lib. Sap. cap.* 4, ℣. 13.

e *Saussayus in Mrl. Gallicano ad diem* x *Octobris dicit, illum cognatum fuisse Archiensis castri dynastam.*

f *Vocabulo* incestus *hic male utitur auctor pro denotando stupro.*

g *Crebræ sunt in Actis Sanctorum gestationes capitis amputati; sed plerasque omnino suspectas esse, in hoc Opere nostro sæpe*

A. ANONYMO. *indicatum reperies, velut passim perperam assertas ex imaginibus sanctorum martyrum caput in manibus suis, ad significandum eorum mortis genus, portantium, quod hic denuo observatum volo.*

h *Saussayus in Martyrologio Gallicano ad calcem Vitæ* S. Tanchæ *hæc habet:* Repertum denique corpus, cruore roseo purpuratum, pater S. Tanchæ desolatus collegit, sepelivitque multis cum lachrymis in Lustriæ vici parœciali ædicula. D

DE S. NUNCIO CONFESSORE

IN COMITATU NAMURCENSI

C B

Notitia de cultu et reliquiis.

FORTE SEC. VII. *Sanctus, qui Hasteriæ fuit sepultus,*

B *Hasteriense Ordinis S. Benedicti cœnobium, quod, sec.* IX *aut* X, *ut apparet, fundatum, aliquamdiu Mettenses, teste apud Dacherium Valciodorensi Chronico, S. Glodesindis moniales tenuere, quodque, hisce inde amotis, ad presbyteros seculares ac post ad monachos translatum, eidem deinceps, cui Valciodorense uno duntaxat milliari inde distans monasterium, abbati paruit, in comitatu Namurcensi æquali fere intervallo Dionantum inter et Caroli-Montem, diœcesis Leodiensis oppida, ad dexteram Mosæ ripam est situm. In sacri illius asceterii, quod, priusquam sanctimonialibus traderetur, fuisse a clericis occupatum, suppositicia, quam infra memorabo, asceterii ejusdem fundationis charta prodit, ecclesia aut certe Hasteriæ* S. Nuncius *sepulturam est nactus. Ita scilicet fert loci constans traditio ac porro in Sanctorum Belgii Indiculo Molanus, itemque in Sanctorum etiam Belgii Natalibus idem Molanus seu potius (illi enim, cum hic ab anno* 1583 *jam obiisset, anno demum* 1595 *prodiere in lucem) e Molani Schedis (Miræum in Cod. Donat. piarum pag.* 84 *in fine videsis) Petrus Louvius non obscure prodit, utpote hodie ibidem e Pauli Thononi, Supprioris Hasteriensis, quod inter dictas Molani Schedas repererit, rescripto Sanctum Hastericæ sic annuntians:* In basilica Hasteriensi beatæ Genitricis Dei depositio sancti Nuncii confessoris. Fuit, ut fertur, filius cujusdam regis, sed vitæ æternæ desiderio porcos pavit et in Hasteria depositionem accepit.

C

indeque diu post Walciodorum translatus

2 *Verum Sancti corpus, quod Hasteriæ sepultum, pluribus jam seculis, uti quisque ex infra dicendis facile colliget, ibidem fuerat servatum, inde demum post cladem, monasterio Hasteriensi a Calvinistis anno* 1568 *illatam, Valciodorum fuisse delatum, ibidemque anno, quo hæc scribebat,* 1595 *fuisse asservatum, Molanus aut, si mavis, Petrus Louvius hodie in* S. Nuncii *elogio seu potius ulteriori, quam Sancti mox datæ annuntiationi subjungit, notitia dilucide nos docet. Miræus quidem in Fastis Belgicis et Burgundicis, qui, quamvis annum, quo prodierint, haud præferant, verosimillime tamen anno* 1622, *quo eorum dedicatio et approbatio signantur, editi fuere, hodie sic scribit:* Corpus... S. Nuntii etiamnum Hasteriæ quiescit; *ast, etsi sic is scriptor Molano hic utcumque adversari videatur, Molano tamen seu Petro Louvio Gazetus in ecclesiastica Belgii Historia pag.* 311 *suffragatur, uti etiam in ecclesiæ Leodiensis Floribus, anno* 1647 *excusis, ad hunc diem Fisenus, et in* E *comitatus Namurcensis, quæ anno* 1754 *prodiit, Historia pag.* 88 *Joannes Baptista de Marne, quorum penultimus quidem tum, cum bellorum atrocitate hæreticorumque impietate dirutum pene fuisset Hasteriense cœnobium, ultimus vero anno* 1568, *quo, ut ait, pleræque, quæ Hasteriæ servabantur, sacræ reliquiæ a Calvinistis, irruptione in regionem facta, profanatæ ac exustæ fuerunt,* S. Nuncii *corpus Hasteria Walciodorum fuisse advectum, affirmat.*

ibidem hodieque servatur,

3 *Adhæc, quæ Molanus in Sancti nostri notitia supra laudata memorat, ea omnia ac proin et quod de* S. Nuncii *corpore, post cladem, monasterio Hasteriensi a Calvinistis anno* 1568 *illatam, Walciodorum Hasteria translatio, scribit, e supra memorati, ut ipsemet titulo notitiæ eidem præfixo prodit, Thononi rescripto seu litteris hausit; cum hæ autem, uti e jam dictis pronum est colligere, ad Molanum, qui anno* 1583 *obiit, a Thonono fuerint conscriptæ, hicque indubie, utpote qui, quemadmodum inde consequitur, ipsomet cladis, monasterio Hasteriensi a Calvinistis anno* 1568 *illatæ, tempore exstiterit in vivis, verosimilli-* F *me quam optime, quod de* S. Nuncii *corpore, Hasteria post hanc Walciodorum translato, ad Molanum scripsit, habuerit perspectum, consectarium fit, ut hic, litteris illud in præfata notitia commendans, potiorem sibi, quam Miræus, fidem adjungat, ac porro adjungeret, etsi etiam hic scriptor, quod tamen non facit, diserte assereret,* S. Nuncii *corpus Hasteria numquam Walciodorum fuisse avectum. At vero, cum Miræus anno* 1622, *quo verosimillime, ut dixi, laudatos Fastos vulgavit, Hasteriæ adhuc quievisse* S. Nuncii *corpus, dumtaxat insinuet, erit fortassis, qui id, postquam anno* 1568 *Walciodorum Hasteria fuisset avectum, ad posterius hoc monasterium fuisse ante annum* 1622 *reductum, opinetur. Certe id, cum Molanum et Miræum, quorum prior anno* 1595 *Walciodori, posterior vero anno* 1622 *Hasteriæ* S. Nuncii *corpus asservatum fuisse, prodit, legissem, suspicatus ego, quo utrumque hunc scriptorem in concordiam adducerem, initio sum; verum, visis iis, quæ Castellanus, Marneus et Rayssius tradunt,*

suspicionem

A *suspicionem illam deposui ac Miræum a veritate devium existimavi. Cum enim Rayssius in Belgico, quod anno* 1628 *vulgavit, Hierogazophylacio pag.* 225 *et* 542, *Castellanus in Martyrologio suo Universali, anno* 1709 *excuso, ac denique Marneus in Comitatus Namurcensis, quæ anno* 1754 *prodiit, Historia pag.* 88, *Walciodori asservari seu quiescere* S. Nuncii *corpus, affirmet, id ibidem, anno etiam* 1622 *fuisse servatum ac porro hodieque servari nec umquam inde Hasteriam fuisse reductum, apparet indubitatum.*

duobus illis ac aliis diœcesis Namurcensis

4 *Verum, etsi sic habeat, Sanctus equidem tam in posteriori hoc monasterio, quam Walciodori colitur. Ac in quidem Molanus, Hasteriæ summo, Walciodori vero duodecim Lectionum Officio quotannis* sexto Nonarum *(in Indiculo Sanctorum Belgii, anno* 1583 *excuso, rectius habet* sexto Iduum) Octobris *fieri, in supra memorata Sancti nostri notitia affirmat, mox etiam addens :* Quo die quidquam operis fecisse in Hasteriensi banno piaculum esse solet, sua magnitudine inauditum. At nunc refrixit illa charitas, licet adhuc multum
B ab incolis et vicinis celebretur, sicut et nominis ipsius frequens in Baptismate impositio testatur; *cum autem hæc omnia, uti et supra dictis nemo non colliget, Molanus e Thononi rescripto seu litteris didicerit, hicque certe, quo cultu Sanctus Hasteriæ et Walciodori gauderet, probe exploratum habuerit, enimvero, quin Sanctus ita, ut Molanus ait, Hesturiæ et Walciodori vere colatur cultusve olim saltem fuerit, dubitandum non est. Nec tantum in duobus illis diœcesis Namurcensis monasteriis, verum etiam aliis hujus locis cultu ecclesiastico Sanctus gaudet.* Namurci colitur pia memoria beati Nuntii confessoris, *ait ad hunc diem in Martyrologio suo Gallicano Saussayus, eique assentitur Miræus, utpote, Namurci ab ecclesiæ cathedralis canonicis hodie Sanctum coli, in Fastis Belgicis et Burgundicis affirmans.*

locis hodie colitur;

5 *Adhæc in Sanctorum diœcesis Namurcensis, quod mihi ad manum est, Proprio ecclesiasticum de communi confessoris non pontificis Officium in* S. Nuncii *honorem recitandum hodie præscribitur , hincque* Nuncium
C *Namurci vere in cathedrali ecclesia, imo et in tota diœcesi Namurcensi, ac nominatim etiam in Gemblacensi hujus cœnobio, ubi pars cranii illius, prout Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 225 *docet, religiose asservatur, cœlitum honoribus affici, in animum induco ; anne autem extra diœcesim istam in Duacena collegiata S. Petri ecclesia, ubi, eodem Rayssio pag.* 409 *teste, in lipsanotheca argentea pars capitis* S. Nuncii *una cum aliis aliquot sacris reliquiis servatur, pariter id fiat, edicendo non sum. Neque vero id ad institutum nostrum necessario requiritur ; Sanctum enim in diœcesi Namurcensi coli, omnino e jam dictis, quod nobis hic sufficit, est certum. Ast, etsi sic habeat, ac eum diutissime Hasteriæ cultum fuisse proxime recitata Molani verba reddant etiam indubitatum, diu tamen Sanctus extra comitatum Namurcensem tam parum fuit notus, ut nec nomen ejus in ullis Usuardinis Molano antiquioribus Auctariis, nedum in Mrll. classicis, reperiatur.*

6 *Novit id haud dubie Molanus , cumque nihilominus,* Nuncium *Hasteriæ ac alibi in diœcesi Namurcensi coli didicisset , hinc in posterioribus, quæ anno* 1573 *et anno* 1583 *prodiere in lucem , Martyrologii sui Usuardini editionibus Sanctum hodie signavit his verbis :* In Hasteria sancti Nuncii confessoris; *Molanum autem, qui, quemadmodum supra vidimus, in Sanctorum etiam Belgii Natalibus* S. Nuncium *hodie celebrat, secuti deinde sunt Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, Ferrarius in Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo, Saussayus in Martyrologio Gallicano ac in Martyrologio suo Universali Castellanus ; verum hi omnes fere paucissimis dumtaxat verbis Sanctum commemorant. Nec est, curid mirum cuiquam appareat. Etenim,* quæ de S. Nuncii vita et miraculis, atque id genus alia, addendo forent, ea, *ut Molanus verbis suis, num.* 4 *huc transcriptis, e Thononi Rescripto mox subjungit,* vetustate temporum et bellorum injuriis interiisse putantur, cum Hasteriæ essent sanctimoniales, pluraque periisse, est verisimile, ipsis Mettim migrantibus et sua monimenta secum asportantibus. *Cum autem sic habeat, verosimillime vix quidquam sat exploratum, quo Sanctum celebrarent, laudati martyrologi repererint. Fisenus quidem, qui Sanctum pariter in ecclesiæ Leodiensis Floribus hodie recenset, qualicumque id elogio, paulo etiam pluribus verbis concepto, facit ; verum, quæ his refert, vel e Sancti, quam e Molano partim jam dedi, notitia sunt deprompta vel certe apparent hujusmodi, ut fidem indubitatam minime mereantur.* E

auctore C. B. sacrisque aliquot Fastis recentioribus inscriptus, a Fiseno

etiam ornatur elogio huc transcripto,

7 *Illud totum, additis deinde, quibus palam fiat, quam sint nonnulla, quæ complectitur, incerta ac dubia, huc transcribo. Sic habet :* Illustri gente natus (S. Nuncius *scilicet)* clero adscribi voluit, qui Hasteriam olim inhabitabat. Insignem ibi sanctitate vitam ducens, subulcum egisse fertur, ut eo sublimiorem inter Superos gloriæ attingeret apicem, quo se inter homines abjecisset ad viliora. Quæ de vita et miraculis, atque id genus alia, addenda forent, ea vetustate temporum et bellorum injuriis interiisse putantur, cum Hasteriam tenerent virgines, quæ clero successerant; pluraque periisse verisimile est, iisdem Metas migrantibus et familiæ commentarios secum asportantibus; F quando scilicet Hasteria Walciodoro juncta a monachis incoli cœpit. Quo tempore transierit ad æternam felicitatem Nuncius, nobis minime compertum est; hoc tamen certum, quod ante annum sexcentesimum quinquagesimum sextum, quo scilicet, dimisso clero, Hasteria virginibus concessa est. Diem natalem tanta religione coluerunt majores, ut profano opere violasse censerent piaculum, ipsa magnitudine prope inauditum. Sacrum ejus corpus tot sæculorum lapsu Hasteriæ servatum est, donec, bellorum atrocitate impietateque hæreticorum diruto ferme cœnobio, Walciodorum avectum est.

in quo ante annum 656 *obiisse asseritur;*

8 *Sancto nostro, quem Molanus verbis, num.* 1 *huc transcriptis, filium regis facit, generatim dumtaxat generis nobilitatem Fisenus et hic et in Hist. Leodiensi pag.* 108, *ubi etiam de eo loquitur, attribuit ; verum nec sic potiorem, quam Molanus, fidem meretur. Molanus quidem; infida dumtaxat, quod ait, vulgi fama niti, additis vocabulis* ut fertur, *declarat; ast nihil omnino, quod fama popularive traditione præstet, pro se habet Fisenus. Nullum*

AUCTORE C. B.

lum enim antiquum probæ notæ seu scriptorem seu monumentum, in quo vel generis, quam Sancto generatim attribuit, nobilitas sit fundata, allegat, aut allegare etiam potuit. Quare est æque, an Sanctus genere nobilis, quam an filius regis exstiterit, incertum ac dubium. Nec certum etiam est, ante annum 656 S. Nuncium *excessisse e vivis. Contrarium quidem Fisenus in elogio jam dato indubitanter pronuntiat. Verum id dumtaxat facit, quod, anno illo in monasterio Hasteriensi sanctimoniales clericis, qui id ante occupassent, fuisse substitutas hosque inter, priusquam id fieret, vitam egisse ac porro terminasse Sanctum nostrum, existimarit. Ac primum quidem seu anno* 656 *aut adhuc citius sanctimoniales clericis in monasterio Hasteriensi fuisse substitutas, foret dicendum, si genuina esset, quæ apud Miræum in Diplomatum Collect. et apud Grammaium in comitatus Namurcensis Antiquitatibus exstat, sacri illius asceterii fundationis charta, anno* 656 *signata.*

etsi autem id minime sit certum,

9 *Verum hanc, quæ, quo data notatur, anno* 656 *aut adhuc citius in Hasteriensi cœnobio sanctimoniales, amotis, qui id ante occupassent, clericis, fuisse jam statutas, luculentissime prodit, suppositi tiam esse ac proin rei huic adstruendæ ineptam, Marneus supra laudatus in historico-criticis, quas ad Historiæ suæ Namurcencis calcem adjecit, Dissertationibus pag.* 101 *et tribus seqq. evidentissime probat; cum autem sic habeat, nec ullum documentum aliud, quod, clericis sanctimoniales in monasterio Hasteriensi anno* 656 *aut adhuc citius fuisse substitutas, suadere sit natum, inveniatur, enimvero, anne id fuerit re ipsa factum, dubium esse necesse est. Adhæc, etsi secus foret, adhuc tamen, an Sanctus inter clericos illos vitam umquam egerit, esset omnino, nullo pariter, quo id doceamur, exstante documento antiquo, incertum. Jam vero, cum res ita habeat ac Fisenus ex eo tantum, quod et anno* 656 *in monasterio Hasteriensi sanctimoniales clericis fuisse substitutas et hosce inter, priusquam id fieret, vitam egisse ac terminasse* S. Nuncium, *existimarit, fuisse hunc ante eumdem annum* 656 *e vivis sublatum, affirmet, consectarium e jam dictis fit, ut sane, id jam tum accidisse, certum etiam non sit.*

Sanctusque forsan etiam usque ad sec. x *vitam protraxerit,*

10 *Et vero, an Sanctus, quem præterea præ animi demissione subulci obiisse officium, Molanus et post eum Fisenus absque ullo etiam vade antiquo scribunt, usque ad seculi* VII *finem vitam haud protraxerit, non immerito, cum nihil omnino, quo mortis ejus epocha vel utcumque determinetur, occurrat, revocari potest in dubium; imo vero illum, qui,* Nuncium *etiam ante sec.* X *haud floruisse, assereret, a veritate certo devium pronuntiare non ausim. Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom.* 3, *col.* 570 *compendio, quæ Chronicon Valciodorense apud Dacherium tom.* 7 *Spicil. pag.* 530 *et seq. refert, exhibent hunc in modum;* Ceterum temporibus Forannani *(hic, de quo ad* XXX *Aprilis diem in Opere nostro jam egimus, seculo* X *ex Hibernia, sede Armachana, quam ibidem occupabat, relicta, in Belgium cum duodecim sociis appulsus, monasterio Walciodorensi abbas fuit præfectus)* an 968 vel 969 unitur Valdiodoro, sub potestate tamen Mettensis ecclesiæ, Hasteria, Cella vicina, ab Othone imperatore precibus Eilberti comitis ac Theoderici Mettensis episcopi ejus consanguinei, ad quem pertinebat, sicque factum est, Benedicto VII probante, ut sanctimonialibus, quæ ibi hactenus cum decana sub jugo et obedientia S. Glodesindis abbatissæ ex dono Adalberonis, episcopi Mettensis perseverabant, ad S. Glodesindis monasterium regressis, Forannanus quatuor ibidem constituerit sacerdotes, *seculares nimirum,* qui divina Officia illic sub moderamine Valciodorensis abbatis celebrarent.

ejus tamen obitum ad sec. VII *dubitanter retuli.*

11 *Quid si ergo* S. Nuncius *S. Forannanum, monasterio Walciodorensi jam præpositum, in Belgium ex Hibernia fuerit seculus, unusque e quatuor, quos hic Hasteriæ, Walciodoro jam unitæ, monachis in locum illum dumtaxat post, uti iterum apud Dacherium tom.* 7 *Spicil. pag.* 546 *Chronicon Walciodorense testatur, a Theodorico Walciodorensi abbate sub sec.* XI *initium inductis, constituit, sacerdotibus secularibus exstiterit? Hoc, quod Rayssio, cum* S. Nuncium *in Hierogazophylacio Belgico pag.* 409 *appellet* Presbyterum Hibernum, *fortassis haud displicuit, nonnemini forsan etiam videbitur haud omni prorsus veri specie destitutum; verum, etsi ita sit reque etiam ipsa forsan Sanctus seculo demum* X, *uti inde consequeretur, exstiterit in vivis, supra tamen, quod id equidem sic habere, nullo queat probari documento antiquo, seculo* VII, *adhibita, quæ dubitantium esse solet, vocula* forte, *obiisse Sanctum, in margine indicavi, ita præterea faciendum ratus, tum quod a nemine ejus obitum ad aliud seculum reperierim referri, tum quod Sancti, quorum ætas omnino est incerta, haud inepte putentur fortassis spectare ad seculum, quod a Sanctorum, qui tum virtutum suarum splendore Belgium illustrarunt, multitudine* Sanctum Belgii seculum *solet appellari.*

DE

A

AUCTORE C. B.

DE S. VENANTIO EREMITA,

PRO MARTYRE CULTO,

IN ARTESIA BELGII PROVINCIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Cultus antiquus, memoria in Fastis sacris recentioribus, Vita haud edenda, natales e S. Amelberga perperam asserti, proximaque cum aliis aliquot Sanctis consanguinitas aut dubia, aut certo falsa.

B

SEC. VIII PROVECTO. *Sanctus, cujus hic antiquus*

In Artesia, Belgii provincia, Ariam inter et Maurontivillam Legiæ seu Lisæ fluento Armenteriam versus adjacet S. Venantii fanum aut, si mavis, Venantiopolis, Gallice S. Venant. *Hoc in oppido* S. Venantius *eremita, qui loco nomen fecit, ac, quamvis in Hannonia ex infra dicendis natus, primam etiam, ut volunt, eremitica sibi ibidem exstructa casa sacraque huic post per S. Itisbergam substituta in ejus occisi honorem ædicula, originem dedit, a tempore immemorabili quotannis, ut Martyr, ad præsentem diem, nomini suo sacrum, colitur, idemque etiam in Yberghana seu Ysbergana parœcia et Ariensi ecclesia, haud procul inde remotis, fit.* Omni retro memoria, *inquit tom.* 2 *de Morinis pag.* 904 *Malbrancus,* ecclesia S. Venantii, Ysbergana et Ariensis festam diem coluerunt S. Venantii Hannoniensis. *Ac Sanctus quidem, quo modo in nominis sui oppido ac in Ysberghana seu Iberghana parœcia, eodem fere etiam in Ariensi ecclesia videtur hodie semper usque ad*

C *annum* 1622 *fuisse honoratus. Ita arbitror, quod, illud tam Ariæ, quam Venantiopoli solenni festo hodie coli, Gazetus et Molanus, prior quidem in ecclesiastica, quæ anno* 1614 *prodiit, Belgii Historia, posterior vero in Sanctorum Belgii Indiculo et Natalibus, ante annum* 1596 *excusis, affirment, hisque adhuc Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, sub annum* 1622 *vulgatis, suffragetur, utpote ibidem hodie de Sancto nostro sic scribens:* Diem festum sibi sacrum habet in sui nominis opidulo et in vicina Ariensi canonicorum basilica.

una cum mutatione, sec. elapso

2 *Verum post annum* 1622 *in cultum, quo Ariæ hactenus fuerat gavisus, mutatio quæpiam videtur fuisse invecta. Etenim laudatus Malbrancus, qui, cum diu Ariæ, teste apud nos ad* XXI *Maii diem in S. Itisberga num.* 1 *Henschenio, fuerit versatus, probe haud dubie, de re hac quid esset, habuerit perspectum, Operis sui de Morinis secundo, qui anno* 1647 *lucem aspexit, tomo, cap.* 15 *nonnulla de cultu, a quibusdam, apud quos* S. Venantius *Ariensis seu Hannoniensis solitarius vixit, Venantio alteri, apud Biturigas nato ac S. Martini apud Turonas abbati, deferri* XI *Octobris die solito, sub initium præfatus, ita deinde verosimilem etiam dictæ mutationis rationem reddens prosequitur:* Reor igitur, canonicos Arienses jam olim Venantios duos duobus continuis diebus coluisse, et quidem Biturícensem ratione reliquiarum; cum autem Officium S. Venantii Officio S. Ysbergæ XXI Maii permisceretur et pene includeretur, solummodo in Octobri Biturícensis cultum remansisse; alioquin præcipua veneratione Ariensem ipsi prosequuntur Arienses. *At vero,* Venantium *nostrum, qui seculo, quod præteriit, jam provecto in nominis sui oppido Iberganaque parœcia ecclesiastico, uti e notitiis, tunc scriptis penesque nos exstantibus, intelligo, novem lectionum Officio hodie colebatur, collecta tum adhuc in Ariensi etiam ecclesia, utut Venantium abbatem novem lectionum Officio postridie celebrante, cultum fuisse, in Notitia altera, eodem circiter, quo Malbranci supra laudati secundus de Morinis tomus prodiit, anno* 1647 *exarata, diserte asseritur.*

E

F

Ariæ in eum invecta, cultus,

3 *Id ego, ipsamet, quæ mihi ad manum est, Notitia isthac inspecta, non sine admiratione quapiam observavi. Ea enim assertio omnino pugnare videtur cum Malbranco, utpote qui, Venantii Biturigensis cultum, cultu interim, quo* Venantius *noster in ecclesia Ariensi gavisus olim tempore Octobris fuerat, suppresso, ibidem solummodo adhuc, cum verba proxime recitata scriberet, in Octobri remansisse, non obscure, ut apparet, per hæc insinuet. Ast quid hic faciamus? Ut cum dicta Notitia Malbrancus in concordiam adducatur, dicendum apparet, ita eum esse locutum, non quod canonici Arienses ne collectam quidem seu orationem in Sancti nostri honorem hodie tum recitarent, sed quod nec diem hunc, veluti* Venantio *præcipue sacrum, nec ipsummet Sanctum nostrum novem lectionum Officio tum adhuc, uti antea fecerant, in Octobri celebrarent. Utut sit, mutationem equidem in cultum, quo* Venantius *in Ariensi ecclesia fuerat gavisus, seculo proxime elapso seu post annum,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE C. B.

annum, ut dixi, 1622 *fuisse invectam, Sanctumque nihilominus tam in Isbergana parœcia, quam in nominis sui oppido hodie quotannis novem lectionum Officio cultum tum adhuc fuisse, apparet ex omnibus jam dictis certum. Nec dubitandum reor, quin eodem hodieque honore in duobus illis posterioribus locis quotannis ad hunc diem afficiatur.*

memoria in Fastis sacris recentioribus

4 *Porro etsi* Venantius, *qui a Martyrologio Romano hodierno abest, in Usuardo etiam aliisque Fastis sacris antiquioribus haud reperiatur, Molanus tamen, ecclesiastico, quo gaudebat gavisusque e dictis diutissime fuerat, cultu verosimillime impulsus, illum tam suis ad Usuardum Additionibus, quam Sanctorum Belgii Indiculo et Natalibus hodie inseruit; Molanum autem secuti deinde sunt Ferrarius in Generali suo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis, Saussayus in Gallicano, Willotus in Belgico, Castellanus in Universali ac denique in Germanico, in quo interim mendose in Gallia*

B *juxta Ariam fluvium (neque enim Aria est Gallicæ Belgicæ fluvius, sed oppidum)* Venantius *coli asseritur, Martyrologio Wallasserus. Ac hi quidem omnes* S. Venantio *in Fastis sacris a se adornatis locum pro instituto suo recte dederunt; ast, cum martyrologi monastici Wion, Dorgainus et Menardus recensere Ordinis S. Benedicti Sanctos propositum sibi dumtaxat habuerint, qua de causa nihilominus hi* S. Venantium, *quem Ordini Benedictino adscribendum nihil suadet, in sacros, quos contexuere, Fastos pariter intulerint, haud perspicio. Bucelinus in suo, quod tamen Benedictini Ordinis Sanctis celebrandis adornavit, Menologio Sanctum nostrum haud signat ejusque Mabillonius nec in Sanctorum Benedictorum Actis, nec in Benedictinis Annalibus mentionem ullam instituit. Inter Prætermissos quidem, quos Sæc.* 3 *Benedict, part.* 2 *exhibet,* S. Venantium *eremitam ex Molano ad* x *Octobris recenset, sed, nulla omnino, qua eum exstitisse Benedictinum, indicet, nota apposita, id facit. Atque hæc de Sancti cultu consignataque in Fastis sacris recentioribus memoria jam satis.*

C *gestorumque e Vita haud edenda partim depromptum*

5 *Ad Acta progrediamur. Quæpiam apud nos exstat* S. Venantii *Vita, ex Ms. pagi S. Itisbergæ Lectionario, uti in capite notatur, deprompta ac plures in lectiones distributa. Verum, cum* S. Venantius *seculo* VIII, *uti ex infra dicendis patescet, vixisse credatur, duobusque seculis proxime sequentibus non pauca rerum gestarum, Normannis in Belgium irrumpentibus omniaque vastantibus, monumenta antiqua perierint, enimvero timendum valde est, ne illa Sancti nostri Vita, quam ante sec.* IX *et* X *ferocissimasque adeo gentis illius grassationes exaratam nemo dixerit, non e vetustis fideque dignis documentis, sed e superstite dumtaxat post has rudis vulgi traditione in litteras primum, ut plures aliæ Sanctorum Belgii ac Galliarum Legendæ, fuerit conjecta. Quare, quod de S. Itisbergæ Vita, e laudato Lectionario pariter deprompta, Henschenius noster ad* XXI *Maii diem pronuntiavit, id quoque, quod et alia infra dicenda suadent, de dicta Sancti nostri Vita hic pronuntiare haud vereor, videlicet hujus scriptorem, quisquis fuerit, antiquitatum satis imperitum ex vulgi rumore, quæ scripsit, videri collegisse, nec, quæ ob-* D *trusit, satis apparere digna, ut huic Operi inserantur. Ast, etsi sic habeat editurusque adeo Vitam illam haud sim, lectori tamen, ut unico veluti intuitu, quæ potissimum de Sancto litteris mandata inveniuntur, conspiciat, suumque ita aptius queat de infra dicendis ferre judicium, hic compendio, si non omnia et singula, quæ qualiscumque ista* S. Venantii *Legenda complectitur, præcipua saltem, quæ partim in hac, partim alibi de Sancto memorantur, juverit exhibuisse. Rem ipsam aggredior. Venantius in Hannonia e nobilibus parentibus, qui regionis hujus comitem propinquitate attingebant, natus, militiam adhuc juvenis sequitur; ast hasta in ludicro certamine sauciatus seculi deserendi propositum concipit, vulnereque, quod in tibia acceperat, vix sanato, e patria in Artesiam vili dumtaxat panno indutus clam consanguineis et amicis omnibus migrat.*

compendium proponitur,

6 *Eo porro appulsus in lucum, qui Latine* Vastus saltus, *vernacule* Waslau *seu* Wastelau *appellabatur ac ab Aria ad Broylum protendebatur, eremiticam vitam ibidem ducturus,* E *secedit, domunculam seu casam e cæduis lignis sibi molitur, pœnitentiæ piisque exercitiis totum se dedit, in cæcam, quam de visu amisso solatur, aniculam, recrudescenti tibiæ suæ vulneri postmodum subinde medicatam, incidit, frequenter in vicino Ariensi palatio commoranti Pipino regi, qui deinde ab eo liberos suos ac nominatim Itisbergam filiam sacris præceptionibus erudiri vult, notus fit, hanc, quæ sub sancti Viri disciplina præcipue proficiebat, ad castitatem perpetuam vovendam hortatu suo inducit, nubereque idcirco, ut parentes volebant, cum Portugalliæ rege seu, ut Malbrancus lib.* 5 *de Morinis cap.* 21 *interpretatur, cum Anglicæ-Walliæ principe, a quo, in Artesiam appulso, in conjugem expetebatur, omnino detrectanti precibus suis febrim et strumas, certum ad declinandas nuptias præsidium, a Deo impetrat, cumque ita iste seu princeps seu rex speratis nuptiis excidisset, Venantius vel ab ejus hinc iratis comitibus, qui id, agente potissimum Sancto, factum causabantur, vel a latrone, qui pecuniam sese apud illum reperturum,* F *sperabat, occiditur, in Legiam præterfluentem projicitur, a piscatoribus, piscem capere Itisbergæ, quæ Sanctum necatum seque e primi in fluvio isto capiendi piscis esu sanandam divinitus didicerat, diu incassum connixis, cum anguilla sibi adhærente invenitur, cumque abs illis haud cognosceretur, mox tamen, postquam Itisberga, hac manducata Sanctique intercessione implorata, sanitatem pristinam recuperasset, e vulneris in tibia olim accepti cicatrice a superveniente, quæ supra memorata est, cæca anicula agnoscitur, cumque et huic, statimatque corpus ejus tetigerat, visum restituisset, in sarcophago lapideo, capite ejus, quod a reliquo corpore fuerat resectum, ad pectus inter manus locato, componitur, honorificentissimeque, curante Itisberga, sepelitur.*

S. Amelbergæ filius, fraterque SS. Ableberti, Reynildis et Gudilæ.

7 *Tale est, quod hic lectoris oculis subjiciendum duxi, præcipuarum, quæ de* S. Venantio *memorantur, rerum compendium. Nunc quoque, quid de earum plerisque ac aliis cum hisce connexis, quæ de Sancto narrantur, censeam.*

A *seam, adjungo. A nobilibus parentibus, sororibusque et fratribus, qui ei attribuuntur, duco initium. Exstat etiam apud nos quæpiam Vitæ S. Itisbergæ relatio, Gallice a Joanne Offanio, pastore ecclesiæ S. Itisbergæ anno* 1629 *typis Audomaropolitanis vulgata ac ab Henschenio in suo de Sancta illa Commentario historico ad* XXI *Maii diem jam memorata; in hac autem seu potius in qualicumque, quæ ei a pag.* 30 *usque ad pag.* 55 *intexitur, Sancti nostri Vita nominetenus, quod in compendio mox dato aut, si mavis, in supra laudato, e quo, quidquid in hoc de Sancti natalibus dicitur, est depromptum, ecclesiæ S. Itisbergæ lectionario non sit,* S. Venantii *parentes exprimuntur. Ac pater quidem, adscripto etiam e* Lotharingiæ ducis *titulo,* Theodoricus, *mater vero* S. Amelberga *nuncupatur, Sanctusque præterea S. Ableberti seu Emeberti, Cameracensis episcopi, itemque SS. Pharaïldis, Ermelendis, Reynildis et Gudilæ exstitisse frater asseritur. Verum præterquam quod* Lotharingiæ *nomen ante annum* DCCCLXIX, *ut Bollandus in suo de B. Pipino Comment. ad* XXI *Februarii diem probat, notum haud fuerit ac proin Theodoricus,*

B *qui, si* S. Venantii, *verosimillime ante annum* DCCLXVIII *vita edicendis functi, pater exstiterit, diu ante dictum annum* DCCCLXIX *floruisse debet,* dux Lotharingiæ *haud sat recte vocetur,* Venantii *is nec pater, nec S. Amelberga, quod tamen in Sanctorum Belgii Indiculo Molanus, et ad* X *Octobris diem Wionus in Ligno Vitæ, Ferrarius in Generali Sanctorum, qui in Mrl. Romano non sunt, Catalogo ac denique Gazetus in ecclesiastica Belgii Hist. pag.* 283 *etiam affirmant, exstitit mater. Theodoricus enim vel fuit vel non fuit binominis. Si non fuit binominis, quis, quæso, eum e S. Amelberga, quæ, quemadmodum Ægidius Wauldeus in S. Ursmaro et aliis septem Lobiensibus Sanctis pag.* 291 *ostendit, semel dumtaxat nec cum alio, quam cum Witgero, matrimonio fuit conjuncta, genuisse* S. Venantium *aliosque ab Offanio memoratos liberos, in animum inducat?*

C 8 *Quod si autem fuerit binominis nomineque altero* Witgerus *vocatus, qui fieri potest, ut S. Amelberga, quæ, quemadmodum apud nos ad* X *Julii diem in prævio de sancta isthac vidua Comment.* § 2 *probatur, tres dumtaxat, Ermelende et Pharailde exclusis, Witgero liberos, S. Ablebertum videlicet, Cameracensem episcopum duasque hujus sorores S. Reynildem et S. Gudilam peperit, mater etiam* S. Venantii *exstiterit? Adhæc (Opus nostrum Comm. proxime cit., num.* 13 *videsis) S. Gudila, quæ proles S. Amelbergæ natu minima et postrema fuit, anno circiter* 650 *est nata. Quare necesse erit, ut* S. Venantius, *si S. Amelbergæ exstiterit filius, ante hunc annum sit natus, utque proinde tunc, cum Pipinus, in regem a Francis electus, a S. Bonifacio, Moguntinensi archiepiscopo, quod, ut Pagius in Criticis monstrat, anno* 752 *factum, fuit inunctus, centenario major exstiterit: eum autem, ut constans fert traditio ac passim ab omnibus creditur,* Venantius, *Pipino jam regnante, vitam eremiticam sit amplexus, idque illum, cum adhuc juvenis esset aut certe cum ad ætatem admodum provectam nondum pervenisset, fecisse, indubitatum appareat, consectarium fit, ut verosimillime, ne dicam indubie, non citius, quam cum non pauci etiam post annum* 650 *elapsi essent anni, fuerit natus, utque proinde S. Amelbergæ filius perperam asseratur a Molano, Wiono, Offanio, Ferrario et Gazeto, quorum priorem hic idcirco in Sanctorum Belgii Natalibus Petrus Lovius, horum editor, optime correxit. At vero, inquies, etsi quidem* S. Venantius *sat certo, uti e jam dictis apparet, nec S. Amelbergæ filius, nec SS. Ableberti, Reynildis et Gudilæ exstiterit frater, anne saltem SS. Ermelendem et Pharaïldem sorores haud habuit? Cum S. Ermelendis, uti in Opere nostro Comm. proxime cit., num.* 16 *videre licet, haud serius certe quam anno* 598 *excesserit e vivis, ecquis, obsecro,* Venantium, *qui demum, regnante Pipino, seu sesqui amplius seculo post Ermelendis obitum eremitam adhuc juvenis aut certe haud admodum senex agere incepit, habuisse hanc sororem, vel utcumque probabile affirmet?*

9 *Quod autem ad S. Pharaïldem spectat, sanctæ hujus virginis fratrem perhiberi* S. Venantium, *non expressis parentum, quos ambo habuerint, nominibus, prima etiam e lectionibus, in quas, ut supra dixi, in Ms. pagi S. Itisbergæ Lectionario divisa est Sancti nostri Vita, affirmat, obtrudens præterea pro* S. Venantii *fratre S. Gangulphum martyrem. Verum, qui* SS. Pharaïldis et Gangulphi fratrem *appellant* S. Venantium, *id verosimillime dumtaxat faciunt, quod S. Amelbergam non tantum cum Witgero, sed et cum Theodorico, Lotharingiæ, ut aiunt, duce, qui a Witgero fuerit distinctus, nuptam fuisse, hocque ex matrimonio Gangulphum martyrem, Venantium martyrem et S. Pharaïldem prodiisse, existiment. Ita arbitrari me facit Molanus, qui ad* X *Julii diem in Sanctorum Belgii Natalibus sic scribit:* Sunt, qui eam (*S. Amelbergam*) asserant bis fuisse maritatam, ex posteriori conjuge Witgero suscepisse tres jam dictas proles sanctas, *Emebertum videlicet seu Ablebertum, Reynildem et Gudilam:* ex posteriori vero marito (*Theodorico nimirum, uti a nonnullis vocatur*) similiter tres, Gengulphum martyrem, martyrem Venantium et sanctam Pharaïldem. *Ast, præterquam quod* hujus conjugii, *ut Molanus mox subjungit,* nullum appareat vestigium in Historiis Geengulphi, Venantii et Amelbergæ, *S. Amelbergam semel dumtaxat nec cum alio, quam cum Witgero, nuptam fuisse, jam supra ex Ægidio Wauldeo edocui. Ast, dices forsan, Theodoricus, si non ex S. Amelberga, ex alia equidem conjuge SS. Gengulphum,* Venantium *et Pharaïldem progenuit.*

10 *Sane apud nos ad* IV *Januarii diem in S. Pharaïldis Actis, patrem huic fuisse Theodoricum,* intra fines Lotharingiæ et Galliæ imperantem, *cui* natorum *etiam* gemina fuerit soboles, *diserte traditur; verum ibi duorum illorum natorum seu filiorum nomina haud exprimuntur; cum autem sic habeat, nec ullus hactenus ac ne ipse quidem Operis nostris conditor Bollandus ad* IV *Januarii diem, ubi ex instituto de S. Pharaïlde egit, certam sanctæ hujus virginis ætatem determinare potuerit, enimvero anne Pharaïldis sesquiseculo aut eo etiam amplius ab ætate* S. Venantii *haud abfuerit, ac proin anne hic illam habere potuerit, nedum reipsa habuerit sororem, est dubium. Nec S. Gengulphum, de quo ad* XI *Maii diem in Opere*

AUCTORE C. B.

eique etiam, an S. Pharaïldem sororem

E

F

itemque S. Ermelendis perperam asseritur,

et S. Gangulphum habuerit fratrem, incertum ac dubium.

AUCTORE C. B.

Opere nostro jam actum, exstitisse Sancti nostri fratrem, magis est certum. Eodem quidem, quo Venantius, *seculo* VIII, *uti ibidem videre licet, Gengulphus floruit; verum hic, uti etiam ibidem invenies, parentibus Burgundionibus, ille vero Hannoniensibus est natus; ut sane Bollandus noster ad* XV *Januarii diem in S. Emeberto num.* XI *merito dixerit :* Fuerintne Venantius et Gengulphus germani, non liquet.

§ II. An Sanctus e comitibus Hannoniæ oriundus, quæ de eo videantur tuto credi posse, quo circiter tempore obierit, et quo loco fuerit sepultus.

An Hugo, Hannoniæ comitis frater, S. Venantii, ut vult Malbrancus,

Malbrancus, qui de S. Venantio non pauca, sed quorum pleraque auctorum sat veterum auctoritate cuperem subnixa, lib. 5 *de Morinis memoriæ prodit, ibidem quidem cap.* 15 *Offanii, quæ S. Amelbergæ prolibus* SS. Venantium *et Gengulphum annumerat, opinionem, a nobis § proxime prægresso jam rejectam, pariter rejicit; verum simul, Sancti majores exstitisse Hannoniæ comites, patremque cum ipsomet Pipino, S. Itisbergæ parente, sanguine fuisse conjunctum, cum eodem Offanio generatim asseruisse non contentus, nominatim etiam, quibusnam ex Hannoniæ comitibus oriundus sit Sanctus, exponit; id autem faciens, Walterum et Hugonem fratres, quorum prior Hannoniæ comitatum, a patre Alberico anno* 694 *vita functo in se transcriptum, possederit, posterior vero Cameracesii comes exstiterit, Hervæi Metensium comitis sorores sibi matrimonio nexuisse, affirmat. Atque hoc quidem (rectene, an secus, hic non examino) Vinchantius in Hannoniæ Annalibus, a se contextis, pag.* 119 *et seq., Wasseburgio, Rosierio et Guiseo in margine citatis, etiam tradit; ast ab Hugone, Cameracesii comite, contractis cum altera Hervæi comitis sorore nuptiis, genitum ex hac fuisse* S. Venantium, *non adjungit, ut tamen præterea*
C *loco proxime cit. Malbrancus, nullo omnino pro se allegato teste antiquo, luculentissime facit. Generatim quidem Monumenta quæpiam citat, verum, præterquam quod quæ qualiave hæc sint, non edicat,* Venantium *ab Hannoniensibus genitum in illis dumtaxat, quod rem neutiquam conficit, asseverari, ipsemet prodit. Nec, etsi monumentis illis qualemcumque etiam, quam, ut supra docui, Ms. pagi S. Itisbergæ Lectionarium complectitur, Sancti nostri Vitam, jam supra plus semel memoratam, adjunxeris, quidquam inde pro Malbranco elicias. Quamvis enim Vita illa, aut, si mavis, dictum Itisbergense Lectionarium,* Henonensium comitem sanguinis prosapia attigisse S. Venantium, *diserte tradat, haud tamen, quo* Venantius *consanguinitatis gradu, nedum, an tam propinquo, ut Albericum supra memoratum habuerit avum, attigerit Hannoniæ comitem, edicit.*

12 *Adhæc, etsi secus foret ac Sanctum exstitisse Walteri, Henonensium seu Hainonensium comitis, nepotem, luculentissime etiam assereret, haud id tamen ac proin nec abs hujus fratre Hugone, Cameracesii comite, genitum fuisse Sanctum nostrum, certum inde efficeretur. Præterquam enim quod Vita, illa utpote exiguo dumtaxat, uti supra num.* 5 *allegata suadent, in pretio habenda, rei isti stabiliendæ omnino sit inepta, Hannoniæ comites, quorum alter ab altero ac nominatim ab Alberico Walterus,* Venantii *patruus, provinciam hanc hæreditario jure accipere potuerit jam inde a sec.* VII *et* VIII, *ut innuit, haud exstitere. Nonnulla quidem, quæ contrarium suadere utcumque sint nata, Malbrancus lib.* 5, *de Morinis pag.* 901 *adduccit; verum nobilissimus baro Le Roy in suis in Genealogicam comitum Hannoniæ per Balduinum Avennensem Historiam Notationibus pag.* 7 *in Molanum, quod S. Vincentium Madelgarium, qui sec.* VII *senescente floruit, Operique nostro ad* XIV *Julii diem, quo colitur, jam exstat insertus,* comitem Hannoniæ *appellet, ita observat :* Fallitur *et ipse* et alii ipso recentiores multi, quod S. Vincentium comitem Hannoniæ appellent. Fuit quidem comes, et in ea regione E
vixit, quæ Hannonia dicitur, porro suberat Franciæ regibus; et non erant tunc illi comitum ac ducum tituli et præfecturæ patrimoniales atque hereditariæ. *Ita ille, et recte quidem; si quis autem de re adhuc dubitat, adeat ad dictam* XIV *Julii diem Sollerii nostri de S. Vincentio Madelgario Comment. num.* 6, *adeat, si lubet, et ad vocabula* Comes *et* Comites *in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario Cangium, videbitque, ex iis, quæ hic ibidem adducit, seculo* IX *demum factum esse, ut, cum, imminuta regum potestate, comitum crevisset auctoritas, dignitates suas hi ac præfecturas, a quibus antea pro principis arbitrio amoveri poterant, ad filios aliosve hæredes transtulerint.*

exstiterit pater, cui etiam,

an hic Pipini, patris S. Itisbergæ, fuerit consanguineus, omnino est dubium;

13 *Verum, etsi etiam, jam inde a seculo* VII *et* VIII *comites, qui Hannoniam hæreditario jure possederint, exstitisse, tantisper dederimus, quid hinc, quæso, Malbrancus conficiat? Ita quidem,* Venantium *consanguinitate cum hæreditario Hannoniæ comite potuisse esse conjunctum, obtenturus est, fuisse autem reipsa conjunctum, ac a Cameracesii comite Hugone, qui Alberici, hæreditarii Hannoniæ comitis, filius exstiterit, esse prognatum, nondum certe, monumentis antiquis,* F
quæ alterutrum testentur, omnino deficientibus, evicerit. Porro alterum, quod adhuc, ut Venantium *saltem a Cameracesii comite oriundum probet, Malbrancus affert, ac ab insignibus, Sancti nostri signo adpingi solitis aquilamque complectentibus, repetit, argumentum operose hic confutari haud meretur. Hujusmodi enim, uti ipsemet fatetur, insignia Cameracesio non prius, quam cum Cameracum a Francis, quod diu post Sancti nostri ætatem factum, ad imperium transiit, fuere attributa, multoque adhuc serius* Venantii *signo adpingi fuere incepta; cum autem sic habeat, insignia illa,* Venantium *quidem forte ab iis, a quibus signo ejus fuere adpicta, creditum fuisse, non autem re ipsa exstitisse a Cameracesii comite oriundum, argumento sunt. Itaque, etsi quidem, quin vere genere nobilis exstiterit* Venantius, *dubitandum non appareat, fueritne tamen ex Hannoniæ comitibus oriundus, maximeque an ab Hugone, Cameracesii comite ac Alberici, comitis Hannoniæ, filio, sit progenitus, manet omnino, modo perpensis omnibus, incertum ac dubium, uti*

A *uti etiam, an* S. Venantii *pater cum Pipino, S. Itisbergæ patre, consanguinitate (neque enim ullum pariter, cui hæc superstruatur, monumentum sat antiquum invenitur) fuerit conjunctus, etsi interim id etiam e jam dictis velit Malbrancus.*

etsi autem fabulis etiam, quæ de necis Sancto illatæ

14 *Nec minus, si non potius indubie falsa ac fictitia, incerta sunt, quæ de causa et auctoribus necis,* S. Venantio *illatæ, a Malbranco lib.* 5 *de Morinis, cap.* 22 *narrantur.* Venantius *vel a latrone, qui pecuniam sese apud illum reperturum, sperabat, vel a principis seu regis, qui speratis S. Itisbergæ nuptiis exciderat, comitibus, qui id, agente potissimum Sancto, factum arbitrabantur hincque ei irascebantur, occisus fuisse in præcipuarum, quæ de Sancto nostro narrantur, rerum compendio, supra num.* 5 *et* 6 *ob oculos posito, asseritur. Atque hæc quidem assertio, quæ disjunctiva est alteraque sui parte, uti infra videbimus, veritati consona videtur, Offanio supra laudato haud prorsus, ut apparet, displicuit. Verum Malbrancus, dum Sanctum,*

B *postquam hortatu suo Itisbergam ad castitatem perpetuam vovendam induxisset, occisum ac in Lisam projectum fuisse indeque haud dudum post extractum Itisbergæ ægrotanti sanitatem pristinam cæcæque aniculæ visum prodigiose restituisse, lib.* 5 *de Morinis refert, hanc Vitæ Sancti nostri partem tot adjunctis, tot parergis, tot episodiis, eo fere, ut apparet, dumtaxat ex fine, ut omnia et singula, quæ scribit, inter sese quam aptissime connectantur ac porro componantur, studiose inventis nec ulla scriptoris vel documenti sat antiqui auctoritate suffultis, exornat, ut enimvero, quæ ibidem in litteras misit, poematis potius, stylo soluto conscripti, quam narrationis haud fictæ speciem videantur præferre; ita autem liberaliori, quam par sit, calamo utens, assertionis disjunctivæ mox adductæ partes duas, quarum altera, a principis, qui speratis Itisbergæ nuptiis exciderat, comitibus, altera, a latrone, qui pecuniam sese apud Sanctum reperturum, putabat,* Venantium *fuisse occisum, fert, conjungit sicque, ut non nemini forsan videbitur, in concordiam adducit.*

C 15 *Itaque e Walliæ principis, qui Aldrici Anglorum regis filius fuerit, ac speratis Itisbergæ nuptiis exciderat, comitibus duos,* Venantio *id adscribentes eique idcirco succensentes, prædoni sese, qui, thesauros apud* Venantium *latere asseverabat, junxisse, collatis cum eo consiliis, ad eremiticum Sancti tugurium, ut eum occiderent, perrexisse, cumque ad id pervenissent, vel prædonem vel asseclam Britannum, intorto in Sancti collum gladio, necem ei intulisse, lib. cit. de Morinis cap.* 22. *nulla omnino, qua sese vel utcumque de rei veritate dubitare insinuet, vocula adhibita, affirmat. Verum, etsi quidem S. Itisbergam exstitisse Pipini regis filiam, cum Cointio in ecclesiasticis Francorum Annalibus ad annum* 766, *num.* 22 *haud negem, Henschenioque, qui id ad* XXI *Maii diem in Historico suo de Sancta illa Commentario num.* 3 *negandum haud putavit, adhæream, eam tamen, quam a Gisela seu Gisla, Pipini itidem regis filia, a Leone Constantini Copronymi filio nec non ab Adalgiso Desiderii Longobardorum regis filio in matrimonium postulata, cum*

causa et auctoribus a Malbranco asseruntur, accensenda

Henschenio loco proxime cit. reor diversam, in conjugem vel a Portugalliæ rege vel, ut Malbrancus ait, ab Anglicæ-Walliæ principe, ex Anglia in Artesiam appulso, sub annum 766 *fuisse expetitam, commentitium existimo. Ea sedet sententia, tum quod, ut Henschenius in Hist. de S. Itisberga Comm. num.* 6 *ait, tunc nullus Portugalliæ, sub crudelissima Maurorum servitute Lusitania ingemiscente, rex exstiterit nec alibi nuptiarum illarum expetitarum mentio inveniatur, tum quod, ut Cointius in ecclesiasticis Francorum Annalibus ad annum* 766, *num.* 23 *scribit, Aldricus, qui ab anno Christi* 760 *ad annum* 794 *apud Anglos in Cantio regnavit, prolem masculam seu filium, qui Itisbergam sibi in uxorem expetiisse queat, haud habuerit, nec nisi multo serius primogenitus regis Anglorum filius appellari* princeps Walliæ *inceperit.*

AUCTORE C. B.

16 *Jam vero, cum S. Itisbergam in conjugem a Walliæ principe fuisse expetitam, sit sane, uti e jam dictis liquet, commentitium ac falsum, fuisse ei ad declinandas principis hujus nuptias febrim ac strumas precibus apud Deum a* S. Venantio *accersitas, commentitium pariter esse, necesse est, uti etiam Sanctum a duobus principis ejusdem, qui cum latrone* E *conspirarant, comitibus, quod eum Itisbergæ castitatem suasisse, suisque artibus, ut speratis nuptiis princeps excidisset, effecisse, maligna cujusdam e Pipini aulicis, ut Malbrancus addit, suggestione autumarent, fuisse occisum. At vero Malbrancus verbis, quibus ob hanc causam a duobus principis Walliæ comitibus, latrone sibi adjuncto, necatum fuisse* S. Venantium, *lib.* 5 *de Morinis cap. proxime cit. vult, mox subjungit:* Non me latet, alios necem hanc tribus prædonibus *(unius dumtaxat mentionem Molanus aliique passim faciunt)* thesaurorum aviditate correptis simpliciter tribuere; sed cum omni jam ævo martyrii cultus Venantio tribuatur et brevi post fractam illam nuptiarum pactionem cædes ipsa sit patrata, merito priorem hujusmodi simul sententiam *(jam mox scilicet relatam)* amplectamur. Duplex enim ejus necis causa nobis comperienda est; quæ autem martyrem dederit, nullam reor præsentiorem aut veriorem adferri posse, quandoquidem aulicis notum esset, Ghyslam *(imo Itisbergam)* totam pendere a Venantio. *Ita ille,* Venantium *scilicet non tantum ob the-* F *sauros, qui reperiri apud illum putabantur, sed et ob Itisbergam, ad castitatis votum inductam consilioque et ope ad evitandas principis Walliæ nuptias adjutam, occisum fuisse idcirco contendens, quod omni jam ævo* Venantius *colatur ut Martyr, idque futurum non fuisset, si vel ab uno vel a pluribus prædonibus e sola, qua pecuniæ, apud eum, ut putabant, latenti, inhiabant, aviditate fuisset occisus.*

videantur, nec argumentum, quod e Malbranco hic proponitur,

17 *Verum qualecumque hoc argumentum sit, eo sane Malbrancus, locum habuisse causam, ob quam a duobus principis Walliæ comitibus, latrone sibi adjuncto, occisum fuisse* S. Venantium, *affirmat, neutiquam evincit, cum eam indubie falsam esse ac commentitiam, dilucide, quæ jam mox in medium adduxi, commonstrent. Adhæc, etsi quidem, ut mors ex divinæ fidei actusve a divina lege præcepti vel consulti odio inferatur, ad stricti nominis martyrium, ut Benedictus XIV summus Pontifex de Servorum Dei Beatificatione etc. pluribus probat, omnino requiratur, quid*

contrarium evincat,

AUCTORE C. B.

ni tamen S. Venantius, *utut dumtaxat e communi ac noto latronum, qui mactant, ut rapiant, studio occisus, a longissimo jam tempore pro Martyre haberi et coli potuerit ea ratione, qua S. Geroldus, Operi nostro ad* VII *Octobris diem jam insertus, aliique aliquot Sancti, nefarie trucidati miraculisque post necem illustres, pro Martyribus olim habiti ac culti fuere? Id sane ego haud perspicio. Attamen, cum sic equidem Sanctus noster stricti nominis Martyr dici haud queat, hinc eum non simpliciter* ut Martyrem, *sed dumtaxat* ut pro Martyre cultum, *Operi nostro inseri, in Commentarii hujus fronte indicavi. Castellanus, fueritne, an non, ex causa, ad veri nominis martyrium requisita,* S. Venantius *occisus, dubitasse videtur, hincque, ut apparet, eum, utpote quem sequentibus tantummodo verbis* Prope Ariam in Artesia S. Venantius eremita, a malevolis occisus, *hodie annuntiet, nec* Martyris *titulo condecorat, nec a latronibus seu pluribus seu uno, sed, generaliori adhibito vo-*

B *bulo, a malevolis necatum, affirmat. Scilicet tam Malbrancum, qui Sanctum e causa, ad veri nominis martyrium requisita, quam Molanum, qui e sola prædæ spe interemptum notat, inspexerit, cumque, utri horum scriptorum adhærendum foret, definiendo non esset, rem, adhibita, quam jam nunc ob oculos posui, annuntiatione, in medio reliquerit.*

de Sancto tamen, quæ hic proponuntur, tuto, ut apparet, credi queunt,

18 *At vero hic, nisi forsan, quod de Sancto, per latronem, quod hunc ob crimina redarguisset, occiso, in quodam penes nos exstante Antiphonarii ecclesiæ* S. Venantii *excerpto indicari videtur, præplaceat, Molano adhærendum esse, non autem Malbranco, suadent, quæ jam supra in medium adduxi; cum autem sic habeat ac jam, ut statueram, nonnulla, ad Sanctum spectantia, quæ fidem minime merentur, attulerim, ad alia modo, quæ, ut apparet, sat tuto seu absque certo errandi periculo credi queunt, sermonem converto. Etsi Sanctus, ut supra docui, nec ex S. Amelberga sit natus, nec verosimillime Hugonem, Hannoniæ comitis fratrem, nactus fuerit parentem, eum tamen nobili genere in Hannonia oriundum tuto credi posse, idcirco induco in animum, quod unanimi fere consensu omnes,*

C *qui de* Venantio *tractant, ei vel parentes genere admodum nobiles, vel generatim saltem, constanti etiam, cujus nescitur initium, Ariensium juxta ac Venantianopolitanorum traditione suffragante,* nobilis *appellationem adjungant. Porro Sanctum, cum ludicro in certamine fuisset sauciatus, mundo valere jusso, in Artesiam in vastum saltum, de quo plura apud Malbrancum de Morinis lib.* 5, *cap.* 14, *sub finem videri queunt, secessisse, vitam eremiticam ibidem duxisse, S. Itisbergam sacris præceptionibus imbuisse, honorificeque, hac curante, postquam e Lisa fluvio, in quem post necem, sibi illatam, fuerat conjectus, a piscatoribus extractus, sanitatem ei ægrotanti anuique cæcæ, subinde sibi antea gratificatæ, visum restituisset, sepultum fuisse, sat tuto etiam credi posse, haud difficulter mihi persuasum habeo, uti etiam, hæc omnia, Pipino jam regnante, evenisse. Ita animo comparatus sum tum ob scriptorum, qui de Sancto tractant, unanimem fere hac in re consensum, tum ob constantem, quæ huic accedit ac tam apud Venantiopolitanos quam apud Itisbergenses et Arienses viget, traditionem.*

19 *Ast, cum sic habeat, quandonam ergo Sancti in eremum secessus, quandonam obitus statuendus? Malbrancus hunc anno* 766, *illum vero anno* 762 *in Chronologia, tomo* 2 *de Morinis a se præfixa, innectit; ut, si ei assentiendum hic sit, Sanctus noster annis dumtaxat quatuor in eremo fuerit moratus. Verum, cum Pipinus ab anno* 752 *usque ad annum* 768 *regnarit, nec annos, quibus* Venantius, *principe illo regnante, in eremum secesserit, ac deinde obierit, traditio mox laudata scriptoresque Malbranco antiquiores determinent, non immerito, anne id recte hic scriptor fecerit, dubitari posse videtur. Pro anno quidem, cui Sancti discessum in eremum illigat, Ariensium monumenta citat; verum, cujus ætatis hæc sint, non edicit, ambigique potest, an non aliquot post Sancti ætatem Normannorumque in Belgium irruptiones seculis e rudis dumtaxat vulgi rumore seu populari, quæ apud Arienses vigebat, traditione fuerint conscripta; cum autem sic habeat, eaque, quæ Henschenius in S. Itisberga num.* 4 *allegat, non nisi summa cum cautela Ariensium traditiones admittendas, ostendant, enimvero, an* Venantii *in eremum discessus haud aliquanto* E *vel ante vel post annum* 762, *cui illum Malbrancus innectit, contigerit, pro incerto apparet habendum. Nec tantum non minus, sed contra magis etiam, an Sancti obitum cum anno* 766 *Malbrancus recte componat, videtur incertum. Pro hoc enim ne quidem vel monumentum vel auctorem ullum allegat; cum autem sic habeat ac Sancti obitum cum illo Christi anno pro mero suo arbitrio conjunxisse videatur, hinc ego,* Venantium, *Pipino regnante, seu inter annum* 752 *et annum* 768 *obiisse, in animum ob jam dicta inducens, simul autem, anne id aliquanto vel ante vel post annum* 766 *haud evenerit, haud parum dubitans, supra in margine, eum non hoc determinato anno, sed seculo* VIII *provecto, ut ita errandi periculo certius abessem, ad Superos migrasse, indicavi.*

hineque sec, VIII provecto obiisse statuitur,

20 *Porro, ut rerum gestarum ordinem sequamur, proximum nunc est, ut jam de Sancti morte temporeque, quo hæc contigerit, locuti, de sepultura ejus sermonem modo instituamus. Ac Sanctum quidem, curante funus S. Itisberga, sepultum fuisse, tuto, ut jam supra* F *docui, credi potest, reque etiam ipsa ab omnibus passim creditur; verum de loco, quo fuerit depositus modoque adhuc quiescat, aliis quidem, in oppido, quod a* S. Venantio *nuncupatur, aliis vero, in monte seu pago, qui primum ab æde, S. Petro ibidem sacra,* Petro-Bergæ *ac deinde a S. Itisberga, ibidem humata,* Itisbergæ *nomen accepit, sepultum fuisse ac porro adhuc quiescere Sanctum, contendentibus, disceptatur.* Corpus sanctum, *inquit hodie de* S. Venantii *corpore in Sanctorum Belgii Natalibus Molanus,* intra oratorium in sarcophago lapideo est positum et in hunc usque diem honorifice quiescit in oppidulo, quod de ejus nomine Sancti Venantii dicitur. *Verum Locrius in suis Belgii Annalibus ad annum* 768 *Molano hic adversatur his verbis:* Quod beati Venantii corpus quiescere dicit Molanus in oppidulo cognomini, licet hactenus pie creditum sit, tamen eo ipso anno, quo hæc scribimus, nempe MDCVIII, ejus inventio in ipso S. Itisbergæ templo et pago, qui abs Ariensi urbe passibus circiter quingentis abjunctus est, cum ingenti omnium stupore contigit, atque de illa reverendissimus D. Jacobus Blasæus,

corpori suo, non Venantiopoli, ut æstimasse videtur Molanus,

A Blasæus, Audomaropolitanus episcopus, diligenter, ut par erat, inquisivit. *Ita paucis hic scriptor; verum Malbrancus tom.* 2 *de Morinis, anno* 1647 *ac proin diu post annum, quo ista Locrius scribebat, in lucem emisso, lib.* 5, *cap.* 24 *multo copiosius de re illa facit sermonem.*

sed Petro-bergæ, uti ex iis,

21 *Ac primo quidem sarcophagum lapideum, in quo corpus, quod* S. Venantii *creditum a multis fuit, anno* 1608 *in S. Itisbergæ ecclesia inventum fuisse, post narrat, sequenti modo describit :* Sarcophagus..... confectus e gemino lapide, qui potissimus in hisce oris habetur, marquisio : scilicet in tumuli pedetentim sese imminuentis morem aptati et complanati; quo vero uterque lapis corpus caperet clauderetque, intus justa profunditate excavatur, non secus ac proplasticum instrumentum, æs aut argentum fusile in statuæ figuram effingens; in collum autem ipsa excavatio desinebat, nilque excipiendo capiti excisum, quod nempe ad pectum manus inter relictum est, B prout e plagis suis piscatores eduxisse creduntur; *ac deinde, pompa funebri, qua Sanctus ad tumulum fuerit delatus, non e veterum scriptorum testimonio, sed e meris hicque proinde non memorandis conjecturis descripta, paucisque adhuc, quibus Sanctum, non Venantiopoli, sed Petro-Bergæ seu Itisbergæ sepultum a sese putari, innuit, interjectis verbis, sarcophagi supra memorati, quo suam hanc opinionem confirmet, inventionem, Itisbergæ factam, nonnullaque, quæ comitata ac secuta hanc sunt, adjuncta ita exponit :* Anno MDCVIII, XIII Augusti, cum S. Ysbergæ, uti jam visitur, mausolæum et ara ex intercolumniis in posterius sacrarium Jacobi Blasæi, tum Audomarensis episcopi, interventu transferretur, effodientibus paruit sarcophaghus lapideus ea, quam supra diximus, figura; apertusque dedit totius corporis ossa integerrima, quæ aliquot postmodum annis ex episcopi mandato in decentiorem capsam cum domino PauloPruvost, D. Virginis Ariensi pastore et decano, transferenda attentius discutiens ingentem Viri molem sum demiratus : namque os tibiæ componens cum crure ejusdem decani, qui procerum et vastum corpus est, genuflexionem excedere C videbatur.

quæ hic adducuntur, apparet,

22 Indigenæ, dum ea inventio contigit, ex ipsius loci et inventi corporis genio argumenta sua promebant, traditione insuper firmata. Siquidem pone,altare inter et columnam superius lapidea S. Ysbergæ sandapila sustentabatur; inferius sub pavimento, altera S. Venantii, ut aiebant, tegebatur : cumque jam omni retro memoria advenæ et peregrini ex more aram ipsam tertio obirent, communiter asserebant, sese inter SS. Ysbergæ et Venantii corpora pertransisse : alterum quodammodo fortius suggerebant; quandoquidem reperta sandapila non ultra collum ullam daret excavationem, satis id innuebat ejus esse corpus, quod liquet capite fuisse minutum : nihil tamen ab eo, *Blasæo scilicet, Audomarensi episcopo,* neque a tribus insecutis episcopis, *Paulo Boudot nimirum, Petro Paunet et Christophoro Morlet,* præfinitum, eo quod illius inventionis tempore fortiter insurrexerint Venantiani, pro aris et focis pugnantes, jacere Venantium in sacrario, adsito sui cœmeterii septis, illic ab advenis apprime olim cultum fuisse, quibus lipsana nonnulla exosculanda præberentur : subesse cryptam parvulam, ubi fuerit sepultus : quæ tamen necdum aperta aliquam fidem fecit. Interim ossa illa apud Ysberganos ligneus loculus in hypogæo ad id, ubi prius delituerant, structo, adservat cum lapidea, quam descripsi, sandapila : neque ita clausum illud, quin orificio adaptato cuncta pateant venerabundum oculum inclinantibus.

AUCTORE C. B.

sepulturam adeptus.

23 *Ita hactenus Malbrancus; licet autem, cujusnam Sancti exstiterint ossa, quæ sarcophago, anno* 1608 *in S. Itisbergæ ecclesia, ut* E *verbis jam datis refert, reperto, erant inclusa, haud aperte edicat, ea tamen* S. Venantii *a sese existimari, non obscure prodit, utpote ex repertorum, quam memorat, ossium magnitudine,* Venantium *corpore ingentem exstitisse, disertis, quæ in margine ponit, verbis observans. Neque vero in eam sententiam, quam Cointius in Ecclesiasticis Francorum Annalibus ad annum* 766, *num.* 24 *etiam amplectitur, immerito ivisse est censendus, uti quisque facile agnoscet, qui, quæ verbis, num. proxime prægresso sub initium recitatis, asseruntur, attente expenderit. Jam vero, cum Sancti ossa fuerint e jam dictis in S. Itisbergæ ecclesia anno* 1608 *servata, nec eo illa Venantiopoli, cum in hoc nominis sui oppido fuisset primum* S. Venantius *sepultus, translata fuisse, verosimile appareat, consectarium sit, ut non ibi, sed in Itisbergana parœcia seu in S. Itisbergæ ecclesia sepulturam fuerit adeptus. Et vero Sanctum fuisse reipsa in posteriori hoc loco sepultum, ex iis, quæ jam nunc subdo, etiam apparet. Eremiticæ* S. Venantii *casæ S. Itisberga, ut traditio, ab omnibus passim admissa, fert, sacram ædiculam in ejus occisi honorem,substituit hinc-* F *que factum, ut locus in oppidum sensim accreverit; cum autem sic habeat, nec ullus adhuc, cum* Venantius *fuit occisus, locus sacer, quo hic sepeliri potuerit, Venantiopoli exstitisse videatur, sepultum ibi eum tum fuisse, in animum quis facile inducat? Molanus quidem oratorii,quod Venantiopoli jam tum,cum Sanctus occideretur, exstiterit,mentionem facit, simulque, Sanctum ibidem fuisse sepultum,affirmat. Verum oratorii vel sacræædiculæ, quæ jam tum Venantiopoli exstiterit, nuspiam alibi vel mentionem vel vestigium invenio.*

AUCTORE J. B. F.

D

DE S. PAULINO EP. CONF.

CAPUÆ IN REGNO NEAPOLITANO

SYLLOGE

Cultus, lectiones propriæ, tempus vitæ.

CIRCA MEDIUM SEC. IX *Sancti memoria in Fastis sacris:*

Capua, *notissima Campaniæ Felicis in regno Neapolitano urbs ad Vulturnum fluvium, pluribus describitur apud Ughellum tom.* 6 *Italiæ Sacræ a col.* 291 *editionis secundæ,et tam de Antiqua, quam de Nova Capua variæ subministrantur notitiæ, ex variis scriptoribus collectæ, quæ ibidem a curioso lectore inspici possunt. Urbs hæc* S. Paulinum *suum quondam antistitem veneratur hodierno die, quo in diversis ecclesiæ Capuanæ Kalendariis, ut in Sanctuario Capuano Michaëlis monachi videri potest, constanter annuntiatur. Ipsum Romano Mrl. Cardinalis Baronius primum inseruit his verbis, quæ in citatis apud Michaëlem monachum Calendariis invenerat* : Capuæ S. Paulini episcopi. *Prolixiori elogio Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* Paulinum *exornat; at illud, cum nihil, præter illa, quæ in exhibendo statim Sancti Officio leguntur, contineat, huc transcribere necessum non duxi. In dicto Sanctuario pag.* 75 *exstat sequens de illo Oratio propria :* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis, per hujus S. Paulini confessoris tui atque pontificis, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum *etc.; ibidemque pag.* 90 *Michaël monachus sequentia de Sancti veneratione suppeditat :* Capuanis in summa veneratione sanctus Paulinus semper fuit. Capella Thesauri, cujus sub altari corpus ejus conditum est, ab ejus nomine titulum accepit : recordamur, thesaurario curante, campanas per octo dies ante festum vesperi consonare et in festi pervigilio lucernas in summo campanili ardentes lucere.

lectiones

2 *Adhæc ibidem idem a pag.*75 *habet lectiones proprias novem de* S. Paulino : *verum cum eadem, quæ in hisce, compendiosius in aliis tribus,recentioribus quidem, sed a sacra Rituum Congregatione recognitis, pro civitate Capuana approbatis et anno* 1669 *excusis, memorentur, hasce solas hic ob oculos ponam.* Die *itaque* x Octobris *tres illæ lectiones* S. Paulini episcopi et confessoris *hæc memorant* : Lectio IV. Paulinus, Capuanæ urbis antistes, in Britania insula natus, ab ineunte ætate divino servitio mancipatus,post artium liberalium studia sacris literis operam dedit. Dei timore et amore ita afficiebatur, ut altero veluti fræno coërceretur a malo, altero quasi stimulo incitaretur ad bonum. Castitatem illibatam usque ad senectam servavit. Bonarum artium studiosis egestate laborantibus eleemosynas erogabat,ne rerum inopia a studiis retraherentur. Ipse vero, ut expeditior Dominum sequeretur, patrimonii sui opes pauperibus distribuit : tum loca sancta videndi desiderio flagrans Hierosolymi tanam peregrinationem, paucis comitantibus, aggressus est; sed cum Capuam pervenisset, tunc defuncto Radelberto ejus urbis episcopo, rogatus sermonem habuit in ecclesia, sicque omnes commovit, ut communi voto eum sibi episcopum postularint.

propriæ :

3 Lectio V. Electus itaque, et a Romano Pontifice confirmatus, tametsi invitus et reluctans pastorale munus suscepit, ne resistere divinæ voluntati videretur. Sic lucerna lucens et ardens posita Dei nutu super candelabrum fulgoris sui radios undique diffundebat coruscans exemplis, ardens charitate, peccantes a vitiis opere et sermone revocabat, justos autem ad Christianæ perfectionis culmen incitabat. Sed ne deesset illi exercendæ patientiæ occasio, tribus integris annis acrem a schismaticis persetionem passus est, quibus pro odio amorem, pro injuriis beneficia reddebat. Lectio VI. Capuam eo tempore molesta vexabat fames, ob quam Viri sancti charitas enituit; pauperum enim et indigentium calamitate commotus, viscera super eos misericordiæ effundens, urbem universam, ac egenorum domos perlustrabat, dividens singulis de facultatibus, prout cuique opus erat. Porro inter cætera charitatis opera illud memorabile fuit, quod Matronæ cum tribus filiis sibi occurrenti et eleemosynam petenti, cum nil aliud, quod largiretur, haberet, mulam, cui insidebat, tradidit, ut, ea vendita, victum sibi et filiis ejus pretio compararet. Præfuit ecclesiæ suæ Vir sanctus annos octo et amplius, quibus exactis, migravit in cœlum sexto Idus Octobris, cujus corpus in ipsa ecclesia Capuana tumulatum magna ibidem veneratione honoratur.

tempus vitæ.

4 *In Catalogo Episcoporum Capuæ apud Michaëlem monachum, sicut in citatis statim lectionibus et in Ferdinandi Ughelli Italiæ sacræ tom.* 6 *legimus,* S. Paulinum, *defuncto Radelperto, episcopali solio admotum fuisse, commissumque sibi gregem summa laude octo circiter annis rexisse. At, quo reparatæ Salutis anno pontificis dignitate condecoratus fuerit, accurate definire non possumus, cum annus, quo Radelpertus, Sancti nostri decessor, ex hac vita migrarit, in citatis monumentis haud reperiatur. Castellanus quidem in Martyrologio Universali sanctum Antistitem hac die annuntians, ipsius mortem anno* 851 *figit; sed cum nullum suæ assertionis argumentum afferat, et in hujusmodi epochis figendis haud raro hallucinetur, ei sine testibus pronuntianti fidere non ausim. Ferdinandus Ughellus citato tomo, absoluto Sancti elogio, tempus ipsius in*

A *in cælo natale circa Incarnati Verbi annum* 851 *signavit sequenti ratiocinio:* Quo tempore Paulinus ecclesiæ Capuanæ præfuerit, ex Erchemberti Chronic. constat. Habet ille, Paulinum obiisse tempore, quo Lando, comes Capuanus, habitabat sycopoli, id est, in Palumbaria apud Trifiscum ; Lando autem comitatum accepit anno 845 vel 46: itaque ante hunc annum non obiit Paulinus. Quia vero sedit Capuæ ann. 8, mens. 3, oportet ipsum consecratum fuisse circa annum 843 a Gregorio IV Papa, qui sedit ab anno 828 ad annum 844. Obiisse vero circiter annum 851. *At quis non videt, ex allato hic Ughelli ratiocinio nullo modo confici, Sanctum anno circiter* 851 *mortalem vitam cum immortali commutasse? Cum enim nihil omnino, ob quod Ughello* Paulinum *circa annum* 843 *a Gregorio IV Papa consecratum fuisse episcopum, asserenti credamus, in dicto ratiocinio occurrat, per hoc sane, Sanctum nostrum, qui Capuæ annis* 8, *mensibus* 3 *sedit, anno circiter* 851 *ad cælum evolasse, nulla omnino, ut consideranti patescet, ratione is scriptor probat. Verum etsi sic habeat,* Paulinum *tamen vere circa annum* 851 *seu medium sec.* IX *obiisse, ex Erchemberti Chronico eruitur. Hoc enim, quod inter Rerum Italicarum scriptores tom.* 2 *recusum exstat, ibidem pag.* 243 *non obscure prodit,* S. Paulinum, *Landulfo comite Capuano jam mortuo, Landoneque, qui proxime huic successit, comitatum Capuanum jam obtinente, diem extremum clausisse; cum autem Lando vel anno* 845 *aut seq., ut Ughellus ait, vel, ut alii volunt, anno* 842 *comitatum Capuanum acceperit, consectarium fit, ut Sanctus, qui annis dumtaxat* 8 *et mensibus* 3 *sedit, vel aliquo e tribus istis annis vel altero certe, qui ab anno* 850 *haud multum fuerit remotus, ad Superos migrarit, utque proinde ejus obitus, quem supra in margine circa medium sec.* IX *signavi, pro certo ad hoc tempus debeat referri.*

AUCTORE J. B. F.

B

DE S. JOANNE CONFESSORE

E

ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM

IN DIŒCESI EBORACENSI IN ANGLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Notitia cœnobii, in quo Sanctus vixit,; ejus memoria apud martyrologos : cultus : an canonizatus fuit ? Vita edenda

ANNO MCCCLXXIX. *Sanctus, qui in Brillendunensi Angliæ monasterio habitavit,*

C Brilledunum *vel, ut aliis placet,* Bridlintona, *oppidulum est Angliæ Borealis in ducatu Eboracensi, in ora maris Germanici,* 35 *milliaribus Anglicis in Ortum Eboraco distans; ubi monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ex consensu Henrici, Angliæ regis, illustrissimus D. Walterus de Gaunt (cujus genealogiam vide in Britannia Camdeni) erexit sec.* XII *ad mediam sui partem vergente, canonicosque B. Mariæ Brillendunensi ecclesiæ servientes annuis reditibus dotavit, ut in Monastici Anglicani tom.* 2, *pag.* 161 *lector videre poterit. Hujus cœnobii canonicis* S. Joannes, *postquam a parentibus (quorum nomina silent biographi) optime educatus, Oxonii litterariis studiis biennio incubuisset, se socium adjunxit, annum agens vigesimum. Non est animus lectoris oculis hic subjicere, quam sedulo Sanctus assumptam S. Augustini Regulam toto vitæ decursu servaverit; quam studiose omni monasterii munere functus fuerit, qua demum paterna bonitate, Prioris dignitate condecoratus, subditos in religiosæ perfectionis tramite continuerit, ipsis mirandæ præbens exempla virtutis: hæc enim omnia relata sunt in Vita, quam hic sum editurus, cum nonnulla primum de hujus scriptore, ecclesiastico Sancti cultu memoriaque in Fastis sacris præmisero. Ab hac duco initium.*

2 S. Joannem *varii celebrant hoc die martyrologi, ac in primis Molanus in prima sua Usuardini Martyrologii editione sequenti isthac, cui deinde Galesinius presse inhæsit, annuntiatione:* S. Joannis Prioris Bridlingtoniæ in Anglia, Ordinis Regularium, qui canonizatus est a Bonifacio Nono. *Dixi, in prima sua Martyrologii Usuardini editione, quia in aliis hujus per Molanum editionibus de Sancti canonizatione nulla habetur mentio, sicut nec apud Castellanum, qui in Martyrologio Universali paucis his verbis eum memorat:* In Anglia *(sic sonant verba Gallica)* S. Joannis Brillendunensis canonici Regularis. *Nec a Castellano ea in re dissentiunt Wilsonius et Florarii nostri, anno* 1486 *exarati, auctor. Prior enim in Mrl. Anglicano, anno* 1608 *edito, sequens Sancto concinnavit elogium:* Brillenduni, in provincia Eboracensi, depositio S. Joannis conf., Prioris monasterii Canonicorum Reg., cujus vita, sanctitate clara, luculenter manifestata est miraculis, quæ tum vivus, tum post obitum patravit; obiit anno Christi 1379 et sepultus est Brillenduni; *posterior vero sic habet :* In Anglia natale beati Johannis, Prioris Bridlingtoniæ de Ordine Regularium, cujus vitam gloriosam gestaque mirifica fama volatilis adeo deduxit in universitatis gentium publicam notitiam, quod non solum

Fastisque sacris hic memoratis

AUCTORE J. B. F.

solum de regno Angliæ, verum etiam de toto orbis ambitu ideo ad ipsum confluat multitudo populorum, humiliter postulans meritorum ejus radiis illustrari. Obiit anno Salutis 1366. *Qua ratione inductus Florarii nostri auctor Sancti tempus in cælis natale reparatæ Salutis anno* 1366 *affixerit compertum non habeo; certe inter scriptores, qui* S. Joannis *meminere, nullum huc usque reperi, qui, ipsum Incarnati Verbi anno* 1379 *ex hac vita migrasse, non referat.*

exstat insertus, cultu antiquo et legitimo,

3 *Porro e jam recitatis Florarii nostri verbis,* S. Joannem *jam inde a seculo* XV *cultu ecclesiastico fuisse gavisum, colligendum videtur, imo vero altius etiam ac ab aliquot saltem post Sancti obitum annis cultus illius primordia verosimiliter repetenda esse, ostendunt sequentia ist hæc Walsinghammi in suis Scriptis Anglicis, Camdeni cura editis, verba:* Eo tempore *(nempe anno* 1389, *seu decimo post* Joannis *obitum anno)* in prioratu canonicorum de Bridlington, ad tumbam Joannis, quondam
B Prioris ibidem, tanta et manifestata fiebant miracula, ut pene totam Angliam ducerent in stuporem. *Nec tantum verosimiliter, sed certo etiam* S. Joannes *jam inde a paucis post obitum suum annis cultu ecclesiastico fuerit gavisus, si quæ duo supra laudati martyrologi Molanus et Galesinius memorant, veritati sint consona.* Joannem *enim a summo Pontifice Bonifacio IX, qui Romanam S. Petri Cathedram ab anno* 1389 *usque ad* 1404 *occupavit, Sanctorum numero fuisse adscriptum affirmant, idemque etiam faciunt in suo Canonicorum Regularium Venatorio abbas Livriacensis Mauburnus, seu Joannes de Bruxellis et in Generali suo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo Ferrarius. Verum scriptores illi omnes, uti e jam dicendis intelliges, videntur hac in re hallucinati. Ac primo quidem Ferrarius, qui, ut mox indicavi, a Bonifacio IX canonizatum fuisse Sanctum, refert, id certe haud absque turpi ac manifesto facit errore.*

etsi interim a Bonifacio IX

4 *Rem enim anno* 1379 *a Bonifacio IX solenni ritu factam affirmat; quis vero non judica-*
C *bit, laudatum Pontificem, qui seculi* XIV *anno* 89 *Romanum Pontificatum adiit, non potuisse decem, priusquam Pontifex Romanus fieret, annis cœlitum honores Sancto decernere? Quod autem ad Molanum et Galesinium spectat, hi nec annum, quo, nec urbem, in qua canonizatio illa fuerit peracta, assignant. Unus quidem omnes inter scriptores Mauburnus, libro num. præced. assignato, Sanctum ab eodem Pontifice anno* 1395 *in Sanctorum Album relatum fuisse, asserit; verum nulla documenta, quibus assertionem stabiliat, in medium adducit, nullumve auctorem idoneum laudat, sine quo ipsi pronuntianti fidem adhibendam esse, non existimo, utpote toto fere seculo summo Pontifici Bonifacio IX posteriori. Hinc fit, ut in ipsamet asserenda Sancti per Bonifacium IX canonizatione, utpote quam pariter idoneo documento non firmat, majorem etiam fidem (quod et de Molano, Galesinio et Ferrario eamdem ob causam hic dicendum) non mereatur.*

* *canoniratus fuisse*

5 *Hisce præterea nullo modo favere videtur Vitæ, huic Commentario subjiciendæ, auctor, qui de* S. Joannis *Sanctorum numero adscriptione nihil refert. Altum etiam de hac canoni-*
zatione silent Franciscus Pagi in Breviario D *Historico-chronologico-critico Pontificum Romanorum, et Codex Canonizationum, a Justo Fontanino editus. Ex hoc silentio factum, opinior, ut, cum Molani Martyrologium reparatæ Salutis anno* 1573 *fuit recusum, ne vel uno verbo de Sancti in cœlitum Album relatione instituta fuerit mentio. Porro nullus dubito, quin Galesinius, si secundum Martyrologii Molani editionem præmanibus habuisset, Sancti nostri canonizationem in sua annuntiatione silentio fuisset suppressurus. De Martyrologii vero a Ferrario conditi authoritate sic loquentem audi Fortunatum Scacchum de Notis ac Signis Sanctitatis sec.* XI, 4: Philippus Ferrarius, collectis nominibus quorumcumque Dei, qui quoquo modo aliquam habent in aliqua ecclesia vel monasterio venerationem sive Sedis Apostolicæ authoritate, sive absque tali authoritate colantur, suum implevit Martyrologium. *Unde liquet, Ferrarii auctoritatem non sufficere, ut Sanctus noster canonizatus credatur.* E

non videatur,

6 *Et vero, si* S. Joannes *Sanctorum numero fuerit adscriptus, quid fuit, quod eruditissimi, quid Martyrologium Romanum tempore Gregorii XIII, Sixti V et Urbani VIII reformarunt, viri, in Sanctorum Catalogum relatum fuisse Sanctum nostrum, non modo siluerint, verum etiam ipsius memoriam ne vel uno verbo celebrarint? Cur Pontificiis Decretis, in erudito summi Pontificis Benedicti XIV Opere de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib.* 4, *part.* 2, *cap.* 18 *relatis, laudati viri non obtemperarunt? Etenim secundum dicta decreta in Martyrologio Romano annotanda sunt nomina eorum, qui post ejus editionem a summis Pontificibus canonizantur et illorum, qui aliquo ex modis, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam approbatis, Sanctorum Albo fuerant adscripti, nec tamen hactenus in Mrl. Rom. erant memorati; ut cit. Opere laudatus summus Pontifex distinctis verbis sic refert:* Ad præscripta itaque allatorum decretorum describenda sunt in Martyrologio Romano nomina canonizatorum, idque, sive loquamur de illis, qui post editionem Martyrologii a summo Pontifice subinde referuntur in F Album Sanctorum, sive loquamur de aliis, qui aliquo ex modis ab Ecclesia approbatis fuerunt canonizati, et nomina nondum fuerunt apposita in Martyrologio Romano.

apud Canonicos Regulares gaudet,

7 *Unde manifestum fit, eam canonizationem Sacræ Rituum Congregationi prorsus ignotam fuisse. Hæc omnia plurimum me movent, ut Sanctum in Sanctorum numerum relatum non fuisse credam. Verum, etsi id ita sit, nec aliunde etiam, Sanctum jam inde a paucis dum taxat post obitum annis cultu ecclesiastico fuisse gavisum, certum efficiatur;* Joanni *tamen duobus seculis proxime elapsis cœlitum honores a Canonicis Regularibus fuisse delatos ac porro hodieque deferri, fidem faciunt Sanctorum Officia propria, ad horum Canonicorum usum excusa, in quibus ad* X *Octobris diem Officium de Sancto nostro legendum proponitur. Nec est, cur quis, an legitime id fiat, revocet in dubium.* Joannes *enim inter Sanctos recensetur, qui, licet nec in Breviario nec in Martyrologio Romano sint inscripti, coli tamen e Pii V summi Pontificis concessione a Canonicis Regularibus queunt, ut*

A *ut ex indulto, quo id hic Papa anno* 1570. *permisit, manifestum evadit.*

Vitæque tres scriptores, quorum unum edimus, est nactus.

8 *Restat jam, ut ad Sancti Acta progrediamur. In supellectili nostra litteraria asservantur duæ* S. Joannis *Vitæ, ex codice Rubeæ-Vallis, Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini prope Bruxellas monasterii, fideliter descriptæ, quarum unam apud Joannem Capgravium, seculi* XV *scriptorem, in Catalogo SS. Angliæ pag.* 191 *editam, concinnavit anonymus Sancto nostro subæqualis: altera multo contractior tota in citata anonymi lucubratione continetur. Laurentius Surius priorem Vitam, hinc inde a se contractam, in suo SS. Trimestri quarto pag.* 149 *publici juris se fecisse his verbis tradit:* Vita Joannis, Prioris monasterii Bridlingtoniæ Can. Reg. in Anglia, ex quodam Ms. codice per Laur. Surium mutato stylo pressius et contractius descripta. Authoris nomen codex non habuit; sed est Historia gravis et scripta ab ejus

B æquali. *Ast laudatus Surius, hanc Vitam ab auctore* S. Joanni *æquali fuisse exaratam, frustra ex his biographi verbis probare conatur:* Non solum vero in amplexu scientiarum applaudens *(S. Joannes)* immo cælestibus intellectualiter suspirans avidius dum Oxoniis persisteret studiosus : omissis frequenter altercationibus sophismatum inquisitivis, templum sui spiritus supremo principi dedicavit,..... ut quidem ex veridicorum constudentium relationibus audivimus. *Quis enim non videt, ex his verbis nullatenus consectarium fieri, hunc biographum Sancto fuisse æqualem? Supparem vero fuisse, quis refragrabitur? Tertia mihi etiam præ manibus est Sancti Vita, a domino Hugone concinnata, et per amanuensem ex tomo* 95 *Bibliothecæ RR. PP. Oratorii Vallis-Cellæ experta. Huic biographo in adornandis Sancti nostri laudibus anonymi statim laudati lucubrationem præluxisse, ex ipsius narrationibus potest sufficienter colligi; at unde hauserit plura prodigia,* S. Joannis *tum vivi, tum defuncti meritis patrata, quæ in supra citatis Sancti Actis frustra quæsieris, compertum non habeo; neque etiam qua ætate scripserit, auctor uspiam vel verbo prodit. Ceterum Vitam auctore do-*

C *mino Hugone exaratam, quod huc usque editam non sciam, collatam cum jam citatis Actis hic subjiciam, ita ut varias eorum, quæ alicujus momenti sint, lectiones in Annotata relaturus sim, ne quid lector desideret.*

VITA

S. JOANNIS DE BRIDLINGTONA, CANONICI REGULARIS.

Auctore domino Hugone, Canonico Regulari.

Ex tomo 95 *Bibliothecæ RR. PP. Oratorii Vallis-Cellæ, collata cum Vita edita apud Surium et Capgravium.*

CAPUT I. E

Sancti natales : litterarum studium : vitæ institutum ; sacerdotium et ad varia monasterii munia promotio.

Sancti natales ac primi anni:

B. Joannes, quondam Prior de Bridlingtona, ex honestis parentibus Christianis Catholicis et Deo devotis in regno Angliæ, in villa quadam, quæ Tuenge *a* vocatur, Eboracensis *a* diœcesis, natus generosam traxit originem, qui ab ipsa puerili ætate secutus Deum, ipso Deo, ut creditur, ducente, viam sanctitatis ingredi cœpit, gradumque perfectionis in ipsius innocentiæ annis arripere jam studuit; quinto namque ætatis suæ anno a suis parentibus scholasticis traditus disciplinis, lectionibus et doctrinis sui magistri, quantum sua patiebatur ætas tenella, sedule operam impendebat. Dum autem cum suis sociis a schola egrederetur et ipsi puerilibus, ut assolent, jocis et vanis discursibus hinc inde currendo intenderent, ipse ad F ecclesiam convolabat, et ibidem solus orationi et devotioni mirabiliter in tenui ætate deditus, omnia lubrica et pueriles consuetudines veluti gratia Spiritus S. edoctus totaliter respuebat, ita quod nusquam aut raro apparuit in ipso aliquod indicium levitatis puerilis. Mira res, quis umquam credere vellet, quinquennem actus et ludos pueriles deserere, sanctitati et devotioni deditum esse, præcipue cum nondum talis ætas perfectam discretionem habeat, neque scientiam boni malive agnoscat? Certe, ut puto, nec credere fas esset, nisi illo superno Magistro inspirante, qui dixit : « Sinite parvulos venire ad « me, talium est enim regnum cælorum *b*. » Sicut utique teneris sub annis Joannes, gratia Dei repletus, cælibem vitam agere cœpit, et, superno Ductore ducente, ad gradum sanctificationis et perfectioris vitæ gratiose postmodum meruit promoveri,

b

emisso post hos castitatis voto,

2 Pluribus itaque annis sub maternis alis innocenter transactis, et appropinquante tempore adolescentiæ, quo jam maturior ætas et hominum fragilitas instinctu naturalis pubertatis ad corruptionis

A. D. Hugone. corruptionis et lasciviæ viam maximè declinare solet, ipse, inspiratione motus divina, toto conatu corruptibilis vitæ voluptates studuit evitare, et ita, se totaliter ad Deum convertens, suam pudicitiam precibus assiduis Domino commendabat, et jam in duodecimo *c* ætatis suæ
c anno constitutus votum vovit castitatis, lilium virginitatis suæ Deo offerens, continentiam cordis et corporis usque ad finem vitæ suæ, sicut creditur, inviolabiliter observabat, atque ex tum quotidie sicut ætate ita bonis actibus atque virtutibus crescebat, sanctæque conversationi deditus ecclesias devote frequentabat, Officiis divinis cum honestis et religiosis personis omni tempore, quo poterat, assidue vacabat; quidquid etiam de sacræ Scripturæ sententiis intelligere poterat, in sui pectoris armariolo studio recondebat, et licet adhuc in hujus modi labili via cum habitu sæculari et inter plebeios conversaretur, attamen Domino opitulante de virtute in virtutem crevit, et
B ad cælestis vitæ patriam, quantum poterat, totis viribus anhelabat; perpendens itaque statum suum et votum castitatis, quod emiserat, inter sæculi fluctus ventis tentationum agitari, statuit omnino anchoram propositi sui firmiter figere in littore solidiori, et ut liberiorem Domino redderet famulatum ad quietum portum religionis confugere.

religiosam vitam amplectitur,

3 Cum ergo in annis discretionis jam longe processisset et quasi annum vigesimum attigisset, relictis sæculi gaudiis et pompis transitoriis, habitum S. religionis Canonicorum Regularium in venerabili et religioso loco prioratus S. Mariæ de Bridlingtona, Eboracensis diœcesis, devote suscepit; qui quidem prioratus ab eadem civitate Eboracensi per triginta milliaria aut modicum plus distans non longe a littore maris situatus, jocundum et quasi solitarium viris religiosis præstat habitaculum. Joannes itaque, religionis habitu suscepto, quasi nova plantula secus decursus aquarum plantata, virtutum germina in domo Domini producere cœpit, vigilare, jejunare, orare, cupiensque a pusillo placere Deo, vitam suam ducebat in laboribus et abstinentiis, ac postmodum tempore congruo professione regulari per eum emissa, juxta gratiam Dei collatam visus est viam arctioris vitæ
C fiducialiter aggredi, crebris jejuniis, continuis vigiliis, orationibus assiduis, aliisque laboribus corpus suum spiritui servire coegit, semper inter alios et cum aliis ordinabiliter, sociabiliter humiliter, obedienter vivens, et in abdicatione suæ propriæ voluntatis, humilitatem vero et patientiam, quasi duos lapides pretiosos, in corde suo pro fundamento stabilivit. Itaque cæteris in ipso monasterio etiam antiquioribus observantiæ regularis speculum erat, et exemplar sanctæ conversationis; unde verosimiliter de eo potest dictum evangelicum proferri: « Fuit « homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes
d « *d*. » Felix ergo iste Joannes felix et gratiosum habuit principium et feliciori medio subsequente felicissimum morum exitum obtinet, veluti in sequentibus perspicue apparebit.

et ad sacros ordines promotus.

4 Procedente quoque tempore ad sacros ordines successive promotus et in sacerdotio constitutus devotius assuescebat orare, ac psalmis, hymnis et canticis spiritualibus ore simul et corde laudes uberiores reddere Deo omnipotenti. Tempore quoque, quo ad divina celebranda mysteria, præparato sui cordis habitaculo, cum devota confessione et spiritu contrito ad altaris D
officium accedebat, sicut verus discipulis Jesu Christi venerabile Sacramentum corporis Dominici in memoriam passionis ejus cum ingenti tremore consecrabat et pertractabat; quod etiam cum maxima devotione et reverentia sumebat, semetipsum judicans valde indignum ad tam sacrosanctum mysterium peragendum, et quamquam juvenis esset ætate, attamen senem ostendebat se morum et operum gravitate et sobrietate vitæ. Scriptum est enim in libro Sapientiæ cap. 4: « Senectus venerabilis non diuturna nec annorum numero computata, cani enim « sunt sensus hominis; » et paulo post scilicet: « Et ætas senectutis vita immaculata. » Et quidem a Priore magister novitiorum *e* et informator juvenum effectus est: ejus vita simul cum moribus laudabilis et gratiosa multos provocacabat, et ædificabat ad salutem, noctibus vero et diebus defectus suorum fratrum absentium in choro psallendo et legendo in refectorio seu alibi ministrando ipse libenter et sine murmure supportabat. Quidam pater monasterii et alii canonici considerantes ipsius Joannis prudenE
tiam ac discretionem successive in diversis officiis monasterii ipsum administratorem *f*, fecerunt, ipseque tamquam fidelis dispensator et prudens utiliter et fideliter, quæ sibi commissa fuerant, ministrabat, et ita se ipsum regebat, quod Deo acceptabilis erat et ab hominibus nimio diligebatur affectu; nec propterea unquam ab officiis divinis, horis canonicis nocturnis vel diurnis se substrahebat, sed semper cum aliis in choro cantando et legendo interfuit, nisi aliquod impedimentum sibi obstaret aut major necessitas ipsum abesse constringeret.

e

f

monasterii bona temporalia administrat.

5 Mirandum quoddam non referre non potero, quod tamen scriptum non reperi, sed a quibusdam religiosis ex auditu percepi; quodam vero tempore ipse beatus Vir jam in officio Cellarii *g* administrator deputatus, exteriora monasterii negotia regebat, ob quam causam frequenter oportebat eum de monasterio egredi, possessiones et Grangias *h* supervidere, reparationibus domorum intendere, cultoribus agrorum et aliis laborantibus operas suas assignare, panem, potum et alia pro expensis omnium interius et exterius ordinare et providere, quæ omnia secundum scientiam sibi a Deo inspiratam F
diligenter, fideliter et disorete exequebatur. Erat itaque tunc inter fratres suos canonicos de ejus vita et virtutibus non modica admiratio, atque de ejus sanctitate secreta et frequens confabulatio, verum quia scriptum est, quot capita tot sententiæ; et sicut Judæi de Domino Jesu Christo, ita et ipsi de illo B. Joanne loquebantur; opinabantur aliqui et dicebant: quia bonus et devotus est; alii e contrario dicebant: non, ipsius sanctitatem male interpretantes ejusque devotioni et simplicitati spiritu maligno detrahentes.

g

h

Panes intercessione S. Joannis lapides, ut fertur, apparent:

6 Erant autem eo tempore pauperes quidam, qui extra monasterium in vicina domo morabantur, penuriam patientes alimentorum, de quorum necessitate B. Joannes misericordiæ visceribus condolens cogitabat omnino de rebus abundantis in monasterio eorum inopiæ aliquid impertiri, propter quam causam, quando exire debebat pro factis monasterii, aliquos panes secum assumens exportabat secrete et ipsos eisdem indigentibus erogabat; quod opus misericordiæ cum pluribus diebus iterasset, quidam eorum,

qui

A qui sibi invidebant, hoc explorantes, et ipsum super hac re Priori accusabant, dicentes : Cellarium minus providum res omnes asportare et hinc inde distribuere pro suæ libito voluntatis. Sed Prior, ut vir prudens et expertus, ipsum Joannem virum fidelem, devotum et discretum esse ; illorumque accusationem non ex bono zelo procedere cognoscens, verbis benignis eorum malitiam usque ad tempus dissimulabat. Contigit altera die post hæc tempore, quo ipse Joannes Cellarius volebat exire, quod Prior cum aliquibus, qui ipsum accusaverant, secus viam, per quam ipse erat transiturus, astabat; ipse vero Dei servus Joannes super egenos et pauperes diligenter intelligens, panes aliquos secum
i tulit, et clam sub cappa *i* sua portans, opus misericordiæ et pietatis, ut antea solebat, satagebat implere; quem Prior egredientem conspiciens, mox ipsum ex nomine vocabat, dicens : Joannes, veni huc. At ipse statim Prioris obediens imperio venit ad præsentiam ejus, qui ipsum, quid portaret, interrogans, et ipse cu-
B piens sua opera bona soli Deo esse cognita, utpote homo simplex et innocens, inclinato capite, patri Priori respondit : Pater, inquit, la-
k pides *k* sunt, quos ad viam extra portam meliorandam portare volo : intendens hujusmodi excusatione honesta, non propter Priorem suum, qui sanctorum secretorum conscius erat, sed propter alios, qui cum Priore præsentes astabant, suæ piæ intentionis opera sagaciter palliare. Tunc Prior ait ad eum : Ostende, inquit, Fili, nobis, ut videamus, si vere lapides sint, et ille continuo mandato præcipientis obtemperans, panes, quos portabat, coram eis ostendit, qui in eorum aspectu lapides esse videbantur. Prior utique super hoc stupefactus, data ei licentia abeundi, his, qui astabant secum, ait : Ecce, quam injustam accusationem attulistis mihi contra Hominem istum benignum, humilem et innocentem. Illi vero admirati magnoque rubore percussi, in claustrum regressi sunt, suam vecordiam secum portantes, qui postea, abjecta suæ perversitatis malitia, ipsum Joannem in amore et reverentia semper habuerunt.

quod prodigium Sancti biographus probare conatur.

7 Bene quidem potuit hoc factum credibile esse consideratis ipsius beati Viri virtutibus, mansuetudine, humilitate, innocentia, castitate, pudicitia et caritate, de quibus infra latius
C declarabitur. Legitur etiam et est in Actibus B. Joannis Evangelistæ, quod virgas sylvestres in aurum optimum convertit, quas postea ad propriam naturam fecit reverti. Iste vero panes in similitudinem lapidum suis meritis transformavit, quos iterum ad proprium statum reformavit. Ille virgo electus a Domino in ævum permansit; ille beatus noster Joannes, ut superius dixi, a pueritia sua electus a Domino et dilectus usque ad finem vitæ suæ castitatem corporis et cordis immaculatam servavit. Legitur etiam de beata virgine Brigida, quod solo tactu lignum aridum et per longum tempus siccum in pristinam viriditatem restituit; plura quoque etiam alia de sanctis Viris possent inferri ad argumentum hujus rei, ut in libris Dialogorum B. Gregorii p. 3 et alibi tales procul dubio caste viventes, in quibus Deus habitat. Prima ad Corint. 3. Templum Dei scilicet est, quod estis vos. Et in eadem : Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. Et in lib. Sap. dicitur : Incorruptio facit esse proximum Deo.

A. D. HUGONE.

ANNOTATA.

a *Hæc villa (ut videre est in Sancti Vita apud Capgravium et Surium) in comitatus Eboracensis locis maritimis sita est non multum a monasterio Brillindunensi remotis.*

b *Marc. cap.* 10, ℣. 14.

c *In proprio* S. Joannis *Officio legitur annus decimus tertius, reliqui vero Sancti biographi de voto illo altum silent.*

d *Evang. Joann. cap.* 1, ℣. 6.

e *Hanc provinciam Sancto nostro fuisse demandatam, apud Capgravium aliosque scriptores haud reperi.*

f S. Joannes, *ut habent alii biographi, munus Præcentoris in choro et Eleemosynarii exercuit.*

g Cellarii, *prout hic sumitur, officium est rebus monasterii temporalibus providere; apud Benedictinos vero illius officium est, infirmorum, infantium, hospitum pauperumque cum omni sollicitudine curam gerere, ut ex Regula S. Benedicti manifestum apparet.*

h Grangia *locus est, ubi triticum teritur.* E

i Cappa, *ut videre est in Gabrielis Pennotti Historia Ord. Clericorum Canonicorum tripartita lib.* 1, *cap.* 22, *superior vestis est longa et talaris, quam episcopi et sacerdotes, cum in publicum prodibant, induebant.*

k *Hoc factum reliqui* S. Joannis *biographi silent.*

CAPUT II.

Sanctus in Priorem eligitur : præclaræ virtutes in ipso enitent.

In Priorem eligitur.

Crescentibus autem in ipso beato Viro piæ conversationis et sanctæ vitæ meritis, ab officio Cellarii exutus, et Supprior monasterii effectus sive officio Vicarii functus, omnia, quæ ad observantiam religionis pertinebant, sagaciter atque discrete regebat, sibimet parcus et austerus, aliisque quidem benignus extitit et misericors. In correptionibus modestiam ser- F
vans, in compassione et pietate fraterna affluens, in admonitionibus et exhortationibus sedulus, humilitate et castitate præcellens, in omni opere bono semetipsum exercens, exemplum gratiæ et mansuetudinis omnibus ostendebat : et quoniam scriptum est : « Omnis, qui se humi-
« liat, exaltabitur *a*, » defuncto postea ejusdem *a*
monasterii Priore, universi canonici, in domo capitulari congregati, ipsum in Patrem et Priorem suum, prævia scilicet Spiritus Sancti invocatione, unanimi consensu et assensu, nullo penitus reclamante aut contradicente, elegerunt anno ætatis suæ trigesimo septimo *b.* *b*
Quidam propter suam sanctitatem et devotionem, quidam propter circumspectionem in spiritualibus et temporalibus rebus, omnes ipsum una voce clamabant dignum et ipsis et eorum monasterio Patrem et Gubernatorem esse perutilem, qui, ut semper erat assuetus, spiritu benigno eos alloquens, se ad talem gradum taleque onus suscipiendum omnino dicebat fore esse indignum, et aliquam-

A. D. Hugone. diu resistens noluit consentire. Sed, canonicis universis in eadem sententia electionis concorditer persistentibus, ipseque sentiens in hoc voluntatem Dei circa se adesse, admonitus quorumdam prudentum consilio, simulque precibus omnibus devictus, quamvis invitus assensum suum tandem electioni attribuere quodammodo coactus est, præsentatus quoque Eboracensi archiepiscopo, secundum ritum patriæ ab eodem in Priorem perpetuum ejusdem monasterii legitime confirmatus est.

prudentia, 9 Ipse vero tunc ut vir prudens secum meditans atque considerans onus magnum super se positum, et secundum sententiam B. Gregorii: cui plus committitur, plus ab eo in reddenda ratione exigitur: de sola Dei gratia ejusque auxilio confidens, se et omnia ejusdem monasterii, quæ gubernanda susceperat, omnium Gubernatori cælestium et terrenorum devotis precibus commendabat. Ejus piis meritis et orationibus res et negotia monasterii tam in spiritualibus, quam in temporalibus per tempus, quo erat Prior, in bono statu perstiterunt. At quamvis nonnulli in hujus regimine constiB tuti, non de onere cogitantes, sed de potestate et honore prælationis gaudentes, magis inde exaltantur, hic e contrario humilior atque benignior, et in operibus caritatis ad serviendum promptior exstitit. Nocte et die in claustro, choro et alibi observantiam regularem, sicut, dum junior esset, semper observabat, quasi præ oculis videretur habere illud dictum Sapientiæ: Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto
c inter illos quasi unus ex illis *c*. Et raro quidem ab horis canonicis in choro dicendis absens fuit, nisi causa hospitum, et aliorum advenientium, aut quando gravior causa pro negotiis monasterii eum urgebat; et ipse degebat sic inter confratres suos, ut unus eorum. Semper diligebat viam rectam, et mediam undique tenens, non declinans ad dextram, se extollendo de suis dignitatibus et meritis, neque ad sinistram, succumbendo favoribus et vitiis humanæ fragilitatis; et talem absque simulatione se exhibebat secum cohabitantibus foris, qualis ipse erat intra semetipsum in corde interius, et quamquam ipse habuerat cameram largam, honestam, cum omni apparatu utique et ornatu officio prioratus a tempore antiquo deputatam, in qua alii Priores, prædecessores sui, residere et nocte requie- * scere solebant, ipse tamen, hoc vanitatem repuC tans, nolebat in ipsa camera dormire, sed omni nocte in una cella cum conventu in communi dormitorio quiescebat; lectilia sua e ve-
d stimenta *d* sua erant minime preciosa, sed potius vilia et grossa, honesta tamen et religioni suæ congruentia.

summa salutis cura, 10 Completorio autem finito, ipse solus in choro remanere solebat, ibidem orationi et contemplationi cum maxima devotione aliquamdiu vacans, intra se rememorando et considerando statum vitæ suæ, curam animarum atque regiminis sibi commissi monasterii, quid etiam in
* *l.* diurnis suis diuturnis * actibus fecerat, si aliqua forte negligentia Deum offenderat, sciens, se redditurum, ut homo mortalis, de his omnibus rationem, et ab illa hora usque mane sequentis diei cum aliquo non loquebatur, nisi ex causa maxime necessitatis, vel quando alia causa perurgens existeret. In qua re notandum est, quod canonici Regulares, ac etiam monachi S. Benedicti in regno Angliæ, quolibet tempore anni, tam in hyeme, quam in æstate cœnant D ante Completorium, et inter cœnam et Completorium per aliquod spatium fit oratio sive contemplatio, donec servitores in refectorio cœnaverint, et similiter diebus jejunii et aliis, quibus nonnisi semel comeditur, collatio fit ante Completorium, et, facta collatione, de refectorio conventus vadit processionaliter in ecclesiam ad officium Completorii, quo dicto et finito, omnes processionaliter vadunt cum silentio et pace in dormitorium, et absque mora sonat campana ad dormitionem, nec postea cuiquam licet exire, nisi causa necessitatis et ex speciali licentia a Priore seu ejus vices gerente concessa.

in canonicis Officiis diligentia, 11 Ad officium etiam matutinale qualibet nocte surgebat cum aliis et frequenter alios præveniens, per aliquod spatium in choro devotis orationibus et sanctis meditationibus insistebat. Ab officio matutinali peracto ipse aliquando cum conventu ad dormitorium revertebatur, et intrans cellam suam fingebat se, sicut alii, ad quietem in loco suo redire, sed postea cum alios suos fratres sentiebat dormire, ipse latenter de dormitorio ad ecclesiam redibat, et ali- E quando ibidem aut in capitulo seu alio loco devoto contemplationibus, psalmis et aliis devotis orationibus usque ad lucem diei residuum expendebat, et ita communiter totum tempus vitæ suæ sancte et religiose Deo serviens continuavit. Ei etiam consuetudo fuit nihil terrenæ occupationis divino officio anteponere, sed, si aliquas solicitudines sibi supervenire prospiceret, propter quas in choro horis et temporibus constitutis nequiret interesse, tunc ante omnia cum uno de fratribus suis horas diei necnon Officium B. Virginis Mariæ, similiter cum Officio Passionis Christi et aliis devotionibus suis consuetis cum magna cordis devotione dicebat, ac deinde confessori suo sua peccata corde contrito humiliter confitebatur, plus plangens et dolens levia et parva peccata, quam aliquis forte gravia peccata, posteaque Missam audiebat, vel ad celebrationem semetipsum devote præparabat cum maxima reverentia et timore ad officium altaris accedens, et plerumque ipso stante ad altare, ut ipsi perhibebant, qui ipsum in altaris officio adjuvabant, tantus timor eum invasit, quod in frigidissimo tempore anni de ejus capite magna quantitas aquæ stillabat, et aliquando videbatur quasi totus resolutus in sudorem: quod autem cum videbat et quod ei acciderat, F nemini voluit unquam manifestari.

Regulari observantia, 12 Residuumque cujuslibet diei infatigabiliter expendebat circa necessitates monasterii intus et extra, horis canonicis exceptis, usque ad horam refectionis, quia communiter in refectorio communi cum aliis prandebat, nisi causa advenientium nobilium virorum aut aliorum hospitum, propter quos, ut illos honestius et humaniter tractaret, oportebat eum omnino abesse. Cibum etenim et potum cum summa sobrietate et temperantia sumebat, jejuniis et abstinentia carnem edomans, lectioni sacræ Scripturæ semper intendens, cibo etiam spirituali magis quam corporali pasci desiderabat, sciens quoniam scriptum est: „ Non in solo „ pane vivit homo, sed in omni verbo, quod „ procedit de ore Dei *e*; „ etiam cum David dicit: *e*
„ Quam dulcia faucibus meis eloquia tua *f* „ et *f*
quotiescumque autem aliquid ex sacra lectione percipiebat, quod in spiritualem tantum ædificationem

A cationem sonabat, illud suæ memoriæ tenaciter commendabat, elevabaturque mens ipsius ad superna cælestiaque contemplanda; surgens vero post refectionem gratias solitas cum aliis referebat : ac postea non vaniloquiis aut humanis solatiis, sed colloquiis divinis et iis, quæ ad animæ salutem pertinebant, potius intendebat, aut ad aliquas honestas et utiles occupationes se convertebat, nec aliquo tempore voluit esse otiosus, recolligens, quod scriptum est : Otiositas pernicies est animæ.

inanis gloriæ contemptu,

13 Frequenter etiam, ut carnis subjugaret voluptates, solo pane et aqua corpus suum refocillabat, nec aliud comedens. Attamen quando hospites adveniebant, quibus secundum eorum statum de cibis lautioribus aliquid præparabat, ipse cum eis ad mensam consedebat, et simulabat se propter eorum solatia de cibis delicatis aliquando comedere, verumtamen hoc, quod sumebat, in parva quantitate erat; ministrabatur ei per quemdam de suis sibi fidelem et secrete servientem una parva tassa argentea, cum aqua pauca coopertorio argenteo cooperta, de qua

B ipse potabat, suam abstinentiam caute et prudenter palliando semper cum vultus hilaritate, ut sic convivarum aspectus, simulata edendi et bibendi refectione, devote falleret, semet exterius demonstrans quasi similem aliis, sed intus tamen erat valde dissimilis, et præcipue hoc faciebat, ut ejus meritum et intentionem vana gloria nullatenus absorberet; dicit enim B. Gregorius, carnis abstinentiam nonnunquam vana gloria obsidet; omnem enim vanam gloriam Vir iste devotus quasi quoddam virus mortiferum exhorrebat. De ejus salutifera communicatione in verbo, vultu et opere, nonnulli ad eum venientes delectabilius saturati sunt, quam de cibis et potibus, quos ante se in mensa habebant, et quamvis ipse, secretum suum intra semetipsum celans, affectabat reputari ut homo communis; quanto magis satagebat laudes humanas et favores effugere, tanto amplius usquequaque divulgabatur celebre nomen ejus. « Non potest civitas abscondi super montem po-
g « sita *g*. »

invicta patientia,

14 Erat quoque magnæ et admirabilis patientiæ, quietus et pacificus ac sine querela suas injurias et suorum domesticorum tribulationes læto spiritu sufferebat, ipsos tamen, qui hujusmodi injurias sibi et suis inferebant, cum tali constantia, modestia et tranquillitate corrigebat, quod postmodum talia agere seu ipsum amplius offendere formidabant : quam etiam patientiam ita laudabilem exercuit contra persecutores et sui monasterii rerum invasores, quorum aliquot benigna affabilitate devicit; ad pacem reconciliando alios per humilitatem et tolerantiam ad tempus sufferendo, et erga alios ut prudens et nobilis defensor stans invictus propter justitiam suas inimicitias coegit deponere et defensores plerumque habere promeruit, quos acriores injuriantes et persecutores perpessus est. Item in suis infirmitatibus et angustiis ita patiens erat, quod numquam audiebatur verbum querulosum ex ore ejus, sed semper gratias agebat Deo in omnibus, tam in adversitatibus, quam in prosperis.

profunda humilitate,

15 Fuit etiam magnæ humilitatis circa omnes, abjiciens a se omnem arrogantiam et superbiam, et ita vitam suam inviolabilem custodiebat et famam, quod in incessu, statu vel habitu, seu in cæteris motibus nihil agebat, unde Deus et homo offenderetur, sed quod suam decebat sanctitatem. Fuit præterea ferventi caritate radicatus et fundatus, Deum super omnia diligens et proximum sicut se ipsum, compatiens et misericors, et super afflictos semper pia gestans viscera, in tantum quod plerosque ad inopiam devolutos multifortiter * relevaret, eis dando et præstando, quæ nunquam postea voluit repetere. Super tenentibus etiam possessiones monasterii pauperibus, et de impotentia solvendi conquerentibus motus pietate et misericordia, sæpius partem, quandoque totum debitum dimittebat, et relaxabat, et omni petenti pro amore Jesu Christi secretiori modo, quo poterat, se dedit. Pauperes quoque scolares, de rebus abundantibus in monasterio, sumptibus necessariis, prout commode poterat, ad scolas nutriebat, multos etiam alios pauperes conviventes sicut alter Tobias alebat, et alios vestiebat. Multa quoque alia opera pietatis erga indigentes misericordissime faciebat : unde in hujusmodi pietatis operibus recte potuit vocari verus imitator B. Augustini patris sui ac nostri *h*, de quo legitur, quod, deficiente aliquando ecclesiæ pecunia, cum non haberet, quid indigentibus erogaret, vasa Dominica frangi et conflari jubebat et indigentibus dispensari.

A. D. Hugone.

* *lege* multifor-miter

h

E

16 Erat adhuc Homo iste timoratus, semper Deum timens, abstinens se ab omni opere malo et permanens in innocentia sua, castus corpore, pudicus in sermone, cogitatione mundus, mansuetus, item misericors, majoribus et senioribus quasi obediens, et eorum consiliis condescendens, morum fervidus zelator, vitiorum rigidus persecutor, corpus suum castigans, et in servitutem redigens, cum eis, qui oderunt pacem, erat pacificus, et bene agentibus per humilitatem erat socius, prudentia præditus, consilio providus, in omnibus actibus suis discretus, universo morum et virtutum redimitus, circonspectus ad omnia, illorum quatuor animalium imitator, quæ ante, retro, et in circuitu oculos habere describuntur. Erat præterea pauper spiritu, corde contritus, semetipsum despiciens, non divitias neque honores mundi quærens, sed soli Deo toto corde et opere servire statuens, cum maxima contritione et dolore cordis lugens peccata sua, et sæpius etiam dolens aliena, spem perfectam semper habens de misericordia Dei omnipotentis cum perseverantia bonorum usque in finem

F

vitæ suæ. Videbat quoque ipse multoties in spiritu quosdam excessus suorum subditorum et familiarium, qui aliquando faciebant secrete aliqua, de quibus nolebant, quod ipse aliquid cognosceret. Ipse vero, qui absens erat corpore, modo mirabili videbatur iis corporaliter astare et eos alloqui et corripere, ut se ab hujusmodi excessibus abstinerent, qui ejus timore correcti talia deinceps agere formidabant.

ac conscientiæ teneritudine niter.

ANNOTATA.

a *Vide Euang. Luc. cap.* 14, §. XI.

b *Vita apud Capgravium et Surium hæc habet* : Sed cum cresceret fama virtutum ejus, accidit, ut, monasterii præposito in fratrum manus suum munus resignante, vota omnium, Sancto id agente Spiritu, in eum conferrentur, quod ea functione dignum eum existimarent : sed, illo sese excusante, alius electus est. At, illo intra annos non multos peste

A. D. Hugone. ste sublato, divinæ sapientiæ providentia volens lucernam, tanta luce conspicuam, suis radiis etiam aliis prælucere, id effecit, ut denuo liberis fratrum suffragiis electus sit.

c *Eccles. cap.* 32, ℣. 1.

d *Anonymus Sancti nostri biographus apud Surium et Capgravium*, S. Joannem *vestium pompam respuisse, probat his verbis* : Nam quidam multa instantia apud eum egerant, ut propter functionis suæ dignitatem preciosis uteretur pellibus ; sed ille modestissime respondit : Agnorum pelliculæ abunde sufficiunt arcendo a nostris corporibus frigori.

e *Matth. cap.* 4, ℣. 4.

f *Psalmo* 118, ℣. 103.

g *Matth. cap.* 5, ℣. 14.

h *Hic insinuat Sancti biographus, se S. Augustini Regulam sequi, unde videtur posse confici, ipsum fuisse canonicum Regularem.*

CAPUT III.

Quædam Sancti miracula, morbus ac beatus obitus.

B

Naufragio quinque viri eripiuntur.

Verum de quibusdam actibus mirificis ad consolationem fidelium pauca de multis exprimere placebit, quæ Omnipotens, ut pie creditur, Servi sui meritis et precibus dignatus est, ipso adhuc in hac mortali peregrinatione superstite, coram populo suo manifestare. Quadam vice, ipso B. Joanne existente Priore, dum quinque viri de villa, quæ vocatur Hertylpole *a*, Dunelmensis diœcesis in mari navigarent, quædam tempestas eos et eorum navigium invadebat, et eo usque fluctibus intumescentibus unda maris super eos infringebat, ut quasi eos statim involveret, quod secundum rationem nulla eis videbatur spes evadendi ; hi autem, quibus B. Joannes principaliter * ignotus fuerat, sed de ejus tamen vita et sanctitate multa audierant, se conspicientes in tanto periculo constitutos flebilibus vocibus unanimiter cœperunt Deum vocare, ut meritis ipsius B. Prioris de Bridlintona dignaretur ipsos ab ipsis marinis fluctuationibus misericorditer

C liberare. Et, dum in hac deprecatione devote perseverarent, ecce, apparuit eis quidam Regularis canonici habitu indutus, qui ad eos veniens et manum suam naviculæ superponens eos ad litus salvos perduxit. Qui quidem viri, sic a periculo mortis liberati, ad monasterium quantocius properabant, et quem antea nusquam corporaliter viderant, statim ut ad ejus præsentiam venerunt, eum agnoscentes, ex eo quod eis in mare apparuit, genibus flexis coram eo cœperunt per ordinem enarrare omnia, quæ eis contigerant, pro eorum liberatione gratias sibi referentes *b*. B. vero Joannes de verbo gratificationis eos graviter increpabat, asserens se illo tempore in suo monasterio fuisse, admonens eos, ut tacerent et ecclesiam intrarent, ibique Deo et beatæ Virgini Mariæ gratias hac de causa devote redderent, et nihil sibi, sed Deo, qui solus mirabilia operatur, totum adscriberent.

a

* *l.* personaliter

b

* *Aqua vinum sapit.*

18 Vir quidam nobilis in ipsa provincia, de prædicti B. Prioris fama frequenter audiens, disposuit una dierum monasterium adire, ut certius aliqua experientia cognosceret, si vera essent, quæ ab aliis auditu perceperat, an non. D Qui illuc veniens a Priore et suis fratribus receptus est, præparatisque pro tali viro aliquibus de lautioribus cibis, ipse Prior simul cum aliis causa consolationis et honestatis potius, quam comestionis, et ut aliquod solatium præsentiæ suæ nobili viro exhiberet, cum eo ad mensam consedit, cibisque ac potibus hinc inde super mensam positis serviens ille, de quo supra mentionem feci, qui Priori in tabula ministrare solitus erat, qui etiam suæ abstinentiæ conscius fuit, in secreto parvam tassam argenteam supradictam, cum aqua pura coopertam, juxta eum posuit : et, epulantibus illis atque sermocinantibus, nobilis vir prædictus cupiebat aliquo modo servata honestate sua cognoscere, cujusmodi potus in illa tassa argentea erat, de quo Prior bibebat. Consuetudo enim illius provinciæ est tam religiosis quam mundanis viris ciphis * argenteis vinum potare, et Prælati sive alii nobiles semper habent ciphos suos juxta se in mensa coopertos, qui priusquam aliquid et super tabulam cyphum deposuerint, statim serviens, qui astabat, cooperculum super tassam E sive alium cyphum reponit. Servato igitur tempore congruo, quatenus Priori minime displiceret, idem ipse nobilis familiariter verbis jocosis Priorem allocutus est dicens : Domine Prior, vellem modicum de vestro poculo, si placeat, gustare. Tunc ille cœpit honeste verbis benignis contra hoc sibi quasi vetare, eo quod ipse nobilis etiam aliam tassam cum vino coram se positam habebat ; et nobilis subridens manuque protensa ciphum Prioris arripere voluit. Expavens autem Prior Joannes et dolens intra se, quia nolebat secretum suæ abstinentiæ revelari, ex adverso ciphum retinebat, ne ex eo omnino gustaret. Cumque nobilis insisteret, ut ea vice voluntatem suam impleret, Prior ait : Sustinete modicum, donec benedictionem faciam, et oculis cordis elevatis, brevique oratione in silentio fusa ad Deum, ut aqua vini saporem assumeret, tassam benedixit, et generoso licentiam dedit potandi. Et ille paululum inde gustans aiebat, se longo tempore melius vinum non gustasse ; sed postea per alios secreti veritas sibi innotuit, quod veraciter aqua pura in ipso cipho argenteo posita fuerat *c*. De quo manifeste constat, quantam fidem ipse devotus et Deo dilectus Vir habebat in Deum, unde in hoc posset de illo dici, quod palmista canit dicens ad Deum : Desiderium cordis ejus tribuisti ei etc. Frequenter enim Vir iste, ut superius dixi, in pane solo et aqua jejunabat, sed, an aqua cocta vel non, expressum non inveni.

* *l.* scyphis

c

S. Joannes a vulnere præservatur.

19 Altera quoque die, dum ipse Prior Joannes in ecclesia staret, multis astantibus et videntibus, lapis non modicus cecidit ab alto super caput ejus, sed, protegente eum Altissimo, quasi nihil mali illi intulit, de qua fortuna, qui ibi erant præsentes, valde admirati sunt, ipse vero ut postea dixit, multum dolebat, quod in illa operatione divina alii ibi præsentes fuerant. Bene ergo dicitur per prophetam : Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Et iterum : Qui habitat in adjutorio Altissimi etc.

Incendium extinguitur.

20 Quadam etiam nocte, dum ipse Prior Joannes orationi devote insisteret, domus quædam infra ambitum monasterii igne subitaneo accensa est, quod factum quasi primus sentiens statim illuc properabat, apportans scapulis suis magnam

magnam scalam, quam ipse solus erigens domui ardenti apposuit, quatenus alii advenientes ascenderent, ut domui subvenirent. Interim servientes monasterii et alii accurrebant, et, dum illi hinc inde solliciti essent, ut ignem extinguerent, Prior se orationi dedit. Ipso vero orante, ignis subito extinctus est. Quod cernentes ipsi, qui advenerant, de tam subitanea extinctione ignis multum mirabantur; prædictam vero scalam, quam Prior illuc solus portaverat, tres viri satis laborabant ad locum, ubi prius fuerat, reportare. Similiter etiam quam pluribus infirmantibus orando restituit sanitatem, mediante gratia Dei nostri Jesu Christi.

Frumentum Sancti intercessione multiplicatur.

21 Etiam frumentum, quod propter sterilitatem terræ et caristiam deficiebat, elevata manu dextera benedixit, dicens : Multiplicet te Deus omnipotens, quia potens est : cujus oratione et meritis illud frumentum in tantum est multiplicatum, quod pro expensis monasterii sufficiebat fere per octo menses postea sequentes, quod solummodo æstimabatur pro duobus mensibus
B sufficere. Simili modo altera vice augmentavit quemdam tumulum hordei suis meritis et orationibus, quod multiplicatum est ad duplum et ultra quam fuerat prius æstimatum, ita quod sufficiebat pro cerevicia facienda pro canonicis et famulis monasterii et etiam aliis necessitatibus quibuscumque per longum postea tempus. De qua re universi, qui ipsum hordeum ante viderant, valde admirati fuerunt. Unde certum esse et verissime constare potest, ipsum beatum Virum magnam fidem habere in Deum et verum esse Dei Famulum, atque ab ipso summo Deo, quem diligebat, vere dilectum et electum. De qua fide loquitur Veritas in Evangelio : « Qui credit in me, opera, quæ ego facio,
d » et ipse faciet et majora horum faciet *d*; » et. iterum : « Si manseritis in me et verba mea in
» vobis manserint, quodcumque volueritis, pe-
e » tetis, et fiet vobis *e*; » « Si quis dixerit monti
» huic, tollere et mittere in mare, et non hæsi-
f » taverit in corde, fiet ei *f*. » Et psalmista ait :
« Voluntatem timentium se faciet, et deprecatio-
g » nem eorum exaudiet *g* etc. »

C 22 Appropinquante autem postea tempore, quo ipse summus et magnus Paterfamilias cælestis eundem Famulum vocare dignatus est ex hoc seculo, et sibi laboris sui denarium remunerare, ipse diem mortis suæ in spiritum prævidens et cognoscens se ex mundo migraturum. Circa festum S. Michaelis cœpit infirmari, indicans quibusdam sibi caris et familiariter dilectis diem suæ resolutionis approximare; exinde postea ex eadem infirmitate graviter correptus
h anno ætatis suæ quinquagesimo sexto *h*, convocatis coram ipso cunctis fratribus, devotissimam confessionem et exhortationem fecit, veniam a singulis, si quid forte per errorem vel negligentiam contra eos fecerit, humiliter implorando, atque verba tam pia, tam bona, tam consolantia protulit, quod nullus erat adstantium, qui se a fletu poterat continere. Quibus etiam ab ipso coram Patre spirituali humiliter pro suis excessibus veniam postulantibus ipse eos absolvit, et pacis osculum omnibus dedit, præcipiens, obsecrans et exhortans ipsos unanimiter et concorditer vivere, divino obsequio diligenter et ardenter insistere, Christumque bonorum omnium Largitorem super omnia diligere et collaudare. Ac deinde Sacramentis Eucharistiæ et extremæ Unctionis devote receptis, usque ad horam mortis suæ, quam præscivit et prædixit, plenam habuit intelligentiam, fidem rectam, spem firmam, caritatem perfectam et integram memoriam, sicut unquam in sua sanitate habebat, talique benignitate et honestate per ipsum tempus in omnibus et erga omnes tamquam spiritus Dei se gerebat, ac si nullam infirmitatem haberet. Portabatur etiam quotidie in uno lectulo de camera sua ad quamdam capellam, ubi Missam audiebat, qua devotissime audita, antequam reportaretur ad cameram, elevans oculos suos sanctam crucem et Imaginem Salvatoris Domini nostri Crucifixi cum tam magna reverentia aspiciebat recolendo passionem Jesu Christi, et tam dulcia verba protulit, quod non erat aliquis astantium, quin ad maximam devotionem et compunctionem moveretur.

Sanctus ægritudine corripitur, qua ingravescente, sacris morientium præsidiis munitus.

A. D. HCCCXCIX.

pro larga annona Deo gratias agit, et

23 Contigit quoque illo tempore quasi miraculose, meritis ut credebatur ipsius B. Viri, quod quædam domus magna, alta et larga, quæ vocabatur magnum horreum de Bridlyntona, de cujus magnitudine et latitudine magna fama est et admiratio habetur ab omnibus, qui ipsam domum viderunt et adhuc vident, in quo horreo E
ponuntur omni anno frumenta et alia blada *i*; i
in illo autem anno contigit, quod ipsum horreum repletum erat usque ad fores et etiam magna quantitas garbarum *k* posita fuerunt extra horreum; quod nunquam antea infra hominum memoriam neque postea usque ad præsens tempus visum fuit : quod cum illi beato Viro nunciatum fuit, gaudens et exultans in corde suo gratias egit Deo omnipotenti dicens : Benedictus Dominus in donis suis etc., quia jam dimittam omnia in meliori statu, quam inveni, et imo jam bona hora est, ut corpus terræ et spiritus suo Creatori reddatur. k

animam suam Creatori commendans, sancte moritur.

24 Denique sciens ipse Vir sanctus et devotus horam suæ mortis appropinquare, quam antea prædixit, congregatis universis canonicis fratribus suis, et coram eo astantibus, elevatis oculis suis versus cælum, cum pollice dextræ manus sibimet signum Crucis in fronte, super os et super pectus suum fecit, sicque manus tenens extensas in cælum, atque hæc ultima verba proferens : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, quasi dormiens et nihil mali sentiens suavissime spiritum Domino reddidit sexto Idus Octobris anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono. Hic vero F
beatus Dei Famulus per decem et novem annos aut circa *l*, quibus monasterio præfuit, quam- l
quam multis occupationibus pro necessitatibus monasterii valde implicatus fuerat, tamen orationi et contemplationi, in quantum poterat, assidue vacabat, et usque ad obitum, quo beata illa anima de corporis exivit ergastulo cælos petens, perfectam et religiosissimam vitam duxit, ac tantorum meritorum magnitudine resplenduit, quæ lingua non potest faciliter explicare.

ANNOTATA.

a *Aliunde mihi minime notus hic locus est; neque illius cæteri biographi ullam mentionem faciunt.*

b *Iisdem fere verbis hoc factum enarrant Surius et Capgravius.*

c *Hoc factum alii scriptores, qui* S. Joannis *Vitam concinnarunt, prorsus silent.*

d *Joann. cap.* 14, ỳ. 12.

e *Joann.*

A. D. Hugone.

e *Joann. cap.* 15. ℣. 7.

f *Euang. Marc. cap.* XI, ℣. 23.

g *Psalm.* 144, ℣. 19.

h *Anonymus* S. Joannis *biographus apud Surium habet* : Anno ætatis sexagesimo.

i *Hac voce, ut videre est in Supplemento ad Glossarium Cangii, olim appellabant quodvis triticum, etsi differret a frumento, est etiam ex vulgariori usu vox hæc generica, ut ibidem videre poterit lector, cujus species ex addito determinatur.*

k Garba, *ut videre est apud Carpenterium in Supplemento ad Glossarium Cangii*, spicarum manipulum *significat.*

l *Capgravius et Surius dicunt*, S. Joannem *decem et septem annos tantum monasterio suo præfuisse.*

CAPUT IV.

Miracula post Sancti mortem patrata.

Energumeni duo, sacerdos nempe et mulier

Post mortem vero ejus Omnipotens Deus volens Servum suum mirificare ipsius meritis gloriosis et precibus, mortuis vitam reddidit, mutis loquelam, surdis auditum, cæcis visum restituit, ac aliis contractis, paraliticis et infirmis quam plurimis membra solida et sanitatem pristinam restauravit. Et submersi quidem per quatuor horas, quidam per totam noctem defuncti erant, quos Servi sui meritis et intercessionibus Christus ad vitam reduxit. Sacerdos quidam, nomine Joannes, a dæmonio vexatus valde male torquebatur, qui ligatus ductus est a suis amicis per centum et sexaginta milliaria ad tumulum beati viri supradicti Joannis pro sanitate recuperanda, quo dum pervenisset, non protinus obtinuerunt, quod volebant, sed indies expectabant Dei misericordiam. Quadam autem die in ecclesiam adductus valde eum spiritus malignus conturbabat, et juxta sepulchrum beati Viri positus paulatim in eo furor cœpit acquiescere, et postmodum in eodem loco obdormivit; cui quidam in somnis apparens, ipsum admonuit, ut surgeret et cantaret: Te Deum laudamus; sic a somno evigilans sanus factus est in tantum, quod nullum etiam malum sentiret de ligaminibus ferreis, quibus fortiter ligatus exstitit, et ad altare magnum, quod ibi prope erat, accedens, quod sibi dictum fuerat, flexis genibus, devota mente adimplevit, Deum laudando et ejus glorioso Confessori gratias multiplices reddendo.

liberantur. Veneno infectus et vulneratus sanantur.

26 Similiter mulieri cuidam a dæmonio vexatæ ille apparuit et in ejus ore argenteum denarium posuit, eique præcepit dicens : Surge et vade ad altare B. Virginis Mariæ et offer ibi argenteum. At illa statim sana surrexit et mandatum adimplevit. Similiter in potu cujusdam erat magna aranea mortua et dirupta, de quo potu toxicatus est, qui postea corpore suo intumescente semetipsum in periculo magno sensit esse, cui Prior visibiliter apparens ipsum manu sua tetigit, et a mortis periculo liberavit. Vir quidam percussus ab alio in stomacho tam valde, quod, quidquid comedebat et bibebat, per id vulnus exiret, per B. Joannem liberatus est. Quamplures mulieres non tantum de ipsa provincia, sed etiam de aliis, quarum aliquæ per duos menses vel plus in partu laborantes et in periculo mortis constitutæ, per invocationem S. Joannis salvatæ sunt, et pueri baptismi gratiam consecuti per dies et annos postmodum vixerunt.

Defunctus loquitur.

27 Quidam carpentarius cum aliis sociis, dum quandam domum ædificare vellet, de superiori parte ædificii incaute cecidit et membris conquassatis ad terram expiravit *a*; quod audientes, qui ibidem morabantur, illuc concurrebant, quorum aliqui suspicionem malam de sociis carpentarii habentes, invicem confabulabantur, quod forte alicujus malitia id infortunium evenisset. Unus autem inter ipsos vir discretus et in B. Joannem magnam devotionem habens iis, qui circa corpus defuncti astabant, dixit : Rogemus Dominum et ejus Confessorem, ut aliquod indicium habere valeamus, si in hac causa aliquis culpabilis sit. Dum autem illi flexis genibus hoc in communi deprecarentur, prædictus vir, qui hoc consilium dederat, fide plenus defuncto ait : Adjuro te per Deum omnipotentem et merita B. Joannis de Bridlyntona, ut dicas nobis et manifestes, si aliquis culpabilis est de morte tua. Ille, qui defunctus erat, capite elevato cunctis audientibus respondit : Deo teste et B. Joanne, me ipso excepto, omnes sunt innocentes de morte mea, et suis verbis dictis iterum caput reclinavit ad terram; sed, utrum ille defunctus postea fuerit resuscitatus, non erat ibi scriptum.

Phreneticus ad mentem reducitur.

28 Unum referre adhuc me non piget brevibus verbis miraculum de quodam juvene, quem ego domnus Hugo novi, qui tempore æstivo, nescio, ex quo eventu, infirmatus est, quæ infirmitas versa est in phrenesim, ita quod ille die nocteque valde perturbatus se et omnes alios, qui circa ipsum erant, suis clamoribus et inquietudine graviter perturbabat; erat quidem in ipso prioratu unum de biretis B. Joannis, quo ipse utebatur vivens, quod biretum unus de canonicis B. Joanni valde devotus ad prædictum infirmum portavit et reverenter capiti ejus imposuit, dicens : Deus te adjuvet et B. Joannes de Brydlintona; et absque mora dictus juvenis, qui antea perturbatus et inquietus erat, cœpit quiescere et melius se habere, deinde obdormiens ad semetipsum reversus est cum bona memoria, et sequenti die quasi sanus effectus est, Deo gratias *b*. Hæc autem sufficiunt ad præsens pro recordatione virtutum ipsius sancti confessoris Joannis canonici Regularis, cujus precibus et meritis Christus nobis concedat ad gaudia paradisi feliciter pervenire amen.

Ora tu pro me de Brydlynton Prior alme,
Ut Deus æternæ mihi donet præmia palmæ.

ANNOTATA.

a *In Ms. Rubeæ-Vallis legitur* : Quidam carpentarius, dum de quadam aula per gradus ascenderet, nec ad ipsos gradus bene adverteret, subito a supremo gradu usque ad terram corruit præceps et capite præcedente ac fracto collo expiravit.

b *Vita edita a Capgravio hæc addit* : Plurima vero alia, quæ Dominus in sancto Patrono operatus est et incessanter continuat operari, qui cognoscere affectarunt, in eodem monasterio libros reperient, quibus innumera beneficiorum genera conscribuntur.

DE

A

AUCTORE J. B. F.

DE B. ROBERTO MALATESTA C.

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

ARIMINI IN DITIONE PONTIFICIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Nobile Beati genus: pia pueritia et adolescentia: nuptiæ, et raræ beati Principis virtutes: ejus cultus qualiscumque probatus: Acta danda.

ANNO MCCCCXXXII. *Nobile B. Roberti genus:*

B *Summo generis splendore, stirpis antiquitate et heroum, omnibus laudibus cumulatissimorum, numero, diuturnaque potentia inter Italiæ principes illustrissima floruit olim Malatestarum familia, per Adriatici littoris Meridionalis civitates dominationem suam extendens; potissimum vero Arimini in urbe antiquissima (quæ episcopalis civitas est Æmiliæ in Romandiolæ provinciæ ad Ostia fluvii Marrachiæ) ad finem ferme seculi a Virginis partu* XV *est dominata. Qui plura distinctius nosse desiderat nobilissimæ hujusce familiæ decora, consulat Chronicum Ariminense, a Ludovico Muratorio editum in libro, cui titulus:* Rerum Italicarum Scriptores, *et Cæsaris Clementini Historiam Ariminensem, qui ultimus præclara illustrium dominorum Malatestarum facta posteritati commendavit.*

pater: prima ætas:

2 *Ex præclarissima itaque ista familia ortum duxit* B. Robertus, *patrem nactus Pandulphum Malatestam, Brixiæ dominum. Erat beatus Adolescens noster, angelicam in mortali corpore nactus indolem, annis juvenis, animo vir; mundo præcox, at cælo maturus; ea præditus morum suavitate, ea innocentia vitæ, eo studio castitatis, submissionis, mo-*

C *destiæ, orationis, misericordiæ erga pauperes, obedientiæ, rerum spiritualium æstimatione et cura; ut non dubia jam tum futuræ sanctitatis specimina ediderit, et consummatus in brevi, explevisse dicendus sit tempora multa, placita ejus Deo anima ad cælestes epulas præmature evocata. Quam vero laudabiliter pueritiæ, juventutis et reliquæ ætatis tempora transegerit, in Vita ad hujus Commentarii calcem danda lectori manifestum evadet.*

nuptiæ, et laudabile

3 *Adolescentem castissimum angelicæ virginitatis florem, quam proposuerat Deo consecrare, in deliciis habuisse, totumque fuisse in declinandis cavendisque omnibus pro ejusdem virtutis tutela et conservatione, satis clare denotant hæc biographi anonymi et coætanei verba:* Octodecim factus annorum, a patruo *(Carolo Malatesta, cui beati Juvenis, defuncto patre, educatio erat demandata)* invitus desponsatur nobilissimæ puellæ Margaritæ, Nicolai marchionis Estensis filiæ, *(de hujus familia vide Annotata post Vitam edendam)* ægerrime ferens thesaurum perdere virginitatis, quam Deo integram proposuit conservare. Sesquiannum post nuptias illibato thoro sponsæ convixit, tandem constrictus confessarii et amicorum consiliis, dolens et horrens subivit jura conjugii. Frequenter antea dicebat, se malle potius aspere torqueri, quam fœminæ commisceri.

in principatu regimen.

4 *Ubi vero ad ætatis annum decimum nonum pervenerat* B. Robertus, *illustrissimus Carolus Malatesta Arimini dominus, Beati patruus, ex hac vita migrans testamento* Robertum *heredem et Arimini principem instituit. Quanta æquitate, prudentia et solertia provinciam sibi demandatam administraverit, quanta fuerit eo tempore, quo Ariminensi principatui præfuit, Beati nostri apud omnes auctoritas virtutibus parta, referunt omnes, qui ipsius meminere, biographi. Et quamvis tanta esset Beati, tamque perpetua in principatu recte administrando, et hinc inde emendando diligentia, ut ea videri possit totum hominem occupare debuisse: tantam tamen huic curæ adjungebat diu noctuque precandi assiduitatem, acsi vitam duxisset anachoreticam. Ferventi orationi sacræque lectioni intentus, omnia, quæ tertii Ordinis S. Francisci institutum, quod sequendum amplexus fuerat, requirit, summa devotione peragebat. Verum hæc, uti et perpetuam pauperum atque ægrotorum curam, aliaque hujusmodi* F *plurima, describere hoc loco non est animus, quia abunde in Actis sunt relata. Jam de cultu, a mortalibus ipsi delato, agamus.*

Cultus qualiscumque ex publica sepulcri veneratione,

5 *Quamquam non invenio* B. Robertum Malatestam *umquam honoratum fuisse Officio ecclesiastico, paucique ipsius memoriam celebrant martyrologi, iique recentiores tantum; tamen propter sequentes rationes ipsi locum in Opere nostro tribuendum censui.* Beati *titulum eidem adscripsit Arturus a Monasterio in Mrl. Franciscano ad diem* X *Octobris ita scribens:* Arimini, beati Roberti Malatestæ confessoris, ejusdem urbis principis: qui, sumpto Tertiariorum Ordinis Minorum habitu, tanta humilitate et castitate, oratione ac paupertate, aliisque summis virtutibus sic claruit, ut vivus ac mortuus quamplurimis signis illustratus sit admirandis. Roberto *etiam locum dedit in Menologio Franciscano Fortunatus Hueberus. Eumdem titulum ipsi tribuit tabellio, qui miracula ad Beati tumulum patrata et post Vitam hic edenda scriptis consignavit. Hisce accedunt*

AUCTORE J. B. F.

accedunt Franciscani scriptores varii, qui de Beato nostro tractarunt. At ne tantus quidem scriptorum in hunc titulum consensus sufficeret, nisi et certiora qualiscumque publici cultus indicia adessent, et Beatus tamdiu fuisset defunctus, ut cultus illi facile centum annis continuari potuerit ante decretum Urbani VIII, anno 1634 *emissum, quo hic ad tempus centum annorum metam excedens restrixit immemorabilem temporis cursum, quo, qui culti fuerant, coli adhuc ut Sanctos posse, in suo de hominibus, cum sanctitatis fama mortuis, cœlitum cultu, priusquam a Sede Apostolica canonizarentur aut beati declararentur, non honorandis decreto declararat.*

quæ vetusta est, asseritur.

6 *Inter miracula ad Beati sepulcrum, occasione magni concursus patrata, quæ a notario publico Actis excerpta fuere, quæque post Vitam hic recudemus, legimus, plura votiva donaria Beato in gratiarum actionem de beneficiis, ipsius patrocinio obtentis, oblata fuisse: hanc vero tabellarum votivarum publicam ad Beati tumulum appensionem cultum quemdam publicum redolere nullus inficias ibit. At hæc cultus qualiscumque publici indicia, ut ipsi in Opere nostro locum tribueremus, non sufficerent, si centum annis decreto Urbani VIII, reparatæ Salutis anno* 1634 *edito, vetustiora non essent. Quod tempus dicto decreto requisitum in Beati nostri cultu reperitur, cum illa miracula seculo* XV *adhuc currente fuisse patrata evincantur ex eo, quod plerique homines, quibus hæc beneficia Beati intercessione fuere concessa, absque ullo cognomine in iis citantur, quæ consuetudo non utendi cognominibus (ut patet ex Muratorii Antiquit. Italic. tom.* 3, *col.* 772) *ultra seculum* XV *extendi non potest. Inde jam tuto infertur, qualemcumque hunc Beati cultum satis vetustum, satisque notabilem esse, ad titulum* Beati *eidem attribuendum, præsertim cum illo titulo honoratus sit plusquam centum annis ante decretum Urbani VIII.*

Ejus Acta.

7 *Acta* B. Roberti *scripsit frater Nicolaus Ariminensis, sacræ Theologiæ professor, et, ut Waddingus Annal. Minorum tom.* 10 *et Marcus Ulyssiponensis referunt, Beato synchronus; hujus lucubrationem prelo subjecerunt Marianus Florentinus, Marcus Ulyssiponensis in Chronic. Fratrum Minorum tom.* 3, *Christophorus Veruchinus in libro, cui titulis* De Sanctis Veruchinis, *Cæsar Clementinus Historiæ Ariminensis tom.* 2, *pluresque alii, quos enumerare nimis longum foret. Waddingus cit. loco alia Beati Acta publici juris fecit, quæ, ut ipse fatetur, excerpsit ex* Roberti *Legenda Ms. ab auctore anonymo et Beato coævo concinnata; hæc Acta cum Nicolai Ariminensis lucubratione in omnibus fere conveniunt et auctoris coævi operam esse aperte indicant hæc verba, quæ infra num.* 2 *leguntur:* Vestemque (*Ordinis S. Francisci*) suscepit B. Robertus in sancti Francisci natalitiis anno MCCCCXXX in mea præsentia. *Laudatam anonymi lucubrationem una cum aliquot miraculis Beati intercessione patratis, quæ a tabellione scriptis tradita Lucas Waddingus citato loco publici juris fecit, hic recudemus.*

D

ACTA

Ex Legenda Ms. auctoris anonymi et Beato synchroni a Luca Waddingo excerpta.

CAPUT UNICUM.

Illustre Beati genus: consanguinei: matrimonium: virtutes: liberatio energumeni: morbus et felix obitus. Miracula post mortem patrata.

E

Beati genus et consanguinei: pueritiæ et juventutis virtutes.

Apud Ariminenses anno MCCCCXXXII, die X Octobris pie decessit Galeotus *a* Robertus de Malatestis, anno ætatis XX, virtute et sanctimonia illustris. Nobilissimo ortus genere Regulorum Ariminensium, patrem habuit Pandulphum *b*, patruos Carolum *c* et Malatestam seniorem, fratres Sigismundum *d* et Malatestam Novellum, in Italia celeberrimos. Ab ipsa infantia specimen exhibuit futuræ pietatis, nam vix quinquennium attigerat, cum semper oraret, et noctu dormiens multoties visus sit precari, labia movere, orationem Dominicam, manibus ante pectus conjunctis recitare. Carolus patruus (hic est ille, quem Gregorius XII misit ad concilium Constantiense pro abrenunciando Pontificatu) aliquando colludentem Puerulum interrogavit, quid maxime appeteret? responditque, ut pauper evadam. Admiratus patruus, suspicatusque verbum hoc ex simplicitate aut inadvertentia infantuli prolapsum, secundo et tertio sciscitatus, id ipsum dixisse tanta vocis assertione et vultus serenitate notavit, ut præsagium judicarit futuri contemptus rerum humanarum. Jam decennis scintillas præsentiens noxiæ libidinis, corpusculum miris modis affligebat cilicio, flagellis et frequenti inedia. Lectuli mollitiem abhorrens, a patrui dormientis latere surgebat, dormiebatque in nuda humo, cinctus super nudam fune setoso. Inter lautissimas epulas esuriebat, ad opiparam mensam Caroli patrui, qui sibi carissimum adoptaverat in filium, accumbens, præsertim in Quadragesima *e*, quam appellant sancti Martini, ita se fingebat manducare, ut præter panem et aquam nihil manducaret, projectis secreto in usum pauperum carnibus et lautioribus obsoniis. Petulantium juvenculorum contubernium et pueriles ludos abhorrens, solitariis locis vitæ suæ Deo consecrabat primordia.

a
b c
d
e

Uxorem ducit invitus. Amplectitur tertium S. Francisci institutum

2 Octodecim factus annorum a patruo invitus desponsatur nobilissimæ puellæ Margaritæ, Nicolai marchionis Estensis *f* filiæ, ægerrime ferens thesaurum perdere virginitatis, quam Deo integram proposuit conservare. Sesquiannum post nuptias illibato thoro sponsæ convixit,

f

A xit, tandem constrictus confessarii et amicorum consiliis, dolens et horrens subivit jura conjugii. Frequenter antea dicebat, se malle potius aspere torqueri, quam fœminæ commisceri. Anno ætatis XIX patruum amisit, et principatum obtinuit, collato ei per Martinum V vicariatu Ariminensi, Cæsenate, Fanensi, aliisque bonis feudalibus Ecclesiæ. Sui juris effectus, liberius se divinis dicabat obsequiis, assumpto in patronum sancto Francisco, in quem summo ferebatur affectu, et in magistrum docto et pio quodam Minorita. Religiosos et graves viros frequenter interrogabat, qua ratione Deo magis placeret, suasque addebat preces, ut divina Majestas, quid potius ab eo vellet, dignaretur indicare. Apparente sancto Francisco et læso in signum corpore plaga quinaria, intellexit Dei voluntatem esse, ut in principatus fastigio et sacra lege conjugii ei deserviret sub habitu tertii Instituti Pœnitentum. Abstersis die sequenti vulneribus sanguine et sanie madentibus, amplius haud cunctandum putavit, vestemque
B suscepit in sancti Francisci Natalitiis anno MCCCCXXX in mea præsentia, inquit auctor Legendæ Ms., ex qua præcipuam historiam delibavi (Lucas Waddingus :) cum veste humilitatem induit, exterius principis repræsentans majestatem, interius et in occulto pompam omnem deponens, et cujusdam Hilarii, viri piissimi, per omnia se subdens imperio.

Erga leprosos, pauperes et subditos humanitas et misericordia.

3 Christum Dominum pro nobis despectum plagis adeo distinctum, ut leprosus putaretur, profunda mente contemplans obviam habuit misellum quemdam ulceribus plenum, pure et sanie defluentem. Amplexus et osculatus horridum monstrum, lavit hilariter et curavit blandiuscule plagas universas. Feria quinta majoris hebdomadæ, juxta sacros Ecclesiæ ritus, dum Christi ad discipulos mandatum, solemni apparatu, in palatii sacello caneretur, e solio descendens simul cum Hilario socio duodecim pauperum pedes humiliter lavabat et lacrymans abstergebat, indignum se reputans, qui etiam vile hoc ministerium ad Christi exemplum exerceret. Voluntariam paupertatem, quam ab infantia adamabat, qua potuit, arte sectabatur, inter rerum copiam et principum affluentiam, iis dumtaxat usus, quæ vitæ in summa parcimonia
C alendæ erant necessaria. Subditorum oppressiones et injustas ministrorum extorsiones pecuniarias exosus valde, castigabat severe impios exactores. Rationem aliquando posuit cum servis et regiminis administris, quantum sufficeret aulæ sumptibus, et reliquis expensis, ut præter hæc nihil exigeret a subditis, sed tributis aliisque onerariis solutionibus liberaret. Erga pauperes compassivus et liberalis, quibus poterat, abunde succurrebat, omnium miserias vel pecunia redimens, vel lacrymis prosequutus. Quotidie in suo palatio pauperes aliquot cibabat, alios die Veneris addebat, quibus ipse inserviebat, aquam flexo poplite manibus infundebat, fercula ministrabat et post epulum osculabatur.

Varia infirmis obsequia præstat.

4 Xenodochia et nosocomia frequenter invisebat, ægris lectos sternebat, universa caritatis officia exhibebat, vulnera et ulcera lavabat, curabat, fovebat, aromatoria, bellaria et si quæ erant vel medicandis vel refocillandis opportuna, secreto mittebat; ad hæc pietatis officia admissis dumtaxat fides quibusdam famulis et amicis, ne vanæ gloriæ ventus meritum exsufflaret. Hispanum quemdam peregrinum Romam proficiscentem molesto morbo sanguinei fluxus correptum, in domum sibi vicinam curandum duxit, frequens visitabat, et cum semel curando ulceri linteola deessent, extractam secreto interulam in fasciolas discidit. Fœminam quamdam Margaritam Ariminensem, miserabili modo ulceratam, a tergo duplici hiatu, per quem cibus et potus frequenter decurrebant, et intestina defluebant, diris cruciatibus laborantem, sed insigni spiritu, invicta patientia et mira divinarum rerum notitia illustrem, sæpissime adibat, et solamen daturus, et sacra documenta recepturus. Cum illa diuturna protrahebat de rebus cælestibus colloquia, quibus accensus nil vile putabat, quod vel in Dei, vel servorum ejus obsequium posset redundare. Hujus misellæ curam ipse, dux vixit, agebat, propriis manibus medicabatur, ministratis insuper rebus omnibus necessariis. A. ANONYMO.

Rebus divinis totus intentus corpus mortificat: apparet ei Christus: energumenum liberat.

5 Et ne inter aulæ delicias, inter ferculorum affluentiam et pompæ majestatem caro concupisceret adversus spiritum, aut majorem vim inferret, quam immaculati thori leges exposcunt, titillantem multis modis compressit, abstemia *g*, cilicio, flagello, brevi somno, et duro lecto, in nulla re indulgens vitæ molliori. Sacris viris omnem adhibebat reverentiam. In sacello nobilissimo, a se constructo, summa pietate divinis intererat officiis, habens pro solatio unico sanctos codices et libros spirituales. Horas canonicas attente recitabat, ad sacram Synaxim sæpissime accedebat, nunquam tamen abique profluvio lacrymarum. Turbas hominum et mundi strepitus fugiebat, secularia negotia, quantum status sui conditio permittebat, procul volebat, divinis rebus totus intentus. Arcanas multas habuit visiones et supra se frequenter ferebatur divinæ contemplationis dulcedine. Apparuit in sacello oranti Christus sub eadem specie seraphica, qua sanctum Franciscum in Alvernæ *h* monte quino vulnere sauciavit, perfuditque mentem immensa lætitia, etsi flere postea cœperit amare Christi passionem, quam in Francisci transformatione cogitavit renovatam. Dæmoniacum infestum et clamorosum, arrepta spina coronæ Christi, et facto per eam Crucis signo, e regione domus, in qua torquebatur, repente sanavit. Seditiosum populum in se irruentem, quia restituerat Sedi Apostolicæ Burgum Sancti Sepulcri *i* et aliquot castra a patre relicta, præmissa prius oratione, intrepidus excepit, et placido sedavit eloquio. g h i F

Gravi morbo affligitur et pie moritur.

6 Ad martyrium pro Christo ferendum vehementer anhelans, precibus multis petebat, ut mereretur pro vitæ Auctore mortem oppetere, vel saltem Dominicas passiones intenso dolore compensare. Immisit Dominus dolores multos et gravem fistulam adjunxit, quibus cum ferro, igne et asperis remediis oporteret mederi, nullum visus est impatientiæ signum edidisse. Admonitus a quodam Dei servo de futura corporis dissolutione post menses quatuor, lætatus est, et magno studio præparavit se quotidiana confessione et communione frequenti, repetens passim illud Apostoli : « Cupio dissolvi et esse « cum Christo. « In ultima hora satan oppugnare tentavit, objectis dubiis circa fidei mysteria, quibus ille opposuit Athanasii symbolum, quod et alta voce recitari præcepit. Divino deinde adjutorio speciali profligato inimico, paulisper

A. ANONYMO. requievit, mox hilari et jucundo vultu cælum aspiciens, rerum divinarum contemplatione profunda, mente excessit. E raptu rediens : Video, inquit, cælos apertos, et protinus ridens et exultans, fixis in cælum oculis, sub auroram sanctam animam reddidit Creatori in vico sancti Archangeli. Ariminum translatus, occurrente funeri episcopo et clero universo, sepultus est in veste Franciscana absque ulla pompa aut apparatu in cœmeterio Minorum communi sepultura, in terra effossa, sicut ipse ultimis tabulis constituit, quam postea consanguinei crate ferrea contexerunt, et deinde lapide marmoreo. Multis post mortem coruscavit miraculis, quæ notarii cujusdem Ariminensis excepta sunt Actis et optimorum virorum fide comprobata.

Varii ejus patrocinio

7 Joannes, Petri filius, in summo vitæ versabatur discrimine, desperantibus medicis ejus salutem. Vovit pater, se ducturum ad beati Roberti sepulcrum et cereum oblaturum, statimque convaluit. Antonius arborem securi dejecturus, irrito ictu pedem gravi vulnere deturB pavit, ad tumulum delatus sanus recessit. Dominicus Ariminensis ab hernia; Antonius adolescens a molesta febre; Jacoba a paralysi; Blonda ab infirmitate octo annorum, variisque ulceribus; Lucia longo tempore; Catarina annis novem; Angelus sexdecim a malignis spiritibus obsessi, perfecte sunt liberati. Quidam
k Minorita adolescens Patavio *k* Ariminum proficiscens, intensissimum sensit stomachi dolorem, sed oratione præmissa ad Roberti tumulum dolor omnis abscessit. Laurus et Nicolaus Ariminenses dolebant genibus, Agnes pede, Anna manu, Jacoba capite annis sex, Jacobus Par-
l mensis *l* miles mensibus septem utroque pede immobilis, quod petebant, salutis impetrarunt
m beneficium. Martinus Bononiensis *m* oculis captus, ad sepulcrum orans lumen recepit. Joannes piscator e cymba descendens, gravi casu costas rupit tres, sed Robertum invocans meruit exaudiri.

a diversis morbis

8 Isolta nobilis matrona promisit filiolum in extremis laborantem, a medicis derelictum, si pristinæ restitueretur saluti, discalceatum, habitu tertii Ordinis sancti Francisci indutum ad sepulcrum ducere et ceream offerre imaginem.
C Ut votum emisit, gratiam recepit. Alia, Bella nuncupata, per triennium destituta utriusque brachii viribus et ministerio, aliena ope cibos sumebat; audita fama Roberti, auxilium imploravit et obtinuit. Cæcilia annis quatuor continua ægrotabat febre, et lateris dextri molesto tremore, sed invocata per hujus intercessionem divina ope convaluit. Bartholomæus e castello Durantis, Minorita, totidem annis clauso alvo, quidquid per secessum egerendum erat, crassa semper purgabat urina; inde per universum corpus noxii spargebantur humores; inde membra tumentia multis scatebant ulceribus; inde perpetuus languor, virium defectio, cæcitas, stomachi et capitis dolor. Auditis Roberti miraculis, magna fiducia rogavit, ut sui miseretur; cœpit, quod ante non poterat, ambulare et e patria Ariminum abiit, ubi præ tumulo perfectam consecutus est sanitatem. Joannes filium juvenculum, biennio male affectum, ad extrema reductum et biduo nihil sumentem, dum eidem commendat, videt sanatum.

9 Thomæ Baccari manui aper dentem infixit, *et vulneribus sanati.* quo vulnere vehementer dolebat perpetua sanguinis emissione; monitus ab amico, ut ad Roberti confugeret patrocinium, fecit, oravit et convaluit; manum ferream et dentem, qui læsit, ad sepulcrum appendit. Jacobus e monte Columbi, bajulus vinarius tempore vindemiæ elevare volens dyotam, sive cadum, vulgo barillum musti, intestina scroto illabuntur, Robertum invocat, cereum promittit, et herniæ medetur. Catarina brachio sinistro per biennium vehementer dolens, et usu privata; Columba Ferrariensis *n* humeris et brachio dextro *n* adeo affecta, ut diu noctuque clamaret, oblato brachio cereo, dolore sunt liberatæ. Petra e Pignano annis triginta possessa et diris torta cruciatibus, ita ut aliquando a sex hominibus detineri non posset, ad Robertum pie confugiens, meruit liberari. Philippa Ariminensis biennio et puerulus duodennis genibus attracti, oblatis cereis donariis emissoque voto visitandi sepulcrum, perfecte sunt liberati.

10 Vincentinus presbyter Vincentinus *o*, a *Carcere detentus liberatur.* suo episcopo in tetrum carcerem conjectus, tribus portis munitum, vota precesque fudit ad *o* beatum Robertum, ut liberare vellet a vinculis et a gravi sibi parato supplicio. Ingens refulsit E lumen in habitaculo, quod spem animumque præstitit, ut fugam intentaret, minimaque industria elapsus, Ariminum perrexit, ubi publicavit miraculum, et gratias suo reddidit Liberatori. Liberavit etiam Nicolaum Ariminensem a dolore capitis; comitis Urbinatis *p* filium diu *p* febricitantem, a mortis periculo; Frisam partui vicinam a molesta febre, et fœtus injuria; Magdalenam a quartana diuturna; Helenam leprosam, ulceribus et pustulis deformem, ab extrema miseria.

ANNOTATA.

a Galeoti *nomen Beato post mortem patris impositum fuisse, refert Clementinus in Hist. Arimin. part.* 2, *pag.* 228.

b Pandulphus, *Galeoti Malatestæ filius, fuit Brixiæ dominus.*

c *Hic* Carolus *ab anno reparatæ Salutis* 1385, *defuncto patre, provinciæ Ariminensi præfuit.*

d Sigismundus *Malatesta* B. Roberto Mala- F testæ *in principatu Ariminensi successit.*

e *Hæc olim celebris erat, et post Octavam Sanctorum seu a die* XI *Novembris, qua S. Martini obitus recolitur, usque ad Christi Domini Nativitatem celebrabatur. Consule, si lubet, Cangii Glossarium.*

f *Antiquam hujus illustrissimæ familiæ originem, ex qua pullulavit regia olim Saxoniæ ac Bavariæ ducum, nunc Brunsvicensium ducum S. R. I. Electorum, et serenissimi regis Magnæ Britanniæ Georgii II progenies, curiosus lector in* Antiquitatibus Estensibus *Ludovici Muratorii videre poterit.*

g *Hæc vox mensam frugalem significat.*

h Alvernus, *mons Tusciæ in Italiæ agro Florentino, stigmatibus S. Francisci celeberrimus.*

i Burgum S. Sepulchri, *Italis* Borgo-Di-San-Sepolcro, *urbs Italiæ episcopalis, in Umbria regione prope Tiberim fluvium, in ipso limite Tusciæ, olim ditionis Ecclesiæ, nunc magno Hetruriæ duci paret.*

k Patavium

A k Patavium *urbs reipublicæ Venetæ episcopalis, agri Patavini caput, sita in totius Italiæ campo fertilissimo.*

l Parma *urbs Italiæ episcopalis sedet in ejusdem nominis ducatu, cujus caput est, ad fluvium* Parmam *dictum.*

m *Urbs archiepiscopalis Italiæ in ditione Pontificia ad Renum amnem sita.*

n *Urbs archiepiscopalis et ejusdem nominis ducatus primaria sub summi Pontificis dominio.* A. ANONYMO.

o Vincentia, *melius* Vicentia, *urbs Italiæ episcopalis, sedet in provincia Vicentina, cujus caput est, sub reipublicæ Venetæ dominio.*

p Urbinum *Italiæ ducatus, ditionis Pontificiæ, cujus civitas primaria ejusdem nominis distat* 8 *leucis ab urbe Ariminensi.*

DE S. FRANCISCO BORGIA C.

SOCIETATIS JESU TERTIO GENERALI

ROMÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS J. B.

§ I. Familiæ Borgianæ origo, et S. Francifci proavi.

B

ANNO MDLXXII *Borgianum nomen primi adhibuisse creduntur*

Illustri Borgiarum familiæ nomen dedit Hispaniæ Taraconensis in Celtiberis oppidum, prius quidem, uti nonnullis placet, Belsinum; *postmodum autem, ex quo Hispaniam Taraconensem Mauri occuparunt,* Boria *seu* Borgia *dictum.* Borgiæ *nomen primus adhibere cœpit, ut quidem Escolanus scribit Historiæ Valentinæ lib.* 6, *cap.* 23, *Petrus Ataresius, Ranimiri, Aragoniæ regis hujus nominis I pronepos. At Brizius Martinez, Pinnatensis abbas, lib.* 5 *Historiæ cœnobii sui cap.* 30 *non Petrum, sed ejus posteros ait, Ataresium nomen in Borgianum commutasse. Petrus quidem, ex quo ab Alfonso I, Aragoniæ rege, post expugnatam sub annum* 1115 *Cæsaraugustam ac vicina huic oppida Mauris erepta Borgiensi dominio auctus fuerat, relicto Ataresii nomine, Borgianum pro temporum illorum more adsciscere potuit; id tamen illum reipsa præstitisse, non autumo, saltem in instrumentis publicis: annis enim jam pluribus Borgiensi dominio potitus*

C *fuerat, cum Verolense in Hispania Taraconensi secundo ab urbe Turiasone lapide cœnobium Cisterciensibus condidit, nec tamen in Instrumento fundationis, cui ipsemet subscriptus legitur apud Manrique in Annal. Cisterciensibus ad annum* 1146, *cap.* 12, *num.* 10, *Borgiani ulla fit mentio nominis, sed antiqui tantum, id est, Ataresii. Laudat quidem loco citato Escolanus monumenta, nescio quæ, apud Aragones reperta et ab se inspecta; at cujus ea sint fidei aut ætatis, non edicit.*

Ataresii 2 *Neque vero Petri Ataresii posteri Borgiano uti nomine cœperint, si is absque liberis decesserit, uti Surita in Rerum ab Aragoniæ regibus gestarum Indicibus ad annum* 1152, *Petro emortualem, scripsit. Itane censuit, quod nulla Petri liberorum, sed matris tantum in confecto abs illo de cœnobii Verolensis fundatione Instrumento mentio fiat? An quod Borgiensis dominii templarios hospitalariosque post obitum suum hæredes scripserit, idque non ejus liberi, sed Teresia Caxal, ejus, ut suspicatur, mater, Raymundi Barcinonensis comitis, Petronillæ Aragonum regi-*

E

næ mariti, munere fuerit consecuta? An denique, quod Petrum liberis omnino orbum, in confectis ea de re litteris obiisse repererit? Has quidem sibi visas fuisse innuit lib. 2 *Annalium cap.* 13, *cum proceres, qui huic negotio testes fuere, nominatim refert: verum nihil dicit hujusmodi, unde Petri orbitatem in illis expressam fuisse, conficias. Ceterum quid ni potuit Verolam Cisterciensibus, Borgiamque templariis hospitalariisque donare, etsi liberis, quibus aliunde abunde prospexerit, non caruerit? Aut quid necesse fuit in harum donationum instrumentis liberorum suorum, si quos seu legitimos seu illegitimos habebat, mentionem facere? Neque enim id in hujusmodi donationum tabulis requirebatur aut perpetuo fuit observatum. Borgiense oppidum Petrus alieni juris fecerat: Raymundo, qui id, concessis ditionibus aliis, ut in Annalibus laudatus Surita narrat, a templariis hospitalariisque redemerat, fas erat, in quem vellet, ejusdem oppidi transferre* F *dominium. Teresia porro Caxal Petri mater, ut suspicatur Surita, fuisse non videtur; ut quæ non Teresia, sed Margareta dicta sit in Charta, de qua num.* 4.

e regum Aragonum sanguine, 3 *Nihil itaque admodum urget, ut Suritæ, Petrum Ataresium absque liberis decessisse affirmanti, assentiamur. Alvarus Cienfuegos lib.* 1 *cap.* 1, § 2 *Vitæ* S. Francisci *refert, tum Josephum Pellicerium in Seiano Germanico, tum Petrum Abarcam in Annalibus recte probatum dedisse, Petro Ataresio posteros non defuisse. Quid? Quod ipse Surita alibi id ipsum innuat. Non primus quidem Petrus e sua gente arci Ataresiæ dominatus fuit, sed primus* Ataresii *cognomen obtinuit: cur ergo Surita ad annum* 1118 *in Indicibus, postquam primarias, eoque tempore maxime florentes in Aragonia familias enumeravit, mox subdit:* His et nobilitate et potentia pœne æquales..... Ataresii stirpe regia orti; *si, sublato e vivis Petro, superfuerit ex ejus liberis nemo, qui paternum nomen aut ejus loco Borgianum gereret? Sed et Ataresiorum insignia exhibet Hieronymus Blancas in Aragonensium Rerum Commentariis tom.* 3 *Hispaniæ illustratæ*

pag.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

pag. 739, *quæ cum eadem sint ac gentis Borgianæ insignia, indicio id profecto est, Ataresiam ac Borgianam gentem unam eamdemque fuisse, ac Petrum vel ejus posteros Ataresium nomen in Borgianum commutasse, retinuisseque perpetuo; ad eum fere modum, quo Artalli, Alavonæ domini, ut laudatus Surita scribit, posteri cognomen sibi adsciverunt Alagonum.*

uti ex hac adductis

4 *Porro regium Petri Ataresii genus nonnulli magis suspicionibus, ut quidem Mariana lib.* 10, *cap.* 15 *ad annum* 1134 *scribit, quam certo argumento ducti affirmant. Adde Gestorum comitum Barcinonensium scriptorem, qui seculo* XIII *ad finem vergente fuit, aitque apud Petrum de Marca in Marca Hispanica col.* 549, *mortuo Alfonso, Ranimiri I nepote, ortum fuisse de rege eligendo dissidium,* cum nullus alius superesset de genere *(nimirum regio) nisi Ranimirus, Ranimiri I nepos, quem, licet monachum et sacerdotem, anno* 1134 *ad regium apicem Aragonenses evexerunt: verum cum Aragoniæ proceribus visum*

B *prius fuerit Petrum Ataresium dignitate regia, nisi morum arrogantia illorum ab se animos avertisset, exornare; an non eo potissimum moti fuisse censendi sunt, quod ille e regia, si non legitima, via saltem illegitima ortus crederetur? Adeo equidem apud scriptores Hispanos regium Petri Ataresii genus pervulgatum est, ut in id omnes consentire dicat Hieronymus Blancas in Rerum Aragonensium Commentariis Hispaniæ Illustratæ tom.* 3, *pag.* 645. *Neque monumenta desunt, quibus Petrus Ranimiri pronepos fuisse ostendatur. Rem totam ob oculos ponet Petri Atharesii Charta ab Yepesio in lucem protracta, ex qua Moretus lib.* 3, *cap.* 5, § 3, *pag.* 942 *Antiquitatum Navarræ recitat, quæ sequuntur:* Ego Garsias Infans, filius Sanctii Ramiri comitis et Margareta uxor mea cum filiis nostris Lupo Sanchez *(ab Sanctio sic dicto)* et Petro Atharesa facimus hanc chartam *etc.* Facta charta Era 1149 *(anno Christi* IIII) in mense Junio. Regnante rege domino Ildefonso in Castella et in Aragonia regina Urraca uxore ejus cum illo. Ego Garsias infans in Atheres, et in Exabietre.

C *Petri itaque pater Garsias fuit, avus Sanctius comes, proavus vero Ranimirus Aragoniæ rex ejus nominis I. Ranimiro præter Sanctium successorem, alterum quoque ejusque nominis filium fuisse, liquet ex Ranimiri testamento apud abbatem Brizium lib.* 2, *cap.* 38, *ubi hæc est legere:* Et dimitto Aybar et Exavierre Latri cum omnibus earum villis, quæ ad eas pertinent, ad alium filium meum Sanctium, ut possideat illas, et ut teneat illas suprascriptas villas per manum fratris sui Sanctii, quasi per me. *Huic autem Sanctio filium fuisse nomine Garziam et Ataresii dominum iterum confici videtur ex instrumento anni item* IIII, *e quo lib.* 5, *cap.* 29 *Brizius hæc verba recitat:* Tempore illo erat rebellatus Garcia Sanz *(id est,* Sanctii filius) cosino de rege *(Alfonso)* in Atheres. *Suspicatur quidem Brizius Garziam hunc, Alfonsi, Aragoniæ et Navarræ regis, in regno Navarræ successorem fuisse: at male: hic enim non Garziam Sanctii, sed Ranimiri se nominat in charta Ranimiri II Aragoniæ regis tom.* 3 *Hispaniæ Illustratæ pag.* 646 *et seq. ab Hieronymo Blanca relata, cui Garzias ille subscripsit, in quem Brizii* D *suspicio cadit.*

monumentis ostenditur, orti:

5 *Nomen patronymicum* Sanz, *etsi non ignorem, id ab Hieronymo Blanca tom.* 3 *Hispaniæ Illustratæ pag.* 779 *poni inter anonyma, id est, quæ nominibus propriis, a quibus deriventur, carent,* Sanctii filium, *tamquam ex patronymico* Sanchez, *quod Sanctii filium significat, interpretatus sum, quod tum in Charta a Pinnatensi abbate laudata, tum in Charta ex Moreto num. superiore partim transcripta idem annus, neme* IIII, *idem prænomen Garzias, idem dominium, arx nempe Ataresia, uti et regia consanguinitas exprimantur: quæ cum unam eamdemque personam indicent, et in Charta a se confecta Garzias se* Sanctii filium *nominarit, bina ista vocabula* Garcia Sanz, *quæ in Charta a Pinnatensi abbate laudata leguntur, eodem plane modo, nec, ut opinor, immerito, interpretanda censui. Ex eadem denique Garsiæ, Sanctii comitis filii, Charta efficitur, errare doctorem Franciscum Borgiam,* S. Francisci *pronepotem, dum in ejus Vita scribit, Petrum Ataresium ex Ranimiro rege per legitimum ejus filium Garsiam genus suum deduxisse. Garsi-* E *am Ranimiri filium Aragoniæ seu Jaccetanum episcopum fuisse, scribunt Surita et Blancas, neque uspiam, quod sciam, liberos genuisse legitur. Non placuit ipsi forte Sanctius, quod illegitimus fuisse videatur Ranimiri I filius.*

etsi vero non plane constet, quinam hi fuerint: indubitatum tamen,

6 *Ex hac vita decessit Petrus Ataresius, ut in Indicibus Zurita scribit, anno* 1152: *filium habuit Ximenium Garces de Borgia, ex quo natus Fortunius Arnaldus de Borgia per Gundisalvum Ægidium de Borgia genus suum propagavit: Gundisalvo natus est Rodericus de Borgia; huic autem Rodericus Ægidius de Borgia. Ita hactenus doctor mox laudatus, expressis quoque singulorum uxoribus; utrum vere et accurate, dicendo non sum, cum neque quidpiam adferat, quo dictis suis fidem faciat, et interdum in ea, quam texit, Borgiani generis genealogica serie lapsus fuerit, ut partim mox dictum est et partim infra dicetur: id autem indubitatum habeo, Borgianum nomen inter Aragoniæ proceres jam inde a seculo* XIII, *regnante in Aragonia Jacobo I, ac deinceps claruisse. Valentinum regnum hic rex* F *Mauris eripuit, Setabimque, nobile firmissimumque in eo regno oppidum, expugnavit anno* 1248. *Recepti in fidem oppidi territorium ducibus mililibusque, qui aut generis claritudine aut rebus strenue gestis ceteris præstiterant, dividi jussit; quos inter Petrus, Franciscus, Bernardus, Arnaldus, Philippus, Alphonsus, Michael, Petrus Joannes, Stephanus, omnes Borgiano nomine insigniti numerantur, uti Escolanus Historiæ Valentinæ lib.* 9, *cap.* 22 *e Setabitanis tabulariis tradit. Non equidem aio omnes hic memoratos e nobili Borgiarum familia ortos fuisse; cum fieri facile potuerit, ut ex illorum numero aliqui nacti id nominis fuerint, quod in Borgiensi oppido nati, vel hinc oriundi essent; aliquos tamen in illis ex ea familia fuisse, si non certum, verosimillimum equidem est. Surita in Indicibus Rerum Aragoniæ postrema manu a se locupletatis ad annum* 1250 *refert Aragoniæ proceres, Catalanos, civitatumque internuntios fuisse obtestatos, se Jacobum regem*

(cui id temporis cum Alphonso filio simultas erat) propugnaturos adversus omnes, qui voluntati regiæ parere nollent; ac mox eorum, qui ea se conjuratione obstrinxerant, catalogum texens Bernardum de Borgia, qui idem verosimiliter fuit ac Bernardus loco tertio ab Escolano proxime laudato memoratus, nominatim recenset.

Borgianam familiam seculo XIII

7 *F. de Borgia numeratur inter Aragoniæ proceres, qui fidem Jacobo regi suo ceterorumque nomine jurejurando obstrinxerunt in comitiis, ab eodem rege anno* 1265 *Exeæ in Aragonia celebratis. Vide codicem Aragoniæ legum,* Trophæa regni Aragoniæ *inscriptum, annoque* 1576 *Cæsaraugustæ editum, pag.* 1 *versa post Præfationem ac Dedicationem. Floruisse eodem seculo virum nobilem Rodericum Borgiam, qui Jacobo I in expugnatione Oriolensi egregiam quoque præstiterit operam, rursum Escolanus tradit lib.* 6 *Historiæ Valentinæ cap.* 23 *ex ejus oppidi monumentis. Gonzalvo Bertrando Borgia Alphonsus III, Aragoniæ rex, Caroli principis Salernitani,* B *prælio navali biennio ante capti e Rogerio de Lauria, una cum aliis* XI, *partim Aragoniis, partim Catalanis, nobilibus viris custodiam commisit, uti apud Suritam in Indicibus ad annum* 1286 *videre est.*

et deinceps claruisse;

8 *Subsequenti proxime seculo floruit quidam Fortunius de Borgia, cujus ex litteris publicis Alfonsi IV, Aragoniæ regis, meminit Hieronymus Blancas tom.* 3 *Hisp. Illustratæ pag.* 807. *Verum id displicet, quod Alfonsi litteræ datæ dicantur* VIII *Idus Aprilis anni* 1325, *cum non ante annum* 1327 *Alfonsus patri suo Jacobo II successerit. At qualiscumque iis in litteris error lateat, id mihi sufficit, vixisse ea tempestate virum nobilem e gente Borgia, quippe qui in dictis litteris* miles *appelletur, ac Peregrini Oblitæ (supremi dein, ut opinatur Blancas, in Aragonia justitiæ administri) nobilitati testimonium dixisse memoretur. Anno* 1338 *vivebat Rodericus Borgia, cui adscriptus est* Generosi *titulus in Codicibus decretorum plebis tribunorum civitatis Valentinæ, teste Escolano lib.* 6 *cap.* C 23, *qui et alios ex Borgiana familia nobiles ejusdem seculi viros ibidem memorat, ut Jofredum, militem et virgatum regiæ justitiæ ministrum, quem* Alguazil Real *Hispani vocant; ut Gunsalvum Ægidium anno* 1340, *Ægidium Bertrandum anno* 1345, *Rodericum anno* 1368 *pro statu militari juratos apud Setabitanos; quibus lib.* 8, *cap.* 28, *num.* 2 *addit Raymundum Borgiam equidem S. Jacobi et magnum Montis Albani, uti vocant, commendatorem. Denique, ut Escolanus lib.* 6, *cap.* 23 *refert, Petri IV, et Martini, qui ab anno* 1495 *usque ad annum* 1510 *regnavit, Aragoniæ regum tempore magno apud omnes in pretio, et apud prædictos reges in honore fuit Rodericus Ægidius Borgia, e cujus posteris Escolanus quidem censet fuisse Alexandrum VI Pontificem maximum,* S. Francisci *proavum, qui Borgianam gentem ad pristinum splendorem revocarit.*

ex qua porro nati videntur tum Dominicus Borgia,

9 *Verum Surita lib.* 16 *Annalium cap.* 32 *ait, eodem tempore, quo Setabi florebat Rodericus Ægidius ex nobili Borgiarum familia oriundus, exstitisse ibidem et alteram cognominem familiam, at tanto priori conditione inferiorem, ut Borgianum nomen seu jure clientelæ, seu quod nobilium Borgiarum obsequio addicta fuisset, usurpare potuerit: ex hac porro inferioris conditionis familia fuisse Dominicum quemdam, Calixti III summi Pontificis patrem, tenuis admodum in villa quadam agri Setabitani* Canales *dicta prædii dominum. Quod dubitanter Surita asseruit, affirmate Echardus tom.* 2 *Bibliothecæ Dominicanæ pag.* 834 *post Suritam pronunciat, quamvis præter Suritæ auctoritatem hanc in rem nihil afferat. Miror sane hic Echardi confidentiam; quippe qui non ignorarit Dominici paupertatem parum obstare admodum, quo minus ex eadem familia fuerit, ex qua Rodericus Ægidius, licet hic illum nominis celebritate opibusque longe superaret:* cum et nostro hoc *(ipsiusmet Echardi eadem pag. verba sunt, eaque verissima)* et anterioribus retro seculis innumeris facile comprobetur exemplis, ex una eademque stirpe et progenie alios auro fulgere et titulis cum potentatibus ambulantes in magnis, alios egestate sordere cum plebeis et ignorari: *adde et contingere longe frequentius, ut generis claritudinem* E *paupertas obnubilet, quam ut priscæ nobilitatis splendidiorisque fortunæ viri, cum pauperibus vilibusque hominibus communicent familiæ suæ nomen gentisque insignia.*

AUCTORE J. B.

Calixti III Papæ pater,

10 *Dominicus iste, fatente Surita, Alfonsi Borgiæ, Valentini primum præsulis ac dein summi Pontificis, Calixti III pater fuit; quamquam hunc Platina* Joannem *dictum fuisse tradiderit: atqui scriptorum, qui eadem fere, qua Calixtus, ætate vixerit, nullus, ut opinor, adducetur in medium, qui Calixtum III homine vili, quo nomine ejus patrem Echardus appellat, natum fuisse aut aperte edixerit, aut tacite indicarit: contra vero Platina tom.* 3, *part.* 2 *Scriptorum Rerum Italicarum col.* 961 *in Vita Calixti III, hujus parentes* Generosos *vocat. Auctor coævus, qui Calixti III electionem in summum Pontificem descripsit apud Papebrochium in Propylæo Maii, eum* nobiliter natum *dicit. Æneæ Sylvio (Pio II, Calixti successori proximo) lib. Commentariorum rerum, quæ suis temporibus contigerunt* nobili loco natus est, *uti et Gobelino* F *lib.* 1 *Commentariorum Pii II pag.* 25: *Philippo Bergomensi ad annum* 1455 nobilissimo viro natus, Alfonsus Boria antea vocatus: *Roderico Santio, Palentino in Hispania Tarraconensi episcopo, qui Calixti III, Pii II, et Pauli II tempore floruit, part.* 4 *Historiæ Hispanicæ cap.* 40 genere nobilis de domo dicta de Boria. *S. Antoninus, Florentinorum ad Calixtum orator, part.* 3, *tit.* 22, *cap.* 15, § 1 *Calixtum laudat, quod* nobilitati generis majorem morum nobilitatem *adjecerit. Quis vero in animum facile inducat, hæc ab auctoribus cœvis dicta fuisse de Calixto, si vili homine natus fuisset, aut ementita tantum nobilitate claruisset? Neque refert Calixti III patrem a Surita* Dominicum, *a Platina autem* Joannem *appellari: utrique enim de eodem viro sermonem esse, ex eo colligi potest, quod uterque Calixti matrem* Franciscam *appellet. Missa itaque hac Suritæ conjectura, nec satis firma per se, nec seculi* XV *scriptoribus consona, Borgiani stemmatis seriem prosequamur.*

11 *Calixti III ex sorore Isabella nepos fuit*

AUCTORE J. B.

tum materno quidem genere Alexander VI,

fuit Rodericus Borgia dictus, qui anno 1492 *in summum Pontificem electus Alexandri VI nomen assumpsit: patrem illi fuisse Jofredum Borgiam, Roderici Ægidii, de quo supra, filium, Surita et Escolanus statuunt: Panvinius autem in Vitis Pontificum, Garibai in Compendio Historiæ regnorum Hispaniæ lib.* 19 *cap.* 1, *Mariana de Rebus Hispanicis lib.* 26 *cap.* 2 *Jofredum seu Gotifredum Lenzolium.* Alexander Papa VI, *inquit Panvinius,* Rodericus antea vocatus, ex nobili familia Lenzolia Valentiæ in Hispania originem duxit. Patrem habuit Jofredum equitem prædivitem, matrem vero Calixti Papæ III sororem. Qui quamquam gente Lenzolia ortus esset, Boriæ tamen vel Borgiæ nomen, quo cum gentilitiis insignibus ab avunculo donatus fuerat, avito relicto, usque ad obitum retinuit. *Quibus ex monumentis hauserint scriptores hi, Alexandrum VI Lenzolio patre ortum fuisse, non edicunt: eorum tamen sententia standum, opinor: exhibet enim Philippus Bonanni tom.* I *Numism. Pontif. Alexandri VI numisma anno* 1492, *quo is*

B *Pontificatum adiit, excusum, in cujus aversa facie leguntur hæc verba Italica:* Roderico. Lenzuola. D. Borgia. S. P. M. CD. XCII.; *id est,* Rodericus Lenzolius, dictus Borgia, summus Pontifex; *ita inde abunde liqueat, Rodericum paternum nomen in maternum commutasse; materno autem nomine uti cœpisse videtur, ex quo Romam ad avunculum Pontificem venit, seu ab anno* 1455 *: sic enim ad illum annum scribit Hieronymus de Bursellis tom.* XXIII *Scriptor. Rer. Ital. in Annal. ab anno* 1418 *ad* 1497 *excurrentibus :* Cum isto *(Ludovico, episcopo Segorbiensi, Calixti ex sorore Catharina nepote)* venit Bononiam causa studendi juvenis quidam et nepos Papæ, dictus Rodericus Borgia. Hic postea *(anno proxime sequenti)* Cardinalis factus et vicecancellarius, ultimo in Papam creatus est et dictus Alexander VI. *Neque audiendi sunt, qui Roderico Ægidio' binos fuisse censent filios Jofredum et Alfonsum, postea Calixtum III, quorum prior Isabellam, Dominici Borgiæ filiam, in matrimonium duxerit: has enim nuptias minus credibiles faciunt Jofredi opulentia et Isabellæ patrisque ejus Dominici paupertas.*

natus patre Lenzolio, nobilitatis sat notæ viro,

12 *Quod autem ad Lenzolios spectat, erant et ipsi apud Aragones Valentinosque clari et illustres, teste Surita loco ab Echardo laudato: scribit tamen Echardus Lenzoliorum nomen esse* vix mediocris leviorisque apud Aragones nobilitatis et familiæ; *et hoc quidem* certum *esse pronuntiat; sed immerito: floruisse enim Lenzolios jam inde a Jacobi I Aragoniæ regis tempore liquet ex ipsiusmet Commentariis, in quibus catalogum texens eorum, quorum præclara in bellis opera usus fuerat, Lenzoliorum apud posteros gloriæ consultum voluit; cum inter illos quemdam dominum* Lansol, *teste Escolano lib.* 1, *cap.* 20, *num.* 7 *recensuit: liquet item ex Surita variis locis: is in Indiculo rerum ab Aragoniæ regibus gestarum ad annum* 1286 *Berengarium Lanciolium inter eos proceres memorat, qui Alfonso III Aragoniæ regi ex Balearica expeditione Valentiam adventanti et demortui patris solium occupaturo occurrerunt: ad annum item* 1309 *Berengarium Lanciolium inter regni Valentini duces recenset, qui sub Jacobo II in Almeriensi bello rem bellicam administra-*

runt: ad annum 1339 *ait Arnaldum et Mat-* D *thæum Lanzolios Villæ-longæ a Petro IV, Aragoniæ rege, præfectos, imminente bello Maurico. Lib. item* 6 *Annalium cap.* 43 *Joannem Lanzolium nominat inter equites Valentinos, ad bellum Sardoum evocatos. Plures alios ex eadem familia viros muneribus publicis, rebusque gestis insignes enumerat Escolanus lib.* 9, *cap,* 48, *et in his Arnaldum Lenzolium, qui a Jacobo I ob præstitam sibi in bello, quo Valentiæ regnum Mauris eripuit, Villæ-longæ dominio (in quam rem regias litteras anno* 1259 *die* VI *Octobris datas laudat) donatus, ac dein judex Valentiæ generalis, Setabi vero particularis anno* 1268 *constitutus fuerit: quæ si legisset Echardus, non adeo Lenzoliorum nomen opinor depressurum fuisse, ac verbis mox transcriptis fecit. Jofredum autem Lenzolium ad ambiendas Isabellæ nuptias allexisse videtur Alfonsi, fratris ejus, ingens apud omnes æstimatio ac prosperitas; qui et doctrina clarus et Alfonso V regi, cui a consiliis ac secretis fuit, gratissimus ac ob præclara merita Valentinis infulis jam tum* E *forte, cum ejus sororem Jofredus duxit, a Martino V decoratus fuerat.*

atique

13 *Rodericus porro materno, ut dixi, genere vere nominis Borgia, in Cardinalium ab avunculo numerum relatus dignitati suæ fœdissimam attulit labem: præpostera enim abreptus libidine plures suscepit liberos Petrum Ludovicum, primum e Borgiana familia Gandiæ ducem, dein Joannem Gandiæ item post fratris obitum ducem, tertio Cæsarem Borgiam, S. R. E. primum Cardinalem, sed dein, abjecta purpura, Valentinum in Delphinatu ducem; quarto Jofredum Squillacensem in regno Neapolitano principem; quibus accedit et filia, nomine Lucretia.*

S. Francisci majores

14 *Ex his Joannes fratri in ducatu Gandiensi successit, sponsamque, quam ille intactam reliquerat, sibi matrimonio junxit Mariam Henriquesiam, ut Escolanus lib.* 6, *cap.* 23, *et Franciscus Borgia proavi sui biographus tradunt, Joannæ Henriquez, Ferdinandi II Aragoniæ regis Catholici matris, consanguineam. Eam Schottus lib.* 1, *cap.* 6 *Ferdinandi patruelem vocat: at Surita lib.* 3 *Hist.* F *ejusdem regis cap.* 6 *Mariæ patrem Henricum Henriquezium Ferdinandi avunculum nominat; erant igitur Ferdinandus rex et Maria Henriquezia amitini seu fratris et sororis filii. Cæsar vero Borgia Carlotam duxit, Albreti e regum Galliæ stirpe et Navarræ regis sororem; Jofredus Sanctiam, Alphonsi II regis Neapolitani filiam notham. Lucretia plures habuit maritos, et in his Alfonsum Aragonium, Alfonsi II regis Neapolitani filium nothum, alterumque item Alfonsum I ducem Ferrariensem, Herculis I filium. Porro Joanni Gandiæ duci ex Borgiana familia secundo (cui mater Vannosia, Dominici de Arignano uxor, fuit, teste Burchardo tom.* 2 *Corporis historici a Jo. Georgio Eccardo editi col.* 2081, *non Julia Farnesia, uti* S. Francisci *Pronepos scribit) natus est Joannes Gandiæ dux tertius, sed hujus nominis II, qui, ducta Alfonsi, Cæsaraugustani archiepiscopi, filia Joanna* S. Franciscum *genuit: erat autem Alfonsus filius illegitimus Ferdinandi II Aragoniæ regis, e cujus filia, item Joanna nomine, et Philippo Austriaco Maximiliani imperatoris filio*

A *filio procreatus est Carolus V imperator, cujus soror Joanna Joanni II, Lusitaniæ regi, nupsit ac Sebastiani regis avia fuit.*

hic memorati. 15 *Præter* S. Franciscum *filium natu majorem ex Joanna Aragonia, Ferdinandi regis Catholici nepte, sustulit Alfonsum, Henricum et Aloysiam : hæc duci Villæ-Hermosæ nupsit, Alphonsus Vallis-Dignæ, Cisterciensis Ordinis in regno Valentino juxta Gandiam cœnobii abbas; Henricus vero episcopus Squillacensis et S. R. E. Cardinalis fuit, Viterbii mortuus anno* 1540; *qui perperam in Additionibus ad Ciaconium tom.* 3 *de Vitis et Rebus gestis Pontificum, ubi de Paulo III, natus fuisse dicitur matre Francisca de Castro et Pinos, secunda Joannis tertii Gandiæ ducis uxore, et Alexandri VI nepos,* S. Francisci *vero patruus appellatur; non enim Alexandri VI nepos, sed pronepos fuit, ut vel ipsum, quod ibidem legitur, Henrici epitaphium diserte testatur. Idem illic error committitur in Roderico Borgia, S. R. E. pariter Cardinali, et Joannis III Gandiæ ducis ex Franci-*

B *sca de Castro filio. Viros hujus familiæ singulos, qui dignitatibus sive ecclesiasticis sive secularibus fuere insignes, longum esset recensere : e sexu autem femineo vitæ sanctimonia potissimum enituere* S. Francisci *avia Maria Henriquezia, ejusque filia Isabella, quæ Clarissarum Discalceatarum in Gandiensi monasterio institutum amplexæ sunt ambæ, sanctissimeque coluerunt, altera assumpto Mariæ Gabriëlæ nomine, altera Franciscæ de Jesu : verum de his infra sermo recurret, et plura apud Joannem Carrillo de Fundatione Discalceatarum Matritensium lib.* 1, *part.* 2, *cap.* 1 *videre est.*

§ II. S. Francisci natales, educatio : e patrio solo egreditur ac philosophiæ præceptis imbuitur.

Natus est anno 1510

C Felicem *illum auspicatumque Borgianæ familiæ annum, diem et locum, quibus singulari divinæ Providentiæ beneficio editus in hanc lucem* S. Franciscus *fuit, Schottus, Ribadineiræ interpres, ad hunc modum accurate describit :* Natus, *inquit,* matre Joanna Aragonia, Alphonsi filia, ejus qui Ferdinandi regis Catholici filius fuit : idque Gandiæ, quod in Consentanis tertio lapide, LEUCAS Hispani vulgo appellant, a Sucronis fluminis ostio, nono vero Valentia situm est oppidum, ante diem v Kal. Novembris, qui dies Simoni et Judæ Apostolis anniversario ritu sacer est, anno reparatæ Salutis decimo supra millesimum et quingentesimum. *Cum* Franciscum *natum* ante diem v Kal. Novembris *Schottus dicit, ne id ita accipiendum putes, quasi pridie festi Apostolorum Simonis et Judæ, seu die* XXVII *Octobris natus ille fuerit; sed ita, ut ipso Apostolorum Simonis et Judæ festo die, seu* XXVIII *Octobris hanc lucem aspicere cœperit : qua in re Schottus Latini Sermonis principes, quidem* ante diem v Kal. Novembris *idem valet ac* die v ante Kal. Novembris, *imitatus est, eaque de causa addidit :* Qui dies Simoni et Judæ Apostolis anniversario ritu sacer est, *quem etiam diem* S. Francisci *nativitati Ribadineira assignat in Vita ejus Hispanica. Natus porro fuit, ut pergit Schottus,* Julio II Pontifice maximo Ecclesiæ Romanæ clavum tenente, imperii vero Maximiliano I cæsare : cum apud Aragoniam regnum obtineret Ferdinandus rex, cui Catholici cognomentum merito tributum, Francisci nostri proavus : quique Castellæ tum regna administrabat Joannæ filiæ nomine et Caroli nepotis, qui post et Hispaniarum rex et imperator ejus nominis quintus fuit.

AUCTORE J. B.

S. Franciscus,

17 *Post Pium III Julius II Ecclesiæ clavum suscepit anno* 1503 *die* 31 *Octobris vel Kal. Novembris; imperii vero Maximilianus* 1493 : *natus itaque ad finem vergente Julii II Pontificis anno septimo, Maximiliani imperatoris* XVIII *ab obitu patris sui Frederici, anno* 1493 *die* XIX *Augusti ex hac vita sullati. Joanni II Aragoniæ regi, Barcinone anno* 1479 *die* XIV *Februarii defuncto, successit Ferdinandus filius, vixitque usque ad annum* 1516, Catholici *cognomen adeptus ob pulsos anno* 1492 *e Granatensi totiusque Hispaniæ regno* E *Mauros, aliaque in Christianam rempublicam merita. Duxerat in uxorem Isabellam, Henrici IV Castellæ regis sororem et heredem; qua anno* 1504 *defuncta, filia ejus Joanna, Philippo Austriæ archiduci, et Maximiliani I imperatoris filio nupta, Castellæ regina salutata est; regni tamen Castellæ administratio, quod Joanna parum apta regendo esset, Carolus vero, Ferdinandi ex Joanna nepos, post imperator hujus nominis V, nondum ea esset ætate, quæ secundum regni leges regendo par haberetur, Ferdinando cessit, prout testamento suo, ut lib.* 5, *cap.* 84 *Surita refert, caverat Isabella, donec Carolus per se regere Castellæ regnum posset, ac vigesimum ætatis annum implevisset, qui tum annum tantummodo quartum agebat. Patet igitur ratio, ob quam Schottus* S. Franciscum *natum dixerit, Castellæ regnum Joannæ filiæ et Caroli nepotis nomine administrante Ferdinando : cur vero eumdem Ferdinandum* Francisci *proavum (puta maternum) vocet, paulo ante Schottus prodidit, cum* Francisco *Joannam, filiam Alfonsi, patre Ferdinando geniti, matrem fuisse asseruit.*

F

sic dictus ob causam hic expressam, cujus nativitatem amita,

18 *Edito in lucem Puero* Francisci *nomen inditum fuit : facti causam ita Schottus exponit :* Mater gravida, cum uteri doloribus angeretur, et religiosorum hominum preces sacrificiaque adhibuit et pauperibus multa eleemosynis elargita est, ut felicem partum ederet : tum beatum Franciscum *(Assisiatem)* cui addicta maxime, dum viveret, appellavit. Partui vicina *(et de vita una cum Prole, ut addit Ribadineira in Vita Hispanica, periclitans)* ejus cingulo ex divæ Claræ cœnobio oblato, feliciter enixa, et ex voto parens, FRANCISCI nomine partum honestavit. *Hæc de ejus nativitate Ribadineira et Schottus; nec plura Ceparius ab eodem Schotto ex sermone Italico Latine redditus : verum Nierembergius lib.* I *Vitæ* S. Francisci *cap.* 2, *cui* S. Francisci *pronepos cap.* 2, *itemque Alvarus Cienfuegos consonant, aliud præterea nativitatis ejus adjunctum memorat, quod nefas est præterire. Observat nimirum Nierembergius, quod pluribus exemplis firmari facile posset, haud raro accidisse, ut Deus, quod illustre quoddam mortalibus beneficium*

AUCTORE J. B.

beneficium conferre, aut orbi virum insignem suscitare visum illi fuit, prædictum id esse voluerit, ut in mortalium animis majus muneris sui desiderium excitaret; idque etiam prius accidisse, quam S. Franciscus *nasceretur, affirmat: ait enim, Isabellam seu Elizabetham Borgiam, cum Gandiensium Clarissarum cœnobium, invita Maria Henriquesia, esset ingressa, matri, Borgianam familiam, cum fratri ejus unico Joanni nondum ulli essent liberi, ejus in religionem secessu interitus periculo expositam, querenti respondisse, divino suggerente Numine, nasciturum fratri suo Gandiæ duci filium, nomine* Franciscum, *qui Borgiani generis propagator, decusque in terra et in cælo futurus esset; quod quidem Elizabetæ vaticinium mox S. Claræ cœnobii monumentis illatum fuisse, testis est Alvarus paulo ante laudatus.*

sanctitatem vero prædixit avia,

19 *Eodem spiritu, quo filia Elizabetha, illustrata mater Maria Henriquezia (neque enim e sensu mere humano aut temere id eas fecisse, spectata utriusque virtus, morum sanctitas, collatique eis divinitus favores credere sinunt)*
B Francisci *nepotis sui, vix dum biennio nati, quod Ribadineira lib.* 1, *cap.* 6 *scribit, sanctitatem et insignem apud Deum gratiam Joanni, duci Gandiensi III, prædixit. Haud minus ille matris suæ Henriqueziæ, quam illa filiæ Elizabethæ in monasterium Clarissarum Gandiensium ægre tulit ingressum: multis itaque matrem a proposito conatus abducere, id etiam addidit, in metu se esse, ne* Franciscum *filium sibi, familiæ, ditionique suæ mors immatura surriperet: at illa non esse respondit, cur id timeret; non defuturam prolem, quæ illi succederet: fore porro, ut, quanti* Franciscus *apud Deum meriti futurus esset, et quantopere ejus nomine divino Numini essent obstricti, ipse aliquando perspiceret: contigisse id vaticinium videtur anno* 1511 *aut sequenti. Cum enim Mariam Henriqueziam annos* 18 *aut paulo plus eo nata fuisse tradatur a Ribadineira et Joanne Carrillo, quando Joannem maritum, Romæ anno Pontificatus Alexandri VI quinto, Christi* 1497, *teste Burchardo, occisum amisit, nata videtur sub annum* 1479; *hinc vero si numeres annos* 33, *quot habuisse, cum Clarissarum Gandiensium cœtui sese*
C *adjunxit, dicitur, partim ad annum* 1511, *partim ad sequentem usque pervenies.*

Joannis III Gandiæ ducis liberorum natu maximus.

20 *Post* Franciscum *natu maximum ceterosque ejus fratres germanos, num.* 15 *recensitos, Joannes Gandiæ dux III ex Francisca de Castro et Pinos, uxore secunda, vicecomitis de Evol filia, plures liberos sustulit; Petrum Ludovicum, equitum Montesæ in regno Valentiæ magistrum, marchionem de Navarres et Catalauniæ proregem; Didacum, Philippum, Montesæ equitem, Isabellam Clarissarum Gandiensium abbatissam, Thomam archiepiscopum Cæsaraugustanum, Joannam a Cruce Clarissarum Matritensium abbatissam, cujus Vitam insignesque virtutes Joannes Carrillo descripsit, Margaretam Frederici de Portugal et Cerda uxorem, Eleonoram Michaeli de Gurrea, et Magdalenam Ferdinando de Proxita, comiti de Almenara, matrimonio junctas, Rodericum denique in S. R. E. Cardinalium cœtum a Paulo III relatum. Ita fere Alvarus Cienfuegos in Vita* S. Francisci *lib.* 1, *cap* 2, § 2. *Consonat fere Escolanus lib.* 6 *Historiæ Valentinæ; perperam tamen Eleonoram, Michaeli de Gurrea nuptam, cum Joanna a Cruce*
D *confundit, ac Clarissarum Matritensium abbatissam facit, ac propterea tres tantum Joannis III Gandiensium ducis commemorat filias, e secunda ejus uxore Francisca de Castro genitas. At vero aliam fuisse Eleenoram a Joanna a Cruce, Matritensium Clarissarum abbatissa, vel ex eo liquet, quod Eleenora miraculosam quamdam Christi crucifixi imaginem moriens Joannæ a Cruce testamento legarit, ut in Vita Joannæ Austriacæ, Clarissarum Matritensium fundatricis, cap.* 20 *Joannes Carrillo Ordinis S. Francisci scribit, qui, cum scriberet, sacris illis virginibus a confessionibus fuit.*

Pietate a teneris

21 *Nihil parentes ejus habuere antiquius, quam ut a primis unguiculis colere pietatem disceret, fecitque eorum cura et industria, ut nihil prius auribus perceperit, nihil ore etiamdum balbutiente eloculus fuerit, quam suavissima Jesu et Mariæ nomina. Cum esset annorum quatuor, consuetas, ut Nierembergius scribit, preces, annorum vero quinque, ut præter Nierembergium Ribadineira et Ceparius tradunt, doctrinam Christianam memoriter*
E *recitabat, et quidem indies, idque magistri sui, doctoris nempe Ferdinandi, pedibus advolutus. Tantillæ cum esset ætatis, mirum dictu est, quam esset in pietatem propensus, quo eum nomine biographi ejus uno omnes ore deprædicant. Solenne Borgianæ familiæ fuit, ut quisque Sanctum aliquem, forte sibi oblatum, quotannis (non singulis mensibus, ut Schottus Ceparii interpres pag.* 12 *scribit) in patronum eligeret ac singulari in honore haberet; qui mos inde in Societatem et in instituta ab eadem sodalitia non sine uberi Christianæ pietatis incremento, auctore* Francisco, *diffusus fuit; sic tamen, ut id frequentius, seu singulis mensibus fieret; quod ansam videtur præbuisse Schotto, ut id in Borgiana familia singulis etiam mensibus factitatum diceret. S. Jacobum Apostolum (Majorem, et per Hispaniam maxime celebrem, ut Ceparius scribit) quod hic illi anno ætatis suæ quinto patronus obtigerat, maxime coluit, et pari de causa, quod addit Alvarus Cienfuegos, S. Bartholomæum Apostolum.*

litterisque innutritus

22 *Horum exemplo, ut aiunt Ribadineira et Cienfuegos, sese lectulo, ut preces Deo genu-*
F *flexus funderet, frequenter proripiebat: præterea totus erat in colligendis Sanctorum imaginibus adornandisque altaribus; sacerdoti, rem divinam facienti, ministrabat sæpius, sacrosque ritus non modo imitabatur ipse, sed etiam ephebos suos edocebat.* Mores *illi, inquit Schottus,* candidi, suaves, sine fastu, neque, ut in hac ætate plerumque, difficiles, *denique tales, ut clericum magis, quam filium ducis, exprimerent. Paria de illo Nierembergius, sed paulo fusius narrat. Hæc* Francisci *fuere primordia: explicant dein ejus biographi, quid ab anno ætatis suæ septimo ad decimum usque gesserit, suntque hæc fere: septennem pater Latinæ linguæ præceptis voluit imbui, electo ad id muneris theologo insigni, cui Ferdinando nomen fuit; addidit et præfectum morum, qui Puerum, quæ generosum equitem deceret, edoceret; tertium item eodem tempore qui ei musicam et arithmeticam explanaret, ac præterea a sacris confessionibus esset, Alfonsum nempe Avilam, Gandiensem canonicum, magni nominis et meriti virum. Feliciter res singulis cessit, cum suo singuli probe fun-*

A *fungerentur officio;* Franciscus *vero nactus esset ingenium facile et docile, et a jocis ludisque puerilibus, quibus tempus frustra fere consumitur, alienum.*

mentis minime puerilis specimina præbet:

23 *Sub annum ætatis suæ* 10 *sic auscultare oratoribus sacris cœpit, ut, si quando illorum quempiam, qui illi arrideret, audivisset, ejus non modo dicta reciperet animo, sed memoriter etiam magnam eorum partem ea gestus orationisque venustate redderet, quæ in admirationem raperet spectantium animos. Referunt hoc loci Nierembergius et Cienfuegos,* Franciscum *id temporis, Mariæ Henriqueziæ aviæ suæ, ac amitæ Isabellæ precibus victum, in S. Claræ ædibus pulpitum ascendisse, ac ea vi spirituque de Christo patiente dixisse, ut sanctimoniales comitesque suos provocarit ad lacrymas, faterique, non se puerum, sed mentem puerili longe sublimiorem ascendisse, compulerit. Jam tum quoque quotidianis precibus operam dare ac mirum in modo affici cœpit. Aliud item mentis pietatisque plus quam puerilis insigne specimen præbuit. Laborabat su-*

B *premo morbo ejus mater, cujus cum dolores atque discrimen animadvertisset, in conclave se abdidit multisque lacrymis pro salute ejus preces Deo fudit, et in teneros artus non modico temporis spatio crebris flagellorum ictibus sæviit, ac exinde austerioris vitæ principium duxit. Matris mortem (accidit ea anno* 1520) *constanti animo tulit, luxitque et monitorum, quæ e pia matre audiverat, vixit perpetuo memor.*

Gandia ob seditionem

24 *Calamitatem hanc mox excepit altera. Solverat ex Hispania Carolus anno* 1519, *ut imperii coronam capesseret; absente principe, orta plebis adversus optimates seditio est, quæ sensim eo processit, ut parum abfuerit, quin Borgianæ familiæ ingentem cladem perniciemque attulerit: cum enim anno* 1521 *non procul Gandia optimatum exercitus quorumdam proditione dissipatus fuisset, tum ipsum oppidum, tum Borgianas ædes misere plebs confæderata diripuit, satisque habuit Joannes Gandiæ dux, ex infelici prælio redux, si suos imminenti periculo posset eripere.* Jam enim, *inquit cum Ribadineira Schotus num.* 4, Palmam inter et Gandiam parentibus campis cum

C prorege (*Didaco de Mendoza*) omnique adeo nobilitate (*plebei*) manus conserere ausi, superiores evaserant. Turbati fugatique nobiles terga verterant. Gandia prædæ cessit, direptaque confestim: uti vix matrem Joannes dux, sororem et filias, virgines Deo ac divæ Claræ consecratas emittere posset. *Notæ sunt ex supra dictis Joannis, Gandiæ ducis tertii, mater et soror, Maria Henriquezia, hujusque filia Isabella, Clarissæ Gaudienses: notæ sunt pariter binæ ejus filiæ Isabella et Joanna, quæ quidem virgines Deo dicatæ fuerunt, sed non anno* 1551; *cum utraque ex Francisca de Castro et Pinos, secunda Joannis uxore, nata fuerit: prior autem ejus uxor ad annum* 1520 *vitam protraxerit: imo Joannam octavum ætatis annum dumtaxat egisse, cum ejus pater obiit, scribit Joannes Carillo pag.* 136: *Joannis autem ducis obitum ad annum* 1543 *Ribadineira et Schottus referunt. Cautius itaque Nierembergius lib.* 1, *cap.* 5 *matrem ac sororem Joannis ducis prudentia vitæ periculo ereptas scribit, nulla filiarum ejus mentione injecta, quod et* S. Francisci *pronepos in hujus Vita cap.* 3

fecit; quamquam et Ludovica filia tum quoque fuerit vitæ subtracta periculo, ut infra num. 29 *dicetur.* AUCTORE J. B.

25 Franciscus *autem in ea rerum perturbatione, ut ex Ribadineira scribit Schottus,* fuga salutem, admisso equo, invenit. *Idem Nierembergius tradit, sed paulo enucleatius:* Morum præfectus, *inquit,* Franciscum nostrum, tunica dumtaxat interiore indutum, eaque ob mortem matris funebri, equo sublatum imposuit, et ægre hostium furori eripuit. *Fugam porro iniit versus mare; huc ubi ventum, naviculæ impositus Dianium (portus est quarto fere lapide Gandia distans) delatus est, quo post prælium, die* XXV *Julii, teste Escolano lib.* 10 *Historiæ Valentinæ cap.* 16, *commissum, prorex, Joannes Gandiæ dux, ceteri-* *fugere cogitur*

que optimates sese receperant: sed cum prorogi tutum non videretur in loco necessariis belli apparatibus destituto morari diutius, Carthaginem, Murciæ civitatem ad oram maris Mediterranei sitam, navi petere statuit: at cum postridie destinato cursui ventus obstaret, Peninsulam (mons est in finibus regni Valentini E *Catalauniam versus, mari undique cinctus, unde et Peninsulæ nomen invenit, arce valida insignis, ac tutam navibus stationem præbens) navigarunt portumque tenuere, ut idem Escolanus tradit, die* XXIX *Julii.*

26 *Inde* Franciscus *Cæsaraugustam, Aragoniæ civitatem primariam, missus est: sedem illam metropolitanam ea tempestate occupabat Joannes Aragonius* Francisci *avunculus et Ferdinandi V, regis Catholici per Alphonsum, ejusdem sedis archiepiscopum, nepos, cujus fidei curisque Filium Joannes dux commissum voluit.* Hinc *(Peninsula, inquit Scholtus)* Cæsaraugustam eum parens deduxit: ipse tranquillatis rebus, cæsis ad internecionem, fugatisque a Segobrigensium regulo rebellibus domum tandem revertit. Franciscus in avunculi Joannis Aragonii archiepiscopi Cæsaraugustani contubernio hæsit. Francisci *quidem apud avunculum contubernium Ribadineira affirmat in ejus Vita Hispanica; at Gandiam rediisse Joannem, cæsis fugatisque per Alphonsum Segobrigensium ducem rebellibus, de suo addidit Schottus, vereorque, ut satis accurate: nam et Joannem armata* F *manu Gandiam rediisse, scribit Alvarus Cienfuegos lib.* 1, *cap.* 5, § 2 *anno* 1523, *et Escolanus lib.* 10, *cap.* 14 *Historiæ Valentinæ, fugatos cæsosque a Segobrigensium duce conjuratos ait inter Murviedrum (regni Valentini oppidum ad amnem Duriam) et Almenaram anno* 1521 *die* XVII *Julii, ut adeo pugna hæc Gandiensem non fuerit subsecuta, sed prægressa.* *Cæsaraugustam,*

27 *Cæsaraugustæ* Franciscus, *quibus Gandiæ animum imbuere cœperat studiis, avunculi auspiciis sedulo perrexit imbuere; neque minorem in virtutis calle profectum faciens ad altiora animum cœpit intendere. Florebat ea ætate Cæsaraugustæ celeber divini Verbi præco ex Hieronymiana familia, in S. Encratidis virginis martyris monasterio, quod illic Joannis II Aragoniæ regis, ejusque filii Ferdinandi Catholici pietas excitavit, traditumque Hieronymianis fuit anno* 1493, *ejusdem Martyris festa luce, seu die Aprilis decimo sexto, uti Josephus de Siguença part.* 3 *Historiæ ejusdem Ordinis cap.* 12 *scribit. Aderat egregio* *ubi duodenis vitæ religioæ desiderium concipit,*

AUCTORE J. B.

concionatori Franciscus, *cum is verni temporis jejunio de supremo Dei judicio ac Christo patiente verba ad populum faceret : adeo autem sacri oratoris facundia* Francisci *animum pupugit, ut is partim salutari metu perculsus, partim amore in Christum pro singulis universisque mortalibus supplicia perpessum, vehementi accensus, jam tum religioso cuidam Ordini, in quo se totum Deo impenderet, sese, ubi liceret, addicere, serio apud animum statuerit, ac gerere sese in omnibus cautius cœperit. Doleo viri illius nomem nusquam a me repertum, quo* Franciscus *a sacris confessionibus usus est, et quo duce, puer adhuc duodennis, pietatis Christianæ operibus mire delectari, sacrosanctæ Missæ sacrificio interesse quotidie, solemnioribus quibusque Domini festis peccata confessione eluere, et ad sacrum Corporis Christi epulum frequenter accedere, teste Nierembergio lib.* 1, *cap.* 5 *et seq., cœpit.*

unde post Baëzam

28 Cæsaraugusta Baëzam, ut incolæ Granatensi in regno, *seu Andulusia Superiore*, sitB tum oppidum appellant, officii gratia in viam se dedit, invitatus a lectissima fœmina Maria Luna, proavia, uxore Henrici Henriquez, qui Ferdinandi regis Catholici patruus et prætorio præfectus, magnus item Legionensis militiæ magister erat, *inquit Schottus : cum* Baëzam *nominat, vide, ne Baëzam intelligas, in ea Bæticæ parte, quæ Andalusia hodie vocatur, sitam, sed regni Granatensis oppidum,* Baza *Hispanis dictum. Mariam porro de Luna* S. Francisci *proaviam vocat, quod Mariæ Henriquez Francisci aviæ mater fuerit : perperam autem Henricum Henriquez Ferdinandi regis Catholici patruum hoc loci dixit : fuit enim hic Joannæ Henriquez reginæ Aragoniæ et Ferdinandi regis Catholici matris frater, atque adeo non Ferdinandi patruus, sed avunculus ; uti Schottus ipse rectius scripsit, cum Virgilii Ceparii de* S. Francisco *elucubrationem Latino sermone donavit. In alterum mox errorem una cum Ribadineira prolabitur Schottus, verbis mox transcriptis hæc proxime subdens :* Huc etiam avia Maria Henriquez, illius *(Henrici Henriquez)* filia, cum amita *(Isabella)* sororibusque civili illa secessione, pedestri itinere fuga lapsæ pervenerant. *Sororum* C *enim* S. Francisci *nomine hoc loci procul dubio veniunt Isabella et Joanna a Cruce discalceatæ S. Claræ apud Gandienses cœnobii moniales, quas hoc tempore aut nondum natas, aut certe nondum moniales fuisse, vel ex obitu Joannæ Aragoniæ, qui in annum* 1520 *incidit, colligi potest ; illæ autem e Francisca de Castro, secunda Joannis tertii Gandiensium ducis uxore, ut dictum est supra, sint natæ.*

una cum sorore Ludovica tendit,

29 Francisco *Cæsaraugusta Baëzam tendenti itineris socia fuit Ludovica soror ejus, ex iisdem patre matreque germana : hæc illa est, quam num.* 15 *Martino Gurreæ, Villæ-Hermosæ duci, nuptam dixi, quamque fœderatæ plebis furori una cum* Francisco *subductam ex Peninsula (Hispanis Paniscola) Cæsaraugustam pater Joannes deduci curavit. Baëzam quoque sese receperant, cum capta a fœderatis Gandia fuit, Maria Henriquez et Isabella, Clarissæ Gandienses, altera Mariæ de Luna filia, altera vero neptis. Non mediocri quidem* Francisco *hujusmodi societas voluptati, sed non diuturnæ fuit : nam febris ardens eum invasit paulo post, lectoque sex menses affixit. Vix ex eo morbo convaluerat, quin orto* D *ingenti per regnum Granatense terræ motu, Baeza egredi ac per dies quadraginta sub dio pernoctare compulsus fuerit. Hunc terræ motum refert Alvarus Cienfuegos ad annum* 1523, *ad annum autem* 1522 *Prudentius Sandovalius lib.* XI *de Gestis Caroli V* § 3. *Ludoricam Baëza ad Fanum S. Lucæ (Hispanis* San Lucar*) evocavit Anna Aragonia matertera, Joannis Alphonsi de Gusman, Medinæ Sidoniæ ducis uxor : Medina Sidonia Andalusiæ Inferioris oppidum est haud procul Gadibus. Fanum autem S. Lucæ* (S. Luciferi *nonnulli vocant*) *Andalusiæ portus est, cognomento* de Barrameda, *et avitum Guzmannorum dominium. Quæ de Ludovica hic dicta sunt, ex Alvaro Cienfuegos deprompsi ; ceterum addit, eam fratris sui* Francisci *imitatricem fuisse perpetuam, iis claruisse virtutibus, gratiis ac prodigiis, ut de ea in Beatorum numerum referenda Romæ sit actum, corpus ejus integrum ac fragrans post annos centum quinquaginta perdurasse, dignam denique fuisse, cujus pietatem SS. Ignatius et Thomas a* E *Villa-nova litteris suis prædicarent.*

et dein Tordesillam; unde Cæsaraugustam revocatus operam dat philosophis.

30 Franciscus *vero, confirmata valetudine, Tordessillam, Legionensis regni oppidum, leucis sex Vallisoleto dissitum, missus est : morabatur illic Joanna, Caroli V mater, una cum filia Catharina, in cujus obsequio* Franciscus *biennio circiter fuit, dum in Lusitaniam Catharina, Joanni III regi nuptura, concessit anno* 1525. *Noluit* Francisci *pater, ut in regnum exterum Catharinam sequeretur. Obtenta itaque abeundi licentia, Cæsaraugustam ad avunculum, Joannem Aragonium, rediit, sublimioribus jam disciplinis imbuendus : commissum id muneris Gaspari Laxio, magni nominis philosopho, subtili tamen magis, quam diserto, non tam suo, ut Schottus addit, quam ævi illius vitio. Patria Aragonius fuit ex oppido Sarinene, Parisiisque in collegio Montisacuti logicorum sui temporis princeps habitus : reversus ad suos Cæsaraugustæ scholam aperuit, variasque partim Parisiis, partim Cæsaraugustæ de rebus philosophicis ac mathematicis lucubrationes edidit, teste Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana. Gasparis itaque disciplinæ traditus, liberalibus artibus incumbere perinde cœpit, quasi lau-* F *ream academicam consequi constitutum haberet. Ita fere ex Ribadineira Schottus ; plusculum addit Nierembergius : visum nempe ejus avunculo, nobiles aliquot condiscipulos* Francisco *adjungere, qui iisdem simul artibus operam darent, et mutuo sibi laudis cupiditatem accenderent : curasse vero* Franciscum *sedulo, ne cuiquam illorum cederet, eumque diligentiæ suæ fructum tulisse, ut, quamquam annorum esset, cum philosophiæ studia primum aggressus est, tantummodo quindecim, biennio illius curriculum fuerit pro votis emensus.*

A

§ III. Missus ad aulam Caroli V Christiani principis officiis egregie fungitur: matrimonium contrahit: nati ex eo liberi.

Ad aulam

Id jam erat ætatis, ut animi ejus puritas quam maxime in periculo esset: ea quippe ætate sanguinea corporis complexio, carnis illecebræ, pravorum consilia, opum affluentia aliaque hujusmodi adolescentium animos pulsare ac concutere vehementer solent: quod cum facile Franciscus *perspiceret, mox ille, quam severum supremi Judicis futurum sit judicium meditari frequentius, Christum pro salute humana passum amare ardentius, fi-*
B *xum ratumque habere, nihil umquam se, quo a Dei gratia sejungeretur, admissurum: adhæc sæpe ad sacrum confessionis tribunal accedere, omnem animi luctam candide accurateque sacerdoti exponere, datisque abs illo parere consiliis. Monuit ille, ut precibus, humilitati, frequenti Sacramentorum usui, ac libris piis impense vacaret, diffideret sibi, opem vero divinam sibi præsto fore confideret: quo factum creditur, ut animi corporisque puritatem, donec matrimonium iniit, illæsam illibatamque servarit. Hujusmodi vitæ ratio timorem injecit avunculo, teste Nierembergio, ne forte aliquando* Franciscum *vitæ religiosæ, relictis seculi pompis, capessendæ desiderium caperet: cui rei ut obviam mature iret, in Caroli V aulam mittendum censuit, ubi juvenis animum alio facile distractum iri, sperabat. Idem quoque patri visum: revocato itaque Gandiam* Francisco *pater nobilium puerorum famulorumque familiam, cum natalibus suis, tum cæsaris aula, ea tempestate splendidissima, dignam adjunxit, cæteroque apparatui, quem ad aulam cæsaris profecturo intelligebat usui fore, abunde providit. Si Ribadineiram et Schottum audias,*
C *sua sponte magis, bona tamen patris venia, eo profectus est, quam consilio avunculi aut imperio patris: sed idem fuisse potuit avunculo patrique consilium, idem* Francisco *id quidem temporis votum.*

Caroli V missus

32 Undevicesimum ætatis annum agebat, *inquit num.* 8 *Ribadineiræ interpres Schottus,* cum Cæsaraugusta domum visendi patris gratia revertit: humaniter ibi menses aliquot habitus, missionem deinde postulare cœpit; liceret pace illius, cui semper dicto audiens fuisset, in aulam cæsaris migrare, ut in tanti se principis clientelam daret, cui Christianum orbem multum esse debiturum augurabatur. *Sed Schottus sibi haud constat: cum enim Vallisoleti aulam cæsaris addiisse dicat, anno* 1527 *seu anno ætatis* Francisci *decimo septimo id contigisse, necesse est: illuc enim eo anno cæsar cum aula sua moratus est, auctusque Philippo filio die* XXI *Maii, quo recens nato* Franciscum *ad aulam cæsaris, magnatum tum Hispanorum, tum exterorum id temporis refertissimam se contulisse anno ætatis suæ decimo septimo, tradit Nierembergius lib.* I, *cap.* 7. *Præterea cum in itinere esset* Franciscus, *Compluti (Castellæ oppidum modo est, celebri academia insigne,* Alcala de Henarez *Hispanis dictum) obvium habuit sibi S. Ignatium, cum is a lictoribus raperetur in carcerem sub initium mensis Maii anni* 1527, *ut Alvarus scribit: Ignatii in carcerem detrusi causa Kalendis Junii anni* 1527 *finita fuit, ut tradit Pinius tom.* 7 *Julii pag.* 435, *num.* 135 *ex Informationum super Sancto ac Sociis institutarum apographo; post dies nimirum captivitatis quadraginta duos, teste Ribadineira in Vita S. Ignatii tom. cit. pag.* 672, *quod Alvari Cienfuegos dictis satis quadrat. Alvaro consonat Bartolus in Vita S. Ignatii lib.* I, *num.* 33 *ita scribens:* Obvium ferunt, dum inter lictores ignominiose in carcerem ducitur *(Ignatius)* habuisse Franciscum Borgiam, ducis Gandiæ filium annorum septemdecim juvenem. *Ait quidem Ribadineira,* Franciscum *Caroli sese addixisse obsequiis, cum annum ageret ætatis decimum octavum aut decimum nonum; at eo, quem adhibet, loquendi modo, sese rei gestæ tempus non omnino definite explicare, abunde prodit.*

AUCTORE J. B.

E

egregium se tum Christi, tum seculi principum asseclam præbuit.

33 *Jam, qualem se in aula præbuerit, audiamus.* Hic igitur, *inquit Schottus Ribadineiræ sensa explicans,* Deo bene juvante, ita se comparavit, ut paullo post falsam eorum refellerit opinionem, qui dicerent, aulicum simul Christi et principum asseclam esse vix posse. *Intererat enim, ut minutius tam Ribadineira, quam Schottus tradunt, divinæ Missæ sacrificio, statumque orandi tempus explebat quotidie: frequens sacris orationibus aderat, animi noxas festis solemnioribus Pœnitentiæ sacramento eluebat: virorum gravium amicitiam sectabatur: familiarem inter ceteros habuit, ut addit Alvarus, Garcilassum, poëtam Hispanum ea tempestate in primis celebrem. Aliorum reverens, urbanus, placidus, verique quam maxime diligens. Tantum aberat, ut aliorum meritis honoribusque invideret, ut etiam applauderet, ratus, tantumdem sibi, si par meritis foret, eventurum. Feminas nobiles non invisebat, nisi exigeret urbanitatis officium: tum vero honestatis modestiæque curam habuit maximam; visus aliquando fuit, prius cilicio carnem induere,*
F *quam nobiles feminas salutatum adiret, sedulo cavens, ne qua hinc sibi divini Numinis offendendi præberetur occasio. Mirum itaque haud fuit, si (quod e nobili matrona Augustæ famulitio adscripta audivisse se Ribadineira testatur) nihil umquam in eo animadversum fuit, quod animi levitatem oleret. Abesse procul a suis voluit otium, aleæ ludos, detractiones, juramenta, verba turpia, et quidquid eam, quam suis ipse moribus exprimebat, gravitatem dedeceret. Licitis tamen honestisque principum virorum exercitationibus operam dabat, si quis alius; adeo ut ludorum equestrium aliquando palma, teste Nierembergio, altera cæsari,* Francisco *altera cesserit. Duplici equitandi genere certatum fuit, altero laxatis porrectisque cruribus, altero autem contractis more Africano; primum* de la brida, *alterum* de la gineta *Hispani vocant: illo* Franciscus, *hoc cæsar vicit.*

Annis natus 19 matrimonium iniit

34 *His moribus cum esset, facile sibi cæsaris ac Elizabethæ augustæ amorem ac benevolentiam conciliavit: habebat illa in comitatu suo puellam nobilem, jam tum cum in aula paterna Emanuëlis Lusitaniæ regis adhuc versaretur, ob antiquam generis nobilitatem, candidos*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

didos mores, virtutemque sibi familiarem perinde ac caram, Eleonoram de Castro, Alvari de Castro et Elizabethæ Menesiæ filiam; cui dum commodam splendidamque conditionem quærit augusta, e re ejus fore statuit, si ex omni procerum Hispanorum numero Francisco, *natu majori Gandiæ ducis filio, nuberet. Rem cæsari aperit, cui conditio placet. Mittit itaque cæsar ad Joannem Gandiæ ducem cum litteris Franciscum de los Cobos, qui ejus in Filii cum Eleonora nuptias consensum auferat. Confestim quidem Joannes abnuere : sed acceptis dein alteris a cæsare litteris, rescripsit, Filii matrimonium consistere penes cæsarem. Pactis itaque matrimonii conditionibus* Franciscus, *ut in minore esset divinæ offensæ periculo, non invitus accessit. Gesta sunt hæc, ut ejus biographi scribunt, cum Carolus coronæ imperatoriæ a Clemente VII suscipiendæ causa in Italiam cogitabat, atque adeo anno Christi* 1529, Francisci 19. *Paulo post magno apparatu, ut scribit Alvarus lib.* 1, *cap.*10, *coram augustis celebratæ sunt nuptiæ:*

B *cæsar ut, quanti* Franciscum *faceret, palam ostenderet, Lombayæ, in territorio Gandiensi sitæ, marchionem dixit, qua de re anno sequenti die* VII *Julii in comitiis, Augustæ Vindelicorum habitis, publicas edidit litteras, quod et Escolanus lib.* 18 *Historiæ Valentinæ col.* 943 *tradit. Venatorum præterea regiorum præfectum esse jussit; augusta vero præfectum stabuli; quod quidem munus tum temporis nummorum aureorum* (ducatos *vocant) annuatim ipsi reddebat millia quindecim. Eleonoram autem cubiculi præfectura decoravit augusta.*

cum Eleonora de Castro, nobili et antiquo genere orta,

35 *Miratur Alvarus Cienfuegos, Ribadineiram, Ceparium, ceterosque, qui* S. Francisci *res gestas scriptis suis sunt persecuti, nihil speciatim protulisse in medium de Eleonoræ genere antiquo et nobili : quam igitur desideravit in aliis, majorum ejus seriem, Ludovico de Salazar et Castro Philippi II Hispaniarum regis chronographo, duce, ipse conteæns, natam ait patre Alvaro de Castro; matre vero Elizabetha de Melo et Barreto. Tum avos Eleonoræ paternos recenset undecim, quorum postremus Ferdinandus Ruiz de Cas-*

C *tro sub seculi* XI *exitum floruit. Qui in ea serie locum septimum occupat, Stephanus Fernandez de Castro uxorem habuit Aldonçam, Alphonsi Legionensis regis hujus nominis IX et patris S. Ferdinandi neptem : qui sextum Ferdinandus Ruiz, Violantem Sanctii IV Castellæ regis filiam; qui quintum Petrus Fernandez de Castro binas filias, Joannam et Agnetem, illam Petro Castellæ regi, et Agnetem Petro Lusitaniæ postea regi hujus nominis I nuptas. Quod autem ad avos Eleonoræ maternos spectat, mater ejus, similiter Eleonora nuncupata, Nunii Baretto et Eleonoræ de Melo filia fuit. Nunius porro Gundisalvum Nunium Baretto habuit patrem, Phari (Algarviæ in sinu Gaditano portus) præfectum, quo etiam munere functus est Nunius. Familia autem de Melo ortum ducit a nobili viro* (Ricohombre *Hispani vocant) Men Suarez, qui sec.* XIII *sub Alfonso III Lusitaniæ rege floruit : est autem Melo oppidum in Transmontana Lusitaniæ provincia* (la Beira *dicta) quod a Suarezii præfati patre condi cœptum, ac dein ab ejusdem Suarezii pronepote auctum, ac denique oppidi titulo in Ruizii de Melo, rei maritimæ præfecti, gratiam Alphonsum V Lusitaniæ regem cohonestasse, scribit Rode-* D *ricus Mendez Silva Commentariorum de urbibus ac oppidis Hispaniæ pag.* 192.

et ob probitatem augustæ æque cara ac ille cæsari;

36 *Eleonoram Nierembergius ait, una cum Elizabetha augusta in aula paterna Emmanuëlis Lusitaniæ regis educatam, ac cum ea inde in Hispaniam venisse, anno nimirum* 1526 : *hinc porro, uti et ex raris, quibus erat ornata virtutibus, eam ortam esse inter ipsas amicitiam familiaritatemque, ut sorores pæne dixisses. Eodem teste, pia, humilis ac prudens, de peccatis frequenter confitebatur, ac ad Eucharisticas epulas Mariti exemplo accedebat, precibus sic plerumque intenta, ut eas vel in morbis gravibus vix intermitteret; rerum interim ita suarum satagens, ut familiæ universam ei fere administrationem* Franciscus *gubernationemque committeret. Qua valebat apud augustos auctoritate et gratia, non tam in suum uterque Conjux, quam aliorum usus est commodum, id, quod vel eorum æmuli, uti ex Dionysio Vasquez Alvarus Cienfuegos refert lib.* 1, *cap.* 10, § 3, *fatebantur. Emicuit tum maxime conjugalis* Francisci *casti-* E *tas : cum enim ei in gynecæum regium pateret aditus, ita illic caute ac modeste versabatur, ut ne suspicandi quidem locum dederit, propensiore se in ullam animo fuisse, etiam cum id salva honestate liceret : ita testata est, inquit Alvarus lib.* 2, *cap.* 1, § 1, *Joanna Lusitana, quæ tum in comitatu erat augustæ, post vero Medinæ-Cæli duci juncta matrimonio fuit. Fecit spectata adeo* Francisci *probitas, ut maximam in eo fiduciam cæsar collocatam haberet : patuit ea alias sæpe, maxime autem cum in Italiam profecturus, palatium et quidquid sibi carissimum erat,* Francisci *curæ fideique commisit, quo luculentius haud poterat virtuti ejus testimonium dicere : cæsaris quidem in* Franciscum *fiduciam, ut Dionysio Vasquez retulit Joanna Menesia, Eleonoræ soror, quæ tum pariter augustæ aderat, mirabantur proceres; sed ejus meritis debitam affirmabant.*

ex qua suscepit sequenti ordine, Carolum Gandiæ ducem V,

37 *Fœcundum* Francisci *cum Eleonora conjugium fuit : filiorum natu maximo, absente in Italia cæsare, anno* 1530 *in lucem felici partu edito, Carolo nomen fuit : susceptus e sacro fonte fuit augustorum et Philippi, eo-* F *rum filii, triennio paulo tum majoris, nomine. Patri successit, summa prudentia vir, cujus rebus in arduis opera usus est Philippus II Hispaniarum rex. Genuam anno* 1575 *abs illo missus tumultuantem republicam sedavit, novisque legibus munivit, una cum Pontificis Gregorii XIII et cæsaris Maximiliani II legatis; de quibus in istarum legum Proœmio ita scribit Petrus Bizarus :* Hi fuere Joannes episcopus Ostiensis Cardinalis Moronus, sacri collegii Cardinalium Prior, legatus e latere etc. Petrus Faunus Costachiarius, Acquensis episcopus, ac imperii princeps, oratorque et commissarius cæsarius. Don Carolus a Borgia Gandiæ dux, ex primariis Hispaniarum proceribus, et Don Joannes de Idiaquez, Catholici regis consiliaribus et apud eosdem Genuenses orator. Expositis autem principum suorum mandatis, et obtentis a republica, pro ea reformanda, amplissimis facultatibus, nihil habuerunt antiquius quam Rempublicam male compositam, ac proinde fluctuantem, sanctissimis legibus, et decretis instituere ac stabilire : Ligurumque ingenia nimia felicitate lascivientia, et inter se dissi-

dentia

AUCTORE J. B.

A dentia componere. Id, quod Deo optimo maximo bonorum omnium auspice, et auctore, fuerunt consecuti. *Posteaquam autem Philippo Lusitania cessit (cessit anno* 1580*)* idem militiæ imperator, *inquit Schottus,* summa auctoritate provinciam rexit. *Lusitaniæ proregem fuisse Escolanus lib.* 6, *cap.* 23 *quoque est auctor. Conestaggius lib.* 9 *de Portugalliæ et Castellæ Conjunctione in Ferdinandi Alvares ducis Albani sub anni* 1582 *principium defuncti locum fuisse suffectum Carolum scribit,* hominem, *ut ipse censet,* majori bonitate, quam rerum usu præditum. *Non diu hunc locum tenuit; siquidem anno* 1583 *Philippus rex, ut Vasconcellius Anacephalæosi* 22 *Actorum regum Lusitaniæ ait, ejus provinciæ Alberto Austriaco gubernacula tradidit. Gandiam se recepit Carolus, teste Alvaro Cienfuegos, ob podagræ calculique incommoda.*

Isabellam Lermæ comitem et Joannem

38 Hujus natalem, *inquit Schottus,* anno vertente Isabella excepit Lermæ comes : *locus natalis illi fuit, ut addit Alvarus, Methymna*
B *Campi, in Castellæ Veteris Legionensisque regni confiniis situm oppidum, in quo tum, anno nimirum* 1532, *versabatur augusta, quæ prolem recens natam e sacro fonte denuo suscipere ac suo nomine Isabellam dici voluit : nupsit Francisco Sandovallo, Ludovici Sandovalli, marchionis Dianii et Lermæ comitis filio, qui patri, teste Escolano lib.* 6, *cap.* 17, *num.* 6, *anno* 1570 *successit. Hinc Isabella* Lermæ comes *dicta est : hujus filius, nomine item Franciscus, quem marchionem Dianii mox Schottus appellat, Lermæ ducis titulum gessit. Duarum præterea comitum et Joannis Sandovalli, ut pergit Schottus, mater fuit; nempe Catharinæ et Eleonoræ, quarum prior Ferdinando Ruiz de Castro, comiti Lemosii et Sarriæ marchioni, posterior vero Lupo Osorio de Moscoso, comiti Altamirano nupta fuit. Joannes denique Sandovallus marchio de Villamiçar fuit, eques Calatravæ, et Philippo III Hispaniarum regi a cubiculis. Proles tertia* Francisco *fuit Joannes, Majaldæ et Ficalli comes, natus anno* 1533 *Belphouchii (Gothalaniæ seu Catalauniæ vicus est sex circiter milliaribus Hispanicis Ilerda distans, et*
C *a fluvio Cervara non multum remotus) cum Carolum V Montione, Aragoniæ in Gothalaniæ confiniis oppido, comitia celebrantem parentes secuti sunt. Patri hic acceptissimus fuit, quem Gandia Romam, ut Societati Jesu se dederet, euntem comitatus est.*

præclaris muneribus functum,

39 *Variis quoque et ipse muneribus functus est. Garibai lib.* 30, *cap.* 15 *ad annum* 1558, *cum quinque et viginti esset annorum, e præcipuis in provincia Guipuscoa militiæ ducibus jam tum fuisse scribit. Philippi II in Lusitaniam ad regem Sebastianum legatus fuit; eodem præterea munere apud Maximilianum cæsarem hujus nominis II functus est, ut scribunt Ribadineira, Nierembergius et Alvarus Cienfuegos. Præfectum curiæ agebat apud Mariam, Philippi sororem et Maximiliani II conjugem, in Hispania a morte mariti reversam, cum* Francisci *Vitam Ribadineira scriberet. Eumdem pariter Philippi II Hispaniarum regis apud Rodulphum cæsarem oratorem fuisse, scribit Famianus Strada de Bello Belgico, decade* 2 *ad annum* 1579. *Idem denique Margaretæ Austriacæ Philippi III Hispaniarum regis uxori aulæ præfectus seu œconomus fuit; Philippo autem a consiliis status. Binas iniit nuptias, teste Escolano lib.* 6, 28, *alteras cum Laurentia de Onas et Loyola, S. Ignatii ex fratre Martino pronepti, anno nimirum* 1551, *ut tradit Henao lib.* 3, *cap.* 35, *num.* 5 *de Antiquitatibus Cantabriæ: alteras vero cum Francisca de Aragonia et Barreto, Nunii Rodrigues Barreto, Majaldæ domini, filia hinc Majaldæ dictus est comes: Ficalli vero comitis titulum a Philippo II accepit, ut ex Salazar de Mendoza notat Henao paulo ante laudatus. Ex postremo hoc Joannis conjugio natus est Franciscus de Borgia, Majaldæ comes et Squillacii in regno Neapolitano princeps, ducta in matrimonium Petri Squillacii principis filia et herede, Philippo IV a cubiculis,* olimque prorex Peruanus, *verba sunt Nicolai Antonii in Bibliotheca Hispana tom.* 1, *pag.* 314, suavis, urbanus, facilisque in paucis poëta, ut a Lyricorum principatu non longe constiterit. *Sed neque a litteris politioribus pater ejus Joannes alienus fuit; uti testatur confectum abs illo de Symbolis politicis opus, Philippo II dedicatum, de quo Nicolaus Antonius tom.* 1 *Bibl. Hisp. pag.* 303.

Alvarum, Joannam, Ferdinandum, Dorotheam et Alphonsum.

40 *Post Joannem natus est Alvarus de Borgia in urbe Toletana Castellæ Novæ metropoli. Habitus fuit, teste Alvaro Cienfeugos, inter ævi sui prudentissimos, et Philippi II in rebus arduis ad Pontificem Romanum legatus. Alvarum Joanna de Aragonia et Borgia excepit, nata Matriti, nupta vero Joanni marchioni de Alcanizes, cujusmodi locum in Tabulis Bleavianis reperio in archiepiscopatus Cæsaraugustani, qua Valentiæ regnum respicit, finibus ad fluvium Guadalope. Alvarus porro sororis suæ Joannæ, et marchionis Alcanitii filiam et heredem, indulgente Pontifice, in uxorem accepit, et ex illius dote marchionis de Alcanizes obtinuit titulum: hanc Elviram Henriquez de Almanza, vocat Imhovius. Sustulit ex illa Alvarus præter alios liberos filiam, nuptam Joanni de Vega, primo comiti de Graial in regno Legionensi tribus leucis a Carrione comitum, quo eum titulo Philippus III Hispaniarum rex ob ingentia*
F *merita decoravit. Sexto loco natus est in aula Matritensi Ferdinandus de Borgia, Mariæ imperatricis post Joannem fratrem aulæ præfectus maximus. Septima fuit Dorothea, Vallisoleti nata, quæ, cum a teneris in Franciscanarum discalceatarum Gandiensi monasterio sese Deo dicasset, ad cœlestem Sponsum brevi fuit evocata. Liberorum octavus ac postremus Alphonsus, Toleti natus, apud Mariam augustam, Philippi II sororem, eodem, quo fratres ejus Joannes et Ferdinandus, functus est munere: uxor ejus fuit Eleonora de Logrogno, nobilis Lusitana, sed sine liberis, Escolano teste, obierunt.*

§ IV.

AUCTORE J. B.

§ IV. S. Francisci in aula occupationes: febri laborat: cæsarem in Africam trajecturum Barcinonem et dein ad bellum Gallicum comitatur.

Muneribus aulicis, matheseos,

Inito matrimonio, nihil antiquius Franciscus *habuit, quam ut familia sua, inquit Ribadineira, quæ cælibum principum familiis ante exemplar fuerat, maritatorum quoque esse norma et exemplar posset. Famulis utebatur probis atque honestis; equis armisque pro dignitate et conditione splendidis, sic tamen, ut superfluis sumptibus parceret. Rei familiaris curam administrationemque conjugis Eleonoræ industriæ prudentiæque commisit:* B *se vero totum aulæ negotiis, exsequendis mandatis cæsaris, ac armorum usui dedit. Isabellam augustam et Philippum principem anno* 1531 *Abulam, Hispaniæ Tarraconensis in Castella Veteri urbem deduxit; inde vero Methymnam Campi mense Septembri ejusdem anni, ubi ei natam sub anni sequentis principium Isabellam filiam dictum est supra; quo item Isabellam augustam comitatus est Barcinonem, Carolo V e bello Germanico redeunti occursuram. Ita Alvarus Cienfuegos lib.* 2, *cap.* 1, § 2. *Redux anno* 1533 *Matritum Carolus, in re mathematica aliquantum temporis et operæ posuit: cæsaris exemplum* Franciscus *imitari voluit: magistro usus est Alphonso Sanctacrucio Hispalensi, rei mathematicæ peritissimo, Caroli V cosmographo, regioque Philippi II tempore historiographo, ut tradit in Bibliotheca Hispana Nicolaus Antonius. Cum vero cæsar eodem quoque uteretur, sæpe* Franciscum *de iis, quæ didicisset, interrogabat, ac sua cum illius studia familiariter conferebat, quo factum est, ut* Franciscum *eo cæ-* C *sar diligeret magis, quo cumulatius fidem ejus prudentiamque perspectam habebat. Sic quidem Ribadineira: addunt Nierembergius et Cienfuegos, voluisse cæsarem, ex quo audiit, eumdem sibi et* Francisco *rerum mathematicarum præceptorem esse ut hic eorum, quæ a Sanctacrucio aliisque didicisset, sese participem deinceps faceret: quod adeo gnaviter utrimque est gestum, ut mensium sex intervallo uterque calluerit, quod ad propositum et usum satis esset: neque enim iis rebus, in quibus plus curiositatis, quam utilitatis esset, operam dabant: unde aiunt, invitatum aliquando* Franciscum, *ut astrologiam, quam judiciariam vocant, disceret, eo adduci non potuisse, quod vanam futilemque censeret.*

musices aucupiique

42 *Procul a se suisque abesse otium voluit: lusum dictitabat esse temporis, nummorum, religionis et conscientiæ sæpe jacturam. Maluit itaque venationi et musicæ se dedere, ratus, iis sese et securius et utilius oblectatum iri: neque mediocriter in utroque hoc exercitationis genere excelluit, canendi non modo peritus, sed aptandorum etiam Musicæ legibus cantuum eorum, qui pietatem foverent et promovendo divino cultui essent idonei: leves autem profanasque cantilenas ne audire quidem sustinebat. Quæ vero hoc in genere elaboravit,* D *non sine plausu fuere accepta, ac in multis per Hispaniam ecclesiis solita decantari. Neque pium hoc musicæ studium, ingravescente ætate deposuit: cum enim Romæ, ut refert Cienfuegos lib.* 2, *cap.* 2, § 1, *e diuturno morbo cœpisset convalescere, ac supremum Societatis Jesu moderamen gereret, Psalmum Davidicum* 118, *cujus initium,* Beati immaculati in via, *ad musicæ leges admirabili arte revocavit. Ardearum potissimum delectabatur aucupio, tum quod ita recreationibus minus honestis ansam præcideret, tum quod eodem cæsarem studio vehementer teneri sciret: falcones suis ipse manibus ad aucupium dexterrime formabat. Venatum egressus non tam oculos corpusque voluptate, quam piis mentem meditationibus pascebat, et ex rerum creatarum aspectu earum conditorem suspiciebat, laudabat ac diligebat. Volucrum canumque docilitatem, promptumque obsequium cum videret, aderat illi continuo pudor sui. Fassus est aliquando P. Dionysio Vasquez, ut refert Cienfuegos, minus sibi fuisse molestum seculi* E *pompas missas facere, quam aucupii delicias: vicit tamen seipsum, cum inde voluptatem capere maximam posset: accidit enim sæpe, ut, cum jam in eo esset falco, ut prædam unguibus caperet,* Franciscus *defixerit in terram oculos, ne oblata voluptate, etsi labore multo quæsita, frueretur.*

studiis occupatum febris

43 *His occupatum exercitationibus monere Deus voluit, quam tenui filo pendeat hominum vita et quam parum ad eam tuendam conservandamque faciant rerum omnium affluentia et favor humanus. Redeuntem e comitiis, quæ anno* 1533 *Montione, Aragoniæ oppido, cæsar habuerat; ac ad ejusdem anni mensem Decembrem protracta fuere, maligna febris invasit, quæ, ut fert morbi natura, sensim in tertianam ac quartanam degenerans mensibus aliquot multis eum modis afflixit. Ægrum solatii honorisque causa cæsar, magnatesque non semel convenerunt: Deus interim Ægro non deerat, piasque identidem cogitationes ingerebat. Perpendere ex æstu febris cœpit,* F *quanto supremi Judicis sententia damnati, et numquam desituro torrerentur ardore: quanto item, qui piaculari igne purgarentur. His prodesse cum posset, quotidianas pro illis fundere ad Deum preces et sacerdotum uti opera cœpit, ut ocius, eorum sacrificiis sublevati, ad divini Numinis conspectum evolarent. Id præterea ex eo incommodo commodi cepit, ut, missis libris profanis, piorum lectioni totum se dederit: aut Novum Testamentum, aut Chrysostomi Homilias, aut Scripturæ Sacræ interpretes Vitasve Sanctorum plerumque in manibus habebat non domi solum, sed etiam rure, quo lectica vectus, cum febris id intermissio sineret, secedebat interdum. Recolebat ipse secum assidue, secretisque mandabat codicillis, quæ ejus animum maxime, semel lecta, commovissent; atque hic quidem illi primus, ut ejus biographi scribunt, ad sublimius, quo post attigit, contemplationis genus, ipsomet teste, gradus fuit.*

invadit:

44 *Facetum simul et laude dignum est, quod de febricitante* Francisco, *ejusque medico Francisco*

A cisco Villalobos, rei medicæ peritissimo, scriptisque de eadem notissimo, Nierembergius atque Alvarus narrant. Compererat is, explorato venarum pulsu, morbi vim post aliquot tandem menses pœne exhaustam. Quid, inquiebat, præmii feram, si fausto te nuntio beem? Quidvis optato, inquit Franciscus, optatum feres. Erat in proximo forte armarium aurea argenteaque supellectile laute instructum; in quo grandem, ex argento conflatam, paropsidem conspicatus medicus, hanc sibi promitti voluit: annuit postulato Franciscus. Redeunti, quo die et hora recurrere febris solebat, Franciscus, cum nullum febris æstum sibi reliquum esse perciperet, tua est, medico ait, paropsis: at sat lucri habeo, si nulla me febris habet. Quid videtur? Sensit ille febris quidem Francisco nonnihil supueresse, sed tantillum, vix ut percipi posset, ac festive respondit illud philosophi: Amicus Plato (ita paropsidem Hispani vocant) sed magis amica veritas: paropsidem perdidi. Minime vero, inquit Fransciscus, tradique confestim pro unis binas paropsides jussit, hominis cum B fide, tum candore magnopere delectatus.

recuperatis ex ea viribus, trajecturum in Africam cæsarem,

45 Vix jam confirmatus, inquit Schottus, suscepta in eam Galliæ partem, quæ Provincia Romanis est appellata, expeditione, arma tractans cæsarem secutus est. Verum festinat nimium: Ribadineira quidem cæsaris expeditionem in Galliam memorat, posteaquam Franciscum ex morbo convaluisse dixerat; sed hanc proxime a confirmata ei valetudine susceptam fuisse, non dixit. Invasit eum febris, ut supra dictum est, post celebrata anno 1533 Montione comitia, ac per aliquos tantum tenuit menses: nequit itaque ultra annum 1534 restituta Francisco valetudo differri: cæsar autem, jam confecta expeditione Tunetana, suscepit Gallicam, anno nimirum 1536. Accuratior hoc loci Alvarus Cienfuegos fuit, qui lib. 2, cap. 3, § 4, quæ annis 1534 et sequenti a Francisco sunt gesta, hunc fere ad modum describit. Egressus Toleto die quinta Maii anni 1534, comite Francisco, Abulam cæsar venit; ubi diebus septem splendidissime habiti a Gomesio de Avila, Vallisoletum prosecuti sunt iter: C hinc cæsar, missis quaquaversum litteris, comitia mense Octobri ejusdem anni Matriti celebranda indixit. Matritum redux, quam meditabatur adversus Barbarossam piratam, qui cum terruisset Italiam, conversis in Africam armis, Tunetanum regem Muley Hazem regno expulerat, Francisco expeditionem aperuit. Probavit ille fovitque propositum cæsaris.

Barcinonem anno 1535,

46 Bello comparato, cæsar primo anni proxime seq. vere ingenti procerum multitudine stipatus, quorum e numero Franciscus erat, Barcinonem abiit. Eodem venerunt e Lusitania complures viri principes in gloriosi belli societatem adsciti. Erat in his Ludovicus, Lusitaniæ princeps, Joannis III regis, et Isabellæ augustæ frater, quocum tum primum in arctissimam amicitiam Franciscus coiit. Visere ibidem Francisco datum est Joannem de Castro, Indiarum postmodum proregem, aliosque uxoris suæ consanguineos. Obtulerat sese cæsari in istius belli socium; at cæsar, cum jam in eo esset, ut e portu solveret, Matritum reverti jussit, Augustæ præsto futurum, id quod illi molestissimum accidit. Novi quidem, a multis, una cum cæsare Franciscum trajecisse in Africam, fuisse traditum; verum nihil hujus apud Ribadineiram, Ceparium, Nierembergium reperio; qui, nescio, quo nomine Francisci in Africam iter silentio tam alto voluissent involvere, cum ejus una cum cæsare in Galliam iter non tacuerint, etsi minorem obtulerit bellum Gallicum laudis et gloriæ segetem, quam Africanum Sed neque Ulloa Vitæ Caroli V scriptor synchronus Borgiam in eorum magnatum retulit numerum, quos in Africam cæsar duxit, ut ait Joachimus Sanacori in Vitæ S. Francisci Compendio num. 12. Voto itaque suo, ut verosimillimum apparet, frustratus est anno 1535; secus autem anno sequenti.

AUCTORE J. B.

anno autem insequenti

47 Bonam Sabaudiæ et Pedemontii partem occuparat anno 1536 Franciscas I Galliarum rex, jamque ducatui Mediolanensi imminebat. Verum cæsar ex Insubria exercitum movens ad Varum fluvium sibi viam aperuit, eoque superato, bellum in Provinciam transtulit. Adhuc in Insubribus erat cæsar, cum ad illum Franciscus profectus est non sine amplo comitatu: erant in eo Ruisius Gomesius de Sylva, dein Eboli in regno Neapolitano princeps et E Philippo II Hispaniarum regi gratissimus, et Georgius de Melo, cæsaris anno superiore ad augustam rerum in Africa gestarum nuncius, quos unice, utpote uxoris suæ consanguineos, Franciscus diligebat. Perhumaniter adventantem cæsar excepit, suoque, dum iter faceret, hærere lateri voluit. Postquam in hostium fines ventum est, infesta undique erant itinera, velitationesque continuæ: armis itaque pro illius ævi more omnibus onustus procedebat exercitus; idem erat Francisco apparatus, sed illi tum ob immodicum solis æstum, tum ob crassitudinem corporis perincommodus; quod conspicatus cæsar, graviore sese armatu exuere jussit invitum. Orare ille, ut sibi liceret imperatoris exemplum sequi: sed parendum cæsaris imperio fuit. Congressus aliquoties cum hoste, ut lib. 2, § 2 scribit Cienfuegos, e pugna superior rediit. Verum regrediente, qua venerat, ob annonæ inopiam et imminutum morborum contagione exercitum in Italiam Carolo, gravissimum non corpore, sed animo vulnus accepit, ex quo tamen id lucri F fecit, ut, quo esset in amicos animo, ostendere potuerit, novosque sibi ad rerum humanarum contemptum admoveri stimulos senserit.

comitatur ad bellum Gallicum,

48 Militabat sub Caroli signis Garcilassus de la Vega, Garcilassi comitis Feriæ et Sanctiæ de Guzman filius, ac Francisco nostro amicitia conjunctissimus; cui nec flos ætatis, nec generis nobilitas, nec cæsaris favor, nec ingens deerat artis poeticæ et amœnissimi ingenii fama. Forum Julium (Frejus) cæsar ferme pervenerat, cum leucis hinc fere quatuor secus viam regiam, qua Brinonia Forum Julium itur, in castellum quoddam, la tour du Muy dictum, offendit, quo se modica rusticanorum hominum manus receperat; adortus id cæsaris jussu Garcilassus, dum militis potius, quam ducis officio fungitur, illucque clypeo tectus tentat irrumpere, gravi e sublimi percussus saxo, e scala præceps in terram volvitur. Ita id factum memorat Alvarus Cienfuegos lib. 2, cap. 4, § 4; sed paulo aliter Honoratus Bouche in Historia Provinciæ lib. 10, cap. 4, § 9, pag. 582. Audierat amici infortunium Borgia; ad

AUCTORE J. B.

ad pugnæ locum (nec enim procul aberat) actutum convolat, in fossam intrepidus insilit, lapsum erigit, suisque inde lacertis exceptum effert. Læsi vulnera curarunt cæsaris medici et chirurgi : Niciam deportato comes Borgia *fuit, fidusque astitit, dum vixit. Idem Garcilasso imminentis lethi nuntium detulit ; quo nihil ille perculsus, ad mortem sese disponere cœpit, et, hortatore* Francisco, *de peccatis iterum iterumque confessus, morientium Sacramenta singulari pietatis ardore suscepit : neque pios ejus animi motus accendere ac fovere* Franciscus *destitit, oblata identidem cruci affixi Servatoris imagine, dum cum summa anteactæ vitæ pœnitentia animam Deo Garcilassus reddidit.*

in quo vera amicitiæ specimen præbet : inde redux angina

49 *Digressum ab Italia cæsarem primum Genuam, dein Barcinonem comitatus est Lombayæ Marchio, quo sub anni* 1536 *finem appulsi sunt : hinc vero Segoviam Castellæ Veteris civitatem missus a cæsare est, ut augustæ belli eventum exponeret ac de more assisteret ; ubi brevi post in vitæ periculum anginæ morbo adductus est.* Anno, qui est insecutus MDXXXVII,

B *inquit Schottus,* dum Segoviæ in Carpetanis conventus ordinum haberentur, morbo item anginæ decubuit, ut sanguine pœne fauces obstruerentur ; sed linguæ licet usum amisisse videretur, mentem tamen in Deum fixam tenuit : ad mortem obeundam animo, quam unquam alias, paratiore, *tum quod ab amici obitu magis ipsi vilescere res humanæ cœperant, tum quod plus fiduciæ illi addebat et frequentior Sacramentorum usus et accuratior vitæ ratio. Versabatur tum quidem Isabella Segoviæ, et illic anginæ morbo* Franciscus *laboravit ; verum tum temporis Segoviæ, quod Schottus Ribadineiræ dictis de suo addidit, regni comitia seu ordinum conventus non sunt habiti, sed Montione, quo cum ceteris regni proceribus* Franciscum, *postquam ab anginæ morbo convaluerat, et Segovia una cum curia Vallisoletum concesserat, a cæsare evocatum fuisse, scribit Alvarus Cienfuegos lib.* 2, *cap.* 4, § 6.

laborat.

50 *Cetera, quæ de* Francisco, *Segoviæ anginæ morbo laborante, Ribadineira et Schottus referunt, Alvarus Cienfuegos quoque affirmat lib.* 2, *cap.* 4, § 6, *ubi ait, ipsummet* Franciscum, *cum Segoviæ adversa aliquantulum va-*

C *letudine laboraret anno* 1559, *Societatis tum Commissarius Generalis, dixisse P. Ludovico Santandero, primo recens tum conditi Segoviensis collegii rectori, sese in eadem civitate anno* 1537 *extremum vitæ subiisse periculum ; verum id sibi tum non mediocri fuisse solatio, quod minutius, quam antehac, de peccatis confiteri soleret, singulis nimirum, ut ait Nierembergius lib.* 1, *cap.* 10, *mensibus, raro id temporis, maxime inter aulicos ejusdem, cujus erat ipse, ætatis, exemplo. Porro* Franciscus *e comitiis Montionensibus in Castellam redux novis animis curisque se partim regendæ familiæ, partim augustæ obsequiis, partim denique solitis animi corporisque exercitationibus dedit ; ita tamen, ut, siquando venatum iret, strepitu apparatuque uteretur longe minore, ac paulatim vanitati fimbrias magis magisque præcideret.*

D

§. V. Isabellæ augustæ funus Granatam deducit, e cujus aspectu cadaveris vitæ sanctioris propositum concipit : Cataloniæ prorex constituitur : corpus macerat : absolvi proregis munere frustra petit.

Granatam Isabellæ funus deducens,

Protractum bellum Gallicum fuit usque ad annum 1538, *quo lætior rerum facies, pactis decennalibus cæsarem inter et Galliæ regem Pauli III Pontificis cura induciis, Christianum orbem recreavit, cui tamen gravissimum a Turcis periculum imminebat. Cæsar, inita, ut huic occurreret, cum Pontifice Venerisque belli societate, in Hispaniam rediit, ac Toleti, ut in Bellum Turcicum subsi-* E *dia compararet, comitia celebravit, in quibus nihil, quod seu ad augendam lætitiam publicam, seu ad splendorem et magnificentiam faceret, desideratum fuit. Siquando ludis publicis augusti intererant, Carolo* Franciscus, *Isabellæ Eleonora, Philippo Hispaniarum principi Carolus et Joannes eorum filii comites erant. Verum, ut nihil in humanis perpetuum est, in acerbissimum luctum omnis lætitia repente conversa est inexspectato augustæ obitu : invaserat illam, ut Cienfuegos scribit, mortifera febris, quæ dignissimam principem paucorum dierum intercapedine huic luci subtraxit Kalendis Maii* 1539. *Lombayæ marchionibus interdixit cæsar, ne a decumbente secederent, postulatum vero ab augusta fuit, tum ut uni Eleonoræ liceret defunctæ corpus attingere, tum ut utrique Conjugi ejusdem Granatam deducendi curam cæsar demandaret. Elatum Toleto insigni lugubrique apparatu Isabellæ funus, stipante id cæsaris jussu cum uxore et familia* Francisco, *aliisque proceribus fuit, Granatamque deductum, urbem Granatensis regni primariam, in qua* templum *erat, ut ait Schottus,* sepulcris F Catholicorum regum, avorum Isabellæ, clarum, *Ferdinandi scilicet, qui anno* 1492 *regnum Granatense Mauris eripuit, et Isabellæ, e quorum filia Maria et Emmanuële Lusitaniæ regibus nata fuit, de qua hic sermo est, Isabella, Caroli V uxor.*

ac futuram vitæ conversionem ab apparente sibi avia edoctus,

52 *Granatam, ut jussu cæsaris imperio fuerat, eunti* Francisco *id singulare accidit, ut, cum pompa sub tempus meridianum quietis causa subsisteret, ipse autem oculos funeri, mentem vero cœlo intentam haberet, Mariam Henriqueziam, aviam suam, insigni luce circumseptam sibi visus fuerit intueri, ex eaque audire, brevi fore, ut præparatam divinitus, qua Deo famularetur, viam iniret. Gaudium inter et metum medius confestim Gandiam misit ad amitam, Franciscam a Jesu, qui quid rei accidisset, renuntiaret. Responsum fuit, Mariam Henriqueziam diem suum obiisse. Nititur hujus facti relatio, teste Alvaro Cienfuegos lib.* 2, *cap.* 5, § 3, *Mariæ Velasco, comitis de Osorno, testimonio, quacum id Francisca a Jesu, ex*

A *ex* S. Francisci *ore acceptum, communicavit; quod Ribadineiram et Ceparium latuit; qui Mariæ Henriqueziæ obitum anno* 1537 *illigarunt; quamquam nec sibi ipsis constant. Scribunt enim obiisse Mariam Henriqueziam, transactis in Gandiensi Discalceatarum cœnobio annis* 33: *unde consequitur, Mariam Henriqueziam religiosæ vitæ institutum fuisse amplexam jam inde ab anno* 1504: *quod quo fieri pacto potuit, si post* Franciscum *natum, seu post annum* 1510 *Gandiense monasterium ingressa fuerit, ut iidem rursus scriptores tradunt? Ab anno* 1479, *quo natam Mariam Henriqueziam diximus num.* 19, *usque ad annum* 1512, *anni numerantur* 33: *a vero igitur aberrare Ribadineira non videtur, cum illam ait in seculo annos vixisse* 33: *sed annis* 33 *religionis substituendi sunt anni circiter* 27; *ut universim vixerit annis* 60; *aut anni* 25, *quod Escolanus lib.* 6, *cap.* 23, *num.* 7 *facit, si anno* 1537 *obiisse statuatur. Emendandus similiter est Joannes Carillo, qui non solum ait cum Ribadineira Mariam Henriqueziam* 33 *annos in seculo totidemque in cœnobio*

B *Gandiensi vixisse cap.* 3 *Vitæ filiæ ejus Franciscæ a Jesu, sed etiam cap.* 1 *ejusdem Vitæ dixerat, Franciscam, natam anno, ut ait,* 1498, *jam triennem fuisse, cum patre orbata est; cum tamen jam inde ab anno* 1497 *ille vitam amiserit: unde fit, ut mater ejus, quæ tum* 18 *numerabat annos, quadriennio circiter serius, quam par sit, ex ejus calculo nata statuatur, anno nimirum* 1483. *Unde autem idem scriptor compertum habuerit, Mariam Henriqueziam anno* 1540 *Gandiensis Clarissarum cœnobii præfecturam adiisse, eidemque renunciasse quinquennio post, non perspicio. De cetero aviæ suæ, inquit Schottus,* Franciscus jatura, quod vitæ magistram re.consilioque juvantem amisisset, vehementer indoluit: patrocinio tamen, quod Deo potiretur, jam tum se foveri sensit; *id quod etiam Ribadineira testatur: sed mox addit Schottus:* cujus etiam precibus in Societatem Jesu se, tamquam in portum post esse delatum, existimavit.

cadaveris fœditate percellitur,

C 53 *Ubi porro Illiberim seu Granatam Isabellæ funus pervenit, mox patuit, non vanam* Francisco *visionem in itinere adhuc constituto fuisse oblatam. Adiit mox ille sacellum regium, ut creditum sibi depositum coram tabellionibus, testibus, civitatis primoribus, populique innumera multitudine Granatensi archiepiscopo Gaspari de Avalos, ac clero traderet: verum, ne quis fraudi locus esset, priusquam id in majorum monumenta inferretur, facies denudanda; dicendum comitibus sacramentum, id esse ipsum augustæ corpus, omnia denique in Acta publica referenda fuerunt. Recta porro facie, non modo nullus pristinæ venustatis decor, immo tanta spectantium oculos deformitas percùlit, ut non esset, qui augustam in augusta agnosceret; nares item adstantium fœtor tantus, ut non esset præter* Franciscum *ullus, qui subsistere illic diutius aut vellet aut posset. Nemo itaque comitum, augustæ id corpus esse jurejurando plane affirmare est ausus.* Franciscus *ipse qui illud sedulo noctu diuque custodierat, satis habuit, si pro summa, quam ea in re adhibuerat, diligentia, id aliud quam augustæ corpus esse non posse, juraret. Mirum, quam ex eo spectaculo* Franciscus *se senserit immutatum, ex in vix similis sui. Obortos tum ejus animo motus fusius ejus biographi describunt; quibus tandem exclamare coactus est, sat datum esse mortali principi: quod lucis vitæque superesset, Regi æterno sacrum fore, uti scribit Cienfuegos lib.* 2, *cap.* 6, § 3 *ex canonici Granatensis, qui rei gestæ interfuit, testimonio, Processui Valentino fol.* 669 *inserto.*

AUCTORE J. B.

et sanctioris vitæ propositum,

54 *Depositæ in sacello regio Isabellæ fuerunt exuviæ die* VII *Maii vespere: parentatum eidem die postero. Concionem habuit Joannes de Avila, orator sacer ea tempestate in primis clarus, qua non tam augustæ laudes, quam rerum humanarum vicissitudinem ac vanitatem gravissimis verbis exposuit, ac* Francisci *animum usque eo pupugit, confirmavitque in concepto severioris sanctiorisque vitæ proposito, ut domum redux ac parce admodum pransus, arcessitum ad se oratorem eorum, quæ animo agitabat, esse voluerit non conscium modo, sed etiam adjutorem. Vir erat Joannes, ut concionibus ejus scriptisque illustrata testatur Hispania, ac provincia maxime Bœtica, pro-* E *movendæ divinæ gloriæ ac animarum lucri avidissimus: haud gravate itaque* Franciscum *audiit, optimis pro ejus conditione ac dignitate consiliis instruxit, commonuitque in primis, ut a tribus, quæ afferre aulicis perniciem solent, sibi potissimum caveret, ambitione, invidia et libidine. His sensim* Francisco *Deus quasi gradibus perfectiora sectandi desiderium acuebat.*

accedentibus eo etiam amitæ ejus litteris, concipit,

55 *Alterum item per id tempus jam sponte currenti stimulum subdidere acceptæ Gandia, abs amita Francisca de Jesu, Gandiensium Clarissarum, uti eam hoc loci Ribadinera, Ceparius et Cienfuegos nominant, antistite seu abbatissa litteræ, quas ex Hispano, quo conscriptæ fuerunt, idiomate ita vertit Schottus, Ceparii de rebus a* B. Francisco *gestis interpretem agens:* Equidem, Fili mi, cogitabam illo momento de tua ad Deum conversione, valetudinem tuam Sponso, tum vero maxime animæ tuæ salutem commendans. Ibi te vidi genibus adnixum Christum rogare cum lacrymis ac gemitu peccatorum veniam. Vidi et manum porrigere atque erigere, præsentemque polliceri opem. Gratiam itaque, quam potes, maximam F Deo mecum habeto, et majori cura atque amore una mecum obsecundato. De augusta illud bene narro, sacras hic virgines purgante flamma ereptam animam ipsius vidisse et angelicis stipatam choris in æternam subvolasse beatitudinem. *Recte hoc loco Ribadineira, qui easdem litteras Hispanice scriptas exhibet, observat, privatis hujusmodi visionibus, utpote errandi periculo sæpe obnoxiis, non continuo esse fidendum: certum tamen esse, hujusmodi favores Deum purioribus interdum mentibus elargiri, quales esse eas virgines, ac amitam in primis suam exploratum* Franciscus *habebat. Multum certe apud illum hæ litteræ valuerunt, quibus perinde ac ceteris, quos diximus, excitatus stimulis, aula abscedere, et domi cum uxore liberisque privatim Deo vivere serio statuit, ac religiosum quemdam Ordinem, si prior e vita uxor discederet, se ingressurum vovit.*

illustrique fa-cinore exsequi incipit.

56 *Quod animo conceperat* Franciscus *Granatæ propositum, exsequi non diu distulit. Persolutis novemdialibus, ut Alvarus lauda-*

AUCTORE J. B.

tus cap. 8, § 1 scribit, augustæ funeri exsequiarum justis, ut ad cæsarem Toletum rediit, officii sui rationem redditurus, continuo aulæ deserendæ, nisi id importunum tum cæsari accidisset, licentiam sibi fieri petiisset. Dum ergo tempus commodum exspectat, insigne facinus edidit, a Ribadineira aliisque præteritum, sed ab Alvaro mox laudato relatum: id autem tale est. Granata redux miserat, qui Ferdinandum, rei maritimæ apud Castellanos præfectum, suis verbis salutaret, ejusque conveniendi locum tempusque exquireret: oborta autem prius fuerat, quam Granatam Franciscus iverat, hunc inter et Ferdinandum nescio quæ de re politica paulo animosior disceptatio: suspicatus hic in duellum sese a marchione Lombayæ provocari, aptum duello locum tempusque constituit: at ille, ut in conspectum præfecti venit, advolvi ejus pedibus, culpam in sese omnem transferre, rogare, ignosceret; dignum id sua virtute esse, certoque se scire, facturum. Hæsit ille primum tam inexspectati spectaculi novitate attonitus, arcteque Franciscum B amplexus charum deinceps in primis habuit. Sic fere verbis Hispanis Alvarus, non de suo, sed ex jurejurando Mariæ Claræ, virginum Discalceatarum Matritensium abbatissæ, quo hæc testata est, jam relatum facinus sese accepisse ex ore antiquiorum parthenonis sui monialium, Sancto consanguinearum, quæ id itidem ex ipsiusmet Ferdinandi ore didicerant.

Invitus Cataloniæ prorex constituitur,

57 Commodiorem dein conveniendi cæsarem occasionem nactus, deserendæ, si per illum liceret, aulæ desiderium patefecit, et, quibus potuit, rationum momentis Gandiam abeundi licentiam conatus est extorquere; sed frustra: quo factum est, ut versari aliquantisper in aula coactus sit. At elapsis aliquot mensibus, ut ait Alvarus § 3, cæsar in Belgium, quo cum exortæ apud Gandenses turbæ vocabant, per Galliam iter meditans, accersitum ad sese Franciscum et S. Jacobi prius equitem creatum, Catalauniæ esse proregem jussit. Submisit ille oneri humeros, sed valde invitus. Mox ita itineri se accinxit, ut simul cæsar in Galliam, ille in Catalauniam cum uxore et liberis mense C Novembri anni 1539, ut idem Alvarus tradit, sit profectus: iter vero suum sic instituit, ut Valentia Gandiaque transiret, quo patrem optimum, Joannem Gandiæ ducem, de via salutaret. Gothalania, inter amplissimas Hispaniæ provincias numerata, principatus titulo gaudet: quo tempore eam administrandam Franciscus suscepit, etiam Ruscinonensem comitatum complectebatur, qui dein Gallæ regibus cessit. Appellationem ejus alii a Castellanis, inter Sambrocam et Rubricatum fluvios a Ptolemæo collocatis, derivant: alii ab Otgero quodam Gollante, cognomento Catalone, a Catalone Aquitaniæ castro (quod umquam in Galliis exstitisse, negat Petrus de Marca, aep. Parisiensis, Marcæ Hispan. lib. 3, cap. 5) qui Caroli Martelli tempore expeditionem in Hispaniam susceperit, sic dictam volunt: alii denique a Cattis et Alanis Catalauniam vel a Gothis et Alanis, ut etiam Ribadineiræ interpres Schottus censuit, qui illic sedes fixerint, quorum sanior communiorque, etsi nec ipsa certa sit, videtur sententia.

58 Totius Gothalaniæ caput est Barcino, nobilis ad mare Mediterraneum civitas, et sede episcopali, Toletanæ archidiœcesi suffraganea, insignis: quo ut novus Prorex venit, publico solennique exceptus plausu, eo confestim curas animumque intendit, ne ullam injuncti sibi officii partem negligeret: non exigua per Gothalaniam ea tempestate grassabatur latronum turba, quibus nec apud nobiles quosdam receptacula deerant: in hos primum animadvertit, dein vero, missis quaquaversum copiis, latrones ipsos persequi non destitit, donec, scelerata manu extirpata, securitati publicæ omnino prospectum foret, etiam cum proprio periculo, quam facinorosorum hominum venationem sibi tum multo jucundiorem fuisse, quam juveni ferarum, dixisse auditus est. Alios supremo affici supplicio, sectaque eorum corpora ad exemplum omnium oculis exponi, alios ad regias triremes deportari jussit. Si quem morti reum addixerat, sacrificia singillatim triginta fieri suo ære jubebat, ut facile, ipsum non homines, sed crimina odisse, cerneres, ut paulo fusius apud Schottum et Nierembergium videre est. Addit Alvarus, etiam latronum principem, nomine Antonium de E Roca, captum necique addictum fuisse: adeo vero placuisse cæsari Proregis diligentiam, ut hic felices rerum eventus iteratis litteris sit illi gratulatus.

cujus securitati bonoque,

59 Ceteris vero muneris sui partibus non minus diligenter vacabat. Sedulo curabat, ut controversiarum judicia ex æquo et bono, ac expedite redderentur: litigantes ad concordiam sæpe revocabat, ditiores ære alieno obstrictos ad solvenda pauperibus ocius debita compellebat, ære proprio pauperes servitute eximebat, ludos litterarios instruendæ juventuti statuit, constituto iis, qui eam doctrina moribusque inbuebant, salario. Rem militarem accurate gessit, ac ne huc illuc commeantes milites, quidquam detrimenti, qua illis iter erat, inferrent, maxime cavit. Annonæ inopiam conquisito e Gallia, Anglia et Sicilia frumento, sustulit. Barcinonensem civitatem, qua mare respicit, muris et propugnaculo cinxit, cui S. Francisci nomen adhæsit. Cœtus religiosos eleemosynis fovit, eosque, quos e re lauta ad inopiam fortunæ detruserat inconstantia, clam alebat, et operam dabat, ne quis abs sese tristis abscederet. Denique, cujusmodi fuerit Prorègis F gubernandi modus et felicitas, universim colliges ex laudato ab Alvaro e Processu Cæsaraugustano ejusdem civitatis aep. testimonio, quod sic habet: Erat publica vox et fama, quod tempore gubernationis ejus regnabat justitia, temperantia et prudentia, et exclusa erat iniquitas atque malitia, et omnibus communiter videbatur, angelum de cælo descendisse ad eos gubernandos. Hæc præcipua fere sunt capita eorum, quæ pro imposita sibi a cæsare provincia gessisse Franciscum, ejus biographi perhibent: dein qualis privatim vixerit, exponunt.

dum præclare consulit,

60 Franciscum hoc loco, quem paulo ante instar eximii principis secularis depinxerant, veluti Christianæ pietatis cultorem insignem exhibent: laudant eum maxime, neque immerito, ab orationis et pœnitentiæ studio, a castitate, a frequenti Sacramentorum usu, brevius quidem Ribadineira, fusius vero Nierembergius et Alvarus Cienfuegos: præcipua compendio referam. Quod ad orationis studium attinet, refert Alvarus, eum, ex quo in melius mutandæ vitæ propositum conceperat, quotidie, ut

privatim prolixis orationibus,

A *ut primum sese e lecto proripuerat, primis quidem mensibus horas solidas quatuor, dein quinque, ac paulo post etiam sex orationi mentali dedisse : hac finita, salutata prius conjuge, rei divinæ mox interfuisse : tum vero rebus publicis ac muneri suo vacasse : septem horas canonicas ex statutis Ordinis S. Jacobi (is Ordo anno* 1175, *die* 3 *Julii ab Alexandro III Pontifice summo approbatus fuit) certo item numero Orationes Dominicas ac Salutationes angelicas præscriptis temporibus mente simul et ore recitasse : a prandio colloqui cum suis aliquamdiu solitum, verum de rebus piis. Tempus reliquum, quod quidem ab occupationibus liberum habebat, sacrorum librorum lectioni, pervolvendis studiose globulis precatoriis sanctisque cogitationibus dedisse. Tum delictorum suorum examen instituisse, ac, si quid minus recte admisisset, acriter in seipsum sævire solitum : horas denique tantum quatuor aut subinde quinque somnum capere consuevisse, addit Nierembergius cap.* 15. *Quod autem paulo ante dictum est, Proregem nostrum prius con-*

B *jugem salutatum adire solitum, quam rei divinæ interesset, mirum videri nemini debet : jam enim pii conjuges consensu mutuo continentiæ voto sese obstrinxerant et conjugalem amorem cum fraterno puriorique commutarant, auctore, ut scribit Alvarus, Joanne de Texeda Ordinis S. Francisci.*

frequenti Sacramentorum usui,

61 *Jam vero quod ad frequentem Sacramentorum usum spectat, sacrum Eucharistiæ epulum sumpsit singulis diebus Dominicis et festis solennioribus, his quidem in templo metropolitano, illis vero in sacello domestico. Accedebant his etiam dies, quibus id fieri Ordinis S. Jacobi leges præcipiunt : quanta autem id facere animi præparatione soluerit, vel inde colliges, quod, ut refert Alvarus, anno* 1539 *in Vigilia Nativitatis Domini, nisi septem prius horis continuis divina mysteria meditatus, noxasque rite confessus, ad sacram mensam non accesserit. Tam frequens Sacramentorum usus rarus admodum erat ea tempestate, adeo ut scandalo pene esset, litigantibus ea de re inter se etiam doctis. Neque vero id Prorex inconsulto agebat, sed e consilio insigni-*

C *um ex Ordine Prædicatorum virorum, Thomæ de Gusman, anno* 1539 *in Provincialem Hispaniæ electi, et Joannis Myconis, qui* Francisco *a confessionibus erat : Joannem, ut defuncto Gusmanno successor eligeretur, anno* 1541 *comitia Barcinone in conventu S. Catharinæ martyris habuisse, scribit Franciscus Diagus lib.* 1 *Hist. Prædicatorum Provinciæ Aragonicæ cap.* 62 *et proxime præcedentibus aliquot insigni ornat elogio. Eadem de re insuper* Franciscus *ad S. Ignatium scripsit anno* 1542.

consulto ea de re S Ignatio.

62 *Qua id occasione sit factum, accipe. Missus anno* 1540 *in Hispaniam Araozius, nondum plene approbata a summo Pontifice, ut Orlandinus ad hunc annum num.* 99 *scribit, Societate, Barcinonemque tempestate appulsus, ita illic egit, ut non exiguum apud Barcinonenses Societatis desiderium reliquerit. Idem in Hispaniam anno* 1542 *una cum Jacobo de Eguia reversus est, eodem Orlandino teste : ubi Barcinonem attigere, ita civitati se probaverunt, ut omnium fere principum benevolentiam voluntatemque sibi facile adjunxerint : in his erat* Borgia, *Lombayæ tum adhuc marchio, ejusque conjux Eleënora. Accidit, ut Araozius, dum pia cum Prorege colloquia serit, Eucharistiæ mentionem faceret, et quantus eo in genere esset Ignatius, exponeret. Norat Prorex Societatis Jesu jam a Paulo III approbatæ institutum, et multa de Ignatio præclara audierat : dedit itaque ad Ignatium litteras, quibus ipsum de frequenti Eucharistiæ usu consuleret. Respondet Ignatius fere in hunc modum : cum sibi de ipsius vitæ probitate ex aliorum relatu constaret, arbitrari sese, e re ejus fore, si sacram Communionem cum amore et reverentia octavo die sumeret; eum esse hujus Sacramenti fructum non postremum, ut a vitiis gravibusque noxis homines avocet, vel, si forte labantur, citius facilius-*

AUCTORE J. B.

que recipiscant : virum itaque prudentem pariter ac pium sibi deligeret, cujus ea in re consiliis staret. Arrisit Proregi Ignatii responsum, libensque exin nostrorum consiliis usus est.

mirisque corporis

63 *Stupore porro digna fuit, qua in se usus est vitæ austeritas : cœpit anno* 1540 *omni sibi cœna interdicere, nec adhibere plus in prandio, quam pauxillum olerum, panis et* E *frigidæ, licet hospites suos laute et pro dignitate exciperet. Cœpit item eam jejunandi, quæ apud PP. Franciscanos tempore Adventus a die* IV *Novembris usque ad Christi Natalem in usu est, rationem tenere : ejusdem Ordinis, veluti illius tertiarius, devote cingulum gestavit, et in communionem omnium bonorum operum cum uxore et liberis vocatus fuit anno* 1541 *a Joanne Calvo, Ordinis Minorum generali Ministro, datis ad eum e comitiis Mantuanis hujusmodi litteris :* In Christo plurimum dilectissimis et illustrissimis dominis ac dominabus domino Francisco Borgia, marchioni Lombayæ, Cathaloniæ proregi, ac dominæ Eleënoræ de Castro conjugi, dominæ Joannæ de Meneses sorori, dominis Carolo, Joanni, Alvaro, Ferdinando, Ildefonso de Borgia eorum filiis, et dominabus Isabellæ, Joannæ, Dorotheæ, filiabus, nec non dominæ Beatrici de Sosa consobrinæ, Frater Joannes Calvus totius Ordinis Minorum Seraphici Minister Generalis salutem in Domino sempiternam. Cum in summa rerum penuria animi F promptitudo latere non debeat, indignum profecto censemus, et ingrati animi vitio sugillandum, si quam tantis vestris erga nos meritis retributionem non reddamus, quorum judicem multi * in nos charitatis affectum, * multæ certis beneficiorum indiciis, experimur. At vero ea sunt in nostri Religionem instituti vestræ humanitatis officia, quæ temporalis rebus nullis, quibus ab inita professione renuntiavimus, remunerari queant. Ea propter sanctæ dilectioni vestræ, quæ Seraphici Patris nostri Francisci Observantes filios prosequimini, pio mentis affectu prospicientes, nos, qui, licet immeriti, supremum trifariæ Religionis ejusdem apicem obtinemus, prænominatos vos omnes in nostræ confraternitatis consortium, et dum vitam agitis, et vita pariter functos, sincero charitatis amore, qua fungimur, auctoritate recipimus. Ne vero quicquam piis animi vestri desideriis desit, singula etiam quæque ejusdem Ordinis suffragia, omnifariam insuper bonorum quorumcumque spiritualium largitionem vobis liberalius impertimur, ut multiplici suffragiorum adjuti præsidio, et in præsenti augmentum divinæ gratiæ et in futuro æternæ gloriæ

AUCTORE J. B.

gloriæ præmia mereamini. Datum Mantuæ in sacro conventu sancti Francisci, in nostris generalibus comitiis die x Junii MDXLI.

Fr. Joannes, qui supra manu propria.

cruciatibus vacat.

64 *Ita habent Joannis Calvi ad Proregem litteræ apud P. F. Joannem de Luca in Annalibus Minorum continuatis ad annum* 1541 *num.* XI; *ex quo hæc obiter annotasse sufficiat. Porro, quam diximus, a cibo potuque abstinentiam post annum* 1541 *non in binas dumtaxat Quadragesimas, sed in annum totum* Franciscus *extendit. Adhæc asperrimo induebatur cilicio et ferrea catena, etiam plerumque dum somnum caperet, cingebatur : non prius cubitum concedebat, quam flagellis sese probe excepisset : tum vero solum illi pro lecto erat : quam prolixus in orando fuerit, supra dictum est : dum autem preces fundebat, storeæ kumi positæ vultu incumbebat.* Hac abstinentia factum, *inquit Ribadineiræ interpres Schottus,* ut cum obeso admodum corpore ventreque esset, brevi laxæ nimis tunicæ essent, duplicarique indumenta possent. *Factum est*

B *item, ut addit Alvarus, ut os grangræna, dentes molares continuis fluxionibus corruptos, stomachumque omnis alimenti impatientem habuerit adeo, ut id continuo cogeretur egerere, ac tantis quotidie per horas fere binas cruciaretur doloribus, ut periclitari de vita videretur : denique ut ingens corporis ejus moles, cui, quo mensæ commode assidere posset, auferenda in orbem pars mensæ prius fuerat, vix ossibus hæreret.*

Joanni Texedæ, Francisceum Societati præpositumviri, indicium fit,

65 *Hinc Ribadineira ad Joannis, Gandiæ ducis, obitum, quo e Catalaunia Gandiam revocatus Prorex fuit, progreditur : at Nierembergius et Alvarus Cienfuegos peculiaria quædam, quæ ante Joannis obitum, atque adeo ante* Francisci *e Catalonia discessum contigerunt, nec omnino indicta prætereunda sunt. Sub id tempus, quo Barcinonem Prorex primum venerat, Joannes de Texeda Ordinis S. Francisci, quid de illo futurum esset, et ad quam sublimem sanctimoniæ apicem, quo jam celeri passu ferebatur, evasurus olim esset, divinitus intellexit. Objecta menti ejus viri cujusdam species fuit vultu comi perinde ac*

C *venerabili : hunc vidit religiosi cujusdam cœtus (quod in* Francisco, *ad universæ Societatis Jesu moderamen dein evecto, eventus comprobavit) veluti monarcham constitutum : vidit, quam excellentis futurus esset sanctimoniæ, et ad quam sublimia a Deo destinaretur; verum quis vir ille esset, ignorabat; et impetu quodam actus in publicum prodiens* Francisco, *ita volente Deo, occurrit, agnovitque continuo, hunc eum esse, de quo tam præclara perceperat. Adiit ergo Proregis ædes, et brevibus, quæ percepisset, aperuit, addens fore, ut sacerdos et religiosus fieret, etsi tunc loci et ordinis esset longe diversi. Principium id fuit intimæ necessitudinis, quæ dein Texedam inter et* S. Franciscum *intercessit. Amplo, nec sane immerito, hunc Minoritarum alumnum, vitæ sanctitate, prophetiæ dono ac cælestibus favoribus illustrem elogio exornat Alvarus in* Borgiæ *Vita lib.* 2, *cap.* 12, *sibique carum semper habuit Societas Jesu vel eo nomine, quod ipso auctore* Borgia *dein nomen Societati dederit. Plura de illo, qui volet, adeat Alvarum jam laudatum vel Joannem de Luca in Annal. Minorum continuatis ad annum* 1541, D *num.* 17 *et seq.*

Carolo V expeditionem Africanam dissuadet,

66 *Eodem anno, ut narrare pergit Alvarus cap. seq., Turcæ hinc insignem cladem Christianis intulerunt, Budaque capta, jam Viennæ Austriæ timebatur : inde Algeriani pyratæ Hispaniæ oras ex Africa frequenter infestabant : Galli imminebant Italiæ : cæsar, dimissis comitiis Ratisponensibus, in Italiam veniens, id sibi primum curandum putavit, ut pyratarum excursionem cohiberet. Expeditionem itaque maritimam in illos suscepit, quamvis intempestiva anni parte, sed infelicem prorsus : quippe, re infecta, amissis pluribus, laceratoque tempestatum vi numerosa classe Algerium, obsideri cœptum, deserere ac in Europam retro vela facere coactus est. Non id cæsari calamitatis accidisset, si Pauli III, Pontificis Romani, quem Lucæ in Italia convenerat, si præcipuorum ducum consiliis, aut* Borgiæ *litteris, ea de re ad ipsum datis, paruisset. Cæsar enim in Africam copias trajecturus, ad* Borgiam *litteras dedit, voluitque, quid illi sententiæ esset, certior fieri :* Borgia *non tantum ipse dare sese orationi jejuniisque,* E *sed, misso ad virgines S. Claræ nuncio, has etiam obnixe rogare, idem ut ipsæ facerent, Deumque precari haud desinerent, ut prosperum cæsaris cœptis exitum esse vellet. Paruerunt illæ, sed simul* Borgiæ *renuntiarunt, rem cæsari male cessuram. Nec aliter* Borgia *sentiebat : dissuasit itaque expeditionem illam cæsari, quam potuit, vehementissime. Cæsar autem, accepta clade, eorum, quæ sibi* Borgia *scripserat, memor, non semel dixit, numquam se incidisse in Acta, unde tutius, quæ in rem suam forent, disceret, quam e Clarissarum Gandiensium* Borgiæque *sententia. Hæc fere Alvarus ad annum* 1541.

seipsum vincit,

67 *Ad sequentem vero refert, quæ supra de Araozii Barcinonem adventu ex Ribadineira dicta sunt. Insignem dein Alvarus, quod et Nierembergius facit, Proregis de seipso relatam victoriam narrat. Festo S. Crucis Inventionis die, dum pro Prorege preces fundunt Gandienses S. Claræ moniales, nonnullæ earum ingentis ponderis crucem humeris ejus conspexerunt imponi : monendum confestim* F *censuerunt, ut eam non imparatus patienter exciperet : verum prius periculo defunctus jam erat, quam nunctus Barcinonem advenerit : jucundus tamen admodum hic illi fuit, eo quod inde, rem Deo gratam sese fecisse, non obscure intelligeret. Res autem sic se habuit : convenerant eo die in ædes Proregis Barcinonenses utriusque sexus primates : privatim tamen feminæ, privatim viri, quod istæ a Prorege postularant. Prorex vero, invigilaturum se, ne quis illas ingressu suo interturbaret, in sese receperat. Dum confabulantur, primariæ nobilitatis juvenis, qui tum Barcinonem venerat, Proregem accessit; a quo benigne exceptus mox in conclave proximum, in quod matronarum cœtus sese receperat, ingredi voluit. Prohibuit Prorex, id sibi in mandatis esse, ne quem virorum ad illas ingredi sineret, dictitans. Ille factam sibi injuriam ratus, vociferatur, non eum se esse, cui aditus intercludi debeat, eo se invito Prorege ingressurum, strictoque pugione ad Proregem usque progreditur. Rei indignitate commoti*

ceteri

A *ceteri jam manus gladiis admovebant: aderant satellites ad Proregis nutum, quidquid jussisset, facere parati: his manu sinistra indicat, ne loco se moveant: dextra appensum e janua velum levat, et, cum, inquit, nec Deo, nec cæsari, nec reipublicæ gratum aut utile futurum sit, ut nostrum alteruter levi adeo de causa pereat, ingredere. Dedit ille se in conspectum, sed ita frigide exceptus fuit, at præ pudore ex ædibus Proregis, ac dein Barcinone sese, quam potuit, citissime proripuerit. Non diu latuit ea res cæsarem, qui in juvenem severius, ac fecit, animadvertisset, nisi per litteras* Franciscus *ejus causam egisset.*

juvat consiliis 68 *Carolo cæsari, quem anno superiore minus prospere cum barbaris bellasse vidimus, mox anno* 1542 *cum potentiore longe hoste, Francisco* I, *Galliarum rege, bellum fuit: misit is adversus Carolum non exiguas copias in Belgium et Pedemontium, ac præterea Henricum Delphinum cum numeroso exercitu, qui Catalauniæ arma martemque inferret. Henri-*

B *cus Narbona profectus Perpinianum, comitatus Ruscionensis caput recta contendit, eamque urbem prius obsidione cingere studuit, quam ad sui defensionem parata esset. Opus erat celeritate: itaque cæsar quantocyus copias undique in Catalauniam coire jussit, dataque est opera, ut Perpinianum, cui Delphinus imminebat, ab annona, militibus, munimentis, omnique apparatu bellico, tempestive instrueretur, quo Proregis industria ac diligentia multum contulit: cæsar gratam sibi illam fuisse litteris significavit, adjecitque, ut aliis, et armis quidem validioribus, loco prospectum vellet, nempe orationibus tum suis, tum Gandiensium S. Claræ monialium, quas plurimum apud Deum valere norat. Paruerunt utrique cæsaris votis; et Gandia quidem Prorex accepit, Gallos urbe non potituros, modo, qui eam tuerentur, hæreseos labe non essent infecti. Certior ea de re factus cæsar, tertiam præsidii partem, utpote e germanis, quorum multi hæresi laborabant, substitutis aliis, urbe egredi jussit. Scribit autem Alvarus ex Ms. P. Santandri, qui rem ex ipso Borgia audierit, Proregem ipsum Catholicos subsidiarios mili-*

C *tes Perpinianum deduxisse, ac Germanos inde eduxisse. Eventus porro is fuit, qui prædictus a monialibus Gandiensibus fuerat. Henricus enim, frustra oppugnata urbe, exercitum reduxit in Gallias Septembri mense.*

cæsarem, 69 *Prius mense Junio ejusdem anni cæsar Montione, quod Aragoniæ oppidum est, sed in confiniis Catalauniæ situm, Ordinum conventum habuit, in eoque a regni magnatibus certum armatorum numerum in belli subsidium petiit, aliaque regni negotia pertractata fuerunt. Patuit hic quanti Proregis consilia cæsar faceret: digressis enim ceteris, soli sæpe maximis de rebus inter sese consilia agitabant. Prorex autem triduum sibi sumere solebat, quod inter preces et pœnitentiæ opera exigebat, priusquam suam cæsari de rebus arduis sententiam expromeret. Reliquerat idem Barcinone conjugem Eleënoram. Cæsar, quo ostenderet; quanti et illam faceret, jussit, quam primum Montionem veniret; quo cum vix pervenisset, cæsar ipse, quod insolitum erat, ad ejus ædes honoris causa accessit, quod et Barcinonem abeuntibus præstitit. Observatu dignum est, quod Montione Eleënora, quæ S. Ignatii, duce P. Araozio, exercitia obierat, responsum dedit. Domina Maria de Mendoza, Eleënoræ intima familiaritate conjuncta, mirum sibi videri aiebat, Eleënoram iis vestibus uti, quæ nec ætatem, nec ordinem, nec suam decerent magnitudinem: at illa, Prorex, inquit, conjux meus, cilicio cinctus incedit, ego vero corporis ornatui indulgebo? Absit; facere non possum, quin aliter me habeam, ac ille, quem mihi Deus vitæ magistrum, socium ac normam dedit.* AUCTORE J. B.

a quo abdicandi muneris frustra veniam petit. 70 *Cum Montione cæsar et Prorex ita familiariter agerent, hic commodum nactus tempus, cæsari in memoriam revocavit, quod pridem privatim vivendi Deoque se consecrandi votum nuncuparat, veniamque iterato petiit, ut, deposito munere, Gandiam repetere liceret: abnuit cæsar, qui tum statuerat in Italiam proficisci, et Hispaniæ administrationem Philippo principi, Mariæ, Joannis III, et Catharinæ cæsaris sororis, Lusitaniæ regum filiæ tum desponsato, relinquere: non parum* E *enim* Francisci *consilia Philippo, se absente, profutura ratus, ut spem abeundi illi adimeret, principis aulæ præfecit; Eleënoram vero ejusque filias Elisabetham et Joannam Mariæ, Philippi sponsæ, ministerio destinavit. Hæc Alvarus lib.* 2, *cap.* 16, § 2. *Montionensium comitiorum tempore cæsar* Borgiæ *etiam declaravit, se ejus exemplo habere in animo, mundo ejusque pompis vale dicere, et sibi Deoque privatim vacare, ut primum id ætas Philippi filii et Christiani orbis regnorumque suorum pateretur utilitas, quod demum ipsum pariter exsecutum fuisse, videbimus. Finitis Montionensibus comitiis Barcinonem* Borgia *cum conjuge rediit, muneri suo de more vacaturus; quo ipsum cæsar mense Octobri anni* 1542, *ut scribit Sandovalius lib.* 25, *cap.* 24 *Vitæ Caroli, secutus est, iter suum in Castellam inde prosecuturus. Suppletis ex Nierembergio Alvaroque, quæ apud Ribadineiram desiderabatur, modo Vitæ* S. Francisci, *quam Ribadineira conscripsit, filum repeto.*

§ VI. Patri defuncto succedit; Gandiensium bono consulit; opes spernit, uxorem amittit. F

Mortuo patre, functus Post *cæsaris Barcinone in Castellam discessum munus suum sedulo de more administrabat* Borgia, *cum nec opinanti tristis Gandia allatus est nuntius, patrem suum Joannem, Gandiæ ducem, diem suum, ingenti sui relicto desiderio, obiisse, die nimirum nona Januarii anni* 1543, *ut habet Alvarus cap.* 17, § 1, *lib.* 2. *Mox die* XVI *Januarii scriptis litteris cæsarem, gravissimi, quod parentis morte acceperat, vulneris certiorem fecit, petiitque, ut Gandiam sese conferre liceret: ita colligo e litteris responsoriis Caroli, quibus* Borgiæ *significat, ne Barcinone Gandiam prius abeat, quam cæsar ipse illuc iterato appulisset, in Italiam et Germaniam inde perrecturus. Datæ sunt* Madriti die vigesima secunda Januarii anni

AUCTORE J. B.

anni millesimi quingentesimi quadragesimi tertii, *ut diserte legitur in earum apographo, quod penes nos est, cetera valde corrupto. Pauli quoque III, summi Pontificis, ad* Franciscum *litterarum apographum, sed æque vitiosum, habemus, quibus eum Paulus de patris morte consolatur, et patrem æque ac Filium magnis laudibus cumulat: dolere quidem se vehementer ait de morte patris ejus, viri, ut vocat, auctoritate, pietate et virtute insignis: verum dolorem hunc suum ex eo minui, quod Filium hæredem reliquerit, qui non minus virtutis ac animi, quam corporis imagine parentem referret. Paulum etiam* Francisco *optionem dedisse, cui filiorum suorum galerum cardinalitium collatum vellet; sed id honoris præ modestia recusasse Gandiensem ducem, scribit Alvarus cap.* 17, § 6 *ex testimonio P. Dionysii Vasquez, licet nulla hujus rei in citatis Pauli litteris mentio fiat.*

Gandiensium dux,

72 *Cum Barcinonem mense Aprili cæsar rediit, egit apud illum multis, ut munus suum in alium transferret, sibique Gandiam abeundi licentiam faceret: exigebat id patris ultima voluntas, quam protelare nefas erat, res domestica et mater vidua. Annuit tandem cæsar votis ejus et* Franciscum *Gandiæ ducem, quo eum deinceps titulo appellabo, instituit: verum ea lege votis ejus annuit cæsar, ut, compositis rebus, cum uxore et filiabus ad Philippi principis ejusque sponsæ Mariæ aulam rediret, nempe ut ibi decretis nuper a cæsare muneribus fungerentur: admisit conditionem* Franciscus, *sed simul, cælesti, ut apparet, inspiratione edoctus, id numquam fore, et Superis aliter visum esse, prædixit, quod rerum exitus demonstravit: nam præmatura Mariæ, Philippi conjugis, mors, quæ anno* 1545 *die* XII *Julii secuta est, dictam* Francisco, *uxori et filiabus legem irritam fecit. Cæsare igitur in Italiam abeunte,* Franciscus *paternam domum repetiit, una cum Joanne Texeda, quem bona moderatorum ejus venia perpetuum sibi comitem adsciverat, et domi suæ alere consueverat. Hæc fere ex Nierembergio et Alvaro.*

suorum bono præclare consulit,

73 *Quantum Catalaunis discessus ejus mœroris, tantum ejus adventus lætitiæ Gandiensibus attulit, qui in illius humanitate et benevolentia, ut Ribadineira scribit, magnum sibi præsidium collocarant. Gandiam ut venit, primum in parentis sui domesticos benevolentiæ specimen dedit: quamquam enim a domesticis domum ipse probe instructam haberet, nullum tamen e parentis sui ministris loco motum voluit. Xenodochium instauravit, auxitque reditibus. Gandiam molibus, fossa, vallo, muroque, qua parte nuda erat, tormentis recens conflatis, excubiisque militaribus, quo ab Africanorum pyratarum incursionibus tuta esset, munivit: ditionem Gandiensem, emptis suo ære aliquot pagis finitimis, auxit: Lombayæ PP. Dominicanis cœnobium inchoavit. Hæc paucis Ribadineira exponit: nec plura Nierembergius hoc loco tradit: fusior multo Alvarus, ex quo, quæ sequuntur, paucis delibo. Nova dignitate auctus, quibus ante assueverat, pietatis exercitia vitæque austeritatem auxit: liberos et domesticos sic ad pietatem verbis factisque instruxit, ut ejus aula virtutis domicilium videretur. Effusa in egenos cætusque religiosos ejus liberalitas fuit; cura et charitas in infirmos summa, ditionis suæ villas populosque peragravit, scandala vitiaque publica sustulit, blasphemis mulctam inflixit, Maurorum ad fidem Catholicam conversionem summopere cordi habuit, legesque varias condidit felicitati publicæ perinde ac divinæ gloriæ utiles; quæ omnia, ut dixi, fusius explicat et ad annum* 1543 *Alvarus refert.*

exercitia S. Ignatii obit,

74 *Anno, qui hunc proxime secutus est, ad Valentinos, qui spem condendi collegii fecerant, missus est P. Araozius, qui Quadragesimæ tempore fructu maximo sacras ad populum orationes habuit: hujus audiendi cupidus Dux Gandia Valentiam profectus non modo dicentem frequens audivit, sed etiam S. Ignatii exercitia, eo duce, quod Barcinone jam fecerat, ibidem obivit, vitæque suæ sanctimonia totam civitatem sui admiratione complevit: male id dæmonem habuit; hic visitanti xenodochium Duci terribili specie apparuit, et in hujusmodi verba prorupit: Miror te, qui tantus sis, cum tam vili plebe versari. Hostis superbiam humili Dux responso repressit, Magis enimvero, inquiens, te miror, qui tam superbus es, mecum, homine tam vili, colloqui velle. Ceterum, quod ad rem collegii Valentini attinet, eam non modo auctoritate promovit, sed collatis etiam mille nummis juvit. Valentia digressus Araozius Gandiam Eleënoram salutandi causa contendit, quo inde quoque profecto, utrique conjuges de condendo Gandiæ Societati collegio iniere consilia, uti post* Franciscus *per litteris* XVIII *Novembris exaratas Araozio significavit. Orlandinus in Historia Societatis Jesu ad annum* 1544, *num.* 125 *Araozium quidem Gandiam salutandi ducis* Francisci *gratia contendisse scribit, nec mentionem ullam facit eorum, quæ Valentiæ, cum illic Araozius versabatur, Dux Gandiæ gesserit; verum propterea, quæ modo de his ex Alvaro dicta sunt, non vere dicta esse, affirmare non ausim: potuit enim* Franciscus *prior Valentia remeasse, ac dein Araozius eumdem iterato, uti et Eleënoram convenisse; idque ita reipsa factum esse, scribit Alvarus lib.* 2, *cap.* 18, § 1.

Pyratarum metu suos liberat,

75 *Progreditur hinc Alvarus ad annum* 1545. *Sub hoc tempus, inquit, apostata quidam, vitam solitariam sanctitatemque mentitus, cellam quamdam in littore maris sitam, cui sacellum S. Annæ sacrum adjunctum erat, locum ea tempestate ob Africanorum pyratarum metum plane desertum, sibi inhabitandam depoposcit: cum anceps hæreret* Borgia, *consultus ab hoc Joannes Texeda, Gandiam a Mauris captum iri, si veterator compos voti fieret, respondit. Dein certo rescitum est, militare id fuisse commentum, quo illac in ditionem Gandiensem aditum sibi patefacerent; paucis vero post diebus contigit, ut pyratæ cum populis Gandiæ vicinis manus conserent, qua in pugna proditor morte perfidiam luit. Non deserebant interea vicina Gandiæ littora pyratarum naves; per ditionem ingens erat Maurorum numerus: cœptum est itaque trepidari undique, Mauri in suspicionem proditionis adduci: non alia de causa in multitudinem sævire crudelitatis; clanculum, quid rerum ageretur indagare res erat, plena periculi, suspiciones augere, et irritatis jam animis novos*

A *vos subjicere stimulos. Consultius nihil* Francisco *visum, quam ut ad Deum precesque confugeret: neque eum sua fefellit opinio. Surgens enim aliquando ob oratione, nec Gandiam a piratis captum iri, nec ditionis suæ Mauros proditionem moliri, sed vanos sibi populum timores fingere edixit, quod effatum, oraculi instar acceptum, formidinem dispulit, et tranquillitatem Gandiæ incolis pariter et accolis reddidit.*

animi rebus mundanis 76 *His subdit Alvarus specimina aliquot virtutum, quibus tum temporis Gandiam in sui admirationem Dux excitavit. Concioni forte aderat cum uxore in S. Claræ parthenone, cui præerat Francisca de Jesu, Ducis amita, quæ illum rerum suarum hæredem olim instituerat: orator eloquentior, quam prudentior, sacras virgines, quod a consanguineis res suas in luxum potius, quam in Dei cultum expendi sinerent, liberius, quam verius redarguens, si Sanctæ estis, aiebat ad moniales conversus, res vestras per vosmetipsas administrate: manibus vestris expendentur melius, quam alienis (hæc ad Ducem conversus) mundo prodigis,*

B *cælo avaris. Pupugit Ducis animum, etsi extra noxam esset, oratoris libertas, simul et animo ejus scrupulum movit. Cum itaque finem dicendi ille fecisset, cœnobii præfectam adit: audisti, inquit, oratoris dicta: vereor, ut rem tuam utiliter satis administrarim: posthac tuo dispensabuntur arbitrio; sic erit, ut minus mihi sit redituum et minus curæ. Illa Ducis scrupulum ex animi demissione ortum, intelligens, rerumque mundanarum in illo contemptum admirata respondit, certo se habere compertum, res olim suas abs illo optime geri, nec alterius rem esse prodigentiæ, quam quæ pietatis nomine appellanda sit. Porro, ut illæ male perirent, æquum tamen haud esse, ut iis se rebus ingereret, quibus dudum Christi, Sponsi sui, amore renuntiasset. Ita factum, ut Dux, errorem suum agnoscens, sereno abs illa vultu animoque discesserit.*

minime affixi 77 *Alterum animi, terrenis opibus minime affixi, indicium a* Borgia *datum, eadem cœnobii Gandiensis præfecta non sine animi sensu, inquit Alvarus, narrare consueverat: Joannes, Ducis pater, Franciscæ de Castro*

C *et Pinos, quam alteris sibi nuptiis junxerat, satis amplos, quibus dignitatem tueretur, reditus testamento reliquerat: at illa his non contenta augeri sibi reditus voluit: Dux, ut qui novercam matris loco haberet, cupiebat ejus animo obsequi potius, quam lites sequi. Contra conjux ceterique consanguinei liberorum potius ditionisque suæ commodis serviendum contendebant: non pietatis, sed injustitiæ genus fore, si, quod liberis, quod uxori, quod familiæ deberetur, novercæ cederet. Jurisconsultos adiit, quorum sententia cum Francisca iniquum posceret, ventum quidem est ad lites, sed ita, ut qualecumque hoc malum non dubiis in novercam benevolentiæ et reverentiæ signis, quoad posset, Dux mitigaret. Disceptata causa est in consilio regio; ubi ad suffragia ventum est, pars major judicum a Joannis vidua stetit, et perpetuum Gandiæ ducibus indictum est silentium. Latam in se sententiam perinde gaudens accepit, ac si causam ipse evicisset. Mox ad S. Claræ se conferens, amitæ lætum tibi nuntium, inquit, fero, me causa cecidisse: quid refert novercæ cessisse victoriam, quando hæc non minus gaudii mihi, quam ipsi parit? Paullulum mihi diminuta res erit: at his, quæ perdidit, magis indiget, quæ causam vicit. Hujusmodi verbis sincerum animi sui ex hac re gaudium* Franciscus *testatus apud amitam est: sed id contigi prodere sedulo cavit, ne vel dolorem dolori adderet, vel mutuus amor detrimenti quidpiam caperet.* AUCTORE J. B.

78 *Litem item alteram de rivo quodam* Francisco, *domino suo, quidam sacerdos leves nimis ob causas intendit: male id habuit Ducem, cum id non citra omnem sui injuriam fieri, existimaret. Accersito ergo in ædes suas sacerdoti documenta invicta, e quibus jus suum liquido constabat, objicit, et protritam, quam Domino deberet, reverentiam exprobat. Hic non sine contemptu aliquo Ducis verba excepit. Commovit ea res Ducis animum; quare acrioribus in sacerdotem verbis usus, irato vultu, gravi passu et abrupto repente inchoati sermonis filo recessit. Sed vix abierat, quin ad se rediens revocari sacerdotem jusserit: ut hominem metu pallidum ædes subeuntem vidit, illico illi obviam prodit, et in terram provolutus sacerdotis pedes* E *lacrymis rigare non destitit, donec facti, cujus in se culpam omnem transferebat, veniam impetravit: mox litem amice composuit e re magis adversarii, quam sua. Inquiri clam præterea, quos in litem sumptus fecisset, eosque reddi presbytero jussit, immortali relicto suæ virtutis exemplo.* *specimina præbet.*

79 *Longa interim ac periculosa febris, quacum Eleenora uxor conflictare sub anni* 1546 *principium cœperat, tanto graviore illum vulnere perculit, quanto majore in illam ob morum similitudinem, intimam familiaritatem, liberorum fœcunditatem egregiasque virtutes amore ferebatur: nullis ergo precibus parcere, eleemosynas effundere, publicas privatasque per ditionem orationes et Sacrificia indicere, quo dilectissimæ conjugi (quacum ab annis aliquot continentiæ pactum inierat, teste Cienfuegos lib. 2, cap. 10, § 1) pristinam a Deo valetudinem impetraret: nec omnino frustra: nam* solus aliquando conclave, remotis arbitris, ingressus, *inquit ex Ribadineira Schottus,* obnixe, lacrymis fusis, obtestabatur Deum, salvam conjugem superstitemque vellet: cum ecce tibi vocem quamdam F interiorem clare audire visus est, ut post ipse retulit, quæ diceret: Uxorem si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat: at tibi non expedit. *Eadem quidem Nierembergius et Alvarus scribunt, sed explicate magis; ut qui tradant, eam vocem a Christi crucifixi imagine, ante quam genibus flexis orabat, ad* Francisci *sensibili modo aures animumque fuisse dilapsam: cui rei, ut fidem faciat Alvarus lib. 2, cap. 1, § 1, Franciscæ de Jesu,* Francisci *ex Joanne filio neptis, aliorumque sex testimonium, jurejurando firmatum, ex solo Matritensi processu laudat. Subdit, illam Christi imaginem studiose in Borgiana familia fuisse servatam a Carolo,* Francisci *filio et in ducatu Gandiensi successore: coactum tamen fuisse Clarissarum Matritensium, quæ eam venerari summopere cupiebant, pietate Matritum aliquando mittere; nunc autem (prodiit ejus de Vita* S. Francisci *Opus anno hujus seculi 17) in manu esse principis Squillacii, qui prodigiosi æris illius virtutem atque efficaciam, nondum exstinctam, recens agnoverit.* *Uxorem*

30 *Porro*

AUCTORE J. B. amittit.

80 *Porro mirari satis Dei in se benignitatem* Franciscus *haud potuit; nec facere, quin non modo uxoris vitam, sed et se suaque omnia divino arbitrio summa animi tum promptitudine, tum demissione permitteret. Augeri exin, tantæ mutationis causam ignorantibus ac stupentibus medicis, Eleënoræ morbus ad desperationem cœpit. Agebat tum Gandiæ cum sociis aliquot, inquit Alvarus, P. Oviedo, nondum cœpta Gandiensis, quod* Borgia *meditabatur, collegii fabrica: gratissimum Eleënoræ fuit, illo duce, æternitatis iter ingredi: totius ergo vitæ noxas inter salutarium lacrymarum imbres illi confessa, pari pietatis ardore et sensu cetera Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta, morientium præsidio instituta, suscepit. Nusquam cum morte luctanti conjugi Ducis opera et solatium defuit. Ex P. Dionysio Vasquez refert Alvarus, moribundæ dixisse, mori se libenter velle, ut ipsa viveret, si commutare sortem Deus vellet: illam autem Ducis verba blando risu excepisse* B *ac respondisse, minime id sibi dubium esse; quod tantumdem vilissimo cuique xenodochii infirmo facturum, certo sciret. Ita placide ad vitæ terminum, inspectante* Francisco, *properabat, quem demum dulcissima Jesu et Mariæ nomina ingeminans attigit die* XXVII *Martii anni* 1546, *cum nondum annum ætatis suæ trigesimum sextum* Franciscus *explevisset. Reliquit Eleënora liberos octo, quorum curam et familiæ administrationem Joannæ de Meneses, Eleonoræ sororis, prudentiæ commisit. Ipse, persolutis uxori exequiarum justis, primum ad S. Hieronymi cœnobium, non procul Gandia situm, dein ad Vallem-Dignam, Ordinis Cisterciensis abbatiam, frequens sese recepit, ubi ab omni fere hominum consortio remotus, diu noctuque precibus, corporis castigationibus, omnique pietatis officio, celerem Eleonoræ animæ felicitatis æternæ aditum studuit impetrare: addit præterea Alvarus, cum in Valle-Digna moraretur, abbatis perpetui titulo, quo Gandiæ duces gaudebant, renuntiasse, quod rerum longe majorum præludium fuit.*

C § VII. Cætus religiosos partim condit, partim fovet: Societatis votis clam se illigat: Exercitia S. Ignatii a Paulo III approbari curat, variarumque virtutum edit exempla.

Lombayæ Dominicanis conventum,

Præclara enimvero et admiratione digna sunt, quæ hactenus facinora Franciscus *ediderat; at, posteaquam matrimonii vinculis expeditum sese vidit, animum ad longe majora applicuit. Jam e Ribadineira relatum supra est,* Franciscum *Dominicanæ familiæ Lombayæ conventum suis sumptibus inchoasse. Cœptum id operis fuit, ut Franciscus Diago in Historia provinciæ Aragonicæ ejusdem Ordinis lib.* 2, *cap.* 101 *scribit, anno* 1543, *superstite adhuc Eleonora; verum e vivis prius hæc excessit, quam impositam operi coronidem viderit. Anno primum* 1548, *ut laudatus Diago scribit,* Franciscus *PP. Dominicanos in cœnobii possessionem misit pridie festi S. Dominici, eodemque obtentam ea super re Pauli III, summi Pontificis, jam inde ab anno* 1544 *bullam, publice promulgari curavit die* XIV *Septembris. Congruis novum monasterium reditibus dotavit, sed id sategit maxime, ut, qui id primi incolerent, viri essent virtute vitæque integritate spectatissimi, quos inter emicuere potissimum Joannes Myco, qui Duci olim, ut dictum in superioribus est, a confessionibus fuerat, et Ludovicus Bertrandus, quem a Clemente X una cum* Francisco *Sanctorum albo adscriptum modo veneratur Ecclesia. In eum maxime scopum, cum id cœnobium condidit,* Franciscus *intendit, ut legitur in litteris, ea de re die* IV *mensis Augusti anni* 1548 *conscriptis, ne Mauris, ad fidem Catholicam recens conversis, doctores deessent, qui rudes eorum animos eruditione Christiana excolerent. Hæc ille Lombayæ præstitit, quo fidem illic Catholicam tueretur et propagaret.* E

Gandiæ collegium et academiam condit;

82 *At Gandiæ, quæ ditionis suæ caput erat, majora etiam præstitit. Jam dudum Academiam illic excitandi propositum animo foverat: egerat ea de re, uti et de condendo Societati collegio cum S. Ignatio, cujus rem totam demum commisit arbitrio. Missus ab Ignatio Gandiam Faber fuit, qui collegium inchoaret: jacta collegii fundamenta solenni ritu anno* 1546 *die* V *Maii. Brevi eo provectum ædificium fuit, ut scholæ publicæ aperirentur, isque primus fuit, qui Societati in Europa obtigit, publicus litterarum ludus, ut Orlandinus ad hunc annum num.* 7 *tradit: alterum insuper alendis et sincera una cum litteris religione inbuendis Maurorum liberis domicilium struxit: incoli collegium, in ejus usum* Borgia *suis manibus, Patris exemplum imitantibus filiis, vineam sevit, a sociis cœpit anno* 1548 *pridie Ascensionis Domini anno vero insequenti Kalendis Martii recitatæ sunt in templo collegii coram duce* Borgia, *Francisco Rocca, Gandiensium canonicorum decano, qui Apostolicorum mandatorum exsecutor erat, Oviedo et Araozio Pauli III litteræ, et* F *Academia Gandiensis, cui primum rectorem Ignatius Oviedum dedit, publicata, et anno* 1550 *item a cæsare, ut Alvarus scribit, confirmata. Decretum inter cetera, eodem teste,* Borgia *voluit, ut, qui in illa gradum susciperent, patronos sese fore conceptæ absque macula Virginis, jurejurando firmarent, idque exemplum inde ad alias quoque academias propagatum est.*

Complutense et Cæsaraugustanum promovet,

83 *Non hic stetit effusa Gandiæ Ducis in Societatem, ut ita loquar, prodigentia. Quo tempore Gandiæ amplum Societati templum maximis moliebatur impendiis, Compluti, ubi celebris admodum Academia vigebat, certum sociorum numerum suis sumptibus aluit: ad Ferdinandum Aragonium, avunculum suum, Cæsaraugustanum archiepiscopum, et ad Aragoniæ proregem litteras dedit, ut ædes Societatis Jesu hominibus Cæsaraugustæ conderent, oblatis etiam ultro, quod illic habebat, domicilio, nonnullisque, quibus in Aragonia gaudebant Gandiæ duces, reditibus: Hispali, quæ Bœticæ caput est, idem ut fieret, Materteræ suæ, ducis Medinæ Sidoniæ conjugi, et marchionis de Plego uxori suasit, reditibus item aliquot,*

A *aliquot, quos propter Hispalim possidebat, Societati transcriptis : propterea tamen ex eleemosynis, quas seu publice, seu privatim largiri egenis consueverat, nihil decerpsit, imo auxit magis; ut prodigio simile visum fuerit, ditionem Gandiensem his aliisque impendiis tum sufficere potuisse, fassusque sit aliquando, illa de re a P. Dionysio Vasquez interrogatus* Borgia, *occultæ ac singulari divinæ in se providentiæ beneficio adscribi id omne, quantum esset, oportere. Ita partim Orlandinus in Historia Societatis lib* 2, *partim Alvarus in Vita* S. Francisci *lib.* 3, *cap.* 2, §§ 3 *et* 4.

obitis tertio exercitiis, 84 *Interea Gandiæ Dux non minorem animi sui magis magisque excolendi sollicitudinem gessit : jam ex exercitiis S. Ignatii Barcinone et Valentiæ fructum perceperat plane eximium : eadem quoque Gandiæ, Fabro duce, instituit. Is Romam evocatus, eodem anno ibidem decessit, magno suorum luctu. Ignatius, etsi hujus viri jacturam maximi faciebat, suos tamen solatus est, brevi fore, ut*

B *Societati se daret alius (erat is* Franciscus, *Gandiæ dux) qui Fabri jacturam facile resarciret, pollicitus, itaque evenit : nam* Franciscus, *ex quo tertio, quæ diximus, Exercitia instituit, quod olim animo, curis sese seculi expediendi proprositum conceperat, nunc exsequi omnino decrevit. Fluctuabat ejus animus inter Seraphicum S. Francisci Assisiatis Ordinem et recens natam Societatem Jesu. S. Ludovici Bertrandi, Miconis, Fabri, Texedæ, de quo supra, Oviedi aliorumque preces petiit : Texeda in primis, divinæ voluntatis esse, ut Societatem amplecteretur, asseveranter respondit, quod etiam tam* Borgiæ, *quam Texedæ intelligibili voce per Deiparæ Virginis iconem confirmatum fuisse, partim ex doctoris Herreræ testimonio, partim ex litteris ea de re ad P. Dionysium datis, Alvarus tradit lib.* 3, *cap.* 4, § 2. *Pluribus haud opus fuit* Borgiæ *stimulis, ut illico votum Societatis ineundæ conciperet : nuntio igitur Romam misso, ut Sociis adscriberetur, ab Ignatio petiit, votique mox compotem hic fecit, missis litteris, quarum infra num.* 51 *Schottus sensum reddit.*

clam Societatis votis se illigat, 85 *Renunciari gratius nihil* Francisco *potuit : summa vero votorum exin fuit, ut solenni votorum professione seculi vinculis sese quantocius expediret. Sed neque per publica, neque per privata negotia id perinde cito, ac optabat, fieri potuit. Montione in oppido Philippus, Hispaniarum princeps, anno* 1547 *regni Aragoniæ conventum habiturus, eo Gandiæ Ducem evocavit ; parendum principi fuit et publica tractanda negotia : non ita tamen ad illa applicuit animum, ut Orlandinus ad hunc annum scribit, quin collapsam in aliquot virginum monasteriis, in Catalaunia sitis, disciplinam ex antiquitatis norma instaurandam curarit : per idem quoque tempus rogari per Ignatium Paulum III petiit, ut solennia Societatis vota profiteri privatim sibi liceret, ac interim res publicas privatasque administrare, donec liberorum ac familiæ necessitati prospexisset. Facta hac sibi a Pontifice potestate, nihil cunctandum ratus, ne expectato quidem Araozii cunctantis adventu, in sacello collegii Gandiensis solennia Societatis vota emisit Kalendis Februarii, S. Ignatio martyri sacris, anno* 1548, *paucis tamen consciis, sociis nempe collegii Gandiensis, ut ait Alvarus,*

C

Ducisque filiis, ne res in vulgus dimanaret. Tantæ festinationis porro causa fuit, ut aulæ Philippi principis præfecturam, de qua illi imponenda agebatur, effugeret. AUCTORE J. B

exercitiorum. 86 *Neque id unicum fuit, quod hoc anno Paulus Pontifex suæ in Gandiæ Ducem benevolentiæ dedit indicium : quippe libelli exercitiorum S. Ignatii excellentiam iterum iterumque expertus* Borgia, *obtestatus antea fuerat Pontificem Maximum, ut libellum illum, ex idiomate Hispano Latine versum, sua auctoritate munitum vellet; quod quidem Pontifex prolixe ac liberaliter fecit his verbis :* Paulus Papa III. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii cura, in universum Christi gregem nobis commissa, et divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea, quæ salutem animarum et spiritualem earum profectum juvant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fovere et nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, a nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum ergo (sicut dilectus filius, nobilis vir, Franciscus de Borgia, dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius Ignatius de

E Loyola, Præpositus Generalis Societatis Jesu, per nos in alma Urbe nostra erectæ, et per nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta sive Exercitia spiritualia, ex sacris scripturis et vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit, et in ordinem, ad pie movendos fidelium animos, aptissimum redegerit, illa Christi fidelibus, ad spiritualem consolationem, et profectum magnopere utilia et salubria esse, non solum fama, ex plurimis locis allata, prædictus Franciscus dux didicerit ; sed etiam experimento manifesto, cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit.

a Paulo III 87 Quare idem Franciscus dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta et exercitia spiritualia prædicta, quo latius eorum fructus pateat, et plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere, et, si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui documenta et exercitia hujusmodi examinari fecimus, et, quæ testimonio ac relatione dilecti

F filii nostri Joannis tituli S. Clementis; presbyteri Cardinalis, Burgensis episcopi ac hæreticæ pravitatis inquisitoris, et venerabilis fratris nostri Philippi *, Saluciarum episcopi ac dictæ Urbis nostræ in spiritualibus vicarii generalis, nec non dilecti filii Ægidii Foscararii, nostri sacri palatii magistri, nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, et ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus.

* Archinti

approbationem impetrat : 88 Debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, et ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta exercitia attulerunt, non immerito habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus : hortantes plurimum in Domino, omnes et singu-

AUCTORE J. B.

los utriusque sexus Christi fideles, ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui devote velint. Nec non concedentes, ut hujusmodi documenta et spiritualia exercitia imprimi, a quocumque bibliopola per prædictum Ignatium eligendo, libere et licite valeant: ita tamen, ut post primam editionem, sine consensu ejusdem Ignatii, vel successorum ejus, nec ab hoc, nec ab alio omnino, sub excommunicationis et quinquaginta ducatorum, piis operibus applicandorum pœna imprimi possint. Ac mandantes nihilominus universis etc. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Julii, MDXLVIII. Pontificatus nostri anno XIV.

Blo. El. Fulginensis.

rem domesticam componit,

89 *Nuncupatis Societatis votis, nihil antiquius habuit, quam ut singula, quæ in mandatis ab Ignatio acceperat, accurate exsequeretur. Ut primum igitur licuit, rem domesticam composuit, liberisque prospexit. Carolo, filio natu majori et successori, uxorem dedit Magdalenam Centellas, Francisci comitis Oliv*æ *et Mariæ Cardonæ filiam, paterni comitatus dein heredem: de ceteris ejus filiis hic Ribadineira omnino silet: Alvarus vero lib.* 3, *cap.* 8, § 1 *scribit, Alphonsum teneræ ætatis juvenem, fratris sui Caroli fuisse potestati relictum: in votis vero fuisse* Francisco, *ut statum ecclesiasticum aut religiosum Ordinem amplecterentur Joannes, Alvarus et Ferdinandus. Filiarum ejus natu minima, Dorothea, Sponsum sibi Christum in Clarissarum Gandiensium parthenone adsciverat. Joanni Henriquezio, Alcanizæ marchioni, nupsit Joanna, secundo nata; Isabella vero natu maxima majori comitis Deniæ filio, Lermensi comiti, Francisco Rogio Sandovalio: in hujus nuptiis insignis* Francisci *cautela emicuit: nec sponsis prius colloquendi facultatem fecit, quam inito rite matrimonio, sacrisque in templo majori, quo Denia Gandiam advenientem generum recta deduxit, peractis, quod præter Ribadineiram, Dionysius Vasquez, ex ipsiusmet comitis relatu scripsit, ut ait Alvarus laudatus* § 2.

Theologiæ studet.

90 *Iisdem litteris, quibus Gandiæ Ducem in Societatis alumnum adoptarat Ignatius, eumdem studia litterarum repetere, Theologiæ præsertim, ut quæ sacerdoti maxime necessaria esset, solerter incumbere, et doctoris etiam in Gandiensi academia lauream capessere jussit. Exsecutus est hæc* Borgia *non minore studio, quam voluptate, solitus in partem collegii Gandiensis, quo studiis vacaret, sese una cum filiis recipere, ut Ribadineira apud Schottum testatur, ubi etiam, quam studiorum rationem et vitæ modum tum tenuerit, exponit. Nihil exercitiorum scholasticorum, quæ ceteri obirent, a se alienum putabat: tantum vero brevi profecit, ut omnes in sui admirationem raperet: sed quanto major ceteris, tanto sibi minor videbatur, et quo plura discebat, eo se minus scire existimabat; quod thesibus quibusdam prodidit, quas inter socios a prandio tuendas aliquando suscepit: erant autem hujusmodi:* Positiones confusionis. Ex nihil factus sum. Ad nihilum redactus sum. Quid sim, ignoro. Si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse. Problema. Ex me ipso facio nihil. Defendentur crastina die a prandio. *Doctoris lauream adeptus est anno* 1550 *a P. Oviedo, universitatis rectore, nulla in re mitius habitus, quam quivis alius. Peresius, Ordinis S. Mariæ de Mercede insignis theologus, quem audiebat, theologicam ejus eruditionem animo versans, quin doctore alio, eoque invisibili, uteretur, dubitare non potuit; et aliquot post annos designatus fuit Tridentini concilii theologus, ut Dionysius Vasquez, Nierembergius et Alvarus scribunt, e quibus pariter hausta sunt, quæ hic Ribadineiræ narrationi addidimus.*

Miraculum Ducum appellatur.

91 *Percrebuit interim longe lateque* Borgiæ *fama, ita ut non pauci cum ecclesiastici, tum secularis ordinis viri eum coram intuendi alloquendique desiderio Gandiam accederent. In his Stephanus Almeyda, Murciensis et Carthaginensis episcopus, fuit, qui anno* 1548 *nescio quid magni ambitioso animo versans, prius convenire Gandiæ Ducem voluit, quam Castellam, eorum, quæ meditabatur, illic fundamenta jacturus, adiret. Is, quamquam præclara illustriaque de* Francisco *audierat, brevi tamen fuisse isthæc vero minora, contra ac sæpe usu venire solet, percepit. Cum dies aliquot in Ducis palatio exegisset, hujus hortatu sermonibusque valere jam capta consilia jussit, animoque prorsus mutato, omnino alia agere cœpit. Murciam redux continere sese non potuit, quin, datis die* XXV *Aprilis ejusdem anni ad amicum præsulem litteris,* Franciscum *ejusque familiarem Joannem Texedam effusis laudibus exornaret: Gandiam, inquiebat, veni; Ducum vidi, ducem procerumque prodigium, totum humilem, totum sanctum et vere virum Dei. Cetera videsis in Stephani litteris, quas exhibet Alvarus lib.* 3, *cap.* 8, § 3. *Porro idem Alvarus cap. proxime seq. nonnulla adhuc, quæ summatim delibare sufficiat, de duce* Borgia, *quæ, cum Gandiæ versabatur, acciderunt, peculiaria refert.*

Cœlesti luce collustratur,

92 *Ac primo ex Sancti Processibus ait,* Franciscum, *uno dumtaxat famulo* (Molto *illi nomen erat, ac, uxore mortua, Heri exemplum secutus, vir pius Societati adscriptus fuit*) *comitatum, sub vespertinum tempus quasi purioris aeris respirandi gratia suis æstivo tempore egredi ædibus solitum; revera autem, ut in turri quadam, portæ urbis Gandiensis, qua Valentiam itur, imposita, oratione et rerum divinarum contemplationi ad mediam usque noctem vacaret: contigisse porro aliquando, ut eo loci famulus supradictus Dominum suum altissima contemplatione absorptum ac luce cœlesti collustratum viderit: sæpe item hujus famuli officinam ducem adiisse, eique, operi suo insistenti, alias pium libellum evolvendum dedisse, alias pios atque prolixos cum eodem instituisse sermones, quibus ille non modo ad virtutem excitaretur, sed etiam operum socios eruditet; ejusdem vero famuli filiam in canonizationis processibus testatam esse, patrem domum ab opere redeuntem sibi sæpe ac uxori dixisse: Dux noster insignis enimvero sanctus est, eumque aliquando, seu vivi in terra, seu in cælo mortua Sanctis adscriptum videbimus.*

Raræ humilitatis aliorumque

93 *Refert dein Alvarus,* Franciscum, *ab Ignatio pœnitentiæ rigorem moderari jussum, citius quidem sese cubitum recepisse; sed vel solum parendi desiderium identidem somnum illi interrupisse; oculos itaque velo obduxisse, eoque pacto factum esse, ut somnum caperet, ut diuturniorem, ita et piis cogitationibus suaviorem*

A *viorem: cum autem ab eo potissimum tempore dæmonum spectris, iisque frequentibus et terribilibus, infestari cœpisset, dæmonis præstigias* Borgiam, *orationis armis instructum, animo imperrito excepisse, contempsisse ac profligasse. His subdit raræ in* Borgia *humilitatis exempla. Gandiam venerat Araozius morbo periculoso implicitus : viderat illum* Borgia, *etsi præesset ceteris, sæpe antea culinæ laboribus occupatum, et in triclinio cibos ministrantem communitati. Idem ægrotanti reddere* Borgia *obsequium voluit : ad culinam itaque properat, candelum accendit, ollam, infusa aqua, igni imponit, par ovorum coquit, hoc ipse ad Araozium defert : comede, inquit, quæ coxi, ova; si forte duritie peccent, veniam dabis : nam ova numquam alias coxi. Hujusmodi obsequia nostris sæpe alias præstitit, rogatusque ab Oviedo, quanti illa æstimaret: tanti, inquit, ut eorum mercede indignum me censeam.*

virtutum exempla edit.

94 *Par erat humilitati vestium, quibus induebatur, vilitas. P. Raphaël Texeda Gandia Vallisoletum discessurus, cum interiori indi-*
B *geret veste, forte accidit, ut coram P. Oviedo rectore collegii Gandiensis,* Francisco, *aliisque ea de re mentionem faceret : id ubi audivit* Franciscus, *mox œconomo suo præcepit, ut vestes Raphaëli, quas optabat, confici curaret, joco addens, nescire se, utrum eas, quibus ipse induebatur, gestare Raphaël vellet : quippe quæ adeo attritæ laceræque erant, ut id, quod res esset, suspicatum fuisse Ducem, fassus sit P. Raphaël in litteris, quas anno* 1586 *die* XXI *Maii ad P. Dionysium Vasquez dedit, addens præterea, non defuisse tum seculares, tum ecclesiasticos viros, qui Ducem ea de causa reprehenderent; sed illum ea re nihil motum fuisse, ut vel vile indumenti genus mutaret, vel cultu ornatiore incederet. Denique, ut narrare Alvarus pergit, jam tum ita mundana omnia ex animo suo deleverat, ut vel omnem in liberos cognatosque amorem in Societatis, cujus jam erat complexus institutum, membra omnino transtulisse videretur.*

C § VIII. Compositis rebus, Romam tendit, rem Societatis promovet, et mira Sociis animi demissione prælucet.

Compositis magna ex parte

Nondum quadriennium, quod Francisco *componendis familiæ rebus concesserat Paulus III, effluxerat, cum, rebus rite compositis, abjicere dignitatem, rebus sese omnibus exspoliare, et liberis Gandiæque, Abrahami instar, perpetuo valedicere omnino decrevit : hærebat autem anceps animi, quo potissimum secessionem faceret. Maneretne in Hispania? Metus erat a cæsare, ne is se in aulam revocaret, ac aulæ principis Philippi præficeret. Romam iret? Non minor aderat a Paulo III metus, ne is, qui pari honore ab Alexandro VI affectus olim fuerat, et Rodericum anno* 1536, *Henricum anno* 1539, *fratres suos, Romana jam purpura donarat, se quoque S. R. E. Cardinalium cœtui adderet; maxime cum jam illi e vivis excessissent. Pari in dubio Romæ erat Ignatius, teste Ribadineira, qui rei gestæ interfuit : verum, Paulo III anno* 1549 *mense Novembri defuncto, metus hic cessit, jussitque confestim Ignatius, ut anno proximo, quo Jubileum celebrandum erat, Romæ adesset.* AUCTORE J. B.

rebus,

96 *Acceptis Ignatii litteris, mox ita distribuere universa perrexit, ut absque incommodo rei vel publicæ vel privatæ renuntiare dignitati, et Societatem jam palam profiteri posset. Testamentum condidit anno* 1550, *quo Carolum filium heredem scripsit, cui Gandiensis ditionis administrationem commisit. Testamenti sui (ut in mutilo ejus apographo lego) exsequendi curam reliquit Carolo mox dicto, Joannæ de Menezes, Eleënoræ sorori, Decano Gandiensi, Priori PP. Prædicatorum Lombayensis conventus, collegii Gandiensis Rectori et P. Baptistæ Parma Societatis Jesu Theologiæ magistro. Lombayam, Valentiamque adiit, ut scribit Alvarus; illam, ut loci incolis de fidelitate sibi hactenus præstita gratias* E *ageret, et Dominicanis Patribus, quibus illic domicilium struxerat, vale diceret : hanc, ut S. Thomas a Villanova Ordinis S. Augustini, Valentinus præsul, bene sibi precaretur. Gandiæ cives primarios, sacerdotes, religiosos peramanter, numquam eo rediturus, postremum invisit, ac maxime sacras S. Claræ virgines, quas tenerrimo prosequebatur amore. Joannæ de Menezes Christi imaginem, quam ob impetrata per hanc beneficia maximi faciebat, dono dedit. Ea denique liberis monita abiens reliquit, quibus et ad ipsorum, et ad ditionis Gandiensis seu in hac, seu in futura vita felicitatem nihil poterat dici præstantius. Quam ad filium orationem habuerit, fere habes infra num.* 56 *apud Schottum. Plura si voles, dabit hæc Alvarus.*

una cum sociis aliquot

97 *Aderat jam constituta discessui dies, mensis Augusti postrema anni* 1550 : Franci-
F scus, *suos inter lacrymas atque singultus arcte complexus, mox una cum Joanne filio, itineris comite, collegium Gandiense adit; ubi se illi e sociis comites junxerunt Araozius Provincialis, Gandiæ Rector Oviedus, Franciscus Strada, Jacobus Miro, Romam ad celebranda Societatis comitia una cum* Francisco *ab Ignatio evocati. Accessere his etiam Petrus Tablares, Emmanuel Sa, et Franciscus Roias; quibus Alvarus lib.* 3, *cap.* 10, § 3 *Herculem addit, et fratrem Julianum, Araozii socium. Novem e sociis* Borgiam *comitatos tradunt etiam Ribadineira et Nierembergius. Comitatum augebant famuli Ducis novemdecim. Ita* Franciscus, *pedes habituque consueto indutus Gandia egressus est, effusa ad tantæ rei spectaculum omni populi multitudine : ubi extra urbis muros ventum est, cum paucis patriæ vale dixisset, manantibus præ gaudio lacrymis, oculisque in cœlum sublatis, in Psalmum,* In exitu Israel de Ægypto, *alta voce erupit, eoque finito, adjecit :* Laqueus contritus est et nos liberati sumus. *Addit hoc loci Alvarus, portam, qua egressus Gandia fuit, muro a Carolo filio fuisse obstructam ad rei gestæ perpetuum monumentum : verum post Caroli obitum ab hujus filio Francisco denuo reclusam, ut qui Avi sui, cœlo terraque noti,*

AUCTORE J. B.

noli, memoriam famamque æternam hujusmodi monumento nequaquam indigere, haud immerito existimaret.

Gandia Romam

98 *Nec tamen portam illam Carolus inepte obstruxisse videtur, quod ita Gandia excesserat Pater, ut numquam eo esset rediturus : sane cum multis annis post in Hispaniam, Pio V jubente, ac Valentiam, quæ Gandia unius diei itinere dumtaxat abest, venisset, adduci minime potuit, ut solum natale reviseret. Porro* Franciscus, *conscenso extra Gandiam equo, eadem animi magnitudine et alacritate cœptum iter constanter prosequens, quoquo gressus ferebat, assidua non vulgaris sanctimoniæ comitibus suis, hospitibusque præbebat indicia. Audi Orlandinum lib.* 10 *Historiæ Societatis Jesu, num.* 38 *de sancto Viatore nostro loquentem* : Jam perpetui itineris, *inquit,* ea ratio fuit, ut ejus comitatus non popularis aliqua multitudo, sed religiosorum bene instituta sodalitas videretur. Adeo erant omnia ad disciplinam apta atque disposita. Quotidie post precationem, eamque bene longam, multarum scilicet horarum, noxas animi confessione tergebat. Missæ Sacro singulari quadam illius mysterii reverentia semper aderat, Dominique corpus pio ore animoque sumebat; quod ad sacerdotium usque perpetuum ei solenneve fuit. Cultus ejus atque vestitus infra dignitatem ducis erat, infra personam, clerici propior, quam sæcularis. Cibus item quotidianus admodum parcus, isque sumptus semel in die. Nocturnam quietem, cum sopor altus famulos oppressisset, crebræ verberationes interrumpebant. Sed res ea geri tanta dissimulatione non poterat, ut puerorum aures falleret : ii crepitu excitati plagarum, plagas ipsas sæpe numerabant, quarum constat fuisse numerum ab eis initum supra quingentas. Tædia itineris mutua divinis de rebus collocutio levabat, eademque vicissitudine quadam longa silentia precationis interpellabat.

B

inter assidua pietatis opera tendens,

99 *Tametsi sufficere hæc possint, ut merito hunc peregrinantium cœtum, non multitudinis popularis, sed familiæ cujusdam religiosæ, et bene quidem institutæ, speciem imaginemque præ se tulisse, Orlandinus scripsisse*

C *censendus sit, pauca tamen his ex Alvaro lib.* 3, *cap.* 3, § 3, *quibus Orlandini dicta confirmentur, aut explicatiora evadant, non abs re erit, ut opinor, adjecisse : refert itaque is insuper, jam inde ab itineris instituti principio, ita inter Ducem, Joannem, ejus filium, et Societatis Patres singulas diei horas fuisse divisas, ut singulas singuli horas per vices in oratione paululum a ceteris secreti transigerent, ita ut iter facientium oratio esset pene perpetua : si ad hospitium divertebant, privatum Duæ cum filio et Societatis Patribus conclave adibant, omnibusque elata voce pius aliquis liber prælegebatur : plerumque etiam sacra concio habebatur, modo Araozio, modo Oviedo, modo Strada, interdum etiam Duce, licet præ animi demissione invito, ad ceteros verba facientibus. Dein conscientiæ quotidianum examen una instituebant, eoque peracto, ea loca quærebat Dux, quibus orationi suspiriisque sine teste indulgeret. Pauperes forte nactus, ad hospitium invitabat et suis manibus subministrato cibo potuque recreabat. Accidit haud raro, ut tenuioris conditionis viatoribus occurrens, quo vehebatur, equum cederet, nec prius illum conscenderet, quam milliaria aliquot pedes non sine defatigatione esset emensus; passus tamen haud est, ut ceteri idem facerent, ne, quod ipse faceret, in incommodum verteretur aliorum.* D

summo honore tum in Italia,

100 *Iter facienti nihil æque molestum accidit, ac honores, quibus adventantem Galli Italique magnates excipiebant : vix pedem in Italiam intulerat, quin adfuerit illi ab Hercule Estensi, Ferrariensi duce, nuntius, qui salutatum domini sui verbis* Borgiam *Ferrariam invitaret deduceretque : hic, etsi honorum maxime fugiens, propter eam tamen, quæ illum inter et Herculem intercedebat, cognationis necessitudinem haud satis humane sese facturum, si illius postulatis refragaretur, arbitratus est. Natus enim erat Hercules, dux Ferrariensis hujus nominis II, ex Alphonso ejusque conjuge Lucretia Borgia, sorore Joannis ducis Gandiensis hujus nominis I, avique paterni* S. Francisci ; *erantque proin Hercules et Joannes, dux Gandiensis hujus nominis II,* Francisci *pater, ex fratre et sorore amitini. Hercules autem amitini Filium magna cum honoris, tum amoris significatione excepit quatriduo, ut Ribadineira, Nierembergius et Alvarus scribunt : sed triduum dumtaxat Ribadineiræ interpres Schottus expressit : an, quod quarto ab adventu die Ferraria discessit? Sic opinor equidem. Eximio quoque apparatu Florentiæ, ubi biduo tantum moratus est, exceptus fuit a Cosmo Mediceo, magno Hetruriæ duce : magnificum hic Gandiæ duci, egregieque instructum conclave designarat : sed ille cubitum sese recipiens tapeti, humi strato, incubuit. Utrique Duci, ut ædes per ditiones suas Societati conderent, eo fructu suasit, ut anno insequenti condi cœpta sint Florentinum et Ferrariense collegia. Multum item collegii Bononiensis rem Bononia transiens apud Pontificis legatum promovit, ut horum collegiorum veluti fundator haberi possit, inquit Alvarus, qui et addit,* Franciscum *honorifice admodum fuisse Parmæ habitum a Camertium duce, Octavio scilicet Farnesio, qui, restituto ecclesiæ ducatu, quem a Paulo III obtinuerat, factus est, post occisum a conjuratis aliquot anno* 1547 *Petrum Ludovicum Farnesium,* F *Parmæ et Placentiæ dux : cujus filius fuit Alexander ille Farnesius, rebus bellicis præsertim in Belgio præclare gestis, in primis inclytus.* E

tum Romæ excipitur,

101 *Viterbium cum pervenisset Gandiæ Dux, urbis Romanæ muros clam et sine strepitu subire decreverat : sed illuc nuntius a Cardinali Cueva venit, jam in occursum ejus non paucos e Cardinalium numero, legatosque principum properare : æquum esse, ut id honoris admitteret : deberi ista tum cæsaris, tum majorum suorum dignitati. In eamdem quoque sententiam magnatum impulsione scripsit Ignatius. Obviam misit Pontifex, qui felicem gratularetur Duci suis verbis adventum, perpetuumque, dum Romæ subsisteret, in sacro palatio offerret hospitium. Idem quoque fecere nonnulli Cardinalium : verum gratias ille omnibus egit, fidem a se datam causatus, haud alio se usurum hospitio, quam quo comites sui uterentur, id est, Romano Societatis Jesu domicilio. Aberat Roma binis tribusve leucis, cum ingens Hispanorum, Italorumque mobilium multitudo venientem excepit; quos cæsaris*

A *cæsaris apud Pontificem legatus, pluribus proceribus prælatisque comitatus, sequebatur. Aderat inter ceteros Fabritius Columna, nobilium Romanorum caterva et magno equitatu stipatus, ita ut obviantium numerus quamdam speciem præ se ferret exercitus. Ita rursum Alvarus, qui ex Epistola P. Tablares, quam paucis diebus a* Francisci *in Urbem adventu, die scilicet* XXVIII *Octobris, Simoni et Judæ Apostolis sacra, exaravit, vix non omnia et singula de* Francisci *Bononiam, Ferrariam, Florentiam ac denique in Urbem Romam adventu hic relata sint, deprompsit, ac ipsas ea de re P. Tablares, qui abeuntem Gandia* Franciscum *Romam usque sequutus est, litteras Hispano idiomate exhibet.*

abi ad Ignatium divertens,

102 *Deductus hac pompa in Urbem est, quæ, quo erat magnificentior, eo modestiæ ejus gravior accidebat : Urbem ingressus recta ad Ignatium contendit, qui Ducis adventum una cum sociis ceteris exspectabat in limine : ubi ex equo descendit, in ædes reverenter*
B *introductus est, omniumque nomine felicem illi in has adventum gratulatus est Andreas Frusius. Dimisso comitatu, Dux in terram provolutus, prehensa Ignatii dextera, ut bene sibi precari vellet, supplex petiit; inde ad amplexus et oscula ventum est, manantibus utrimque præ gaudio lacrymis, præsertim Ignatio jam tum præsagienti, quantum divinæ gloriæ Societatique emolumenti nova isthæc Proles esset allatura. Proximi dies fessarum ab itinere virium recreationi, admittendisque magnatum salutationibus dandi fuere; confirmatis jam viribus, summi Pontificis (erat is Julius III) pedes more majorum exosculatum ivit die, ut P. Tablares in supradictis litteris testatur, SS. Apostolorum Simonis et Judæ, seu* XXVIII *Octobris. Majore, quam ceteros soleret principes, Julius Gandiæ ducem animi propensione excepit, ejusque erga sacra Apostolorum limina pietatem exquisitis laudibus commendavit, ac denuo ædes Pontificias, si iis uti vellet, obtulit; sed perinde frustra, ac ante. Jussit itaque Pontifex, quod laudatus P. Tablares tradit, dispiceret apud sese in proximum con-*
C *gressum, qua in re sibi benefactum vellet; libenter sese id facturum, aiens. Digresso vero* Francisco, *magnos quosdam in illo generososque spiritus se agnovisse testatus est, additque votum, ut hisce Deus ad nominis sui gloriam incrementum daret.*

collegii Romani,

103 Sic honorifice domum reductus, *inquit Latinus Ribadineiræ interpres num.* 60, redditus sibi videbatur, Cardinales tamen, quos necesse erat, officii gratia invisit. His tandem salutationum curis expeditus, sacra Divorum templa ordine invisit, adhibito, tamquam viæ duce et nomenclatore, itinerarii libello : in quibus templis innumerabiles beatorum Martyrum reliquiæ, ut nusquam alibi plures, asservantur, et a piis hominibus frequentantur. *Quibus subdit,* Franciscum *omnem anteactæ vitæ rationem patefecisse Ignatio, universas, quas umquam contraxerat, vitæ noxas jubilei tempore sacra exomologesi expiasse, multaque Romæ præclare gessisse; in primis vero ejus cura operaque jacta fuisse collegii Romani fundamenta, cujus dein longe lateque per Christianum orbem manavit utilitas. Hæc Ribadineira, sed more suo concise admodum : explicatius eadem tradunt Orlandinus, Nierembergius et Alvarus Cienfuegos, ex quibus, generalia Ribadineiræ de rebus Romæ a* Francisco *præclare gestis dicta paullo distinctius illustratum eo. Inchoando collegio Romano sex aureorum millia mox numeravit, ut eo liberos suos mitterent, varios in Germania, Hispania, Galliaque principes suis litteris invitavit : ejusdem collegii fabricæ reditus aliquot annuos, quos Caroli V beneficio capiebat, cæsaris venia applicuit in quinquennium, quod in alterum item quinquennium Philippus II, Hispaniarum rex, prorogatum voluit. Mille autem eidem aureorum reditum ab amico impetravit, nec peculiarem ejus, dum vixit, curam deposuit; ut merito illi fundatoris titulos honoresque Ignatius obtulerit, quos tamen non modo non admisit præ modestia animi, sed alteri servandos dixit, qui tam vastam molem uberiore fulciret proventu, et omnes fundatoris numeros impleret, quam postea laudem Gregorius XIII, Pontifex maximus et verus Societatis parens, est consecutus.* E

AUCTORE J. B.

domusque professæ Romanæ templum angustius esse, observasset, quam ut quotidiano concursui capiendo par esset, aliud, ac quod capacius esset, a fundamentis excitandum curavit : usus ea in re est episcopi Squillacensis, Borgiani nominis amantissimi, liberalitate et opera, qui una cum Duce atque Ignatio primum sacri ædificii lapidem rite jecit, eodem Joanne filio, ceteraque Ducis familia operam quoque suam conferentibus. Id quidem operis, ut scribit Orlandinus, dein prætermissum, aliudque templum opportuniore loco longe augustius conditum est : verum propterea apud Deum Ducis pietas merito suo præmioque non caruit. Ceterum episcopi Squillacensis nomen laudati scriptores tacent : bini hoc anno (1550) *Squillacenses episcopi in viris fuere secundum Ughellum Italiæ sacræ auctæ tom.* 9. *col.* 447, *uterque gente Hispanus. Alter ex his fuit Alphonsus de Villalbos, qui sedem Squillacensem ab anno* 1549 *usque ad annum* 1568 *occupavit : alter vero Henricus de Villalbos de Xeres, prioris, ut scribit Ughellus, patruus,* F *qui, cum ab anno* 1540 *Squillacensi ecclesiæ novem præfuisset annis, eidem nuntium remisit, et anno* 1554 *Romæ diem obiit supremum. Hunc itaque, posteaquam sedi suæ renuntiaverat, Romam verosimilius concessisse, vitæ reliquum ibidem exegisse, ac a* S. Francisci *biographis et Orlandino hoc loco indicatum dixerim. Scribit prætereа Alvarus* Franciscum, *quo tempore Romæ apud Ignatium morabatur, auctorem fuisse archiepiscopo Genuensi, scilicet Hieronymo Saulio, ut Genuæ Societati domicilium constitueret. Idem quoque scribit Orlandinus,* Franciscum *præstitisse; sed Genuæ, in itinere Romano adhuc constitutum. Utut sit,* Hic, *inquit Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ auctæ col.* 899, Patres Societatis Jesu Januæ ad pietatem et eruditionem disseminandam excepit anno 1553, *quo, teste Orlandino lib.* 13, *num.* XI, *accedente Sauliorum familiæ multorumque civium votis reipublicæ consensu, Genuam evocati sunt Patres duodecim, nondum tamen stabili illis sede reperta.*

domusque professæ rem sedulo promovet,

105 *Qualis vero domi Dux Gandiæ fuerit, Orlandini verbis accipe :* Haud minus admirandus,

AUCTORE J. B. *sociisque mira animi demissione præluceat.*

randus, *inquit lib.* 70, *n.* 43, domi nostræ Dux, fuit, ubi ad usum exercitationemque virtutis suppetebat etiam facultas major. Cœnaturis apud Ignatium aliquando quibusdam Patribus repente Dux una cum filio Joanne ministrandi gratia linteo parvo præcinctus apparuit, expressaque ejus rei venia, et convivarum manibus aqua fusa, mensæ dapes inferre, capite nudo, velut e domesticis puer unus, instituit, totaque cœna sedulus ministravit. Deinde, sublata mensa, recta tacitus in culinam, ut inquinatas patinas repurgaret. Abnuit tamen Ignatius præteritis contentis exemplis, ne laboris insuetum defatigaret. Nec minor erat jucunditatis fructus, quem ex usu Patrum antiquorum dux Borgia, quam quem ex ejus Patres capiebant exemplo : præsertim vero ex usu consuetudineque P. Ignatii, cui, ut jam antea per litteras fecerat, se totum dedit et addixit. *His non absimilia sunt, quæ Alvarus refert, quale est, quod ex eo refero. Quo primum die una cum sociis in triclinio prandium sumpsit, honoratiore illum loco mensæ assidere Ignatius*
B *jussit; quod grave adeo modestiæ ejus accidit, ut mullis precibus Ignatio veniam extorserit, humiliori mensæ, a ceteris separatæ et alicujus errati reis destinatæ, una cum Joanne filio, paternæ humilitatis æmulo, assidendi : ita prandenti non defuit, cujus reprehensionem, eadem, qua gravioris delicti reus judicis excipere sententiam solet, oris confusione exciperet.*

§. IX. Abdicatis rebus titulisque, Societatis habitum induit, susceptisque ordinibus sacris, Apostolicos labores exorditur.

Iterum res suas abdicandi veniam petit; Romanæ purpuræ

C *Consenescere in Urbe, partim sacrorum locorum reverentia ductus, partim Ignatii sociorumque consuetudine mirum in modum delinitus, et quantocyus fortunas suas titulosque abjicere* Franciscus *vehementer optabat. Aberat in Germania cæsar, gravi bello implicitus : ad hunc itaque e domesticis Gasparem Villalonum cum litteris sui despicientia plenis misit, quo bona cæsaris venia fas sibi esset, in Carolum, Lombayæ marchionem, filium natu maximum ditionum suarum transferre dominium. Scriptæ sunt eæ litteræ Romæ die* XV *Januarii anni* 1551, *exstantque apud Ribadineiram lib.* I, *cap.* 23 *Hispanice; sed has memorare hoc loci nihil attinet; cum consulere illas lector possit infra num.* 63 *et seq. a Schotto Latinitate donatas. Dum cæsaris responsum avidus exspectat* Borgia, *ingens ortus est a Pontifice Julio metus. Serpere per curiam Romanam cœperat consilium Ducis, cujus animi magnitudinem virtutemque admiratus Julius, rem Ecclesiæ bono perutilem sese facturum ratus est, si* Franciscum *in Cardinalium collegium cooptaret, idque jam serio in animum induxerat Pontifex. Perculsus hoc tristi nuntio Dux Ignatium, quid facto opus sit, consulit. Eadem, ut, arrepta ocius fuga, Pontificis se oculis simul honoribusque subduceret, utrique sententia stetit.*

declinandæ causa in Guipuscoam fugiens,

107 *Ægre itaque ab Ignatio, quem carissimi patris loco habebat, ceterisque sociis Romanis avulsus, iisdem, quibuscum Romam venerat, comitatus patribus atque domesticis in Hispaniam, quanta potuit celeritate contendit; quo cum pervenisset, procul aulam et patriam fugiens, in Guipuscoam, Cantabriæ provinciam, gemina potissimum de causa tetendit, tum quod ea provincia tutum illi a rerum mundanarum strepitu secessum præbitura esset; tum quod illic primas vitæ auras hausisset Ignatius : Guipuscoam ut attigit, nihil duxit antiquius, quam Loyoleæ domus situm perquirere : eo perductus, ac Ignatii incunabula edoctus,* Stratus humi, *inquit lib.* XI, *num.* 50 *Orlandinus,* prima nascentis vestigia pie osculari, immortalique Deo, quod talem inde virum toti terrarum edidisset orbi, gratulari studiose cœpit; simul orans atque obsecrans, ut quem sibi vitæ ducem et magistrum dedisset, ejus sibi virtutes ac sanctitatem liceret imitari. *Addit his Ribadineira,* Franciscum *loci reverentia ductum non prius inde, quam rei divinæ interfuisset, ac sacro Eucharistiæ epulo* E *in ejusdem ædis oratorio refectus esset, discessisse.*

Ognati cæsaris venia Societatis habitum induit,

108 *Relicto Loyolæ castro, Ognatum, quod quarto hinc lapide situm oppidum est, sese recepit : hospitium Duci hic præbuere ædes, quas condendo collegio Araozii patruus Societati legaverat, prole nulla relicta, ex hac vita discedens. Lætissimum hic commoranti a cæsare redux Villalonus nuntium attulit; cæsaris nempe litteras, quibus, collaudato* Borgiæ *proposito et pietate, potestatem faciebat deponendi oneris, quod humeris jam pridem gestabat invitis. Cæsaris litteras die* XII *Februarii Augustæ Vindelicorum exaratas et Latinas a Schotto factas videsis infra num.* 65 *et seq. Dici non potest, quo fuerit, iis lectis,* Franciscus *perfusus gaudio : mox ante Christi e cruce pendentis effigiem humi stratus, de tam læto nuntio ingentes Deo gratias egit, et, ut nudus nudum misericordiæ suæ ulnis exciperet, ardentissimis votis deprecatus, tabulas, quibus Carolo filio principatum dignitatemque cedebat, confici jubet; ducis ornamenta a se excutit, pauperem Societatis habitum* F *induit, barbam tondet, capitis verticem, ut qui proxime initiandus esset, radit. Flere interim, qui aderat, singuli, Dominumque omnis familia, mœsta ac tacita, quasi jam animam agentem deplorare; solus ipse exsultare, quod tum demum sibi reddi ac suus esse videretur. Restabant famuli, quorum alios Joanni filio, alios absenti Carolo amice per litteras commendavit.*

susceptisque Ordinibus sacris,

109 *Expeditum jam plane seculi curis* Franciscum *Ribadineira, paucis multa more suo complectens, mox ad aras incruentum Deo Sacrificium Kal. Augusti litantem lectori sistit, quod etiam Orlandinus et Nierembergius faciunt. Rursus itaque, quæ in his desiderantur, ex Alvaro Cienfuegos lib.* 4, *cap.* I, § I *Vitæ* S. Francisci *juverit huc paucis transcribere. Cum adhuc Romæ moraretur* Borgia, *obtinuerat a Pontifice, ut in suscipiendis Ordinibus sacris, ab ea lege, qua cautum est, ne cui, nisi constitutis temporum intervallis, Ordines sacri conferantur, immunis esset : usus hac gratia* Franciscus, *episcopum quemdam, cui, inquit Alvarus,* Gaona *nomen erat, Calaguri, Hispaniæ Tarraconensis civitate, Ognatum*

per

A *per litteras invitavet, qui sacros sibi Ordines conferret. Forte is tum Joannis Bernardi Diaz Calagurritani episcopi, qui eo anno sessioni* XIII *concilii Tridentini, die* IX *Octobris habitæ, uti apud Labbeum Conciliorum tom.* 14, *col.* 814 *videre licet, interfuit, vice episcopale munus exercebat. Utut se res habeat, quam plane asserere non ausim, adfuit is Ognati, et hebdomada Pentecostes* Borgiam *sacris Ordinibus, ut rogatus fuerat, initiavit, et sacerdotio quidem pridie festi Sanctissimæ Trinitatis, quod eo anno in diem* XXIV *Maii incidit. Hactenus ex Alvaro : ad Ribadineiram redeo.*

primum privatim Sacrum in castro Loyalæ Vergaræ autem publice celebrat.

110 *Quod a die* XXIV *Maii usque ad Kalendas Augusti temporis fluxit, ne ad tam grave munus obeundum minus digne, quam par esset, accederet, partim assidua prece, rerum divinarum meditatione et afflictatione corporis, partim perdiscendis venerandi Mysterii ritibus sacris exegit : ipsis vero Kalendis Augusti in Loyolæ comitum oratorio, quod jam*

B *tum e natali S. Ignatii cubiculo in sacellum fuisse conversum, Alvarus tradit, primum Deo Sacrum, sed sine cantu musico, fecit, eoque peracto, Joanni filio latentem sub specie panis vitæ porrexit Auctorem. Neque prætereunda hoc loco est Ludovicæ Borgiæ,* Francisci *sororis, Martini Gurreæ, ducis Villæ-Formosæ et comitis Ribagorzæ, uxoris, pietas, quæ Fratri, ad aras primum facturo, ornamenta aliquot manu sua elaborata dono misit. Alterum a primo Sacrum solenni ritu ac publice Vergaræ, quæ binis fere leucis Ognato distat, celebravit non in loci templo, etsi capaci et amplo, sed sub dio, ob inusitatam affluentis undique populi vim et multitudinem, quam binæ causæ eo exciverant : altera harum erat* Francisci *sanctimoniæ fama, quæ quaquaversum divulgata novum indies capiebat incrementum : altera, quod Julius III jubileum largitus iis omnibus esset, qui primo, quod publice faceret, Sacro, Deo rite conciliati interfuissent. Vis hominum adfuit maxima, nec dispertiendis in populum divinis epulis tempus suffecit antemeridianum. Missæ Sacrifi-*

C *cio perfunctus ad populum verba fecit. Exauditoribus alii linguæ, qua dicebat, Castellanæ erant ignari ; a pulpito remotiores alii dicentis vocem assequi vix aut ne vix quidem poterant; arrectis tamen auribus largisque lacrymis excepta est ejus ab utrisque oratio : tantum valuit vel solum Viri, nuper egregii Ducis, nunc pauperis religiosi spectaculum. Adhæc auditas sibi intus in animo dicebant tacitas quasdam voces, luculentas eorum, quæ* Borgia *dicebat, interpretes. Hæc contigisse, Alvarus addit die* XV *Novembris ; ornamenta vero, quibus tum Sacris operatus est, in ædibus Societatis Vergaræ fuisse ad suam ætatem usque servata ægrisque applicata salutem sæpe attulisse.*

Domi quidem eximium se religiosum,

111 *Porro* Inito sacerdotio Franciscus et Societatis Jesu professus jam declaratus, *inquit Orlandinus lib.* XI, *num.* 52 *et seq.*, interiorem adhuc recessum ac solitudinem quo ardentius studia pietatis ac pœnitentiæ coleret, adamavit. Ergo secessum illum, qui passibus mille non amplius abest, B. Mariæ Magdalenæ sacrum, ab Ognatensibus impetravit. Hic humiles et perangustas ædes, ut paupertatis ferebat amor, rudi e materia atque impolita construxit. Hic totos dies in oratione traducere, hic suas strenue cupiditates frangere, hic corpus et animum pariter edomare, studere humilitati Christianæ, et omnes numeros perfectæ sanctitatis explere. Facto autem a Michale Ochioa, qui sociis præerat, potestate, orsus est coquo domestico famulari, et tamquam mediastinus aliquis sordida munera non refugere, perpurgare lebetes et ollas, inquinatas suo digito patinas attrectare, serventique aqua diluere, verrere pavimenta, comportare aquam et ligna, focum extruere, nihil non sua manu obire, nihil horrere. Denique detersis coquinæ quisquiliis, et universis scite compositis, veniebat in cænoculum, ut suis fratribus ministraret, et pedes singillatim osculabatur interdum, et, venia suis perorata delictis, cujusque preces supplex ambiebat et vota. *Sex in his ædibus dumtaxat, ut Alvarus ait, e sociis morabantur ; ea vero erat loci angustia, ut ne Joanni quidem,* Francisci *filio, reliquum fuerit, quo sese reciperet, diversorium, ut Ognati is fuerit relinquendus : adeo tamen* Borgiæ *placuit, ut ad Ignatium, nusquam se alibi, quam in hoc paupertatis domicilio libentius* E *commoraturum perscripserit.*

AUCTORE J. B.

112 *Talis quidem domi* Franciscus *erat : at qualis foris ?* Ac ne umbratilis (*Orlandini iterum verbis utor*) exercitatio virtutis, sibi tantum domesticisque prodesset, impositis humero manticis, dexteræ scipione, lætus ac alacer exibat ad colligendam stipem, et ostiatim emendicanda cibaria. Quo spectaculo exciti viri feminæque promiscue, seu quia de facie notus plerisque jam erat, seu quod ejus fama jam cuncta compleverat, certatim ex ædibus advolabant, gestientes illius vel ora cominus intueri, et panem osculati, quem dabant, benedictionem ab eo et orationum suffragia reposcebant. Nec minore alacritate deinde cum tintinnabulo vicos et rura finitima circuibat, ut puerorum coacto gregi Christianæ legis enuclearet initia. Docentique non infirma, sed sæpe etiam corroborata ætas, quacumque ingrediebatur, operam dabat. *Ita Orlandinus : verum ne quis ex ejus verbis, quibus* Franciscum vicos et rura finitima *enucleandæ pueris adultisque doctrinæ Christianæ causa circumiisse ait, piam* F *hanc excursionem exiguo dumtaxat terræ tractu circumscriptam fuisse existimet, addidisse hic ex Alvaro juverit, non modo in vicinos Ognato vicos eo, quo mox dictum est, modo zeloque* Franciscum, *sed in præcipuas etiam trium, Biscaiæ scilicet proprie dictæ, Alavæ et Guipuscoæ, quas Biscaia universim latiusque sumpta complectitur, provinciarum plagas ingenti incolarum bono excurrisse. Alvari vero dictis non parum fidei ponderisque addit Ribadineiræ auctoritas, dum* Franciscum, *inde Victoriam usque, quæ in Alava sita est, illinc vero ad usque S. Sebastiani portum, in extremo Guipuscoæ limite positum pueros erudiisse, ac frequenter ad populum conciones sacras habuisse, testatur. Res fiet item manifestior ex iis, quæ ad annum proxime frequentem ex eodem Alvaro referemus.*

foris vero apostolum exhibet,

113 *Novum id vitæ genus, quod jam palam* Borgia *profiteri cœperat, variis per Hispaniam sermonibus ansam præbuit, multisque displicuit : quibus sanior mens erat, summis laudibus efferebant, quos inter haud postremus fuit, ut Nierembergius scribit, Bernardinus*

exemplo suo ad Societatem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

dinus Arevalius, Ordinis S. Francisci alumnus insignis : verum plus apud multos seu generis claritudine, seu eruditione et pietate conspicuos illius exemplum valuit, quam inepta insulsaque obtrectantium ora : tanta enim vel hoc vel sequenti anno Societatem expetentium multitudo fuit (ut ait cap. 2, § ultimo laudatus Alvarus ex P. Polanco, cujus hæc verba exhibet) ut, si omnes admitti potuissent, pluribus novis collegiis implandis satis essent futuri. *In his ceteris longe excelluit Ludovicus, Joannis III et Isabellæ imperatricis defunctæ frater. Scripsit is ad* Franciscum *jam olim, ut vidimus, sibi notum carumque, non modo amantissimas litteras, et gratulationis plenas, anno* 1551, *die* III *Julii, sed etiam dein in Societatem cooptari voluit, etsi nec Ignatius, nec* Borgia *e re divina id fore existimarint. Litteras ultro citroque datas Hispanice exhibet Ribadineira lib.* 2, *cap.* 3; *Latine ejusdem interpres Schottus infra num.* 73 *et sequenti. Hujus litteræ responsoriæ scriptæ sunt die* B XV *Augusti ejusdem anni* 1551, *quibus se subscripsit :* Franciscus peccator ; *quo nomine sese compellare consuevit, ex quo Societatis habitum sumpsit, ut ex animo deleret vel ipsam, quantum fieri poterat, pristinæ suæ memoriam dignitatis.*

Bustamantium,

114 *Aliter hoc eodem anno res cessit Bartholomæo Bustamantio, insigni theologo, qui Joanni Taveræ, Toletano archiepiscopo, a secretis fuerat. Alieno is erat a Societate animo ; salutis tamen suæ sollicitus, Deum aliquando impense sub Sacrificium Missæ deprecatus est, ut fluctuanti inter mundi scopulos certum salutis portum ostenderet : Dei vocem audivit ; Guipuscoæ montes adiret, et Gandiæ Ducis vestigiis inhæreret. Moram omnem Bustamantius abrupit, et in Guipuscoam sine cunctatione profectus, ubi ad recessum Ognatensem pervenit,* Franciscum, *qui universam eam provinciam odore sanctitatis impleverat, offendit lapides cœmentaque ad ædificium comportantem : huic in genua provolutus ineundæ Societatis desiderium aperit, factusque voti compos, dein ob singularem, qua* C *pollebat, prudentiam* Borgiæ *per annos plures comes datus est. Hujus ad Societatem vocationem anno* 1551 *adscribit Alvarus, quo, ad mensem Maium provecto, recessus Ognatensis fabricam absolutam fuisse scribit lib.* 4, *cap.* 1, § 2. *Orlandinus tamen lib.* 12, *numm.* 47 *et* 48 *Bustamantii ad Societatem vocationem accessumque memorat ad annum Christi* 1552, *Societatis vero* 13.

Antonium Cordubam, aliosque allicit.

115 *Aliter item Antonio Cordubæ, Laurentii Suarez de Figueroa et Catharinæ Ferdinandi Cordubæ, marchionum Priegi et Feriæ comitum filio, et* Borgiæ *sobrino. Is quatuor et viginti annorum adolescens erat (videsis Orlandinum lib.* 12 *Hist. Societatis Jesu num.* 43) *generis nobilitate et eruditionis præstantia in primis clarus, Academiæ Salmanticensis jam tum moderator, quod munus non nisi primarii ordinis viris committebatur : adhæc postulatu cæsaris a Julio III in purpuratorum patrum senatum referendus propediem erat : cui se imparem ratus dignitati, in Societatem Jesu, velut in tutissimum adversus hujusmodi honores propugnaculum, admitti ab Ignatio postulavit, scriptis ad eum ea de re litteris pridie Kal. Aprilis anni* 1552, *quas apud Orlandinum lib. paulo ante laudato numm.* 44 *et tribus seqq. videre est. Nulla quidem in iis* Borgiæ *speciatim mentio fit : at tacite mentionem illius fieri his apud Orlandinum verbis :* Exempla vero Sanctorum aperte docent, quid in his rerum articulis agendum sit ; qui istos honores contentione summa fugerunt : atque nostris etiam temporibus cernimus viros præstantes abdicare magnas ditiones *(quis non credat, hic* Borgiam *digito commonstrarier ?)* ut Deo serviant, nedum ut novi quidpiam assumant, *prorsus existimo. Venit subinde Salmaticam* Borgia *factumque, ut ejus qua verbis, qua exemplis non mediocriter impulsus Antonius Ognatum, nondum redditis ab Ignatio litteris, concesserit, humilemque Societatis vestem Romanæ purpuræ prætulerit. Eodem accessere Sanchez e Castella, Navarra Petrus Lodasa : theologi item insignes duo Didacus Gusmanus, comitis Baileni filius, et Gaspar Loartes, exantlantatis jam ante per diœcesim Calagurritanam apostolicis laboribus clari. Hos tantum, qui* Borgiam *imitati, Societati nomen Ognati impræsentiarum dederint, Ribadineira commemorat quamvis plures idem factitasse non* E *obscure affirmet. Subjungit his Alvarus Alphonsum Manrique Sandovalium, ducis Naxaræ filium, anonymum adolescentem Navarrum, nobili item loco natum, Cumayæ in Guipuscoa vicarium, et Inigum Guevara, Bovini in regno Neapolitano ducem, aliosque, qui Societatem non parum dein illustrarunt.*

116 *Quo tempore Ognati,* Francisci *exemplo ac virtutibus invitati, nomen Societati com-* *Pompeiopoli*
plures viri insignes dabant, non defuere alii, qui ejus dubiis in rebus consilia expeterent. In his Bernardinus Cardenus, Maquedæ dux et Navarræ prorex fuit. Is per litteras Franciscum, *et quidem, ut Alvarus scribit, geminatas, obtestatus est, ut ne Pompeiopolim, Navarræ civitatem primariam, sedemque proregis, vel, si minus fieri posset, ad alium, quem vellet, Navarræ locum, quo conferre inter se colloquia possent, venire gravaretur. Venit ille Pompeiopolim una cum P. Domenecco et P. Ochiova citius, quam expectaretur : vix ex equo descenderat, quin vicinum hospitio templum, sacrum dicturus, ingressus sit,* F *misso interim, qui proregem adventus sui certiorem faceret, Domenecco. Obviam ei procedere prorex voluit ; verum dissuasit Domeneccus, qui probe norat, quam esset* Borgia *honorum fugiens. Satis itaque habuit prorex, si bonis Ordinis S. Jacobi equites in occursum mitteret. Ubi in mutuum venere conspectum, multus utrique de officiis principum sermo fuit. Animi sui prorex arcana patefecit.* Franciscus *autem non modo cumulate proregis animo fecit satis, sed et præcepta saggessit, ad quorum normam et propriam componeret vitam, et creditos sibi populos regeret; quæ quidem prorex litteris, ut optarat, consignata accepit et plurimi fecit. Frequentes per id tempus conciones habuit, vel in templo cathedrali ad populum, vel in monasteriis ad virgines sacras. Mane, ut ad populum diceret, egredienti obviam facti sunt bini ejus generi, Alcanizæ marchio, et Lermæ comes : obvios verbis amicis quidem, sed paucis alloquitus recta ad templum properavit, ac paucis post diebus, monitos tamen, ne crebro se inviserent, dimisit.*

117 *Non*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

A *Vergaram reduxeam ita ex colit, ut alia videretur,*

117 *Non absque lacrymis Pompeiopolitani abeuntem prosecuti sunt, nedum prorex ipse; maxime, cum genibus ejus advolutos nonnullos ex familia sua vidit, qui comitari ipsum, ac Ognati Societatis legibus vivere, postularent; sed horum tum visum est vota differre. Pompeiopoli profectus per Alavam Ognatum rediit, ubi eum salutandi causa plures convenere magnates; atque inter alios bini ejus filii, Carolus, Gandiæ dux, et Alvarus; ac paulo post etiam Villæ-Formosæ dux, Ludovicæ sororis ejus maritus; quos illic morari diu præ solitudinis amore non est passus. Hinc porro ad desideratam S. Magdalenæ solitudinem sese recepit, ubi, dum rerum divinarum meditationibus orationibusque assiduus incumbit, præter alios, quibus affectus fuit, cælestes favores, Carolo, Duci Gandiæ, filium, sibi vero nepotem natum esse, divinitus fuit edoctus. Prodidit id, cum advenienti hujus rei nuntio, qui nec verbum adhuc protulerat, illico ut hanc viderat, dixit: Qui valet parvulus Franciscus? Eodem loci temporisque tractatum scripsit, quem* De perfectionibus ani-

B mæ Christi *inscripsit, de quo postea. Verum solitudinis amor non is in* Francisco *fuit, qui salutis alienæ illi curam solicitudinemque adimeret aut minueret: nam postremis anni* 1551 *tribus quatuorve mensibus ita Vergaram, ejusque agrum excoluit, ut oppidi magistratus primoresque, datis ad Ignatum litteris, quas partim ex Bartolo Alvarus exhibet, quos apud se fructus* Francisci *labor industriaque pepererat, prædicare pro merito satis non potuerint, summisque porro contenderint precibus, ut ne se eo viro orbatos vellet, cujus opera factum esset, ut Vergara jam videretur tota alia suique plane dissimilis. Loci sacerdos, cujus verba ex Hispanis Latina facio, in hunc modum scripsit:* Facta est Vergara Christianæ pietatis exemplar: ita eam emendavit, ita ad morum sanctitatem P. Franciscus instruxit, qui solus omnem obit eruditque viciniam. Improbi commutantur in probos: ad virtutis apicem enituntur probi. Opes suas multi sacerdotum, ut saluti tum suæ, tum proximi vacent, abjiciunt. Omnis te Vergara, ut restare apud se P. Francisco per te liceat, supplex rogat etc.

C *aliaque Biscaiæ loca*

118 *Primis vero insequentis anni mensibus, cum vix a frebri convaluisset, novas per Biscaiæ montes, nivibus obsitos, excursiones fecit parilabore fructuque. Tria sunt, ab Alvaro nominatim memorata, loca (Horrio, Elgueta et Durango) quæ sudoribus suis apostolicis, invitis licet hibernis frigoribus, irrigavit: ex his primum in Mappis geographicis, quas consulere licuit, quamvis paulo aliter expressum (hoc nempe modo:* Orio) *haud procul ab homonymi fluvii in Oceanum Cantabricum juxta S. Sebastiani portum se devolventis ostio, atque adeo in Guipuscoæ ora maritima situm, notatum reperi: tertium vero in Biscaia proprie dicta, Bilbao seu Flaviobriga dissitum quinque circiter leucis. Victoriam inde, quæ ejusdem provinciæ caput est, venit die* XII *Februarii: hospitium illi oblatum, sed majore apparatu, quam ejus modestia pateretur, instructum, eaque de causa ad PP. Franciscanos divertit. Die postero (Dominica Septuagesimæ) templum, in quo dicturus ad populum erat, capiendæ multitudini longe impar fuit, cui ut fieret satis, dicendum ipsi sæpius eodem die fuit modo in templo, modo sub dio. Par labori fructus fuit; multis e plebe, clero, religiosisque familiis ad meliora perfectioraque conversis. Actum item cum illo de condendis illic Societati ædibus fuit, ad quas cives nobilesque aliquot viri subsidium opesque suas pollicebantur non defuturas. Non pauci abeuntem Ognatum usque secuti sunt, quos partim S. Ignatii exercitiis ad virtutem pietatemque instruxit, partim in Societatem admissos in varia collegia, provinciasque distribuit.*

apostolicis sudoribus rigat.

119 *Post Victoriensem excursionem, alteram in Bilbaense territorium pedes fecit lento itinere tum ut satis vicorum, per quos illi transitus erat, utilitati desideriisque faceret, tum ob viarum aquis nivibusque obsitarum difficultatem, tum denique ob podagræ, qua laborabat, incommoda. Effusa in ejus occursum magna Bilbaensium multitudo luculento quidem suæ in* Franciscum *reverentiæ indicio, sed hujus non minore verecundia atque pudore intra muros summæ æstimationis* E *hospitem læta deduxit. Huc ubi ventum, omni primum, qua pollebat, opus* Borgiæ *facundia fuit, ut bona Bilbaensium venia fas sibi esset in communi pauperum xenodochio hospitari. Postridie is fuit auditorum in templum, in quo concionem dicturus erat, concursus, ut aliquot virorum corporis robore præstantium ministerio opus fuerit, qui, submota, quantum satis erat, multitudine, vi aperirent ad suggestum viam. Eo hic usus est dicendi ardore, ea oris vocisque contentione, ut multorum sermonibus celebratum fuerit, prorupisse ex ejus ore verba simul et flammas, quibus sane opus fuit, ut obduratorum, quorum nonnullos inter auditores ceteros adesse, constabat, inveteratam in peccatis vitiisque pervicaciam frangeret. Hunc aliosque hujusmodi* Borgiæ *labores secuta est ingens apud Bilbaenses mutatio morum; traductus ingens flagitiosorum ad vitam Christianam, aut religiosam numerus; instaurata apud virgines sacras pristinæ* F *disciplinæ observantia; impletæ novis incolis solitudines, qui anteactæ vitæ errata severa sui castigatione eluerent; viris illustribus aucta ornataque monasteria. Urbis insuper primores, ut Societati collegium ibidem conderetur, cupido incessit; sed hujus rei curam penes Ignatium esse,* Franciscus *voluit.*

AUCTORE J. B.

§ X. Varia Hispaniæ oppida non sine fructu obit, Casam-reginæ Clarissarum coloniam deducit; cardinalitiam dignitatem, emisso eam non admittendi voto, iteratis vicibus declinat.

Clarissarum Gandiensium coloniæ

Ognatum reduci dudum quieto esse non licuit: *Vergaram enim incolarum rogatu brevi redeundum fuit: Psalmum Davidicum* Miserere mei, Deus, *hic populo explicabat, cum allatæ sunt ab Ignatio litteræ, quibus Vallisoletum, dein Salmanticam, ac denique in Lusitaniam migrare jubebatur; vitæ item*
B *rigorem mitigare: monitus enim a Joanne, ejus filio, secretis litteris Ignatius fuerat,* Franciscum *patrem non jam pœnitentem, sed suimet pene tortorem videri. Paruit illico* Borgia, *evocatisque Vergaram PP. Bustamantio et Domenecco, e collectis a se eleemosynis xenodochio, in quo hospitabatur, quantum satis esset, dedit; quod reliquum erat, Ognatum misit. Vergara pedes* XIX *Martii profectus, et Castellam ingressus facere non potuit, quin materteram suam, Julianam de Aragonia, Friæ ducem et Mariam de Velasco, Osorni comitem, ut iteratis atque importunis litteris fuerat rogatus, inviseret: advenientem* Borgiam *palatio suo Juliana excepit: at die postero, ut quæ ejus modestiam probe nosset, ædiculam pauperem, cui adjectus erat hortulus, obtulit, ita futurum rata, ut se frequentius viseret. Locum, in quo illas* Borgia *convenit, Alvarus* Casamreginæ *appellat, qui in Rioia, provinciæ Alavæ contermina, situs est. Ceterum neque hic otiosus* Borgia *fuit: ut mittam saluberrima, quibus binas illas matronas imbuit, consilia, crebras ad utriusque famil-*
C *liam conciones habuit, et eo quidem fructu, ut aliquando aliquot ex illarum famulitio puellæ fusis lacrymis id ab illo beneficii loco expetierint, ut ejus opera in aliquem Clarissarum parthenonem sibi aditus panderetur.*

ad Casamreginæ aditum parat.

121 *Egerat jam diu cum Juliana* Franciscus, *ut Clarissarum Gandiensium coloniam eo evocaret, ac jam litteras apostolicas ea super re impetraverat. Usus est ea occasione* Franciscus, *ac Julianam hortari denuo cœpit, ut, quod jam pridem statuerat, exsequi maturaret: cum suis votis facilem reperisset, statim Gandiam ea de re ad amitam, Gandiensem abbatissam, et simul Romam litteras misit; usque adeo nullum intermittebat tempus, quin semper aliquid, quod ad Dei gloriam cederet, animi robore plane invicto moliretur, invita licet corporis mole, tunc adeo viribus exhausti, ut medicinam omnem e medicorum judicio prorsus respueret. Per idem quoque tempus insigne vaticinium edidit: cum enim Osorni comes Maria de Velasco percunctata eum esset, quæ e virginibus Gandiensibus Casam-reginæ una cum ejus amita venturæ essent. Venient, inquiebat, soror Maria de Jesu, binæ sorores meæ, soror Maria de Cruce, soror Joanna Baptista, soror item marchionis Deniæ. His addidit: Volet quidem amita mea huc secum ducere sororem Dorotheam (erat hæc* Francisci *filia) verum resistet Carolus Gandiensis dux, neque scio, utrum divina providentia..... abrupto hic sermone, cum tantisper obmutuisset, subito in hæc verba prorupit: Decisa res est: cælestem gloriam jamjam ingressa est Dorothea. His dictis, cum ad se rediisset, erubuit: at vera prædixisse illum, rerum postea eventus docuit, neque octiduum inde effluxit, quin renuntiatus Gandia fuerit Dorotheæ obitus: quæ quidem Osornensis comes, ita et facta et prædicta fuisse, jurejurando firmavit.*

Burgis et Vallisoleti ad populum verba facit,

122 *Burgos inde profectus obvios sibi Cardinalis Mendozæ archiepiscopi jussu habuit PP. Franciscum Stradam, et Ferdinandum Alvares del Aguila: hospitatus est in humili æde S. Ægidii parochiæ vicina. Ut rumor adventus ejus sparsus per urbem fuit, adfuere continuo ejus videndi salutandive causa turmatim cujusvis ordinis viri: adfuere item a*
E *canonicis missi, qui suo eum nomine rogarent, ut in cathedrali templo ad populum verba faceret: fecit vero, quod rogabatur, vix non ex tempore, majore auditorum admiratione, quam concionatoris opera studioque: quippe qui vix tantum ad dicendum sibi temporis sumpserat, quantum vix satis erat, ut, quæ dicenda essent, vel obiter mente percurreret. Non minor ejus videndi causa Vallisoleti, ubi tum curia morabatur, factus est aulicorum concursus, quamvis hujus vitandi causa noctu urbem esset ingressus. In his fuere Ferdinandus Alvarez de Velasco, comes stabuli in Castellæ regno, summus rei maritimæ præfectus, Rodericus Gomezius, princeps Evolitanus, Tavaræ item marchio, qui* Borgiæ *vestigia premens, filio suo natu maximo opes titulosque transcripsit. Verbis, quamquam nec his ibi pepercerit,* Francisco *hic opus haud fuit, cujus omnis vitæ ratio, personæque tum pristina, tum præsens conditio, aulicos, quam fluxa, ac caduca essent, quæ sectabantur, satis superque admonebat.*

Tauri Joannem, Lusitaniæ principem, ad pietatem instruit,

123 *Haud procul Vallisoleto princeps Joanna, Lusitaniæ principi desponsata, Tauri in Legionensi regno agebat; cui, cum relatum esset, Vallisoletum advenisse* Borgiam, *statim misit, qui rogaret, ut sese Tauri conveniret. Itineri se* Borgia *dedit, et Tordesilla transiens Joannam, Caroli V matrem, honoris causa salutatum ivit: aderat Joannæ, Lermæ comes et* Borgiæ *filia; quæ tamen a patre, ut, vel diuturniorem illic moram duceret, vel ut alio, quam xenodochii hospitio uteretur, consequi non potuit: neque diutius, Salmanticam, ut ab Ignatio in mandatis habebat, festinans, Tauri, nisi obstitisset Joanna princeps, permansisset. Certam hic, quam deinceps perpetuo servaret, vitæ rationem modumque Joannæ suggessit, quæ per binas quotidie horas* Francisco, *de rebus ad animæ salutem spectantibus disserenti, aures dabat, et universa vitæ errata confessa est. Principis exemplum plures e comitatu nobiles feminæ sunt imitatæ, quarum instructioni gnaviter quoque* Borgiæ *insudavit industria; ipsis denique civibus seu piis instituendis colloquiis, seu habendis concionibus sacris, seu confessionibus excipiendis tantum impendit operæ, ut vix absque*

A *que prodigio tantis laboribus, P. Domenecco, ejus socio, teste, par esse potuerit. Cum vero observasset, plerosque e comitatu principis seu viros seu feminas, libros manu passim versare, corrumpendis animis, perdendoque inutiliter tempori, quam pietati instillandæ fovendæque aptiores, ut in cumulum congesti flammis traderentur, effecit.*

nec minore fructu Salmanticæ agit,

124 *Salmanticam, celeberrimam ea tempestate in regno Legionensi academiam, Sabbatho sancto profectus est : magno non modo juventutis studiosæ, sed nobilium, eruditorumque concursu festis Paschalibus ad populum e suggestu dixit, et Dominica* Quasimodo *seu in Albis in conventu PP. Augustinianorum, ut anno* 1608 *testatus est Joannes Ribeira, archiepiscopus Valentinus, cujus ea de re verba exhibet Alvarus ex Processu Beatificationis lib.* 4, *cap.* 4, § 3 *Vitæ* S. Francisci. *Plures illic e tanta juvenum copia selectos seculo eripuit, atque in primis, ut supra diximus, Antonium de Corduba Societati adjunxit. Salmantica in dissitas satis regiones misit F.*

B *Joannem Guttierez et P. Domeneccum, retento apud se Bustamantio : Joannem ad P. Mironem, sociis in Lusitaia præpositum, ut hunc itineris, quod in Lusitaniam* Borgia *inchoarat, certiorem faceret, quod tamen hoc anno, mutata illic rerum, quarum potissimum causa susceptum id fuerat, facie, non confecit : Domeneccum autem graves ob causas in Guipuscoam ; utrosque monuit, ut ab itinere reduces non Salmanticæ, sed Tordesillæ se convenirent; ibi se reduces exspectaturum. Huc ipse aliquanto post profectus non alio, quam quo prius, uti voluit diversorio, publico nempe xenodochio.*

Tordesillæ vaticinia edit,

125 *Patuit hic, oranti* Borgiæ *rerum occultarum notitiam divinitus interdum fuisse infusam : nam ab oratione aliquando digressus, Bustamantio, F. Guttierez et P. Domeneccum postero die Tordesillæ affuturos, affirmate prædixit. Summa Bustamantius hæc* Borgiæ *verba admiratione excepit, quippe qui probe norat, id præsciri humana sagacitate industriaque haud posse, nec litterarum quidpiam sive e Lusitania, sive e Guipuscoa ea de re ad*

C Franciscum *fuisse allatum : verum, cum utrumque die postero, ut prædictum fuerat, ab itinere reduces est conspicatus, ambigere porro non potuit, quin ex divino, quem in oratione receperat, afflatu ea esset profecta prædictio. Venit eodem tempore Tordesillam Philippus, Hispaniarum princeps, suam illic aviam visurus ; mox* Borgiam *per nuntium accersiri ad se jussit ; verum nondum ad xenodochium, in quo, ut dictum est, hospitium sibi delegerat, nuntius pervenerat, cum principis affatum* Borgia *postulavit : benevole quidem pro veteri amicitia, sed et pro ea, quam spirabat* Franciscus, *sanctimonia reverenter a Philippo est habitus ; quod si* Francisco *non potuit non gratum acceptumque accidere, summum tamen concepit animo dolorem, cum e principis ore, Romanam sibi purpuram ex Caroli cæsaris voluntate destinatam audivit : scriptis itaque confestim ad Ignatium litteris, vehementer expetiit, ut imminens tranquillitati suæ naufragium, quoquo modo posset, averteret.*

dentemque excussum restituit,

126 *Sunt et alia, quæ, dum Tordesillæ substitit, præclare gessit. Accumbebat aliquando una cum consanguineis mensæ, cum Isabellæ filiæ, Lermensi comitis uxori, dens violenter excussus est ; prolapsum humi dentem manu* Borgia *sustulit, suoque loco restituit ; qui statim adeo firmus constitit, ut loco suo numquam deinceps motus fuerit ; imo et pluribus post Isabellæ obitum annis, cum ejus alium in tumulum ossa fuere translata, corruptis ceteris, repertus fuerit plane integer et coloris candidissimi : alias item, confabulantibus ad mensam inter se genero, filia, nepotibusque, in hujusmodi verba erupit : « Mementote di- « ctorum meorum : non multi effluent anni, « cum nostrum aliquis de vita subita morte « decedet : videte, ne quem vestrum impara- « tum offendat, aut florens ætas fallat et pro- « dat. » Haud vanus* Borgia *vates fuit, nam anno* 1558 *(ut Alvarus scribit, aliis enim annus* 1555 *aut* 1556 *præplacet) Isabellæ Lermensi comiti, fila ducenti, ingruens mors vitæ filum derepente abrupit. Sed jam alio nos* Franciscus *invitat.*

AUCTORE J. B.

127 *Tordesilla sub idem tempus, quo Philippus, profectus, Ognatensis solitudinis desiderio suum in Guipuscoam reditum maturavit : prius tamen, quam Legionensi regno excederet, Methymnæ (quæ a fluvio Sicco cognomen invenit) Ferdinandum Henriquezium, summum rei maritimæ præfectum ejusque conjugem, ut rogatus fuerat, convenit, ubi apud Franciscanos hospitari voluit, repudiatis Henriquezii ædibus : posteaquam hujus uxoris pietati animique dubiis fecerat satis, vicum Paredes, Castellæ regno fere conterminum adiit : inde, relicto Legionensi regno, in Veteremque Castellam transiens in castrum cæsaris, seu, ut alii loquuntur Sigerici, indigenis* Castro-Geritz *dictum, divertit ; utroque hoc loco consanguinei ejus aliquot affinesve, quos insalutatos præterire noluit, commorabantur. Quinque hinc fere leucis aberant Burgi : civitatis muros, ne retardaretur, subire noluit ; obvium tamen juxta hos habuit P. Stradam, eoque ad mediam fere leucam viarum duce et comite usus, inter podagræ dolores in pagum Bellimar, leuca minus Burgis distantem, tandem pervenit : ab itinere fessum suis ædibus excepit Benedictus Uguccionus, Burgensis ecclesiæ canonicus, vir Societatis amantissimus fundatorque collegii, quod ibidem nostris paucis post annis ejusdem liberalitas pietasque excitavit.*

unde

E

F

Casam-reginæ repetit,

128 *Casam inde reginæ reversus, benigne amiceque a Friæ duce, et Osorni comite, vix non exhaustis totius corporis viribus, exceptus est. Accessit ingens a febri quartana malum : quod tamen non effecit, quo minus proximorum saluti, quale poterat, studium operamque conferret. Lecto affixus, pietate sermonis, morum pietate et Christianæ tolerantiæ exemplis, si qui in colloquium cum illo venirent, non minus proderat, quam e pulpito publico auditoribus. Quibus diebus febri carebat, publice ad populum verba faciebat, visusque aliquando tum fuit, cum jam maxime ejus ferveret oratio, non hærere, sed subito obmutescere, et extra se rapi, obstupescente interim auditorum corona. Ubi ad se rediit, reliquum orationis rite absolvit ; at, cum finem dicendi fecisset, ut importunis curiosorum oculis et quæstionibus forte sese subduceret, e conspectu multitudinis fuga sese proripuit. Concioni intererant, quas dixi, Friæ dux et Osorni comes ; quæ, licet multis precibus id satagerent, nihil eorum, quæ illius*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

lius menti oblata fuerunt, valuerunt extundere : elapsis tamen aliquot annis F. Melchioris Marci, cui tamquam superiori parebat, jussu, id saltem retulit, visam sibi ea in ecstasi Clarissæ cujusdam discalceatæ Gandiensis, sibi agnatæ et pro meritis dilectæ animam cœlesti gloria septam in cœlum efferri. Relatum mox factum, ut testes alios fide dignos taceam, legitime dein attestata est, qua de proxime sermo fuit, Osorni comes.

eoque deducta Clarissarum Gandiensium coloniu,

129 *Præsagiebat* Franciscus, *Gandienses Clarissas, de quibus supra, in Rioiam brevi adventuras : clam itaque Friæ duce (quæ forte ob infirmam ejus valetudinem itineri obstitisset) illis obviam processit Tudelam usque, quæ in extremis Navarræ finibus ad Iberum fluvium sita est : offendit hic primum Maquedæ ducem, de quo supra, admodum lætum, quod* Borgiam *denuo coram intueri sibi liceret. Post dies aliquot Tudelam pariter advectæ fuerunt Clarissæ Gandienses, quarum agmen, quæ reliquis præerat, soror Francisca,* Borgiæ, *ut diximus, amita ducebat. Quantam ex earum adventu lætitiam ceperit, colligi*

B *ex eo poterit, quod olim summo eas semper in pretio habuerat, nunc vero spem conceperat maximam fore, ut insignes nova ista virginum colonia fructus per Castellam faceret. Comitari eam honoris causa* Franciscus *voluit Tudela in Rioiam usque, donec ad destinatum sibi a Friæ duce locum (Casam-reginæ) pervenisset. Hic perbenigne a Friæ duce et Osorni comite exceptæ fuere, singulisque magna in æde conclavia tum communia, tum privata assignata. Permansit eo loci* Franciscus *aliquamdiu, ut id operis magis magisque promoveret firmaretque ; evenit tamen, ut aliquot post annis eo loco excesserint, quarum aliæ alio, abbatissa vero cum quibusdam aliis in regium parthenonem, Matriti deinde conditum, emigrarint, ut Clarissarum Matritensium Hist. cap.* 8 *Joannes Carrillo scribit.*

Ognatum redit operosa quiete fruiturus.

130 *His ex sententia apud Casam-reginæ gestis, alacri animo Ognatum repetiit, desiderata iterum tranquillitate fruiturus : ibi Antonio Cordubæ ad omne virtutis genus ducem*

C *se atque magistrum præbuit, qui sub id tempus Salmantica Ognatum sese contulerat, vitæque modum exorsus erat vel ipsis* Borgiæ *oculis admirabilem. Non ita tamen ibi* Franciscus *deliluit, quin repente prodiret in publicum, si quando id proximi salus ac divini nominis gloria exigebant. Exercebant id temporis odia mutua binæ in Biscaia familiæ non sine incolarum scandalo et publicæ pacis perturbatione : non difficillimis per Biscaiæ juga itineribus, non precibus, non lacrymis pepercit* Borgia, *dum dissidentium duces et capita in perpetuæ pacis ac amicitiæ fœdus coire compulit. Hæc omnia fere ex Alvaro, qui singulatim magis uberiusque, nec eodem plane ordine res gestas* S. Francisci, *quo Ribadineira, descripsit, præterquam quod hic varias* Francisci, *dum Ognati fixam habitationem habuit, excursiones veluti in unam conflet, ut paucis multa, et veluti unico obtutu perlustranda, lectoris oculis subjiciat. Nunc utrumque porro audiamus.*

Dignitatem iterum cardinalitiam declinat,

131 *Ribadineira lib.* 2, *cap.* 5 *memorat, magnum iterum* Borgiæ, *cum quietam lætamque Ognati vitam duceret, objectum fuisse periculum ; cui tamen Ignatii potissimum prudentia ereptus feliciter fuit, ne in purpuratorum*

patrum numerum a Julio referretur ; rem D *autem sic se habuisse : visus cæsari est* Borgia *in primis dignus, quem Julio III offerret, Romana purpura exornandum, quod reipsa cæsar præstitit. Annuit facile Julius cæsaris precibus, quibus Cardinalium consensus quoque accedebat : veritus Ignatius, ne, si ad dignitates hujusmodi fenestra Societatis hominibus aperiretur, ingens hæc ex ea re detrimentum caperet, ut ne id fieret, omnem lapidem movit : sed Pontificis mentem flectere res fuit ardua et difficilis. Persuasit tandem, ut* Francisco *quidem, quam ei cæsar postulabat, dignitatem offerret, sed ad eam acceptandam invitum non cogeret ; ita cæsari, ita Cardinalium cœtui, ita denique* Francisco *simul et universæ Societati satisfactum iri. His de rebus certior factus* Borgia, *rem eo usque provectam vehementer doluit : at ut intellexit, Ignatii prudentia periculum jam esse dissipatum, datis ad Pontificem litteris, quas par erat, pro oblata sibi dignitate gratias egit. Ita Ribadineira loco cit., eodemque fere recidunt, quæ Orlandinus ad annum* 1552 *sub principium lib.* 12 *Hist. Societatis Jesu refert. His* E *addit Alvarus, Joannem Manrique de Lara, Naxeræ ducis filium, a cæsare Œniponto Romam fuisse missum anno* 1552 *die* XVIII *mensis Martii, ac in mandatis habuisse, ut galeros purpureos quatuor peteret, primum* Borgiæ, *alterum Didaco de Tavera, Giennensi dein episcopo, tertium Antonio de Corduba, marchionis de Plego seu Priegi, ut Schottus loquitur, filio ; quartum denique Joanni de Velasco ; sed tum quidem temporis soli* Borgiæ *id honoris fuisse decretum : Antonium vero Cordubensem, repudiato Cardinalatu, Societati sese* Borgiæ *exemplo addixisse, jam diximus supra.*

quot et alias,

132 *Vix abierant duo a dissipata hac tempestate, ut Alvarus scribit, menses, cum novum cum dignitate cardinalitia certamen, cujus etiam Ribadineira laudatus meminit, subeundum* Francisco *fuit, et quidem priori acrius et vehementius. Casam-reginæ una cum Bustamantio diverterat fovendæ confirmandæque Clarissarum, quæ eo recens, ut vidimus, habitatum venerant, pietatis causa, cum nihil tale exspectanti redditæ sunt a Joanne Poggio, Sedis Apostolicæ legato, litteræ, qui-* F *bus ad oppidum S. Dominici de la Calçada, non procul Casa-reginæ in Rioia situm, evocabatur. Philippus enim, Hispaniarum princeps, ut cardinalatum a* Borgia *repudiatum intellexit, Pontifici institit, ut vel reluctantem ad oblatos honores admittendos suo urgeret imperio : Pontifex vero Poggio injunxit, ut, quibus posset modis,* Francisci *animum expugnaret, ac, si opus esset, rationibus præcepti minas adderet, non tamen id, ne fallere datam Ignatio fidem Pontifex videretur, imponeret. Fecit imperata non segniter Poggius : sed rationum pondere, et efficaci* Borgiæ, *divinitus afflati, facundia victus, mutato consilio, auctor Philippo Julioque fuit, ne ad ea redire compellerent Hominem, quæ, ut olim generose utroque abjecerat, ita toto animo aversari constantissime pergeret. Quamquam vero* Borgia *ab oratione non imparatus ad eam luctam accesserat, felicem tamen hujus exitum amitæ suæ Franciscæ a Jesu ejusque sociarum fusis ad Deum precibus referebat acceptum.*

133 *Argumenti, in quo versamur, affinitas fecit, ut laudati sæpe* S. Francisci *biographi,*

non

emisse etiam ad eam non aspirandi voto,

non observato temporis ordine, sub unum quasi obtutum, quotquot deinceps (non enim postremum Borgiæ, *quod modo relatum est, certamen fuit) Pontifices summi, aliique seu ecclesiastici, seu seculares, principes viri, qui cardinalatus dignitate auctum* Borgiam *voluere, congesserint, protulerintque in medium. Philippus, Hispaniarum princeps, ut partim Nierembergius et partim Alvarus tradunt, priusquam in Angliam anno* 1554, *Mariam, Henrici VIII filiam, et Angliæ reginam matrimonio sibi juncturus, trajiceret, denuo a Julio III* Borgiam *Cardinalium cœtui adjungi petiit: verum ne eam sibi conferret dignitatem, a Julio* Borgia *scriptis litteris enixe est deprecatus: idem vero Joanna, Philippi soror et Lusitaniæ princeps, ne ea dignitate invitus ornaretur, scriptis Londinum ad fratrem litteris fecit. Ita vero factum scribit Alvarus, ut a* Borgia *votum exegerit Ignatius, quo ad nullam sese, sive intra, sive extra Societatem dignitatem aspiraturum, nedum eamdem sine Pontificis præcepto admissurum; imo ad*
B *Societatis præpositum, si quem eo aspirare comperisset, sponderet delaturum, quod et libenti animo præstitit, et ejus exemplo in Societate dein propagatum, a quatuor vota professis perpetuo fuit observatum.*

fecit. 134 *Biennio post, defuncto Ignatio, ut comitiis Societatis interesset, Romam proficisci decreverat; at, posteaquam a Paulo IV exspectari se, ac abs illo paratum sibi galerum cardinalitium intellexit, itineri Romano vale dixit, ut absentis nihil Paulus meminisset. Bis eadem mens, idemque propositum Pio IV fuit; primo quidem cum vicarius generalis, dein cum Societatis Præpositus esset. Pius vero V in animo habuit,* Borgiam *ad suscipiendum eum dignitatis gradum etiam præcepto adigere; verum plus humilis Viri vota orationesque, quam principum Pontificumque valuere consilia; quippe qui multa lacrymarum et sanguinis vi, ut ex ore ejus P. Gaspar Fernandez, cum illi Romæ a confessionibus esset, aliquando audivit, eam a Deo gratiam consecutus fuerit, ut vitam prius, quam Societatis habitum deserturus esset. Quid quod et de impo-*
C *nendo ejus humeris, defuncto Pio V, summi Pontificatus onere cogitatum fuerit? Testimonium huic rei legitimum dixit Thomas Borgia, Cæsaraugustanus archiepiscopus,* S. Francisci *frater, his partim verbis conceptum:* Cardinalis Paleotus mihi mandavit, ut pro viribus procurarem ducere Patrem Franciscum dominum meum ad Romanam curiam in electionis occasione: quia ipse sciebat, quod multi ex Cardinalibus adhærebant suæ Paternitati reverendissimæ *etc. Agebat tum Ferrariæ* Borgia *apud ducem, qui passus haud est, eum a se avelli, quod ægri vitam periculo exponitam nollet. Porro* Franciscus, *cui id nescio quo rumore didicisset, a Deo obtinuit, ut vel Roma abesset, cum novi Pontificis electio fieret, vel e vita decederet, teste P. Ludovico Santandero, cui id ipsemet* Borgia *retulit. Sed jam missis, quas recusavit, dignitatibus, ad labores ejus apostolicos revertamur.*

AUCTORE J. B.

§ XI. Diœcesim Calagurritanam et Burgensem excolit : iter ejus in Lusitaniam : in Hispaniam redux collegiorum aliquot semina jacit.

Diœcesim Calagurritanam

Ex litteris, quas die x *Novembris anni* 1552 *ad uxorem ducis Villæ Hermosæ, sororem vero suam, dedit (videsis Alvarum Cienfuegos lib.* 4, *cap.* 6, § 1, *ubi eas Hispanice recitat) liquet,* Borgiam *ad finem properante jam anno febri immunem non fuisse, visumque fuisse, ut ad aliquem Cantabriæ portum, Ognato tamen haud admodum remotum, mutandi aeris causa sese reciperet: patet item ex iisdem, etsi valetudine affectum, rerum tamen, quæ ad Societatis incrementum facerent, ne tum quidem curam deposuisse, ut qui iis litteris collegii Burgensis rem sorori suæ serio commendatam voluerit. Vix a febri convaluerat, quin a Joanne Bernardo Diaz, Calagurritano episcopo, qui Tridento in diœcesim suam redierat, humanissimis evocatus litteris fuerit, ut, quos alibi fructus fecerat, Calagurri quoque colligeret, ubi opimæ messis spem magnam faciebant populi clerique, ut Alvarus tradit, licentia, morum corruptela, scandala publica, gravesque nobilium simultates et odia. Calagurrim profectus* Borgia *est mense Martio, sacrasque mox conciones exorsus, dicendi ardore vehementiaque ita populum clerumque brevi commovit, ut tanta ac tam repentina morum mutatio episcopo Calagurritano nihil minus visa fuerit, quam prodigium. Pari dein labore fructuque Juliobrigam (ita nonnulli id oppidum, quod* Logronno *Hispannis dicitur, et ad Iberum fluvium, qua Castellam a Navarra secernit, situm est, vocavere) apostolicis sudoribus, comitante ipsum Calagurritano præsule, irrigavit.*

et Burgensem excolit.
F

136 *Egerat interea Romæ cum Ignatio Cardinalis de Mendoza, Burgensis archiepiscopus, ut, cum diœcesios suæ exstirpare vitia, moresque corruptos in melius emendare vehementer optaret, id negotii* Francisco *daret. Paruit Ignatius Mendozæ votis, et Juliobriga die* xv *Aprilis anni* 1553 *egressus* Borgia *novam, addito sibi socio Antonio Corduba, provinciam solerter aggressus est. Plerisque diebus ad populum dixit; innumeri fuere, quorum confessiones excepit; non paucos e primaria nobilitate viros exercitiorum S. Ignatii ope atque subsidio ad insignem constantemque pietatem instruxit; plurimas etiam leges institutionesque congessit, et Mendozæ transmisit, quibus, si ita videretur, ad diœcesim rite utiliterque administrandam uteretur: hos vero labores subiit et exantlavit, invitis plerumque febribus, quibuscum identidem luctari cogebatur; nihilo tamen secius numquam suggestum, nisi comite singulari quadam et mirabili tum dicendi vi et efficacitate, tum firmiludine vocis, verba facturus ascendebat.*

profectus in Lusitaniam,

137 *Finita missione Burgensi, Lusitaniam adiit: evocatus eo jam ante fuerat Joannis III Lusitaniæ regis litteris, quas ipsi, Vergaræ in*

AUCTORE J. B.

in Guipuscoa adhuc agenti, P. Ludovicus Gonzales attulerat; verum id temporis nondum ita confirmata validaque medicorum judicio valetudine erat, ut capessendo citra vitæ periculum itineri Lusitano par esset: cum vero Burgis ageret, P. Hieronymo Natali, Societatis per universam Hispaniam commissario, qui tunc Ulyssipone versabatur, Lusitaniæ reges, quibus Ludovicum regis fratrem, et Joannam Lusitaniæ principem Alvarus addit, suum iterato Francisci *coram videndi desiderium manifestarunt. Ad hæc Natalis: nihil quidem sibi juris in* Franciscum *esse, quem nominatim a commissarii potestate Ignatius exemisset: verum quid principum voluntatis esset, sese facturum, ut* Borgia *sciret: nec porro dubium sibi esse, quin ille egregiis tantorum principum in Societatem meritis obsecundaret, et, quod par esset, redderet. His de rebus certior factus a Natali* Borgia, *continuo in viam se dedit una cum P. Bustamantio: Castella egressus Salmanticam in regnum Legionense pervenit: hinc digressus*
B *septimo post die Conimbricam, quæ Lusitaniæ civitas est ad Mundam* (Mondego) *fluvium sita, attigit, verum non absque prodigio, quo* Francisci *precibus cælitus datum est, ut Bustamantius ex altissimis rupibus una cum jumento, cui insidebat, in præcipitia vel ipso aspectu horrenda prolapsus, evidentissimum certissimumque vitæ periculum incolumis et illæsus non procul Conimbrica evaserit, ut e Ribadineira Schottus in Vita* S. Francisci *num.* 87 *aliique ejusdem biographi fusius memorant. Porro, ut Alvarus scribit lib.* 4, *cap.* 6, § 3, *confestim ac Conimbricham venit, etsi inde discedere continuo vellet, nostrorum externorumque humanitate, precibus, lacrymisque coactus est sex dierum moram ibidem facere, non externorum modo, sed nostrorum in primis solatio fructuque insigni; ne unus quidem ex his fuit, quin conscientiæ suæ arcana* Francisco *gaudens lætusque panderet, plenusque solatio et alacritate abs illo discederet.*

et a familia regia

138 *Conimbrica post bidui iter Ulyssiponem venit pridie Kal. Septembris,* a regibus singulari humanitate exceptus, *inquit Ribadineiræ interpres Schottus; quod quam vere a Ribadineira dictum sit, luculentius ex iis, quæ Alvarus lib.* 4, *cap.* 7, § 1 *addit, patebit: urbem subeunti, inquit ille, obviam ivere Nuntius Apostolicus, archiepiscopus Ulyssiponensis, duæ Aveiri, bini ducis Brigantini fratres, aliique e Lusitaniæ nobilitate non pauci. Collegium Societatis ingresso mox adfuit e regis familiaribus Petrus Carvallo, qui felicem* Borgiæ *regis sui verbis gratularetur adventum: idem fecere Catharina regina, Ludovicus regis frater, et Joanna, Philippi II soror, Joanni Lusitaniæ principi nupta. Interrogatus a Carvallo, venissetne ex itinere fatigatus? Sum, inquit, nonnihil: sed ex titulo, quem mihi adjicis (Dominum honoris causa vocaverat) multo magis. Die postero in collegio quietis capiendæ causa regis jussu sese continuit, qui tamen* Borgiæ *ob frequentes procerum curiæque principum salutationes et congratulationes molestissimus accidit: tertio vero in colloquium cum regibus venit secundum Alvarum: quamquam id Orlandinus lib.* 13 *Hist. Societatis Jesu num.* 47 *altero ab adventus ejus die factum tradat, quod et Nierembergius facit lib.* 2, *cap.* XI *Vitæ* S. Francisci. *Orlandini verba e quibus insuper, quantis humanitatis officiis exceptus in aula Lusitana* D *fuerit, intelliges, lib.* 13, *num.* 47 *hæc sunt:* Postero die invitatur a regibus ad colloquium. Cujus ad ingressum rex pariter et regina consurgunt, et perbenigne pariter aliquanto spatio occurrunt. Ac rex quidem sibi detraxerat pileum, quem honorem ne ducibus quidem ipsis, ac regni sui proceribus unquam habebat: cumque ad benignitatem adderet, instans, ut protinus assideret, evicit humilitas ac modestia Patris, ut de more gentis regem de genibus affaretur; nec unquam, quamvis sæpius jussus consurgere, et in sella ad id parata requiescere, Vir modestissimus tantum honoris admisit: quem tamen ei reges honorem non habebant ut duci, non enim tantum forsan dignarentur; sed ut Viro sancto, qui, quæ ceteri tantopere admirantur et stupent, ipse contemneret pedibusque proteereret.

honorifice exceptus,

139 Nec minus honorifice postea *(pergit post pauca Orlandinus)* soror eum Philippi II Joanna, principis Joannis conjux, sororque regis Maria, atque Elisabetha Eduardi regis fratris E uxor, et Ludovicus, item regis frater, vir suavissimis atque optimis moribus, exceperunt. *Quotidianas rex Joannes ex aula, teste Alvaro* § 2, *dapes* Borgiæ *misit: idem regina factitavit, horumque exempla æmulata est cetera familia regia: verum in illis unum placuit illud, quod sibi inde suppeterent, quæ Ulyssiponensibus xenodochiis elargiretur. Bis illi indies, dum Ulyssipone fuit, ædes regiæ adeundæ fuerunt, et quamquam ab his collegium intervallo satis longo distabat, uti lectica numquam voluit. Catharina regina, cum levi eum morbo affectum audisset, sciretque lecto uti, neque velo, neque tegmine superius munito, e panno viridi conopeum misit, addens, nullum se vilius in aula sua reperisse; ita futurum rata, ut eo uti* Franciscus *vellet, quod, si pretiosius foret, certo illum abjecturum, non ignorabat: frustra tamen reginæ cura et industria fuit: nam vel id splendidum nimis* Francisci *modestiæ et paupertati fuit, et vel hoc solo nomine, quod ab aula profectum id muneris esset, displicuit adeo, ut eo uti noluerit. Ex quibus quidem affatim liquet, quanta in eum fuerit Lusitanæ curiæ et regis in primis familiæ benignitas et veneratio. Sed quas tam insigni benevolentiæ vices* Franciscus *re-* F *pendit?*

concionum suarum

140 *Frequentes in sacello regio coram rege, familia regia et aulæ proceribus conciones habuit, quibus et curiæ vitia libere simul et fortiter redarguebat: dictis fidem ac pondus addebat dicentis cum dignitas pristina, tum integerrima sanctissimaque vitæ morumque ratio, verbis perpetuo consona. Catharinæ reginæ volupe in primis fuit e sacro pulpito perorantem audire, quem olim sibi, cum Tordesillæ esset, in epheborum nobilium numero ministrasse, meminerat. Ludovico, regis fratri, quem supra Societatem expetiisse diximus, gratissimum accidit, initam jam olim in Hispania, cum Tunetanæ expeditioni sese cæsar accingeret, cum* Borgia *amicitiæ necessitudinem arctioribus nexibus constringere et confirmare: et quamquam suopte is ingenio ad virtutem ac pietatem natus factusque videretur,* Borgiæ *tamen opera industriaque se ipso longe major evasit. Piissimos hujus principis mores, licet* in Borgiam *magna ex parte redundent, pluribus haud prosequor, quod id affatim a* Francisci *biographis præstitum*

A *præstitum sit, ut vel ea, quæ infra Ribadineiræ interpres Schottus in Vita* S. Francisci *num.* 88 *et seq. refert, luculenter evincunt.*

ingentes fructus

141 *Crebro item regina de rebus, ad animæ salutem pertinentibus, cum eodem consilia contulit; crebro Joannes, Lusitaniæ princeps, ejusque uxor Joanna : principum vero vestigiis, quæ in aula versabantur, nobiles matronæ virginesque inhæsere: coibant sæpe vespere in aliquod sacellum una cum regina* Borgiam *audituræ : hinc factum, ut frequens Sacramentorum usus in aula brevi invaluerit adeo, ut singulis octiduis de peccatis confiterentur : sategit etiam* Borgia, *ne cœptæ pietatis ardor aliquando intepesceret aut interiret, ut curiam diebus Dominicis festisque viri aliquot e Societate prudentes doctique accederent, quorum munus esset, vel confitentibus de peccatis aures præbere, vel legis Christianæ præcepta explanare, vel monere principes officii ac boni exempli, quod ipsi potissimum ceteris fidelibus deberent. Cultum Deiparæ*

B *Virginis in aulam Lusitanam istiusmodi invexit invento : schedulis aliquot præcipuas Dei Matris virtutes laudesque inscripsit ; virtutibus singulis ad has impetrandas congruas totidem orationes addidit : pari dein schedularum numero reginæ, principis, ceterarumque nobilium feminarum nomina singulatim adscripsit. Tum vero utræque schedula, ut sors dabat, junctæ ea lege distribuebantur singulis, nec octiduo ad eam, quam sibi sors obtulisset, virtutem singulari studio eniterentur, additamque iis orationem indies recitarent. His aliisque id generis institutis ea brevi morum mutatio in aula Lusitana facta est, ut liberioris ingenii et linguæ nonnemo fuerit, qui* Borgiam *eo consilio ad curiam accessisse, diceret, ut palatium regis converteret in monasterium, cujus tum sane ædes regiæ præ se speciem ferebant.*

in aula

142 *Verum Joannæ principi vehementer id inventum placuit :* Borgia *vero, oblata sibi opportunitate utendum ratus, longius provexit industriam.* Quod inventum, *inquit Orlandinus ad annum* 1553, *num.* 49, cum mirum in modum arrisisset Joannæ, Borgia, qui immensa quadam cupiditate flagrabat incitandi homi-

C nes ad virtutem, pro sua mercede poposcit, ut, quæ mater esset princepsque familiæ, ea cum aula sua universa ad honorem Virginis *(cujus natalis dies tum celebrabatur)* animum repurgaret, et alimentis deinde cælestibus confirmaret. Quod cum facile impetrasset, ipsemet lectus ad id sacerdos, divinissimam Hostiam, antequam inciperet distribuere, manu tenens, pauca verba, sed ardentia fecit, ostendens, quis esset is, quem manibus sustinebat, quæ ejus majestas et sanctitas : quanta e contrario suscipientis illum hominis vilitas pravitasque. Ad quæ verba, eo prolata sensu ac tempore, ingens consecutus est audientium motus. Ex eoque tempore in principis aula octavo quoque die sacra illa mysteria, minimum autem quinto decimo, obiri salubriter serioque cœpta sunt.

et urbe Ulyssiponensi colligit;

143 *Amplam itaque* Franciscus *in aula Lusitana laborum suorum et opimam colligebat messem ; verumtamen officio sibi suo deesse visus fuisset, nisi civium pariter et promiscuæ multitudinis saluti animæque commodis laborum suorum partem subinde tribuisset. Variis in templis, ut Alvarus lib.* 4, *cap.* 7, § 3 *scribit, publice ad populum verba fecit, ac nominatim die* XXI *Septembris, festa S. Matthæi luce, in collegio Ulyssiponensi S. Antonii, quo ad eum audiendum non modo Ulyssiponenses incolæ, sed etiam cum universa curia rex ipse convenerunt; cujus concionis quamquam meminerit Ribadineira, non tamen hujus Latinus interpres Schottus. Maximos item animorum motus excivit Kal. Octobris ad S. Rochi, præsentibus iterum Lusitanis regibus, principibus ac proceribus ; inter quos templo digressus Joannes Lusitanus princeps dixit, hunc sese oratorem cum voluptate audire, qui non minus factis, quam verbis peroraret. Venerat eo die in possessionem illius ædis regia auctoritate Societas, quæ amplissimæ dein Ulyssiponensium professorum domus exordium fuit, qua in re multum* Francisci *auctoritas et gratia valuit. Intra domesticos collegii lares nihilo aliter procul dubio fuit, atque Conimbricæ fuisse supra diximus : ex Alvaro* § 4 *id addi speciatim potest, fuisse, cum in collegio S. Antonii* Borgia *degeret, nonnullos e sociis, qui in vocatione sua vacillarent quidem, sed brevi* Borgiæ *hor-* E *tatibus confirmati resipuerint, et arreptum vitæ genus constanter exin sequi perrexerint.*

AUCTORE J. B.

144 *His rebus in Lusitania gestis, Ulyssipone discessit die* V *Octobris : inde Eboram venit; monitus a Ludovico Henricus, alter regis frater, tum Cardinalis et Eborensis archiepiscopus, dein vero Lusitaniæ rex,* Franciscum *mox ab adventu suo amicissime convenit, ac, ut die postero cathedrali templo ad concionem diceret, impetravit. Non longe inde sub in tempus aberat Georgius Melo, is, quem* Borgiæ, *cæsarem in Galliam secuto, socium adhæsisse diximus. Summopere is quidem* Borgiam *pro antiqua amicitia coram alloqui avebat; sed prohibebat id alloquium, qua Georgius tenebatur, febris : in viam tamen se dedit ausu temerario quidem, sed felici : necdum enim Eboram pervenerat, quin, jam depulsa febri, pristinæ valetudini sese restitutum senserit. Posteaquam amice congressi sunt, confiteri de peccatis* Francisco *Georgius voluit : qua ex re tantopere tum animo, tum corpore recreatus est, ut corpore quidem prorsus incolumis ad suos reversus sit; animo vero deinceps non minus ad virtutem incaluerit, quam paulo antea corpore. Hæc de Georgii* Franciscique *conventu Alvarus, forte ex P. Dionysio Vasquez, quem paulo ante, ubi de Henrici et* Francisci *Eborensi congressu loquitur, laudat.*

quod Eboræ item

F

145 *Ebora Villam-Vitiosam a duce Brigantino invitatus repente itineri se dedit, eo consilio, ut prius duci Theodosio præsentem se sisteret, quam ille obviam sibi honoris causa fieret: verum octo circiter leucarum iter emetiendum* Francisco *erat, ut, quo invitabatur, perveniret : atque adeo moneri tempestive de ejus adventu dux Brigantinus potuit, uti reipsa contigit. Non procul Villa-Vitiosa* Franciscus *aberat, cum multa nobilitate septum obviam sibi ducem Theodosium habuit : ut in conspectum mutuum venere, ex equo dux desiliit,* Franciscus *vero, factus duci propior, nec tanto se honore dignum existimans, rubore perfusus, ad ducis pedes sese humi prosolvit : dux ita jacentem mox amplexus ad palatium usque deduxit, ibique detinuit per aliquot*

et Villæ-Vitiosæ facit.

AUCTORE J. B.

aliquot dies : interea vero more suo Franciscus *sacris concionibus populum ad salutem instruxit, itaque se apud ducem gessit, ut huic amorem, quo nascentem Societatem complexus hactenus fuerat, vehementer incenderit, auxeritque, quem deinde dux in liberos posterosque quasi perpetuo hereditatis jure transcripsit, ut non modo Alvarus, sed et Ribadineira etiam et Nierembergius tradunt. His recensitis Ribadineira ejusque interpres Schottus et Nierembergius* Borgiam *Vallisoleti in Castella sistunt, ejusque illic gesta enarrant : verum alia nonnulla hic denuo ex Alvaro paucis saltem delibanda prius sunt, quam et nos eo progrediamur, ne minus vel plene vel ordinatim res ejus gestas pertractemus.*

In Hispaniam reduæ collegiorum aliquot in regno Legionensi, in Castalle

146 *Rediturus e Lusitania in Castellam* Borgia *per Legionense regnum iter instituit, ac Methymnam-Campi, in extremis dicti regni finibus sitam ac octo circiter leucis Vallisoleto distantem, per autumnum pervenit, ubi, ad aras primum faciente P. Antonio Cor-*
B *duba, insignem orationem habuit magno nobilitatis vulgique concursu, quod et insequentibus diebus aliquot fecit. Geminum porro fructum* Borgiæ *adventus ibi potissimum peperit. Alieno in primis in socios animo erant aliquot illius oppidi non infimæ notæ viri ; verum* Francisci *præsentia fecit, ut in amorem fuerit conversum, quod eos Societatis odium ceperat. Tum vero collegio illic excitando eadem plurimum profuit. Qui illuc primi venerant Societatis conducti hactenus utebantur ædibus, et sumptibus Roderici de Duennas alebantur : emerat hic hortum locumque condendo collegio idoneum ac sociis dono dederat* XXIX *Junii anni* 1553 *: pinguem item symbolam dederat regis Lusitani procurator aliquis, qui eo ad nundinas venerat. Cœpta itaque est eodem anno collegii fabrica, primum hujus lapidem jaciente* Francisco, *templi vero fundamentum exorsus est anno proxime insequenti Didacus Ruiz de la Camara, Methymnensis abbas, unus ex his, qui paulo ante minus Societati faverant. Operi dein suprema manus Petri Quadrado, ejusque uxoris, Franciscæ Manjon, curis expensisque*
C *admota fuit, reditusque collegio constituti. Adhæc Methymna-Campi in vicinam Castellam binos e sociis, P. Ferdinandum Alvarez et P. Baptistam Sanchez misit, qui Abulam suis laboribus excolerent ; quorum adeo probata fuit industria, ut jam tum Societatis collegium civitas peteret ; condi id cœptum fuit biennio post, cum Hispaniarum commissarii* Borgia *fungeretur officio, eoque* Borgiæ *jussu profecti sunt P. Ferdinandus Alvarus (is, cujus mentio facta est) civis Abulensis, et P. Joannes de Padranos. Hi primi e Societate cum S. Teresia, lectissimo illo Carmeli flore, amicitiam singulari divini Numinis beneficio iniere : utroque confessore subinde est usa, ac, Padrano duce, S. Ignatii exercitiis spiritualibus, purissimum quantumvis animum, magis magisque expurgare voluit et expolire.*

et in Andalusia

147 *Colligendæ tam opimæ messi in regno Legionensi intento* Borgiæ *crebræ allatæ sunt clarissimarum matronarum litteræ, quibus in Andalusiam maximis precibus invitabatur, maxime a marchionis de Priego uxore, Antonii Cordubæ, filii sui, quem* Borgia *in suo comitatu habebat, videndi percupida. Itineri sese dedit mense Novembri anni* 1553 *una cum P. Bustamantio, P. Antonio Corduba et Fratre* D *Bernardo : cum ad montes Marianos in Andalusiæ et Castellæ Novæ confiniis sitos, pervenisset, egregium* Borgia *Christianæ humilitatis et mansuetudinis specimen dedit, quod ex Ribadineira Schottus num.* 85 *Latine sic narrat :* Dum e Castellæ regno Bœticam adiit, sociis stipatus Antonio Corduba et Bustamantio, in asperis confragosisque montibus Marianis (SIERRA MORENA hodie incolæ nominant) diversorium mansionemque publicam fessus de via iniit, ut cibo lassum corpus, dum se meridianus æstus frangit, reficeret. Ad pedes cum desiliit, conclave unicum hospitii et vacuum ingressus, statim, ut solet *, genibus flexis, * solebat
oratioui intentus, Dei auxilium implorabat. Rediit interea viator, qui prior, impedimentis ibi locatis, occuparat ; ratusque e vulgo clericum illuc ingressum, ac pietatis specie res suas furto sublegere conatum, jurgari iratus cœpit, vocemque intendere, convicia jacere, verbera etiam minitari. Franciscus, qua erat animi modestia, ab oratione surgens : « Da mihi, » inquit, « hanc veniam, animoque sis tranquillo. « Nec enim mihi propositum, conclavi te ex- « cludere : quin potius, si prior tempore occu- « passem, tibi libens cederem. Verbera, quæ « mihi minitaris, fateor equidem meritum me « peccatis. » Concursus subito ad clamantis vocem factus, qui cum illum jurgantem placassent, docuissentque, in quos stomachum evomeret, illustres esse et claros viros, sibi ille redditus, magno sui pudore genibus accidens veniam precatur. Franciscus vero homo sublatum, amplexusque in Domino, assidere sibi jussit : hortatus ad patientam, neve deinceps, si saperet, iracundiæ frena laxaret. *Addit Alvarus, hominem illum Borgianæ tolerantiæ ubique dein egisse præconem, iracundiam aspero vitæ genere in sese ultum, ac ad Societatis homines in animi dubiis, dum vixit, solitum fuisse recurrere.*

148 *Superatis tandem Marianis montibus,* *fundationi*
Bœtique fluvio (Guadalquiviram *recentiori nomine vocant) Montellam usque, ubi Antonii matrem, filium cum sociis avide exspectantem, offenderunt, progressi sunt. Læta quidem illa e filii conspectu alloquioque fuit ;* F
at lætior multo, cum hospitum suorum sanctimoniam, et, quo flagrabant, divinæ gloriæ zelum suis ipsa oculis vidit : more suo Franciscus *non modo verba faciebat e suggesto, sed vicina etiam loca circuibat, tintinnabulum manu quatiens, ejusque sonitu incolas accolasque convocans, quibus dein fidei doctrinæque Christianæ præcepta institutaque enucleabat : his aliisque id genus rebus mota Catharina Fernandia de Corduba, Antonii mater, miro in Societatis institutum amore ferri, tractareque cœpit de condendo Montellano collegio, quod anno* 1558 *incoli a sociis cœptum est, teste Sacchino part.* 2 *Hist. Societatis lib.* 2, *num.* 135. *Ex eodem pariter profectum est, ut Cordubæ, qua in urbe sui maxime auctoritate opibusque pollebant, tam ipsa, quam P. Antonius societati domicilium peroptarent. Scripserat in eam rem marchio ad Joannem de Corduba, Cordubensis ecclesiæ decanum, generis splendore clarissimum, opulentum ac divitem, sed falsa de Societatis hominibus opinione imbutum ; et, ecce, præter, exspectationem lætus Montellam nuntius Corduba venit, Joannem domum, quam incolebat,*

A *colebat, eximiam, et sacra supellectile apprime instructam, Societati dono dedisse, ac fructus annuos statuendo tuendoque collegio decrevisse.*

sedulus 149 *Profecti itaque sunt Cordubam die* 2 *Decembris, pactumque die postero fuit, ut ludus litterarius quamprimum aperiretur. Ita fere Alvarus lib.* 4, *cap.* 8, § 2 *Vitæ* S. Francisci, *uti et Orlandinus part.* 1 *Hist. Societatis Jesu lib.* 13, *num.* 41; *quamvis de die, quo Cordubam pervenere, aliter hic scribere videatur his verbis:* Sed cum ea *(Cordubensis civitas)* percuperet studiorum ocius spectare primordia, dum in his ædibus *(Joannis Cordubæ, de quibus proxime)* ludus struitur, in minoribus alteris aperitur ab eodem Joanne commodatis. Jam Montillam apud Catharinam marchionem convenerant novi futuri collegii incolæ cum Antonio Corduba, qui primus fuit rector, et ipso Borgia ac Bustamantio ex Lusitania nuper reversis. Hi cum cæteris colonis S. Catharinæ virgini martyrique clarissimæ sacro die *(*xxv *Novembris)* translati Cordubam, unde Montilla sex leucis abest, communicum gratulatione tem-

B porarias illas in ædes a decano introducuntur. Hic igitur ludus primum apertus III Idus Decembris *(id est, die* XI *ejusdem mensis)* quina classium varietate distinctus etc.

incumbit. 150 *His Cordubæ ex sententia gestis, Montellam cum P. Antonio rediit, quo ibi relicto, cum fratre Bernardo, ad maris Gaditani portum, quem* San-Lucar de Barameda *Hispani dicunt, tetendit, Methymnæ Sidoniæ duces invisurus: quo priusquam pervenit, Ossunæ quidem Vrennæ comites, Marchenæ vero ducem de Arcos, ejusque uxorem Mariam de Toledo de via salutavit: vix hi impetrare abs illo potuerunt, ut e pedissequis unum comitari se peteretur: haud longe vero hinc progressi fuerant, cum socium suum Bernardum ita facete est allocutus: « Frater Bernarde, unius » jam fere leucæ iter eques emensus es; ex equo » descende, equitabit modo frater Zarçuela, » quod pedisseguo nomen erat. At altera item leuca progressus, ita seipsum pariter allocutus est: « P. Francisce, jam et tu per binas equi- » tasti leucas; descende ex equo, equitabit mo-*

C *» do frater Bernardus. » Quidquid autem hic contra niteretur, parendum* Borgiæ *fuit. Cum ad oppidum, cui* Xerèz de la Frontera *nomen, venit, clam id subiit, ac subito, etsi jam sero, ipseque ex itinere fessus esset, deseruit, quod quid adventus sui loci primoribus suboluisse, perspiceret. Cum jam in eo esset, ut Fanum S. Luciferi (ita* San-Lucar *Baudrandus Latine exprimit) subiret, obviam sibi prodeuntem Methymnæ Sidoniæ ducem, filio suo, comite de Niebla, magnoque nobilium numero stipatum, intuitus, eo tum fuit animi rubore perfusus, ut equum retro converteret; sed majore etiam, cum ducem, mox se insecutum, et ex equo descendentem, et genibus suis advolutum ac dextram osculantem vidit. Deductus in oppidum, ducis comitisque salutatis uxoribus, adduci non potuit, ut in ducis ædibus hospitaretur, his omnino xenodochium publicum præferens. Multus hic illi de more fuit pro proximi salute labor, parque labori fructus: adhæc tractare cum ducis uxore cœpit de exstruendo Societati collegio, quod item Marchenæ apud ducis de Arcos uxorem fecerat: interim vero quatuor Societatis operarios eodem evocavit, qui novum illum agrum gnaviter exercerent et excolerent.*

AUCTORE J. B.

§ XII. Tordesillam ad Joannam aviam, et Vallisoletum ad Joannam sororem a Philippo, Hispaniarum principe, evocatur: concionibus suis multos ad meliora convertit.

Joannæ, Caroli V matri, amentiam, Inierat jam annus 1554, *ut narrare Alvarus pergit, cum Philippi, Hispaniarum principis, litteris in Castellam revocatus fuit: dolebat enim Philippus Joannæ, aviæ suæ, quæ Tordesillæ mentis impos erat, vices, expertusque anno præterito fuerat, miseræ principi non inutilem* Borgiæ *fuisse præsentiam: hic vero, acceptis Philippi litteris, Matritum iter maturavit: Philippum offendit in ædibus* E *regis* (El Pardo *Hispanis dicto) altero ab urbe Matritensi lapide, mane ex ædibus sacris, ubi rei divinæ interfuerat, egredientem:* Borgiam *familiari dignatus alloquio princeps rogavit, Tordesillam delirantis Joannæ causa iret, moramque ibi faceret minimum bimestrem, quod, ut aiebat princeps, solus aviæ paucis diebus plus profuisset anno proxime elapso, quam medici plures annis quadraginta. Tordesillam profectus* Borgia *in xenodochio, quod illic Maria de Texeda exstruxerat, hospitium sibi delegit: inde vero Joannam in palatio invisit indies, tantumque ejus præsentia valuit, ut, quoties ad eam accederet, vis mali vultusque furor aliquamtulum intermitteret. Sub ejusdem anni principium Joanna, Philippi soror, Joanne, Lusitaniæ principe, eodemque marito orbata, in tanto luctu solatii pariter causa ad* Borgiam *confugit. Postquam filium posthumum, Sebastianum, Lusitaniæ dein regem, pepererat, litteris* Borgiam *certiorem fecit, se, cum a partu convaluisset, in Castellæ regnum venturam, simulque oravit, ne inde pedem efferret.* F

Joannæ vero, ejusdem filix, dolorem mitigat; 152 *Redditæ sunt hæ litteræ* Francisco, *cum esset Tordesillæ, quo sub idem tempus Philippus, aviæ prius suæ, quam in Angliam navigaret, vale dicturus accessit: officii causa Philippum adiit* Franciscus: *verum tristi a principe nuntio perculsus fuit; sororem suam propediem in Castella adfuturam, et Hispaniarum clavum, sese absente, penes eamdem futurum; porro velle se, ne* Franciscus *ab ejus latere discederet, quo sorori suæ pro ea, qua pollebat, rerum seu privatarum seu publicarum peritia esset adjutor. Invitis quidem auribus ista* Franciscus *excepit; verum mense Junio, quo Joanna Vallisoletum venit, ipse eodem quoque profectus est, quo mœstæ afflictæque principi solamen, quod posset, afferret. Assiduus principi Joannæ in curia adfuit: domi vero (in collegio S. Antonii, cui res erat adhuc angusta admodum) populo quidem Threnos Jeremiæ prophetæ per modum lectionis sacræ exponere cœpit: domesticis autem Theologiam. Autumni tempore Placentiam in Extremadura sitam concessit, ibique sua in Jeremiæ Threnos mediata, ad incudem revocata perfecit, antequam eadem in Complutensi acade-*

AUCTORE J. B.

mia palam depromeret; quod anno insequenti non minore doctorum hominum concursu, quam plausu fecit, passim confitentium, ea, quæ Borgia *diceret, non adeo e libris humanaque industria, quam ex oratione et cœlitus data scientia proficisci. Exstruebat id temporis Placentiæ collegium Gutierrus Carvajalius episcopus, quo se, præter* Borgiam *e sociis plures quoque alii contulerunt : mox divisis inter singulos muneribus,* Borgia, *teste Orlandino lib.* 14, *num.* 78, summa omnium approbatione concionandi initium fecit. *Refert hoc loco Ribadineira (ejusque adeo interpres etiam Schottus) inter præclara, quæ Vallisoleti seu, ut Schotti interpretatione utar, Pintiæ* Franciscus *gessit, facinora, illius suasu, sed Joannæ principis jussu, Gandiensium discalceatarum, Matritum deinde translatarum, coloniam in civitatem Vallisoletanam advenisse, ac totius transmigrationis seriem, quamvis non uno eodemque tempore peractam, non interrupto orationis filo lectori ob oculos ponit.*

B *Ego vero jam supra earum ad Casam-reginæ profectionem, quæ anno* 1552 *contigit, supra num.* 129 *ex Alvaro retuli, quem, ut temporis ordinem servem, sequi porro constitui; eaque de causa de illarum Vallisoletum adventu sermonem differo ad annum* 1557, *quo, auctore* Borgia, *reipsa hic contigit. Interim* Francisci *hoc anno res Vallisoleti et alibi gestas ex Alvaro narrare seu potius perstringere paucis pergo.*

Placentiam tendens

153 *Exercebant eo tempore, ut Alvarus narrat lib.* 4, *cap.* 8, § 4, *nobiles aliquot familiæ per regnum Valentinum gravissima inter sese odia et inimicitias, adeo, ut ne mutuis quidem cædibus abstinerent : hisce sese turbis, partium, ut fit, studio ducti, Petrus Ludovicus Galceranus Borgia, Montesæ, magister, ejusque fratres Philippus et Dicatus, et Carolus, Gandiensis dux, implicuerant : erat hic* Francisci, *ut dictum est, filius; illi vero fratres, ex eodem patre, sed alia matre. Hi, juncti Figuerolis, a quibus stabant, die* XXVII *Januarii Valentiæ, Didaco de Aragonia, ducis Segoviensis naturali filio, sclopeti ictu vitam ademerant; coactique sunt, ne in manus proregis regni Valentini, ducis de Maqueda, inciderent, fu-*

C *ga, quaqua poterant, sibi consulere. Summum ea res* Francisco *mœrorem attulit. Hinc fratrum filiique amor, illinc multiplex Dei offensa, patriæ damnum, publicumque scandalum gravissima mansueto pectori vulnera infligebant : itaque orationi, quod solum poterat, ferventius se dare, sævire in seipsum sanguineis flagris, quasi id mali a se ortum esset, plorare, gemere ac veniam et misericordiam sibi suisque a Deo implorare.*

de vitæ periculo admonetur;

154 *Fervebant hujusmodi odia, cum in itinere Placentino, de quo paulo ante, constituto repente obviam facti sunt viri duo, feris equis vecti, larva frontem obducti, nudoque ense armati : horum unus* Franciscum *seorsum a sociis, iuter quos P. Dionysius Vasquez, qui hic Alvaro procul dubio præluxit, erat, aliquo usque abduxit : alter sese ejus sociis junxit. Nihil turbatus* Franciscus *priorem, quid sibi vellet, placide interrogavit. Tua, inquit ille, P.* Borgia, *causa non paucas hasce confeci leucas; audi consilium : nescius mihi videris simultatum, in quas aut sese immersit familia, aut quid vindictæ cupiditas possit : abditus in aliquod conclave viveres potius; aut iter institueres saltem iis comitatus, qui tuam tueri in periculis vitam possent. Ad hæc* Borgia, *fratrum suorum hostes, si qui essent, vitam sibi, pauperi religioso, ereptam velle, sibi persuasum non iri : tutum esse nihil habentibus iter; neque se mortis metu a superiorum suorum imperio discessurum : scire se, nihil hujusmodi a se fuisse commeritum; denique, si ita opus esset, simultates istas vel suo sanguine libenter se restincturum. His dictis, uterque discessit : hostisne fuerit, quem* Borgiæ *reverentia represserit, an amicus aut consanguineus, qui prospicere ejus vitæ voluerit, incertum.*

D

Vallisoleti concionatus, Joannem Moscheram,

155 *Sed Placentinum hoc* S. Francisci *iter hoc anno præcesserat Joannis Moscheræ insignis conversio, quam Alvarus ex P. Herrera, qui rei gestæ interfuit, ita fere describit. Is quem modo dixi, Joannes erat e Vallisoleti rectoribus unus, vir notæ nobilitatis, sed turbulentus, odiisque multorum objectus; ita vero a Societatis hominibus alienus, ut ne aspectum quidem eorum ferret. Forte is die* XIII *Junii, festa luce S. Antonii Paduani, ingentem vim hominum ad templum Societatis concurrentem conspicatus, ex obvio cive, ecquam solemni-* E *tatem aut fraudem celebrarent patres, percunctatur : habetur, inquit ille, concio, et porro indulgentiæ plenariæ ob S. Antonii festum ibi propositæ sunt. Mendacia, inquit Joannes, narras; malimque omnium indulgentiarum jacturam facere, quam id templum ingredi. At, excipit civis, qui ad concionem dicit,* Franciscus Borgia *est, idem, qui dux Gandiensis fuit. Cum* Borgiæ, *quem olim in aula cæsaris norat, nomen audivit, seu personæ dignitate et veneratione, seu propria animi curiositate impulsus, templum subiit, ceterisque se auditoribus miscuit. Detonantis e loco superiore ad populum* Borgiæ *vox ita pupugit commovitque Joannis animum, ut, vix bene reperto templi exitu, equoque conscenso, vix seipsum agnoscens Septimancam recta contenderit, dissipaturus illic, uti sperabat, quidquid id esset, quo tantopere animum sibi senserat commoveri: sed, sua spe frustratus, nocte insequenti somnum non vidit. Postridie non minoribus agitatus est stimulis, ut in melius pristinam vitæ rationem mutaret, etsi obniteretur sedulo. Tanti laboris erat exempla vitæ mala commutare cum bonis.* F

frendente dæmone,

156 *Tandem, cum corporis animique quietem quovis pacto frustra quæreret, nec inveniret, victus cessit vocanti se Deo, scriptisque mox Vallisoletum litteris,* Borgiam *supplex obtestatus est, ut Septimancam veniret, colligeret prædam, quam suam fecerat, jacentem erigeret, mortuo animæ vitam redderet : se quidem Vallisoletum libenter venturum, nisi sibi timeret a curia, et visum esset longe consultius eo permanere loco, ubi et libere pectoris sui arcana fas esset aperire, et anteactæ vitæ delicta sine metu deflere.* Borgia, *qui, ut e suggestu descenderat, omnium, quæ contigerant, factus fuerat certior, orationis et jejunii sibi octiduum pro miseri illius conversione indixit; neque Septimancam, nisi eo finito, adire constituit. In viam se dedit die* XXII *Junii una cum P. Bustamantio et P. Herrera; idque noctu propter æstus diurnos. Seorsim a sociis iter dum facit, tetrum dæmonis spectrum jumenti, quo vehebatur, tergo insedit, quod præ tam infami onere neque progredi, neque auram ducere poterat. Ut* Borgiæ *respicienti*

horribilis

A *horribilis subito species objecta est, prius extimuit, quam animum colligere valuerit, simulque vocem edidit pavoris indicem, ad quam accurrentibus confestim Bustamantio et Herrera, spectrum evanuit, non sine* Francisci *pudore aliquo, quod tam imbellem hostem vel sic timuisset : indicio tamen ea res fuit, quam ægre ferret dæmon, eam prædam e suis unguibus eripi.*

ad insignem 157 *Porro ut* Borgiam *Moschera vidit, in genua provolutus, pedesque ejus, manantibus interim ex oculis ubertim lacrymis, exosculatus, totum se ejusdem commisit arbitrio. Voluit* Franciscus, *ut, priusquam universas vitæ noxas confiteretur, S. Ignatii exercitia obiret, quo uberior solidiorque fructus e pœnitentiæ Sacramento promanaret. Posteaquam Deo rite conciliatus fuit, prima* Francisci *cura fuit, ut pariter cum iis, quos Joannes ante offenderat, in gratiam amicitiamque rediret : singulos adiit per sese* Franciscus, *expositaque Joannis pœnitentia, concepta in eum odia felici conatu exstinxit. Joannes dein, singulis cumu-*

B *late facturus satis, Vallisoletum se contulit, et, qui ante terrori plerisque erat, nunc agno mitior, singulis, quos olim læserat, supplex factus, commissorum veniam deprecatus est, ad tam repentinam hominis mutationem obstupescente curia et civitate universa. His ita gestis. Septimancam privatus cum uxore victurus sese recepit, et quam illic domum habebat, consentiente uxore, Societati transcripsit, additis præterea congruis reditibus alendo tuendoque, quod ex utrisque erectum fuit, sociorum tirocinio.*

vitæ mutationem adduxit ; 158 *Ceterum Joannes, quod vitæ illi reliquum fuit, Christiane, imo religiose traduxit. Ita fere Orlandinus part.* 1 *Hist. Societ. Jesu lib.* 14, *numm.* 79 *et* 80 *: in eo discrepat ab Alvaro, quod Joannem* Borgiæ *concioni plane non interfuisse affirmet ; atque hinc ait :* Hanc tantam Moscheræ mutationem, ut ab extremis ad extrema repente migrarit, miraculo homines assignabant. Nec sane, quid principio hominem ita converterit, proditum est. Verum id quod penitus Societatis non modo in gratiam, sed in admirationem quoque rapuit, fuit spectata Bor-

C giæ modestia paucis diebus, quibus apud se habuit Septimancæ. *Quod de exhibitis a* Francisco *Septimancæ modestiæ exemplis Orlandinus ait, dicit id, quod res est : sed hanc ejus apud Joannem commorationem præcessisse inusitati quidpiam oportuit, quod hominem usque adeo a Societatis hominibus alienum hactenus, ut* Franciscum *ejusque socios ad se invitaret, impulerit ; audita nempe* Francisci *concio : quod quidem conversionis Moscheræ principium, Alvaro teste, P. Herrera, ejusdem spectator, scriptis, quæ Orlandinum latuerint, prodidit.*

matronam item 159 *Insignis quidem fuit hæc Moscheræ conversio : sed multa hujus generis alia Vallisoleti* Franciscus *concionando et vitæ suæ exemplis præstitit : quot e vitiorum cœno ad virtutem traduxerit, quot familiarum, privatorumque hominum odia inimicitiasque restinxerit, quot lites consopiverit, quot prostibula animi corporisque puritati reddiderit, singulatim enarrare justæ historiæ, inquit Alvarus lib.* 4, *cap.* 9. § 3, *non patiuntur angustiæ. Satis igitur fore duxit, si illustriora quædam conversionum specimina, e quibus nosci cetera possent, exhiberet. Erat, inquit, ea tempestate Vallisoleti illustris matrona, genere in primis nobilis, opibus, eximia venustate corporis et principum gratia florens, corporisque ornatui admodum dedita : audiit hæc aliquando* Borgiam *in templo, quod* Rosarii *vocant, quanto cum salutis æternæ periculo vestium luxus, reliquusque ornatus corporis conjunctus foret, gravi oratione disserentem : aculeis sibi animum perfodi totidem sensit, quot audiit ex dicentis ore sententias, quas domi dein lingua et cogitatione revolvens assidua, capillos sibi vi quadam impulsuque divino præscindit, vestes splendidas omnemque mundum muliebrem projicit, aliud posthac vitæ genus, aliosque mores meditata.*

AUCTORE J. B.

nobilem, et principes quosdam viros : 160 Borgiam *dein accersi jubet, eique de pec-*

catis, quæ umquam in sese admiserat, confessa, totam se ejus regendam commisit arbitrio. Usa dein vestibus est modestissimis ; quos fecerat ad fastum sumptus, in pauperum alimenta convertit ; tempus, non urbanitatis officiis, non confabulationibus jocisve secularibus, sed orationi et pœnitentiæ operibus con- E *secravit ; quin et parthenonem exstruxit, in quo demum, consentiente marito, reliquum vitæ cursum sibi Deoque transegit. Non defuere etiam e* Borgiæ *auditoribus clarissimi nobilissimique viri, qui, ut aulæ scopulos quisquilias-que, quas, docente e suggestu* Borgiæ, *ex vero æstimare didicerant, tuto declinarent, in suas sese ditiones, aula relicta, receperint : in his Alvarus laudatus numerat Martinum de Pimentel Tavaræ marchionem, comitem stabuli regni Castellæ, Naxaræ item ducem, summum rei maritimæ præfectum, Alphonsum de Acebedo comitem de Monterey et Franciscum de Toledo, comitum Oropezæ filium, aliosque, quos prætereo.*

quibus similes tum in aula, 161 *Neque interea in aula otiosus fuit : Joannam principem reliquumque gynæceum aulicum S. Ignatii exercitiis ita excoluit, ut non minorem in aula Hispana, quam in Lusitana nuper, pietatis fructum fecerit. Tanti vero Joanna* Franciscum, *et quos sive in aula, sive per Hispaniam colligebat, fructus fecit, ut certum sibi quotidie orandi tum pro* Francisco, *aliisque quibusdam patribus, sibi singulariter* F *notis, tum pro Societate universa tempus indixerit. Hinc etiam plura ab eadem principe profecta sunt in Societatem beneficia : collegii Vallisoletani templum ædificiis auxit : xenodochii S. Antonii pretium solvit, quo firma illic et perpetua esset Societati sedes. Emerat anno* 1558 Borgia, *una Dei providentia fretus, vicinas collegio Vallisoletano, nimis tum angusto, vice comitis Altamiræ ædes ter mille aureorum pretio : id ubi Joanna comperit, ære alieno* Borgiam *de suo liberavit. Gloriata item aliquando est, se auctore,* Borgiam *cardinalatus dignitatem effugisse, daturamque se operam dixit, si in Pontificem eligendus foret, ut ne id fieret, vel ob solum, quem ex ejus concionibus fructum ferebat Hispania. Id autem impræsentiarum in principis Joannæ gynæceo instituit, ut nobiles feminæ aliquam e suo grege sibi eligerent præsidem, ac statis diebus in aliquod peculiare conclave convenirent, ubi, quæ ceteris præesset, si quid peccati vel observasset ipsa, vel sponte confiterentur reæ, pro merito reprehenderet ac castigaret, qua lege nec princeps ipsa immunis erat.*

AUCTORE J. B.

erat. Famulabantur item interdum ancillis suis, quod idem P. Franciscum *sociis in triclinio factitare, exploratum habebant : atque ita* Borgiæ, *industria compertum fuit, esse posse etiam in superbis regum palatiis Christianæ humilitati, religiosisque virtutibus locum.*

tum alibi,

162 *Siquando negotiorum causa, ut accidebat interdum, Matritum iret, concionem in S. Genesii (Arelatensis) xenodochio habere solebat, et in prostitutæ vitæ mulieres ejus detonabat oratio, quarum multas e turpitudinis cœno ad pœnitentiam, et e lupanaribus ad religiosa, illustribus matronis tam salutare opus pia liberalitate promoventibus, claustra traduxit. Accidit aliquando Compluti, ut, cum SS. Justi et Pastoris ecclesiam ad dicendum adiret, advena, ignotus quidem, sed illustris, ad* Francisci *pedes supplex acciderit in oculis multitudinis et voce elata dixerit : o Domine, quam longum confeci iter, ut tua in vita saluti inveniam præsidium meæ ! Noli advenæ negare, quod tam liberaliter his civibus præstas. Ille pudore perfusus, si me, inquit, noris, longe de me aliter sentias : si tamen est, ut tam-*
B *quam Dei minister efficere quid ad salutem tuam possim, ne metue, dabitur opera, ut, quod tua in me fiducia dignum est, fiat. Lætus hoc responso advena, peccata identidem* Francisco *exposuit, Deoque reconciliatus in patriam rediit, saluberrimis consiliis præceptisque instructus, ad quorum amussim omnem dein vitam exigeret.*

fructus colligit.

163 *Felices adeo uberesque concionum ejus fructus testes luculenti sunt, quam excellens* Franciscus *orator fuerit : testes tot viri insignes, qui concionibus ejus numquam abesse decreverant, de quibus num.* 160, *aliique, inter quos duæ Maquedæ testatus est, se, post auditum Pompeipoli* Borgiam, *nullum huic in dicendo parem invenisse, quamvis non deessent, qui non vulgari eloquentiæ laude ea tempestate florerent : testes, quæ Evangelicis præconibus ipse præcepta conscripsit; testes denique doctissimi præstantissimique theologi, quibus Vallisoleti atque Compluti admirationi et stupori fuit, ut fusius Alvarus narrat.*
C *In pervolvendis sacris paginis et sanctorum Patrum lucubrationibus studii plurimum operæque consumpsit : dicere solitus erat non ornate et exquisite; sed ordinate et graviter : nativam tamen eloquentiam virili suavitate conditam ejus spirabat oratio. Ad dicendum numquam accessit, nisi præmissis ad Deum precibus, jejuniis aliisque corporis pro temporis opportunitate castigationibus; pari denique diligentia studioque est usus, seu in celeberrimis civitatibus ad magnates doctosque, seu in pagis esset ad rudem rusticorum plebem verba facturus.*

D

§ XIII. Fit Commissarius Societatis per Hispaniam : quæ tum ejus fuerit peregrinandi ac gubernandi ratio et divina in illum Providentia.

Quem, suscepto commissarii per Hispaniam munere,

Augebatur jam per Hispaniam prospero passim rerum cursu tum sociorum, tum domiciliorum numerus : qua de causa Ignatio visum est, quatuor in ea provincias constituere : Lusitanæ provincialis præerat P. Miro, cui in triennium prorogata auctoritas fuit : Castellanæ Araozium, Aragoniæ Stradam, quartæ, sive Bœticæ, recens institutæ, P. Turrianum præfecit : his vero Borgiam *cum Commissarii titulo. Operam quidem is non segniter dedit, ut firmioribus humeris id oneris imponeret Ignatius, quam suis ; verum hunc* E *a proposito dimovere non potuit. Itaque P. Natalis, quod ab Ignatio in mandatis acceperat, Methymnæ-Campi sociorum conventum egit, in eoque* Borgiam *Hispaniarum Commissarium, ceterosque, quos modo dixi, provinciarum præsides declaravit. Convenisse eo Orlandinus ait lib.* 14, *num.* 54, *præter Natalem in primis* Borgiam, *Araozium, Turrianum et Stradam : addit Alvarus, Bustamantium, Villa-Novam, rectorem Complutensem, et P. Tablares : litteras vero publicas, quibus Commissarii munus* Borgiæ *demandavit Ignatius, hic in Hispaniam (uti ex earum autographo, apud Alcanizæ marchiones servato, idem Alvarus tradit) non nisi anno sequenti* (1555) *misit, in quibus* Borgia *non Hispaniæ modo, sed Indiarum etiam Commissarius nominatur. Præcipuas muneris ejus partes Orlandinus lib.* 14, *num.* 56 *exponit, cum* Borgiæ *scripsisse Ignatium refert :* Studeret itaque in eo munere ad sanctitatem perfectamque vitam Societatis homines incitare : collegia recognosceret, eadem augeret, quæ inchoata jam essent, absolveret; nova vero ibi F fundaret, unde plus ad Deum gloriæ, plus ad animos fructus rediturum videretur. Quod autem ex itineribus et collegiorum inspectionibus annui curriculi superesset, id eo loco fere traduceret, in quo curia regia versaretur : quod ea sedes ad facilius cum omnibus provinciis commercium, et ad agendum ei cum proximis, et quotidiana transigenda negotia videretur apposita. Quod nominatim propter eximiam Viri humilitatem, qua lucem hominum fugitans solitudinem quærebat et latebras, B. Pater adjecit. *Jam, qui in hisce se gesserit, dispicere libet.*

tenuerit

165 *Plurima per Hispaniæ provincias longeque dissita erant Societatis domicilia, vel cœpta tantummodo condi, et nondum suis numeris absoluta, vel a fundamentis extruenda, quæ* Borgiæ *præsentiam opemque deposcebant; neque is officio suo defuit : etenim, si quo eum collegiorum necessitas utilitasve vocabat, non præcipitia, aspectu horrenda, non obsitæ densis nivibus viæ, non frigus aut æstus, non imbrium furor deterrebant : satis sibi*

A *sibi adversus aëris intemperiem, si pallio pileove tectus esset, prospectum putabat; præclare secum agi dicebat, seu solis ardoribus ureretur, seu frigore membra obrigescerent, seu sæviret podagra, seu denique calumniantium linguis peteretur. Mane iter faciens perpetuo precabatur et extra se raptus, velut sui nescius, jumento insidebat: id vero satagebat in primis, ut tantum sibi ab itinere temporis esset reliquum, ut rem divinam facere posset, nec prius ex æde sacra pedem efferebat, quam binas ibidem horas seu orando, seu Sacrum celebrando traduxisset. Eadem de causa a recto tramite per leucas non paucas interdum deflexit: accidit quoque non semel, ut miserrimum ingressus hospitium humi jacens pernoctarit, ne die postero locum, in quo Sacrum faceret, incassum optaret: a meridie autem cum sociis de virtutibus piisque rebus disserebat, honestas tamen in loco facetias haud aversatus, quibus itineris tædia comitibus levaret. Quod si feram per montes vagantem, aut volitantes per aërem volucres de vita conspicabatur, aut locus amœ-*

B *nior sese offerebat, subita abreptus, eas in Deum, cujus sapientia condita sunt universa, concipiebat animo amoris flammas, ut in dulcissimas ejus laudes erumperet.*

peregrinandi 166 *Adduci numquam potuit, etsi ægro interdum corpore aut parum firmo, ut rebus itineri necessariis et commeatui provideret, facete dictitans, suum sibi jumentum exemplo, quod imitari ipse vellet, esse, ut quod multum laboret, comederet autem parum. At quanto sui erat negligentior, tanto aliorum sollicitus magis. Siquando viatorem offendebat, cui equus mulusve deerat, desiliebat in terram, familiariique primum utens colloquio, dein in jumentum ascendere jubebat, ut sic delinitum facilius Deo lucraretur: ipse vero per multa etiam milliaria pedes ibat ingenti suo sæpe incommodo. Ut pauperculo nec noto viatori succurreret, locum palustrem aliquando ingressus est, unde ipsemet, nisi periclitanti F. Marcus opportune subvenisset, exitum non invenisset. A nobili viro Castellano, cui in itinere forte occurrit, quod ita rebus omnibus destitu-*

C *tus iter faceret, et ne modicam quidem sui curam haberet, increpitus, placide respondit, melius sibi, quam crederet, prospectum esse: id sibi in more positum esse, ut fidelem, in quodcumque hospitium sese recepturus esset, præmitteret œconomum, qui sedulo faceret, ne quid adventanti sibi deesset. Interrogatus vero, ecquis ille esset œconomus, quem nemo homo nosset; Meimet, inquit, notitia, qua fit, ut nihil mihi, peccatorum meorum probe conscio, pœnasque inferni merito, incommodum accidat.*

modum; 167 *Siquando ad hospitium pluvia madens, inediaque pressus divertebat, in quo nec lectus, nec lumen, nec cœna suppetebat, sublatis in cœlum manibus, Deo grates agebat, et singularem, quam ea ex re animus ejus capiebat, lætitiam vultus prodebat hilaritas. Semotum ibi mox angulum aut conclave quærebat, in quo precibus et corporis flagellationi vacabat. Cum socii cubitum se recepissent, tres horas orationi dabat; S. Dionysii Areopagitæ (ut quidem vulgo audiunt) opera revolvebat, S. Pauli peregrinationum Christique in primis pro hominum salute sudorum memoriam renovabat. In mandatis socio suo dederat, ne mendicum ullum, si quid, quod illi daret, suppeteret, absque eleemosyna missum faceret. Accidit* AUCTORE J. B. *aliquando, ut apud consanguineos aut viros nobiles pernoctare coactus, in magnificis lauteque instructis cubiculis somnum caperet: at solo tum, aut in solo stratæ, si minus recte valeret, culcitæ incubuit, ut a domesticis famulis, sagacibus, ita ut fit, hospitum inspectoribus, interdum, quod Tauri et Alcanizæ accidit, observatum fuit. Splendidis quandoque etiam magnatum conviviis interfuit; sed eo usus est ciborum delectu, ut nonnisi viliores sumeret, ac parce admodum, nec liberalius, quam apud socios in triclinio. Atque hæc quidem, ut missa faciam, quæ seu a viarum præcipitiis, sive a latronibus prædonibusque vitæ pericula subiit, perpetua tunc* Borgiæ *per Hispaniam peregrinandi ratio fuit, ex Alvaro huc transcripta. Ita vero vitæ austeritatem auxit, ut certior ejus rei factus Ignatius, e sociis aliquem assignarit, ad cujus arbitrium vitæ rigorem temperaret.*

168 *Porro, quod ad rationem attinet, qua* *quo item* *Hispaniæ provinciis gubernarit,* Visus est Deus, *inquit Orlandinus part.* 1 *Historiæ So-* E *cietatis Jesu lib.* 14, *numm.* 63 *et tribus seqq.*, quocumque manum suam Franciscus veteret, eo ipse suam pariter admovisse: tam ex sententia, tam prospere cuncta gerebat. Nec deerant, qui, cum res humanæ prudentiæ regula metirentur, existimarent, quæ gerebantur a Borgia, ea nimio illo ex amore spirituque gigni, quo ferebatur in peramicam paupertatem, non tam cæteris imitabili, quam admirabili; dictitarentque tam multa amplecti collegia, tam nullis nixa principiis ac fundamentis, id fraudi damnoque tum iis esse, qui ad ea collegia mitterentur, dum ad ea, velut uvæ nondum maturitatem assecutæ, deliguntur acerbi; tum Societati universæ, dum plura suo sinu complectitur, quam arcte contineat. Ignatius tamen, qui sublimiore quadam prudentia et magis divina præstabat, agebaturque a superno illo spiritu, qui per ipsum Societatem severat in orbe terrarum, eamque per Borgiam dirigebat et propagabat; usu quoque et experimento perdidicit, non ipsum esse Borgiam, sed Deum per illum, qui collegia moliebatur et inchoabat. Proinde, cum quid eum, si quid monendum F videbatur, monuerat, de cætero quiescebat et omnia ejus permittebat arbitrio. Declarabatque dies ipsa deinceps Dei digito impelli Borgiam: nec ab eo potuisse, sub tali duce atque magistro non recte fieri, quæ fiebant. Quam Dei providentiam ac misericordiam agnoscimus etiam in aliis condendis fundandisque familiis, ut in earum ortu primos auctores ac patres suo instinctu multa moneret; quæ, si quis ad humanæ prudentiæ normam dirigeret, perspicuos errores duceret tum, cum a Deo tractata et gubernata exitus admirabiles continerent, consiliaque tam alta, ut sine eo ipso Numine, unde suo velut ex fonte trahebant originem, comprehendi sentirique non possent.

169 Ratio, quam Franciscus inibat regendi *pacto socios* eos, quibus præerat, et cæteros adjuvandi ea erat. Primum, ut Deum ardenter et continenter oraret, ut qui provinciæ dedisset onus, is etiam vires ad sustinendum nervosque sufficeret. Dein splendor exempli, quo tamquam face quadam cæteris prælucebat. Primus enim ad labores et omne officii munus, tamquam diligens vigilansque pastor suo gregi præcurrens excitabatur.

AUCTORE J. B.

batur. Postea dabat operam, ut et quæ inchoata jam erant, collegia recognosceret, et quæ recentissime condebantur, inspiceret, ad eaque, quoad ejus fieri poterat, se ipse conferret, non modo, ut suo muneri satisfaceret, verum etiam ut eo majorem patientiæ captaret segetem. Admiratione digna res erat spectare hominem tanto jam fastu, tantisque vitæ commodis enutritum, tot et tantos obire terrarum tractus, feriente sole, imbribus ingruentibus, hieme et æstate pariter exurente, nocturnis æque temporibus ac diurnis, maximis incommodis, in magna cibariorum penuria, nec raro somnos de solo carpentem, et hæc omnia læto ferentem animo atque tranquillo; solum ut perpaucos pauperesque Dei famulos de more conviseret. Sane ingens erat Francisci gaudium et serenitas oris, cum sociorum tecta succederet, ut suo cunctos exhilararet ingressu, cum eoque simul omnis videretur ingressa lætitia, accensa pietas, impertitus ardor spiritus, et amor omnia patiendi pro Christo. Quod si quis in iis collegiis contractiore forte animo languidioreque fuisset, is
B ad unum Francisci aspectum se colligebat, mœroris disjecta nebula cor animumque mulcebat.

gubernarit: 170 Unumquemque singillatim et remotis arbitris affabatur, ad omnemque officii laudem impellebat, suggerendis opportune pro cujusque necessitate præceptis et morbi genere medicina, cuncta studens ad constitutionum, quas a Natali acceptas tamquam divinum opus venerabatur, ubique normam exigere. Interdum unum cunctis coactis in locum constantiam in suscepto proposito et singulare Dei beneficium ingerebat, quod e durissima Ægypti servitute tenebrisque eductos, per horribiles et formidabiles Oceani fluctus sicco vestigio transmisisset, simul eos per desertam hujus vitæ peregrinationem cælesti pane sustentans. Revocabat in mentem breves hominis dies et circumscriptos tam exiguos humanæ vitæ cancellos, præmiorum æternitatem, sanctorum virorum exempla, labores immensos et contentiones inanes cæterorum hominum, quorum comparatione labores nostri quieti sunt, quam laboribus propiores. Perpendebat, quanta demum infelicitas foret,
C quam extrema miseria, si, cum per eos Deus tot homines a peccatis eximeret, et hostilibus ex insidiis eriperet, ipsi in eas se induerent, et in iis fluctibus, unde alii per eos emergerent, mergerentur. Quod si quis forte ex iis, quibus præerat, ut homo, in noxam aliquam incidisset vel levem; antiquissima ei cura erat, ut is erratum agnosceret atque corrigeret, offensoque Deo pro dignitate ac viribus satisfaceret. Ad hoc illum suis verbis et exemplis invitans, „ Sentio (aiebat) meis contractum esse peccatis, „ ut hanc tu noxam incurreres: sed æquum „ fuerit, ut ad eam eluendam uterque no- „ strum pœnarum aliquid subeamus. Ego qui- „ dem hæc atque hæc subibo: tu vicissim, quid „ subeundum putes, tecum ipse delibera. „ Quis tam ferus ac ferreus, non ad hanc tantam suavitatem paternamque caritatem mitesceret? Quis non flecteretur?

divinam 171 Rectoribus ac Provincialibus separatim præcipiebat, ut secum ipsi reputarent, sibi reddendam esse rationem eorum, quos suscepissent regendos, memores se patres esse, non heros; ministros, non dominos, eosque a se fovendos et continendos ut filios, adhibita tamen cum co- D
mitate gravitate, cum facilitate, si usus fuerit, severitate: omnioque studerent eorum sibi animos propter Deum adjungere, quo solutiora et faciliora essent omnia. Ac ne unis dumtaxat verbis atque præceptis collegiorum niteretur inspectio, is, ut dixi, cunctis in laboribus humilitatisque muneribus suo præibat exemplo. Ministrabat mensis, humi stratus singulorum pedes sanctis osculis excipiebat, et tamquam unus e tironibus nuper additis navabat operam coquo: custodias publicas et valetudinaria consolandis inclusis et ægris frequentabat. Conciones variis locis habebat, et ad discipulos pro ætate captuque sermones. Ita in uno eodemque misericordiæ munere humilitatem pariter et caritatem pulcherrimo quodam societatis fœdere copulabat. His maxime modis serebat Franciscus et irrigabat nova germina collegiorum, Dominus autem incrementum dabat: et quæ ad animi, quæque ad corporis commoditates pertinebant, duplicabat. Sæpe enim usu venit, ut, cum Franciscus ad collegium aliquod perveniret, rebus omnibus egentissimum, ejus E
ingressu simul ingredi videretur divina benignitas, et rerum omnium, quæ natura desiderat, abundantia.

sæpe Providentiam 172 *Ita Orlandinus suavem felicemque* Borgiæ *administrationem universim depingit: ceterum quod de singulari divini Numinis providentia, quæ laborantibus rerum ad vitam necessariarum inopia collegiis,* Borgiæ *curis moderationique commissis, præsto sæpe fuerit, idem Orlandinus ait, id Alvarus lib. 4, cap. 10, § 4 non uno specimine uberius explicat, licet plura, quæ in eamdem rem potuisset, si ita visum fuisset, proferre, hoc quidem loco reticeat. Vallisoletani, inquit, collegii alumnis præter pauxillum panis olerumque cibus omnis aliquando defuit; instabat prandendi hora; neque loculi erant, unde ad prandium necessaria comparari possent: itum in his angustiis ad* Borgiam *est, qui, actis Deo gratiis, solito campanæ indicio ad mensam convocari familiam, et, quod aderat, olerum panisque, utut exiguum, in singulos distribui jussit: simul ut mensæ assederant, ingens ab janua auditus est strepitus: apertis foribus, senex gravis et* F
modestus una cum ancilla, quæ panem, vinum et ova in canistro gestabat, aderat: rogatus seu a janitore; seu a P. Francisco Gonzalez, qui pariter aderat, quis esset, nihil responsi dedit, petiitque dumtaxat, ut, quæ afferret, in eleemosynam ex Dei amore acciperent. Veneranda senis canities vultusque modestia, rei gestæ tempus, modus, ceteraque adjuncta nullum Vallisoletani collegii incolis dubium fecere reliquum, quin prodigioso divinæ Providentiæ beneficio acceptum referri, quidquid id esset, oporteret.

sibi opitulantem habet. 173 *Idem fere Septimancæ accidit, ubi ad quadraginta sociorum numerus excreverat. Renuntiatum aliquando hic* Borgiæ *paulo ante prandium fuit, vix aliquid suppetere, unde prandium apparetur: quantillum id esset, apponi jussit, asserens, Deo suorum curam non defuturam; id quod paulo post omnibus manifestum fuit: post fusas enim Deo preces, cum mensæ assideri cœptum est, peregrinus quidam, jumentum pane, vino, et carnibus jam coctis onustum ducens, fores pulsavit; cibaria obtulit,*

A *lit, quæ a foribus recte ad triclinium translata sociorum refectioni satis fuerunt. Eadem item collegium Hispalense premebatur angustia, in quo ne unum quidem panis pondo, nedum aliorum ciborum sufficiens copia, reliquum erat. P. Joannes Suarez, collegii rector,* Borgiam *semihora ante prandium angoris, in quo versabatur, certiorem fecit: Suarezio anxietatem præterea auxerat hospitum aliquot adventus, quos fames viæque labores defatigarant:* Borgia, *elevata tantisper in Deum mente, et Suarezium sereno vultu intuens, quoniam, inquit, ita diei præsens hora exigit, examini conscientiæ, et dein prandio consuetum indicium dabis: simul vero Deo confides. Paruit ille alacriter et bona spe plenus, quod jussus fuerat, exsecutus est; jamque aderat prandendi hora, cum vir nobilis ab Isabella Galindii, nobili femina, missus præ foribus adstitit, non largam modo ciborum copiam, sed et triclinii variam, qua hactenus ea domus carebat, suppellectilem dono offerens. Ita suos* Borgia *spem suam in Dei bonitate magis, quam in terrenis bonis ac facultatibus collo-*

B *care, edocebat.*

§ XIV. Collegii Placentini et Hispalensis origo. Joannæ, Caroli V matri, morienti adest. Vallisoleti utilem multis operam navat, et tirocinium Septimancæ instituit.

Carvajalius, Placentinus episcopus, Societati collegium condit,

Huic adeo fidebat ipse, ut in acceptandis Societati per Hispaniam domiciliis ejus quodammodo desiderari prudentia videretur: in quibus non postremo loco Placentinum et Hispalense collegia recensenda sunt. Egerat Tridenti cum Lainio et Salmerone Gutierrus Carvajalius, Placentinus episcopus, itaque eorum virtute ac doctrina captus fuerat, ut Societatis coloniam seu in diœcesi

C *stabilitam vehementer optaret: jam ea de re cum Ignatio per litteras egerat, alterasque Vallisoletum ad* Borgiam *misit, quibus e sociis sex Placentiam, quo inchoaretur collegium, destinari postulabat: quod si se ceteris jungere* Borgia *vellet, nihil, aiebat, votis suis relictum iri. Factum ocius præsulis desiderio satis: Placentiam mense Augusto anni* 1554 Borgiæ *jussu profecti sunt P. Villanova et P. Martinus Salinas; mense vero Octobri anni ejusdem Methymna-Campi eodem se contulit* Borgia *una cum PP. Bustamantio, Martino Gutierro, et Dionysio Vasquez: quibus Septimancæ accessit P. Joannes Suarez. More suo* Borgia *ad publica pauperum hospitia divertere voluit: at præsul, dum templum ædesque collegii exstruuntur, Patres morari alibi, quam suo in palatio, non est passus. Dum structura collegii provehitur, reditus annuos assignavit, qui alendis quadraginta e sociis pares essent: hortum item extra civitatem dono dedit; sed cum extra muros esset, nec e civitate ad illum aditus pateret, ut hi perfoderentur, apud magistratum effecit. Vir nobilis aream, collegii fabricæ necessariam, præsuli vendere renuebat; peregreque ad* AUCTORE J. B.

ædem S. Mariæ de Francia *dictam, Salmanticam versus profectus uxorem repentino morbo corripi vidit: ratus id fieri in pertinaciæ suæ pœnam, Placentiam continuo redit, episcopum adit, et aream vendit. Reversus inde ad uxorem, eam sanitati redditam, ac convalescere cœpisse, ex quo Placentiam ipse redire cœperat, non absque stupore reperit: ita omnia fluebant e sententia.*

175 *Verum unum* Francisci *votis deerat:* *moresque suos* *æquum videbatur, ut Placentino præsuli, cujus tanta essent in Societatem merita, vices redderet. Iis moribus Carvajalius erat, ut seculari principi aut generoso Equiti, quam episcopo propior videretur. Externi splendoris præter fas et decorum studiosus non parum æris alieni contraxerat: litium aliquid cum clero habuerat, neque adeo satis inter utrosque conveniebat; et, quod caput erat, in contraria studia omnis pene abierat civitas, ob gravissima, quæ duæ præclarissimæ Carvajaliorum Zunnigarumque familiæ odia exercebant. Præsulis quidem animum hospitum suorum exempla sermonesque pungebant,* E *sed non immutabant. Validioribus itaque, quibus obfirmatum animum expugnaret, armis utendum* Borgia *censuit: fuerunt autem hæc jejunia pene perpetua, corporis afflictationes præter consuetas novæ ac dirissimæ, orationes ad horas aliquot extraordinarias diebus singulis protractæ, lacrymæ perennes, quibus non multum abfuit, quin oculorum usum amitteret: neque id satis* Borgiæ *fuit: socios, ut idem facerent, facile impulit. Non latuit præsulem tantus vitæ rigor, auditusque fuit de eodem conqueri, ut qui nesciret sua causa hæc fieri: tenuit vero ea lucta per dies omnino triginta, quorum postremo Deus* Francisci *preces exaudire dignatus fuit.*

176 *Orationi eo die ab hora secunda matu-* *Borgiæ potissimum precibus* *lina ad undecimam usque incubuerat ante Christi e cruce pendentis imaginem, cum inde lætissima hæc vox ad aures ejus accessit:* Salvabo et glorificabo eum. *Oratorio egressus, et mox sereno vultu oculisque fulgentibus obvium e sociis unum et item alterum hunc in modum est allocutus: » Grates Deo agite: » dedit Dominus id precibus meis, ut ad me-* F *» liora se convertat episcopus. Eo loci jam res » sita est, ut brevi Dei prodigia visuri in illo » sitis » Et vero paulo post, ut anteactam vitam respiceret et emendaret, libere a Villanova monitus,* statuit, *ut Orlandini lib.* 15, *num.* 92 *verbis utar,* neglecti ad eam diem animi plus rationis habere: Secessit paulisper a populo strepituque curarum, et precationi lacrymisque se dedit. Dein hoc quasi jacto gradu ad majora quotidie contendit. Edicendum tota diœcesi curavit, ut si quis se oppressum ac fraudatum vel ab se, vel ab suis familiaribus quereretur, is apud delectos judices causam ageret, et, quod suum esset, reposceret. Tres autem delegerat viros, qui jus dicerent et sua cuique redderent, provisorem suum *(Joannem de Ayora)* et duos e Societate patres, alterum theologum, alterum juris pontificii peritum. Apud hos magnam vim auri argentique deposuit, unde universis, quibus fraus aliqua facta esset, commode satis fieret. Postea ad ordinandam familiam suam versus, eam omnem correxit ad frugem. Ipse vero se reconciliavit cum clero aliisque, quibuscum

AUCTORE J. B.

quibuscum ei litium aliquid antea fuerat, aut unde in re aliqua læsus esset. Denique totum se in alterum vertit, et aliud vitæ, quale scilicet personam illam decuit, inchoavit initium.

emendat.

177 *Carvajalii ad meliora conversio Placentinæ diœceseos incolis opportuna admodum accidit : nam anno* 1556, *teste Orlandino lib.* 16, *num.* 45, *ut Hispaniam fere reliquam, ita et Placentinam diœcesim ingens afflixit annonæ caritas, qua sæviente, Carvajalius reditus suos in pauperum alimenta manu admodum liberali effudit : Placentiæ quidem opificum, quibus integræ vires roburque corporis erant, ducentorum et sexaginta numerum collegii fabricæ perficiendæ adhibuit. Familias centum, quibus onus inopia gravius pudor erat, suis sumptibus aluit : præsulum imitati primores ceteris præsto fuere. In Castro-Julii, quod alterum diœceseos Placentinæ oppidum est, pauperes item ære suo aluit centum viginti : quæ episcopi in suos charitas Villanovæ ac* Borgiæ *meritis, haud sane immerito ab indigenis adscripta fuit. Hæc Orlandinus, ut di-*

B *xi, ad annum* 1556, *Alvarus vero ad annum* 1154 *memorat : ex hoc quoque sunt hausta, quæ de Christi e cruce pendentis imagine,* Borgiam *allocuta, hoc item § dicta sunt. Compositis porro collegii Placentini rebus, ut narrare Alvarus pergit, Complutense visiturus collegium, Placentia extremo fere Novembri discessit. Complutum simul ut venit, honoris causa universa ad eum salutandum academia convenit, et in diem posterum, ut lycei scholas sua cohonestare vellet præsentia ab academiæ rectore postulatus, quod petebatur, negare non potuit. Postero itaque die ingenti honore ac comitatu eo deductus est ; ac publica, quam Paschalis Mancius, Ordinis S. Dominici theologus clarissimus, habuit, oratione laudatus fuit. Oborta Compluti id temporis cives inter et studiosam juventutem, nec citra sanguinem, seditio fuit : bona pars juventutis, quo judicis severitatem effugeret, dolentibus academiæ moderatoribus hac, illac fugam inierat : sed, intercedente* Borgia, *multum de severitate remisit judex, ratus dan-*

C *dum aliquid ætati, et rigorem, salva justitia, in pietatem posse converti. Verum hæc de* Borgiæ *Compluti hoc anno gestis dicta sufficiant : nunc de Hispalensis collegii origine sermonem instituo.*

Hispali quoque

178 *Utriusque collegii, tam Placentini, quam Hispalensis originem Ribadineira, sed, more suo, paucis tradit : de Hispalensis vero primordiis sic Alvarus lib.* 4 *Vitæ* S. Francisci *cap.* 12, § 1. *Disseminari Hispali cœptum erat Lutheranæ hæreseos virus, cui, ne longius serperet, cum mature obviandum censeret* Borgia, *jam dudum Societatis alumnos eo introducendi viam aliquam modumque quærebat. Primum ad eam rem aditum aperuere Consalvus Consalvius, et Basilius (dictus in seculo* Alfonsus*) Avila, nobili apud Hispalenses loco natus : huic pater erat Joannes Fernandez de Pineda, qui cum Basilii filii ingenti teneretur desiderio, facultas Basilio facta est, ut patrem una cum Consalvio viseret : hi cum Hispalim venissent, ad xenodochium, quod* Amoris Dei *dicebatur, recta tetendere; sed, foribus jam occlusis, humi tota ea nocte somnum, non minus dulcem cepere, quam si in molli culcita jacuissent; agnitus postridie Basilius, patrique indicatus in ædes paternas una cum Consalvio commigravit : haud diuturna quidem* D *illorum fuit apud Hispalenses mora, fructus tamen uberes peperit, et, abeuntibus Consalvio Avilaque, ingens illic reliquit Societatis desiderium. Ursit* Borgia *felicia cœpta, accersitumque ad se aliquanto post Joannem Suarezium, etsi præ continuis laboribus exhaustum viribus, num Hispalim ire collegii illic fundandi causa cuperet, interrogat. Ibo, inquit hic, quo me cumque præsidum allegabit imperium. Cum triduo post idem* Borgiæ *Suarezius respondisset, accingere igitur, inquit ille, Hispalim proficiscere; ubi ædes, quæ duodecim sacerdotes capiant, pararis, Hispalim te conveniam.*

collegium

179 *Eo profectus Suarezius una cum F. Joanne Gutierro mense Novembri, veteri tantum breviario ad tanti momenti negotium et confirmatæ Societatis bulla, exiguam in schedulam transcripta, instructus. Hispalim delatus mox Gaspari Cervantio, qui tum Ferdinandi Valdesii, Hispalensis archiepiscopi, vices gerebat, se stitit Suarezius, quem non modo si-*

E *bi Societatique bene affectum, sed præratum etiam, promptumque reperit, qui Patris Commissarii propositum pro viribus promoveret: hinc ad obeunda Societatis per civitatem munera sese convertit, tanto fervore animi, laborumque assiduitate et varietate, ut brevi omnia sui admiratione compleret, maxime vero, quod ex ipsismet laboribus infirmum ejus ægrumque corpus confirmari, ac majores quotidie vires capere videretur : id interea maxime commodum accidit, ut ædes suas ornatissimas et principe dignas Ferdinandius Pontius Leonius, vir nobilis, Societati obtulerit : cujus rei factus a Suarezio certior* Borgia, *mox Placentia, adscitis sibi sociis PP. Turriano, Araozio et Paulo Hernandez, Hispalim profectus est : ea vero vel uno hoc itinere humilitatis ceterarumque virtutum specimina edidit* Borgia, *ut vel ea sola stabiliendæ ejus sanctimoniæ sufficere, attonitus Araozius dixerit.*

exstrui curat,

180 *Hispalim pervenere pridie Nativitatis Domini : at* Borgia, *ut luculentas ornatissimasque ædes vidit, alio divertere maluisset, nisi tenuius humiliusque tectum tunc quæ-*

F *rere, quæ instabat, solennitas prohibuisset, Suareziumque, quod hospitium, minus paupertati conveniens, admisisset, increpuit. Vix octiduo detineri apud Pontium Leonium potuit : ineunte itaque Januario anni* 1555 *alias in ædes simul omnes migrarunt, sed ruinosas admodum et angustas :* Quæ cum ubique ruinas agerent, *inquit Orlandinus lib.* 14, *num.* 83, et imbribus essent perviæ, crebro fiebat, ut non modo cubile, verum etiam caput ipsum summa Hominis cum voluptate perlueret. Adeo erat in amoribus paupertas. Cujus inter incommoda cum se denique positum pro voto cerneret, passis ad Deum manibus, oculisque defixis in cœlum, laudes ei canere et hymnos cœpit, quod se tali munere dignaretur, quodque in eam urbem tam nobilem, tam præcipuam per hominem tam imbecillum, tam nullarum virium Societatem videret invectam. *Principio quidem summa fuit sociorum Hispalensium egestas, ut vel ex iis, quæ supra num.* 173 *dicta sunt, intelligi satis potest; verum a tam tenuibus initiis, labentibus annis, ita auctæ Hispali Societatis res fuere, ut unius ædis loco tres ibidem et numerosas et opulentas fuerit consecuta ; quod quidem*

A *quidem* Borgiæ, *vale Hispalensibus patribus dicentis, vaticinium fuit : Lætor, inquiebat, quod vos sine tecto, sine commeatu relinquam : sed id neminem sollicitum teneat : erit enim, cum hæc omnia vobis affluent.*

et Sacris operans cœlesti luce perfundi-tur.

181 *Quo tempore Hispali* Franciscus *morabatur, ut ex Processu canonizationis et P. Ludovici Baldiviæ testimonio Alvarus narrat, Rem divinam quodam mane faciens, cœlesti quadam luce perfundi visus est : aderat in templo Petri Baldiviæ, gubernatoris munere in Indiis functuri, uxor* Marina *nomine, hujusque socia, Catharina de Miranda, Villænovæ* (de la Serena *Hispanis dictæ, cujusmodi vicus est in Extremadura non procul Emerita Augusta) nata : hæc non modo* Francisci, *dum se ad populum verteret, vultum cœlesti quadam luce radiantem conspicata est, sed simul etiam eos intus in animo motus sensit, ut quemdam veluti sanctitatis odorem mente perciperet, ingensque mulierem desiderium caperet imitandi ejus, e cujus vultu tam mirabilis splendor erumperet. Templo egressa et*

B *Sacerdotis nomen edocta, rem totam suo ex Dominicanorum Ordine confessario exposuit, qui rem, etsi miram, miram tamen sibi haud esse dixit, qui* Borgiæ *mutatum vitæ genus et sanctimoniam nosset : Deum oraret, tum ut religionem recens exortam conservaret, tum ut sanctis, quæ conceperat ipsa, desideriis favere idem Deus porro pergeret : ex quo illa quinquies de die orationem Dominicam et salutationem Angelicam pro Societate, dum vixit, recitare consuevit, itaque vitam instituit, ut in odore famaque sanctitatis diem suum obierit. Sed non prius, quam in Chilensem provinciam, quod a Deo petierat, Societatem invectam viderit, quæ ex ipsamet P. Ludovicus de Baldivia, collegii Chilensis rector, cum in ejusdem provinciæ oppido, Conceptionis dicto, versaretur, audivit.*

Inde digressus,

182 *Eodem pariter tempore Constantinus de la Fuente illius temporis hæresibus infectus magna eloquentiæ laude Hispali florebat, suisque concionibus perversorum dogmatum virus incautis auditorum animis clam instillabat : ab hoc, ut sibi caverent, pluribus auctor* Borgia *fuit : suis item, ut cum Constantino seu clan-*

C *destino, seu, prout res exigeret, aperto marte congrederentur; qui dein a fidei censoribus in carcerem trusus ultrices propriæ perfidiæ manus sibi ipsi violentus intulit : multi denique, qui a Constantino fuerant seducti,* Borgiæ *ac sociorum opera ab erroribus, quos imbiberant, resipuerunt. Hispali digressus, ad Fanum Luciferi (ita quidam oppidum San-Lucar de Barrameda vocant) sese contulit, ubi præter fructus ceteros Melchiori Marco, Catalauno et musico olim suo, cum Catalauniæ prorex erat, ingrediendæ Societatis mentem injecit; qui dein coadjutoribus adscriptus,* Francisco *in iis, quæ ad privatam ejus personam, vitæque rationem velut superior datus fuit, cui ille, quamquam ceteris præesset, humillime promptissimeque in omnibus paruit. Sub hoc item tempus rem litterariam et rectam juventutis institutionem summa cura provexit. Methymnæ-Campi humaniorum litterarum gymnasium aperuit; item Placentiæ, Burgis, in Monte-regio, Murciæ, Cordubæ et in plerisque, quæ erigebat, collegiis. Salmanticæ studia altiora instituit; plurimos etiam*

doctrina ingenioque excellentes Romam ex Hispania misit, qui Italiam exterasque illustrarunt. Jacturam hanc Hispaniæ ægre ferebant Araozius; uti, et quod ob multitudinem sociorum, litteris humanioribus juventuti tradendis occupatorum, studiorum progressus minor foret. Atqui, vaticinabatur Borgia, *non procul abest, cum divina bonitas jacturam hanc qualemcumque centuplici (uti re ipsa contigit) fœnore compensabit.* AUCTORE J. B.

183 *Versabatur adhuc* Borgia *in extremis Andalusiæ oris apud Fanum Luciferi, cum redditæ illi abs Joanna Hispaniæ principe et moderatrice sunt litteræ, quibus ocius in Castellam revocabatur, ut Joannæ reginæ, de vita Tordesillæ periclitanti, adesset. Erat Joanna Ferdinandi et Isabellæ, Hispaniæ regum, filia heresque, Caroli V cæsaris mater ex Philippo, Maximiliani imperatoris filio, quem anno* 1506. *quo primum in Hispaniam venit, præmatura morte amisit : qui casus infelici principi sic acerbus accidit, ut deinmentis suæ perpetuo impos Tordesillæ exegerit reliquum vitæ, quam ad annum usque* 1555 E *protraxit : Tordesillam* Franciscus *venit sub Februarii mensis finem, aut principium Martii :* Cum autem, *inquit Orlandinus lib.* 15, *num.* 84, haud ita procul a supremo periculo offendisset, aggressus est ocius piis eam confirmare colloquiis et morituræ succurrere. Obstabat votis continua dementia, quæ nulla menti dabat integri luminis intervalla. Borgia tamen Deo fretus, quem tacitis precibus obsecrabat, hortatur feminam, Deo se committat, et poscat novissima Sacramenta; sibi vero protestandæ ipsius nomine sanctæ fidei partes curamque permittat, quando per morbum ipsa non possit. Ad hanc illa vocem præter spem omnium convertit animum, et Borgiam jussit inchoare symbolum : quod cum Pater inchoasset et verba quædam ipsamet e Niceno symbolo sapienter addidit, et eadem sapientia respondit ad extremum, ubi pronunciandi finis est factus, AMEN. *et in Castellam evocatus.*

184 Deinde crucifixi Christo signo ejusque Matris imagini pone propositis pia oscula fixit, eaque sibi propius admoveri applicariique jussit. Sparso hoc per curiam de regina resipiscente rumore, commune fuit universorum gaudium ingenti cum admiratione conjunctum, ut qui meminerant, quam ea vehementer in amentia a piarum rerum commemoratione abhorreret : idque Borgiæ meritis assignabant. Is vero cum tot compositæ mentis indicia animadverteret, auctor familiaribus fuit, ut Salmanticam mitterent, qui doctorum sententias exquireret, liceretne reginæ eo jam loci deductæ suprema rite mysteria subministrare; consultoque inde venit Dominicus Soto, notæ doctor sapientiæ, Prædicatorum ex Ordine, qui de reginæ statu redituque mentis edoctus, et cum Borgia collocutus, censuit rite feminam inungendam. Nam sanctum Domini Corpus præberi vetuit scilicet nauseantis stomachi conturbatio frequensque vomitus. Rite igitur ad extremum inuncta certamen, migravit e corpore sexta feria in Parasceve magno populorum gaudio, Caroli vero imperatoris, et regis tum Angliæ Philippi longe maximo, quod eo regina delibuta mysterio et recuperata mente migrasset, *Postrema reginæ verba fuere :* Jesus Christus crucifixus sit mecum, *ut Alvarus ex litteris, quas ad cæsa-* *morienti Caroli V matri Tordesillæ assistit.* F

AUCTORE J. B.

rem super reginæ obitu Borgia *dedit, narrat, qui præter Orlandinum, cujus verba dedi, etiam P. Herreræ testis oculati et Sandovalii in Vita Caroli V lib.* 32 *auctoritatem laudat, ut ea de re, licet ejusdem nulla sit apud Ribadineiram mentio, dubitari minime debeat.*

Valisoleti ingens a Societate discrimen suis precibus avertit,

185 *At vero, si hæc prospere atque ex sententia* Francisco *cesserint, alia, ut nihil inhumanis constans esse et perpetuum solet, aliunde calamitas orta est, quæ ingentis mali formidinem eidem incussit. In vivis esse desierat summus Pontifex Paulus III die* XXIII *Martii anni* 1555 : *pauco item post tempore Marcellus II. Hujus vero successor Paulus IV, pontificatu vix inito, Gallorum sese fautorem, adversarium autem Austriacorum principum ostendit, et palam quidem anno* 1556, *quo initum anno præcedente cum Galliarum rege Henrico II fœdus in apertum erupi* Franciscus, *defuncta Joanna, Tordesilla ad aulam Hispanam Vallisoleti tum morantem remeavit, ubi (ignotum, qua via) Paulum Pontificem intellexit in Philippum II Hispaniarum*
B *regem excommunicationis parare sententiam : neque id tantum, sed seipsum, qui eam in curia aliisque civitatibus publicaret, eligendum. Hæsit hic* Borgia *inter malleum et incudem. Si Pontifici pareret, Philippi offensam effugere non poterat : Pontificis vero jussa non exsequi, gratum quidem Philippo fuisset, sed sibi ac Societati odiosum. His pressus angustiis Deum precibus placare constituit, et Septimancam cum P. Dionysio Vasquez profectus, conceptum animo dolorem non ita celare potuit, quin hunc in ejus vultu Dionysius legeret : causam rogatus, quod res erat, edixit, additditque, se Dei sapientiumque virorum consilia exploraturum, hisque compertis, ab officio suo se ne ad latum quidem unguem discessurum. Bene sperare* Borgiam *Dionysius jussit, et inter utrumque convenit, ut in re tam ardua sua Deo sacrificia precationesque offerrent : id cum pluribus jam septimanis ab utroque factitatum sedulo esset, surrexit tandem ab oratione nocturna ita repente animo confirmatus, ut de prospero rerum successu posthac minime dubitaret : et vero paucis post diebus Roma litteras accepit,*
C *quibus Pontifex paratum in Hispanum regem fulmen inhibuisse nuntiabatur ; quod inter præcipua, quibus umquam a Deo affectus fuerat, beneficia* Borgia *numeravit.*

et multis utilem operam navat.

186 *Quod a visitandis Societatis per Hispaniam domiciliis reliquum habebat anni tempus vel Vallisoleti, ubi tum curia Hispana morabatur, prout ab Ignatio jussus fuerat, vel in vicinis Vallisoleto locis transigebat : ibi quidem, seu in curia, consiliis suis Joannæ principi frequens adstitit ; apud quam cum plurimum auctoritate valeret et gratia, mirum non est, si ingenti clientum numero obsideretur, quem suis seu negotiis seu votis plurimum profuturum, si ejus sibi adjungerent voluntatem, non ignorabant : alii, qui lites sequebantur, nihil minus molestiæ negotiique* Francisco *facessebant : nullius tamen commendare cuiquam voluit causam, nisi pro quo jus æquitasque pugnaret. Quam pauci, exclamabat interdum, ad me veniunt Hierosolymis! contra quam multi ex Ægypto! Id nimirum Vir sanctus intellectum volebat, dolere se ex tanto clientium numero paucos esse, qui salutis ad se causa recurrerent ; at longe plures, qui vel honores quærerent vel bona fortunæ. Honoratiores appellationes titulosque, quorum frequens in aulis principum usus est, aversabatur adeo oderatque, ut, si quis dominum ducemve appellaret, flexis etiam genibus obortisque postularet lacrymis, ne se posthac hujusmodi vocabulis oneraret. Filio Joanni, ut ex Araozii ad Ludovicam Villæ-Formosæ ducem,* Borgiæ *sororem, litteris Alvarus refert, ne se alio, quam* Francisci *nomine appellaret, vetuit : cum vero aliquando per urbem iret, et ex officinis ingentem opificum vim, sibi obviam partim causa honoris, partim præ curiositate prodeuntem conspiceret. Nonne vides, inquiebat comiti suo Bustamantio, quot homines magnam belluam (ita semetipsum nominabat) spectatum accurrant ?* D

Septimanæ tirocinium instituit,

187 *Sed religiosæ quietis ac solitudinis amantior erat* Borgia, *quam ut perpetuo inter aulæ tumultus turbasque hæreret : quare Vallisoleto Septimancam, unde si opus esset, Vallisoletum cito redire facile poterat, identidem secedebat. Collegium Septimancæ anno superiore* (1554) *condi cœptum fuerat, et apertus* E *ludus litterarius, qui, cum pro votis haud satis frequentaretur, visum* Borgiæ *est, eas ædes, seu collegium in primæ probationis domum seu novitiatum, accedente fundatoris consensu, convertere. Tironibus, cum jam ad quadraginta eorum numerus fere excrevisset, magistrum præfecit Bustamantium : nec eo contentus eo sæpe ipsemet commeabat, ut eorum eximios ad omne virtutis genus conatus suis verbis exemplisque foveret ac promoveret ; quibus tantum effecit, ut multi magnatum, religiosorumque virorum tirocinium istud spectatum venirent, velut antiquæ sanctitatis speciem oculis usurpaturi. Quod si tironum illorum fervor modestiaque admirationi exteris erant, non minori* Francisco *voluptati fuere :* Delectabatur, *inquit Orlandinus lib.*15, *num.* 87, hac institutione tyronum maximopere Borgia, Gemmam Societatis appellans hanc domum, in suoque corde, si posset inspici, domum probationis affirmans inventum iri. *Hic sese* Borgia *gerebat non secus ac unus ex illis : hic precandi tempus, quod illi aula aulæque negotia surripuerant, resarciebat, hic pœni-* F *tentiæ opera geminabat ; hinc sacco humeros onustus in plateas vicosque prodibat, eleemosynam ostiatim emendicans ; domi vero non tam vile erat culinæ ministerium, quod non obiret. Orbes forte aliquando aqua diluebat, cum tironum aliquis, qui recens ad probationem receptus fuerat, idem facturus, accessit : verum his non assuetus vix operi manum admovere cœperat, quin resilierit. Vidit id* Borgia, *et libere cœpit ex eadem aqua, eoque potu visus est tironi admodum delectari ; qui ex hoc* Borgiæ *facto pusillanimitatem suam agnoscens, veniam errati supplex petiit, aliusque plane evasit.*

ubi tironibus factis

188 *Alias a curia redux ad culinam recta se contulit, ubi coquum coadjutorem, qui recens eo venerat, nec* Borgiam *norat, offendit ; cui* Borgia : *Adjutum te venio : ecquid imperas ? Scire prius velim, inquit ille, quid recte facere, aut minus male calleas. Nihil, inquit* Borgia, *est, quod quidem recte calleam : verrere culinam, aut orbes tergere fecero fortasse minus male. Bene habet, respondit coquus, en tibi hujus laboris materiem satis amplam. Nec plura : universa culinæ utensilia mundare*

A *mundare mox cœpit ac detergere. Vallisoleto Septimancam noctu aliquando venit multo captus frigore nivibusque obsitus : cum ad januam collegii venerat, jam cubitum sese receperant ceteri, et ab janua longe aberat janitor: ita factum est, ut, quod dederat adventus sui signum, nullus audierit, ac sub dio auris nivibusque expositus ac frigore obrigescens præ foribus, trunco, quam homini similior, subsistere coactus fuerit; dum tandem ejus socius validius fores pulsavit, ac post longam moram in ædes intromissi sunt. Ita affectum ut rector ac janitor viderunt, summopere indoluerunt; at eos* Borgia *consolari ex animo cupiens; non est, inquit, cur vices meas doleatis : magnis etenim toto eo tempore, quo præ foribus steti, animum deliciis delibutum habui. Multi, iique egregii fuere, qui hoc aut sequenti anno sub eodem* Borgia *Septimancæ tirocinium ingressi sunt :* Multi erant novitii prænobiles genere, *inquit Orlandinus lib.* 16, *num.* 41 *et seq.*, sed multo, quam terrena claritudine, Christianæ humilitatis magis luce conspicui.

B 189 *Hos inter binos potissimum recenset Joannem Emmanuelem, et Garziam Alarconium : de priore sic habet :* In his Joannes Emmanuel vilissimo in amictu tam omni vacuus malo pudore servilia obibat officia, obsonatumque in forum prodibat cum sporta, acsi innutritus in eo fuisset munere : compensabatque hanc tironis sui indolem Magister cælestis, liquidissimis eum cæli deliciis inter ea ministeria complens. Quam Joannes divinæ indulgentiæ auram grato excipiens sinu, eaque longius ad despicientiam sui provectus, cum consueta tria vota religiosorum emisit, quartum adjecit, si sancta obedientia sineret, in domestici adjutoris officio Deo, quamdiu viveret, serviendi. *De altero sic habet :* Haud minore alacrite Garzias Alarconius familiæ suæ splendorem seque ipsum opprobrio exornare crucis studebat. Coquo Septimancæ inserviebat, cum Vallisoletum accersitus a commissario Francisco, tamquam mendiculus perrexit in curto ac lacero sago, tibialibus multifariam ruptis, sine pallio : eodemque habitu, ut penitus vanum sæculi fastum crucifigeret, regias ædes ingressus, ubi multos habebat e primariis propinquos ac notos, bene diu

verbisque prælucens

C se oculis omnium spectandum præbuit. *Alia quoque de eodem refert Alvarus. Filius natu major fuit Alfonsi Gironis Alarconii et Joannæ Pacheco, de Piqueras et Albaladexo dominorum. Diebus singulis a media nocte in mediam septimam orare solebat ; sæpe ex obsessorum corporibus dæmones expulit, mortemque, quam Ovieti obiit, prædixit, ac brevi post venerandæ matronæ cuipiam gloriosus apparuit. Emmanueli et Alarconio Alvarus haud injuria Balthasarem Alvarezium jungit, cujus sanctimoniæ insigni luculentum S. Teresia testimonium dedit.*

paratam sibi in cælo gloriam videt.

190 *Ita tirones suos* Borgia *non verbis modo, sed et exemplis ad sui despicientiam erudiebat : nam, cum tritæ laceræque illi vestes essent, marchio de Priego novas ad ejus socium misit, sensim et clam veteribus substituendas : sed, re detecta, ut illis uteretur, exorari non potuit. Verbis, hortatibus, precibus, si qui tironum sua in vocatione vacillarent, ne eam desererent, sæpe effecit. In his non vulgaris nobilitatis nonnemo fuit, qui ædium paupertate silentioque territus, reditum meditabatur in patriam, præter morem suum* Borgia *fecit, ut ejus discessui haud multum sese opponeret : at divinitus edoctus fore, ut animosior constantiorque ad desertæ Societatis gremium rediret. Rediit ille paulo post, uti prædixerat* Borgia, *atque ita reliquum vitæ cursum exegit, ut nec ferventissimis cederet. Ex multis, quos Septimancæ* Borgiæ *Deus impertivit, favoribus, unum Alvarus refert, quem anno* 1556 *adscribit : orationi videlicet, quodam mane incumbens et extra se raptus, cælos apertos paratamque sibi in illis gloriæ sedem vidit : gaudii, quo animus affluebat, magnitudinem facile stillantes oculi vultusque prodebant; cetera statuæ, quam vivo homini similior erat, quo illum situ Bustamantius reperit : ubi redire ad se* Borgia *cœpit, instare Bustamantius, ne se, quidquid hujus esset, celatum vellet, ac tandem etiam extorquere, ea lege adjecta, ne rem ulli manifestaret : verum gestientis animi lætitiam haud ita dissimulare* Borgia *potuit, quin eam animadverterent, ceteri; nec facere Bustamantius, quin, posteaquam* Borgia *se alio seorsum subduxerat, importunis socio-* E *rum precibus victus, quæ ex ipso* Borgia *audisset, faceret palam.*

AUCTORE J. B.

§ XV. Obortas adversus Societatem in Hispania tempestates morbosque constanter tolerat : invitatus a cæsare ad colloquium Societatem egregie tuetur.

Cedentes Cæsaraugusta

Verum si Borgia *sub hoc tempus cœlestibus, iisque frequentibus, recreari favoribus meruit, non defuere tamen, ita permittente Numine, subinde res adversæ, quibus illius virtus, et in tolerandis malis constantia probaretur, eoque acerbiores, quo commissum sibi gregem chariorem habebat. Labore magno eo deventum erat anno* 1555, *ut Cæsaraugustæ certæ Societati sedes coemptæ essent, jamque* F *in eo socii erant, ut feria quarta a Paschate primum in collegii sacello Sacrum celebrari solenniore pompa facerent; ad aras Joannes Esquivelius, ad populum verba facturus erat Joannes de Azorola, ille ex Ordine S. Dominici Cæsaraugustanus Prior, hic ex Hieronymi, divini Verbi insignis præco : pridie ejus diei multa jam nocte adfuit, qui Lopi Marci (archiepiscopi Ferdinandi Aragonii vicarius is erat) nomine verbisque, rogaret, ut solennitas ista aliud in tempus differretur, ob delatas ad se clericorum ac religiosorum in proximo habitantium querelas. Die postero tamen ob causas graves viris doctis probatas, factaque prius ad Pontificem appellatione, habita est coram multitudine decreta solennitas, qua nondum finita, vicarii edictum, quo curiones hujus sacelli aditum, interposito anathemate, suis jubebantur intercidere, valvis affixum fuit : mox in Cæsaraugustanos socios excommunicationis fulmen et quidem in singulos nominatim intortum; et civitas ipsa, dum in ea socii permanerent, ecclesiastico interdicto subjecta,*

AUCTORE J. B.

subjecta, patrum effigies per vicos et compita civitatis petulantis vulgi oculis ludibriisque expositæ.

socios 192 *His artibus id adversarii consecuti sunt, ut sociis ne domi quidem tutis esse liceret :* Quippe procacium puerorum caterva, *ut Orlandinus lib.* 15, *num.* 69 *et seq. ait,* non sine grandiorum turba, una ex iis fœdis imaginibus pro vexillo in hastam sublata, conglobatur circa ædem, tecta lapidibus quatiunt, januas verberant, convulnerant fenestras, insanis vocibus complent omnia ; tanto strepitu, ut accurrendum proregis administris *(Enneconis Mendozæ, qui ducis Francæ-Villæ titulum tum temporis gerebat)* ipsique proregi fuerit, cum populi totius timeretur tumultus. Colludentes quoque pila Equites multi, quique eum spectabant lusum alii, cum insusurratum esset, agmen improbum armatorum ad Patrum ædes coactum, ut, quotquot in iis erant, ferro conficerent, seminudi subito, ut erant, ab ludo digressi, strictis eo mucronibus convolarunt, ut
B illos Dei famulos contra multitudinis impetum furoremque defenderent. Neque hæc omnia adversariis visa sunt satis ad populi animos religionis specie, quod acerrimum telum est, concitandos. Tribus deinceps diebus funestam supplicationem circa ædes Societatis cum lugubri carmine instaurant, atro tectam velo, et aversam Christi e cruce pendentis gestantes effigiem, et inter maledicta et execrationes jactantes in tecta lapides et identidem misericordiam magnis vocibus inclamantes.

eo brevi redituros prædicit: 193 *Has turbas paucorum hominum a sociorum vicinitate nescio quis metus dedit, quas cum neque proregis, neque Apostolici nuntii, nec ipsa Joannæ principis, Hispaniarum tum moderatricis, auctoritas compescere posset, loco socii, graviora sibi non temere eventura timentes, cedere decreverunt. Ceterorum nomine ad senatum postrema verba Petrus Tablares fecit, a quo benigne auditus et honorifice dimissus fuit : non segnis in hac suorum calamitate* Borgia *fuit ; quippe quem, ut Orlandinus scribit, P. Romanus Cæsaraugusta Vallisoletum profectus eorum, quæ illic gerebantur, certiorem fecerat : neque dubitandum apparet, quin* Borgiæ *rogatu sedando*
C *huic populari motui auctoritatem suam, licet primo quidem frustra, Joanna princeps interposuerit. Litteris etiam Cæsaraugustanos socios monuit, saxa, quibus eorum domum populi furor appetierat, colligerent, e quibus novæ firmioresque ædes Societati exsurgerent, quæ res cum miræ in Deum fiduciæ exemplum, tum rerum futurarum quoddam veluti vaticinium fuit : nam, posteaquam, Cæsaraugusta digressi Petriolæ septem inde leucis dissitæ, quo ab Ludovica Borgia, Ripargosæ tum comite, ac dein Villæ-Formosæ duce,* Francisci *sorore, missi fuerant, aliquamdiu consederant, nondum elapso anno* 1555, *Cæsaraugustam non minori honore bonorumque gratulatione, quam inde discedere coacti prius fuerant odio et execratione malorum, redierunt, radicesque egit Societas tanto firmiores, quanto fuerat, qui eam inde pepulerat, turbo vehementior.*

gravi jactatur 194 *Non minus gravis Hispanæ Societati atque adeo* Borgiæ *annus* 1556 *fuit, quo non jam vulgi tantum, sed amicorum, nobilium, doctorum et ipsiusmet etiam aulæ in socios concitatum est odium. Redierat jam in Hispaniam Carolus, privatam deinceps vitam actu-* D
rus ; venerantque una cum illo Hispani non pauci, Calvini et Lutheri, quam in Germania contraxerant, contagione infecti. Hi bilem omnem ac rabiem in Societatis institutum, a cujus alumnis sibi metuebant, emovere ; simulare tamen cum iisdem amicitiam, dilitareque, omne sectæ suæ præsidium in Jesuitis positum esse ; quod alii præ credulitate nimia, aut odio abrepti facile crediderunt adeo, ut, cum notiores aliquot hæretici in carcerem conjecti fuissent, sparsum in vulgus, creditumque abs hoc fuerit, omnes hos fuisse Jesuitas. Divulgatum præterea fuit, Carolum V alieno esse a Societatis instituto et hominibus animo : idem de ejus sorore Maria jactabatur. Accesserat item eo anno Vallisoletum non tam Epistolas Pauli ad Timotheum explicaturus, quam antiquas in Societatem calumnias, invitis etiam Ordinis sui moderatoribus, sociisque non paucis, renovaturus Melchior Canus ex S. Dominici familia, vir ceteroquin scientiæ et eloquentiæ laude in primis clarus. Quibus ille Societatem probris onerare so-
luerit, nihil attineret : et, si attineret, referre E
pigeret : id unum hic addo, per ipsum non stetisse, ne gravissimo Societatem odio cæsar prosequeretur, quod quidem probe evictum dant ejus litteræ, quas anno 1557 *ad Joannem de Regla die* XXV *Septembris Salmantica scripsit, exhibetque Alvarus lib.* 4 *Vitæ* S. Francisci *cap.* 15, § 2.

per Hispaniam 195 *Vehemens ac diuturna ea tempestas fuit: verum quam diu tenuit, neque victa* Borgiæ *constantia fuit, neque intermissa ullo tempore eam sedandi labor studiumque. Perennes toto eo tempore fundebat ad Deum preces, perennes ejus erant lacrymæ, perennes vigiliæ : precibus indies horas novem dabat, et preces publicas per singula Hispaniæ collegia indixit : sæviente Cæsaraugustana procella procul ejus gemitus percipiebantur, teste P. Dionysio Vasquez, quem Alvarus citat. Ex oratione vero spem firmam concepit, ut ipsamet procella, quæ Societatis Hispanæ naviculam jactabat, hanc ad portum securitatemque propelleret. Neque vero ita hæ angustiæ fuere perpetuæ, quin solatii aliquid mœrenti* Borgiæ *divina subinde benignitas impertiret : eodem tempore, quo Vallisoleti, quem dixi, Melchior Canus* F
Pauli Epistolas vertebat in amaras contra Societatem satyras, ejus institutum amplexi sunt ex ipsa curia adolescentes non pauci ingenio genereque præstantes, neque domi major umquam alias disciplinæ religiosæ observantia morumque sanctitas floruit, neque umquam foris fructus uberior exstitit, nec pullulans hæresis felicius profligata : Religionis virtus in Societate admodum floret, magnosque in exstirpandis recentibus hæresibus fructus præsertim profert ; cujus opera atque doctrina magna pars mali ablata est, bonique servata. Non defuere, nec desunt virtuti religionique vestræ inimici ; at id Deum permittere pro certo habeo, tum ut illa perficiatur, tum ut confundantur mali, *inquiebat in suis ad Lainium litteris Joannes Vega, Castellæ præses, quas Vallisoleto die* VII *Octobris anni* 1558 *Romam scripsit, Alvarus vero Hispanice exhibet lib.* 4 *Vitæ* Francisci *cap.* 15, § 2.

tempestate Societas, 196 *Interea nimius, quo utebatur, vitæ rigor* Borgiam *lecto affixit, nec una erat, quacum conflictari habuit, mali species : alimentum*

A *tum omne regerebat non sine summo ejus dolore præ nimio frigore stomachus; accedebant summa debilitas capitis, humorumque melancolicorum abundantia : illam medici ex immodica precandi prolixitate ortam rati, hac eum interdixere, quæ quidem res ipso malo* Borgiæ *gravior accidit; quippe qui, ut socio suo tum testatus est, ex oratione non laborem defatigationemque, sed quietem viresque caperet. Tot malis septum dæmon præterea variis spectris terrere studuit : ubi convalescere paulo cœpit ut melancoliam dissiparet, F. Marcum instrumentis musicis præcinere aliquid sibi jussit, dum interim ipse precibus, lacrymis piisque suspiriis vacaret : subinde in locum amœniorem, adjuncto sibi socio, concedebat, ut ex rerum creatarum pulchritudine, ac multo magis ex harum rerum effectricis sapientiæ contemplatione obrutum dolore animum recrearet : solitudinem, etsi hujus esset admodum amans, cavebat tum temporis maxime, seduloque operam dabat, ut ne quid de solita comitate atque hilaritate remitteret, ceterisve molestus esset; adeo ut iis,*

B *qui dolorum ejus mœrorisque erant conscii, stupori foret, quam præ se ferebat, oris vultusque serenitas.*

corpore interim laborante Borgia,

197 *Afflictabatur his malis* Borgia, *cum dissipari sensim nebulas et sedari tempestatem vidit. Hispali e clero religiosisque familiis primarii viri Societatis patrocinium susceperunt : jactis passim in Societatem calumniis in ea civitate duo potissimum e S. Dominici alumnis pari zelo, facundia et felicitate sese palam opposuere, magister Burgoa et magister Salas. Haud minus animose pro Societate Septimacæ depugnavit magister Joannes Penna. Egregiam quoque in ea re operam præstitit vir undique summus ex eodem Ordine Ludovicus Granatensis, qui, ut scribit Alvarus num.* 194 *laudatus* § 3, *cum in curiam venisset, Pauli Epistolas, quibus haud recte usus fuerat Canus, in Societatis laudem convertit, quam et Apostolicum collegium nominavit. Subdit his Alvarus ejusdem Ludovici Hispanus, quas Ulyssipone die ultimo Martii anni* 1556 *ad amicum dedit, litteras, quibus eximia Societatem laude cumulat, et Cani in illam dicta*

C *aperte improbat. Ferdinandus Valdesius, Hispalensis archiepiscopus et sacrarum quæstionum per Hispaniam præses, anno* 1558 *innocentiæ Societatis publicum testimonium dixit, cumque sparsus rumor esset, Vallisoleti in carcerem fuisse aliquot e sociis conjectos, id a vero alienum declaravit datis ad tribunalia litteris, e quibus Alvarus eas recitat, quas ad sacrarum quæstionum Cæsaraugustanum tribunal dedit die* XII *Junii anni* 1558. *Præclare optimeque etiam de Societate meritus ea tempestate est Ludovicus Strada, Ordinis Cisterciensis et Hortensis in Veteris Castellæ Aragoniæque confiniis abbas, quem Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum* 1213, *cap.* 6, *num.* 9, *insignem pietate et scientia virum et seculi sui decus appellat. Binas ejus epistolas, alteram ad doctorem Torres, die* XVI *Maii anni* 1558 *scriptam, ad P. Alphonsum Romanum alteram, utramque vero Societatis laude plenam, videsis apud Alvarum cit.* § 4.

quæ sensim tamen,

198 *E curia vero frequens ad collegium Societatis factus est primariæ nobilitatis concursus, quæ bullas Apostolicas, quibus recens illius institutum confirmabatur, perlustrare avebat, depositisque sinistris de ea judiciis ac suspicionibus, erroris sese multi damnabant, nec illustrioribus umquam, quam tum, alumnis aucta Societas est, nec condita majore sumptu et splendore collegia : idem, de quo supra, sacrarum quæstionum per Hispaniam præses non modo bonam in Hispalensis domus fabricam contulit pecuniæ summam, sed Ovietum etiam id institutum introducere studuit : ipsum sacrarum quæstionum tribunal ad exstirpandas recens in Hispaniam invectas hæreses sociorum frequenter opera utebatur. Ad eumdem modum aliæ alibi tempestates turbinesque felici rerum temporumque commutatione sensim evanuere, ut ex hujusmodi nebulis tenebrisque, quibus involuta tantisper per Hispaniam Societas fuerat, clarior illustriorque emerserit, quam spem animo semper* Borgia *foverat, ut luculente ostendunt ejusdem litteræ ad P. Ribadineiram, in Belgio agentem, postmodum datæ, in quibus ita fere ea de re loquitur, sed verbis Hispanis apud Alvarum :* Unum id loci commemorabo, tantum operæ ac diligentiæ in hac temporum calamitate fuisse a Societate allatum, ut hanc E
sibi non mediocri fuisse subsidio sacrarum quæstionum senatus norit, et grato etiam animo fateatur : quamquam in hac aula, regnoque Castellæ (uti et facile in Belgio) fama non defuerit, errores istos a Theatinis (quo nomine nostros indigitant) ortos esse; me detrusum in carcerem, alterum e patibulo suspensum, alibi nos igne combustos etc. Hæc aliaque hujusmodi disseminantur per orbem, et ecce, vivimus gratiasque Domino agimus, quod nullis nostris meritis tam multiplici bene de se merendi dignetur occasione, ac suo nos vexillo dignos efficiat : quapropter non defuturum nobis ejus auxilium spero, quo hac in majus bonum nostrum, majorumque cognitionem nostri convertantur; facturum hac via et pacto (quod facere Deus assolet, nosque experimento didicimus) ut pluris Societas fiat, novusque ejusdem auctoritati cumulus accedat. *Refert etiam has litteras Ribadineira lib.* 2, *cap.* 19, *ubi obortas hoc tempore in Societatem persecutionum, quas modo fusius ex Alvaro et Historia Societatis prosecuti sumus, turbas brevissime expedit, Schottus autem lib.* 2, *cap.* 15, *infra vero num.* 115.

AUCTORE J. B.

F

uti speraverat, sedata fuit.

199 *Celeber, si quis alius fuit annus quinquagesimus sextus supra millesimum quingentesimum, quo Carolus, imperator præpotens hujus nominis V, idemque Hispaniarum rex, rebus gestis clarissimus, projectis imperii regnorumque sceptris, secessit in Hispaniam, privatam dein in S. Justi monasterio diœceseos Placentinæ vitam acturus. Belgium Philippo filio die* XXVI *Octobris; Hispaniæ vero regna* XVI *Januarii anni* 1556 *Bruxellis transcripsit : imperium autem Ferdinando fratri postridie : hinc navi vectus in Guipuscoam appulsus est die* XXVIII *Septembris et Laredo Burgos primum, ac dein Vallisoletum delatus; unde itidem, paucis comitantibus, ad monasterium S. Justi, quod patrum Hieronymianorum est, pervenit, ubi vitæ reliquum summa pietate exegit : ad audendum porro, peragendumque tam illustre rarumque facinus non exiguos cæsari stimulos jam pridem subdiderat* Borgiæ, *Gandiæ olim ducis, exemplum; et mutua ea de re consilia in comitiis Montionensibus jam inde ab anno* 1542, *ut supra num.* 70 *dictum est, inter sese communicarant. Cæsar,*

AUCTORE J. B.

sar, quamquam paucos, ex quo in S. Justi monasterium commigraverat, ad alloquium admitteret, brevi tamen videndi Borgiæ *desiderio captus est : itaque per Ferdinandum Alvarez Toleti, Oropezæ comitem, ad S. Justi monasterium* Borgiam *evocavit. Evocatus item sub idem tempus Romam* Borgia, *ut comitiis generalibus, in quibus defuncto Ignatio successor eligendus erat, interesset. Apud cæsarem valetudinis excusatione usus est : eadem item apud Patres Romæ congregatos, quamquam ad hos plures causas perscripserit, quæ suum in urbem iter impedirent, ut apud Sacchinum part. 2 Hist. Societatis Jesu ad annum 1557, numm. 68 et binis seqq. videre est. Nec Urbem, nec cæsarem adire sibi tutum existimabat. Si in Urbem iret, ne Paulus IV (qui, cum Cardinalis Theatinus esset, abeunti in Hispaniam dixerat, se non permissurum, si Summus esset Pontifex, ut eo cultu, scilicet Societatis, abiret) quod olim mente conceperat, Romana se purpura oneraret, metuebat : idem porro a cæsare periculum erat, quem id jam olim tentasse vidimus supra.*

B

Invitatus

200 *Quapropter prudentiæ suæ esse ratus est* Borgia, *ut cæsaris alloquium seu valetudinem excusando, seu id iter procrastinando, utcumque vitaret : et sane a morbo tum aliquantisper* Borgia *convalescebat, non Placentiæ, quod de suo Schottus, Ribadineiræ interpres, ait, sed Compluti, ut diserte scribunt Alvarus lib. 4, cap. 6, § 1, et Nierembergius lib. 2, cap. 19, quamquam Sacchinus num. 114 Schotto consentiat. At cæsar ulterioris moræ impatiens, Ferdinandum de la Cerda, Medinæ-Cæli ducem, Complutum misit, qui* Borgiam, *si modo id ejus valetudo utcumque pateretur, cæsaris verbis ad S. Justi cœnobium iter juberet arripere. Paruit* Borgia, *adscitisque sibi sociis PP. Bustamantio et Herrera, ac socio suo individuo F. Marco, postridie se dedit itineri : paululum vero compluto discesserat, cum redditæ illis abs Joanna principe, cæsaris filia, fuere litteræ, quibus hæc illum commonebat, fore propediem, ut ad patrem accerseretur : id illum cepisse consilii, ut* Borgia *Societatis habitum cum sodalium Hieronymianorum habitu commutaret, vel, si id*

C

minus arrideret, certe, quod fas illi esset, ambo pariter ad magnam Cartusiam sede reciperent : viderent proin, ut cæsari faceret satis, sic tamen, ut Societati non deesset. Ita commode accidit, ut deliberandi in re tam ardua spatium Franciscus *haberet, et ad certamen tam anceps paratus accederet. Lectis Joannæ litteris, ad preces de more conversus, tanta demum ab his animi alacritate surrexit, ut continere hanc sinu nequierit. Eamus, inquiebat, socii; oraculo, nescio quo, edoctus sum, fore mihi propitium Numen, cujus, ut plane confido, benignitas faciet, ut neque Societas, neque cæsar sit habiturus, quod de me conqueratur.*

ad S. Justi cœnobium,

201 *Volupe fuit cæsari audire,* Borgiam *sibi mox adfuturum, cui, quod præterea nemini fecerat, intra S. Justi cœnobium hospitium parari jussit, obtegique conclave adversus frigus, in quo moraturus erat : percunctatus dein Ludovicum Quixada, œconomum suum, num rite omnia parata essent, ipse per se* Francisci *conclave inspicere voluit, cumque parietem sumptuoso aulæo ornatum vidisset, tolli id protinus jussit, nigrosque pannos substitui, probe scilicet gnarus pretioso hujusmodi ornamenta Hospitis sui humilitati haud placitura. Ut in conspectum Caroli venit* Borgia, *flexis humi poplitibus cæsaris manum exosculari voluit, sed eum amplexus Carolus surgere, considere et caput tegere jussit, ac Ducem Gandiæ appellavit : cæsarem obtestatus est* Borgia, *ne se hoc nomine compellaret : quoniam, inquit ille, ita vis, te* Patrem Franciscum *compellabo : at iterato considere et caput tegere jussit : negavit* Borgia *id se facturum, quod in manifestate cæsarea divinam agnosceret et veneraretur, atque adeo ut de genu ipsum alloqueretur, rogavit. Dein* Borgia, *ut meditatum cæsari sermonem præverteret, magnæ sibi voluptati esse ait mutatum abs illo vitæ genus, quo tam insigni atque inusitato facinore, majore, quam umquam antea, orbem terrarum sui admiratione compleverat : se quoque diffiteri non posse, quidquid id esset, quod reliquisset, multiplici a divini Numinis largitate sibi fœnore in eo, quod susceperat, vitæ genere reddi, nihilque esse, quod humili Societatis veste commutatum vellet.* D

E

instituto

202 *Cæsar præcisum sibi a* Borgia *meditatæ orationis filum videns alio sermonem convertit : Ex quo, inquit, rebus terrenis renuntiasti, tuam tibi felicitatem invidi, libensque jam tum, si id principis Philippi ætas, regnorumque tranquillitas permisisset, tuis ego vestigiis incessissem ; quod si tum fecissem, dubium non erat, quin id æmuli, non tam ad divina æternaque aspirantis, quam abjecti animi et meticulosi hominis factum interpretaturi fuissent : verum tu certe eorum, quæ hac super re inter nos jam inde ab anno 1542 Montione sunt dicta, memineris. Probe memini, inquiebat* Franciscus, *id pectoris sui arcanum jam tum majestatem suam fidei meæ et taciturnitati commisisse, neque id ego ulli hominum patefeci hactenus. Tibi et uni item alteri commisi, inquiebat cæsar, præterea autem nemini. In memoria habeo, inquit* Franciscus, *quæ non vulgaris majestatis suæ in me fiducia fuit : verum eo jam loco res sitas opinor, ut patere orbi possit, id non recens majestatis suæ fuisse propositum, sed dudum ante conceptum. Sic habet, inquit ille, nam, cum tum mihi res undique e votis fluerent, inde magis*

F

invidia, nihil humani me ad hanc vitæ commutationem impulisse perspiciet.

una cum cæsare colloquio,

203 *Meministi vicissim, cæsar, subjunxit* Borgia, *me quoque tum temporis aperuisse, quid de mutandis pristinæ vitæ morumque institutis statuissem. Teneo, inquit cæsar, eosque tum animo meo tua oratio infixit aculeos, quos nulla consecutorum eventuum abolere aut evellere varietas potuit, tuoque maxime exemplo factum est, ut, abdicatis imperii regnorumque clavis, soli Deo vivere cœperim : verbis præclare utrique stetimus. Varie dein ac familiariter protractus est sermo; cumque sensim eo dilapsus cæsar esset, ut de legibus institutisque Societatis, de quibus malevolorum calumniis sinistra multa audierat, verba facere inciperet, veritus* Borgia, *ne de deserenda Societate mentionem faceret; longi et prolixi, inquit, sermonis res est, et vesperascit : si videbitur cæsari, in diem crastinum ea de re sermonem iterabimus. Placuit conditio cæsari, et alter ab altero suum in conclave discessit.*

204 *Postero*

AUCTORE J. B.

§ XVI. S. Teresiæ spiritum approbat : insigne prodigium, in ejus manibus per Christi cruci affixi imaginem factum: cæsaris nomine ad Catharinam, Lusitaniæ reginam, legatione fungitur. Defunctum oratione funebri laudat.

Societatem egregie tuetur.

204 *Postero die, cum in colloquium iterato venere, coactus fuit a cæsare* Borgia *sibi assidere et caput tegere: sermonis initium cæsar fecit: Nunc, inquit, si vacat, causas, cur hunc Ordinem ingressus sis, qualisque is sit, mihi exponas volo. Æqua, inquit* Borgia, *cæsar, postulas; faciam igitur, quod jubes, et vere, et fideliter. Ista, inquit cæsar, præfatione haud opus erat, veri te semper amantem reperi. Age, nec dubita, quin tua dicta apud me fidem sint inventura. Tum vero* Borgia *orationem bene longam tum pro se, tum pro Societate exorsus est, protraxitque, ut ait Alvarus lib.* 4, *cap.* 16, § 3, *ad horas fere tres, paucis tantummodo quæstionibus cæsare dicentem interdum interpellante. Præcipua orationis hujus capita infra Schottus num.* 104 *et seq. aliique* Francisci *biographi exponunt, quibus addi etiam debet Sandovalius in Vita Caroli, in S. Justi cœnobio commorantis,* §§ 12 *et tribus seqq., quam habuit ex autographo Martini de Angula, Prioris cœnobitarum S. Justi, qui eam jussu Joannæ, cæsaris filiæ, in litteras misit.*

205 *Colloquii hujus fructus fuit, ut sinistram de Societate suspicionem omnem, quam ipsi suggesserant malevolorum calumniæ, cæsar deponeret, atque in amorem verteret, testatus declaraturum Europæ universæ, se Societatem et amare et magni facere. Sacchinus in Historia Societatis ad annum* 1557, *num.* 115 *refert, Carolum, cum obtrectatorum calumnias accurate refutantem* Borgiam *audisset, sensim contra delatores accensum, militari illo recalescente spiritu, fronte sibi manu repente percussa, exclamasse:* Ergo mihi ita mentiuntur? *Sandovalius vero testatur, tres amplius horas imperatoris et* P. Francisci *colloquium tenuisse, eumque exitum habuisse, ut ei diceret cæsar, magna se animi voluptate, quæcumque disseruisset, audisse et vera credere, et quamvis ob ea, quæ de Societate audisset, hanc suspectam habuisset, modo veritatem, Societatisque virtutem* Francisci *testimonio se habere persuasam, ac deinceps illam divini obsequii, et* Francisci, *qui ex eadem esset, causa, favore ac benevolentia sua prosecuturum. Neque cæsar, quod verbis pollicitus fuit, reipsa præstare distulit: nam* Franciscum *non prius abs sese dimisit, quam ei nonnulla consilia peramanter suggessisset, quæ ad conservandam augendamque Societatem plurimum factura censebat; abeunti vero ducentos aureos eleemosynæ vice numerari, dicique jussit, modicum quidem esse, quod daret, tantum tamen, si præsentium facultatum suarum ratio haberetur, quantum dedisset nemini, dum imperii habenas moratus fuerat.*

S. Teresiæ spiritum probat.

Exacto apud cæsarem triduo, alacri animo collegiorum visitationi incubuit. Abulam profectus, obvio sibi fortuito in via fratri laïco, quo vehebatur, jumentum cessit; pedibus ipse iter instituit, etsi non exiguum a podagra pateretur incommodum. Cum in hospitalem S. Ægidii domum, quam socii id temporis incolebant, sero ingressus esset, cubitumque sese recepisset, inter acerbos mali dolores prorsus ea nocte obmutuit: hujus rei causam fratri, qui ipsi aderat, percunctanti respondit: Absit, ut de malo conquerar, quod tam cupide a Deo postulavi, habeoque beneficii loco: quod si questus gemitusque hujus mali dolores lenire utcumque videantur, certe patientiæ meritum minuunt. His aliisque, dum Abulæ moratus est (moratus est autem dies quindecim) virtutum exemplis non modo domesticis, sed civibus etiam suis in cathedrali templo concionibus prodesse pro viribus studuit. Utilis ejus opera in primis fuit S. Teresiæ, tum Abulæ versanti. Rapiebatur extra se seraphica illa virgo, at quo spiritu haud satis compertum habebat. Ex quo Societas illic sedem fixerat, miro erga ejus instituti homines ferebatur affectu. Haud gravate itaque piorum virorum, ut Borgiam, *sanctimoniæ fama jam ubique notum, consultum iret, consilio paruit.*

et amicitiam sibi conciliat.

207 *Accessit, arcanorum suorum participem* Borgiam *fecit, magnumque ex ejus colloquio solamen accepit; quod quidem testatum fecit ipsamet S. Teresia Vitæ suæ cap.* 24 *ad hunc modum verbis Hispanis scribens:* Venerat huc *(Abulam)* id temporis P. Franciscus, dux olim Gandiensis, qui, relictis omnibus, ingressus fuerat Societatem Jesu. Confessarii mei *(Joannis de Padranos)* et equitis supradicti *(Francisci Salzedii)* consilio factum est, ut me accederet ad hoc, ut ei loquerer, quemque orandi modum tenerem, exponerem Viro, cui, ut qui multum ejus causa reliquisset, majora, etiam in hac vita, Deum præstare noveram. Postquam me audivit, dixit mihi, spiritum Dei esse, cui resistere amplius, fas non crederet; recte hactenus sese habere omnia; orationem vero deinceps inciperem ab aliquo Passionis articulo; quod si porro mihi spiritum ad sese attolleret Dominus, non obluctarer; sed attolli, nulla in id data opera, paterer. Borgiæ *responso consiliisque abs illo acceptis magnopere se recreatam sensit Teresia, ut verbis mox transcriptis ipsamet subjungit. Alia hujusmodi sanctæ illius virginis testimonia refert Ribera lib.* 1, *cap.* 10 *ejus Vitæ*

AUCTORE J. B.

Vitæ et lib. 4, *cap.* 3. *Auctor denique est Didacus Yepez* § 3 *Prologi in Vitam S. Teresiæ*, Borgiam, *ex quo cum ea agere cœpit, ingentibus sanctimoniam ejus semper extulisse laudibus ac perennem cum ea per litteras amicitiam coluisse. Nondum discesserat Abula, cum renuntiatum illi fuit, movisse arma adversus Philippum II Gallos: mox filiorum suorum aliquot Matrito Abulam evocavit, quos vix complexus, regis castra sequi jussit, si pro suis haberi vellent; simulque severe monuit, ne Martis et Christianæ religionis præcepta confunderent. Hæc Alvarus lib.* 4, *cap.* 17, §§ 1 *et* 2; *auditu horrendum est, quod* § *seq. narrat, ac fabulosum dixeris, nisi esset ex Processu Canonizationis* S. Francisci *depromptum.*

Crucifixi imago ad obdurati confusionem

208 *Audierat* Borgia, *in civitate quadam Hispaniæ primaria decumbere morti proximum virum quemdam, depravatis æque moribus, ac natalium splendore notissimum, neque adduci hactenus ullo pacto potuisse, ut improbæ vitæ delicta Confessionis Sacramento*
B *eluere. Pluribus haud opus stimulis fuit, ut in cubiculum se abderet* Borgia, *provolutusque in genua ante Redemptoris e cruce pendentis imaginem multis Deum precibus lacrymisque oraret, ut misero vellet esse propitius, qui peccatoris perniciem nollet. Dum interim intentis oculis imaginem contemplatur, ecce prodigium: erigi imaginis caput videt, ac hujusmodi ad se delabi vocem audit: Infirmum adi, cui et ego adero indutus medici specie, dum illi tu tempestivam de peccatis confessionem persuadebis. Dictum factum: hinc* Franciscus *verbis modo blandis, modo gravissimis miseri animum emollire satagit: illinc tacitis divinisque impulsibus ferreum pectus cœlestis Medicus quatit. Moveri ille primum quidem aliquantulum; sed mox ad ingenium pertinaciamque redire.*

inter Borgiæ manus sanguinem fundit.

209 *Abeunte cœlesti Medico, perrexit* Franciscus *ægri mentem omni nisu ad frugem revocare; sed nihil apud ægrum ejus oratio valuit, qui ambabus manibus sibi aures obturabat. Mœstus itaque domum rediit, precesque ante eamdem Christie cruce pendentis imaginem iterans, audire ex eadem meruit: «Ut «quantum te diligam, ac miseri illius salutem*
C *«desiderem, intelligas, hanc mei imaginem in «manum sume, et ad ægri ædes revertere.» Facit imperata* Franciscus; *peccatorum veniam ac æternam felicitatem ægro, si resipisceret, offert ejus, cujus manu tenebat imaginem, nomine: ille pertinaciter obmutescit, quin et mortuum simulat. O stupendam Dei clementiam! o pertinaciam quavis rupe duriorem! Profluit e quinque vulneribus, veluti e totidem fontibus, uberrimus sanguis; jamque illum non* Borgia, *sed in imagine sua sic hominem Christus alloquitur: «Vide, o miser, quanto rebel-«lis hæc anima mihi pretio steterit. Vide, quo «me tuæ salutis amor adduxerit, ut pœniten-«tem te hisce excipiam brachiis et in gloriæ «beatitudine collocem.» Ministro surdus, nec audiit Dominum; qui tantam contumaciam non amplius ferens, brachium dexterum refixit, haustumque e sinu sanguinem in obstinatum projecit, adjecta illa terribili voce: «Quo-«niam, qui pro te fluxit, sanguinem spernis, «infelicitati tibi sit sempiternæ»: qua prolata, infeliæ ille inter horrendas in Christum contumelias animam exhalavit.*

Cæsarem alteris vicibus adit,

210 *Abierant, ex quo cæsarem in S. Justi cœnobio* Franciscus *convenerat, menses aliquot, cum Placentiam venit: brevi cæsar, quippe qui hinc non nisi septem leucis aberet, ejus adventum rescivit, voluitque, ut se iterato accederet; venientem pari amoris significatione excepit, de rebus ad animæ profectum pertinentibus consuluit, et politica quædam negotia exsequi jussit. Ferebatur* Borgia *omnem humanum erga liberos amorem exuisse: experiri cæsar voluit, an ex vero. Colloquebantur invicem cæsar,* Franciscus, *Alphonsus de Cardona, comes de Oropesa et rei maritimæ in Aragonia præfectus, cui lis erat cum Carolo, Gandiensium duce,* Francisci *filio. Multa, ait* Francisco *cæsar, de filio tuo mihi conquestus est hic comes. Tu vero quid censes, aut quid vis, ut hoc in negotio faciam? Ad hæc ille: Ego, a quo stet æquitas causæ, plane ignoro: id unum te, cæsar, impense oratum velim, ut omni, quo, salva æquitate, potes, favore comitem prosequaris, quo quidem ni-*
hil mihi gratius accidet. At ubi amor, inquit E *cæsar, quem filiis ac familiæ debes ac natura ingenerat? Num fortasse virtus naturæ est adversaria? Suppetit Carolo, inquit* Borgia, *quod satis est: Alphonso autem honorum plus, quam opum. Cæcutit plerumque amor, quem in nostros natura ingenerat: hunc ego ex animo non detero, sed altero oculatiore quasi aureo freno moderor et emendo; quod* Borgiæ *responsum cæsar multa admiratione et laude excepit.*

Lusitaniæ reginam in obitu regis solatur,

211 *Quarto, postquam cæsarem convenerat, die Septimancam discessit, quo se recipere libentissime solebat: tristissimum illic nuncium accepit, Joannem III, Lusitaniæ regem,* XI *Julii diem suum obiisse. Ingrati animi notam ratus est se non posse effugere, nisi Catharinæ regis viduæ, quod penes se esset, in tanto dolore solamen afferret: litteras itaque ad eam dedit pietatis et solatii plenas die ejusdem mensis vigesimo quarto. Exhibet illas Ribadineira lib.* 2, *cap.* 16, *et Alvarus Cienfuegos lib.* 4, *cap.* 18, § 2: *huc vero fere recidunt: subtractum quidem militanti ecclesiæ Joannem III, sed triumphanti insertum, quod in summi beneficii loco ponendum*
esset: huic ipsam vices debitas non exsolu- F *turam, nisi, quam ille fovisset ac sustentasset Ecclesiæ partem, suis similiter curis ac laboribus, dum scilicet ejus nepos Sebastianus adolesceret, fovendam sustentandamque susciperet. Confideret, beatæ immortalitatis coronam non defuturam iis, qui crucem Domini non modo generose gestassent ipsi, sed etiam tot gentibus intulissent: precari se denique Deum, ut ei et gratiam et gloriam cumulet.*

Clarissis Gandiensibus Matriti sedes procurat.

212 *Abierat jam quinquennium circiter, ex quo, ut supra dictum est num.* 129, *curante* Francisco, *Discalceatarum Gandiensium colonia, duce Francisca de Jesu,* Borgia *amita, ad Casam-reginæ profecta fuerat. At cum ruinam minaretur, quod illis eo loci Juliana Aragonia Friæ ducis uxor, jam defuncta, procuraverat, domicilium, apud Joannam, Caroli V filiam, quæ, defuncto Joanne Lusitaniæ principe marito suo, in Hispaniam redierat, effecit, ut inde virgines illæ Matritum evocarentur; jamque Vallisoletum, dum interim domum suam natalem in cœnobium Joanna convertit,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *vertit, mense Septembri anni* 1557, *eodem* Borgia *auctore, pervenerant, cum non diu post ex hac vita Francisca de Jesu, ejus amita, excessit die* XXVIII *Octobris ejusdem anni, ut scribit Joannes Carrillo in ejus Vita cap.* 6. *Hujus jacturam reparavit Joanna a Cruce, prima Gandiensium Clarissarum Vallisoleto Matritum translatarum abbatissa, Joannis III, Gandiæ ducis, sed ex secundo conjugio filia, et* S. Francisci *soror, cujus virtutes morumque sanctimoniam descripsit Joannes Carrillo pag.* 147 *et tribus seqq. Neque vero sola, qua apud Joannam valebat, auctoritate sacris hisce virginibus* Franciscus *profuit, sed salutaribus etiam monitis piisque colloquiis.* Exinde ad eas libenter ventitare consuevit Borgia, *inquit Joannes de Luca in Annalibus Minorum continuatis ad annum* 1541, *num.* 15, jam mirus idem in Societate Jesu sui corporis domitor, et humanæ gloriæ contemtor eximius, initoque de rebus divinis colloquio, feminarum industriam magis ac magis acuebat in dies; iisque auctor erat, uti se a contagione seculi quam maxime B abstraherent, purissimisque spiritibus mente penitus immiscerent.

In Lusitaniam a cæsare missus,

213 *Plerumque id temporis versabatur in ea, quam Septimancæ exstruxerat, tirocinii domo, e qua ad cæsarem evocatus jam tertium fuit. Quamquam autem haud firmis viribus esset ad S. Justi cœnobium, adjunctis sibi sociis PP. Dionysio Vasquez, Bustamantio et F. Francisco Briones, confestim profectus est. Admissus in conspectum cæsaris, mox sese in Lusitaniam mitti intellexit, magnis de rebus cum Catharina Lusitaniæ regina, cujus maritus Joannes III, ut dictum est, recens obierat, acturum. In votis nimirum habebat cæsar, teste Alvaro lib.* 4, *cap.* 19, § 1, *ut nepotem suum Carolum, quem ex Maria Catharinæ reginæ filia Philippus II susceperat, Lusitani proceres regni hæredem dicerent, si quid forte Sebastiano, Joannis III filio posthumo, humanitus accideret. Paruit cæsari* Borgia, *etsi alium, quam obedientiæ, ex ea legatione fructum non speraret. Salutato cæsare, Placentiam ivit; unde die postero in Lusitaniam iter arripuit: noctu tum ipsi, tum* C *sociis humi cubandum fuit in diversorio pluviis pervio: quo factum est, ut P. Dionysii Vasquez humerum is dolor invaserit, ut mane neque iter prosequi nec ducere spiritum posset: evanuit tamen subito, postquam telam lineam, frigidissimo prius fonti immersam, humero male affecto applicuerat, uti jusserat* Borgia, *ne suis id precibus referretur acceptum. Lusitaniam ingressus Evoram Altam, provinciæ Transtaganæ inter Tagum et Anum fluvios oppidum, confectis mane sex circiter leucis sub meridiem venit, ac mox pro more suo ad aras Sacrum celebraturus accessit, relicto in hospitio Bustamantio sene: hic, dum cum hospite confabulatur, nescius eorum, quæ a cæsare in mandatis habebat* Borgia, *hortatur hominem, ut frequentes pro Sebastiani incolumitate ad Deum preces fundat, ne ad Castellanos Lusitaniæ regnum transferatur. Hæc aliorsum, atque ille dixerat, accipiens hospes clamare, Sacerdotem illum principis regnique hostem esse, vicini occurrere, alii probris senem incessere, alii lapides, quibus miserum obruerent, conquirere; sed opportune turbis interveniens* Borgia, *ac molli oratione usus ex irritati vulgi animis iras, et saxa excussit e manibus: increpitum vero Bustamantium redire in Castellam jussit.*

AUCTORE J. B.

lethifera febri,

214 *Hinc Eboram una cum Vasquezio et F. Briones progressus in vehementissimam incidit febrim: misit Henricus Cardinalis loci archiepiscopus, idemque qui postmodum Sebastiano regi successit, primarium medicum Barbosam nomine, qui ægrum curaret. Ea vis morbi erat, ut spem prolixioris vitæ fere omnem præcideret; demum deliquium animi passus mortuo, quam vivo similior videbatur; jamque veluti exstinctum plorabant, qui jacenti aderant, medicus et socii, ut quidem Schottus scribit, vel F. Briones (quos solos huic rei interfuisse, ait Alvarus) cum, excusso repente veterno, in has voces erupit*: Cur lacrymas *(Schotti verbis utor)* frustra funditis? An illæ morti me eripient, si Deo visum, in patriam ab hoc me vitæ exsilio revocare? Sed nondum maturuit hic fructus, ut summi Regis mensis apponatur: grandis adhuc nobis restat via: immo intra quatriduum vivus, valensque Olyssiponem pergam. *Resumere inde vires continuo cœpit,* E *stupente medico. Præscripsit hic, ut alvum purgaret* Borgia *hora tertia matutina: paruit ille; sed ne vel uno die cœlesti alimento careret, horam prævenit, sacrosancto Domini Corpore animum refecit, ac a prima ad tertiam usque noctis horam altissimæ orationi immoratus est; quæ quidem Ribadineiræ dictis abs Alvaro sunt addita. Tertio post die domesticos Eboram misit regina, qui* Borgiam *lectica exceptum, quamprimum id fieri posset, Ulyssiponem deducerent, quibuscum postridie, uti prædixerat, se dedit itineri, rectore collegii Ebornensis, medicoque Barbosa comitibus.*

marisque tempestate jactatur, alteramque prædicit.

215 *Myoparonem præterea ad Tagi ripas regina miserat, quo* Franciscus *Ulyssiponem veheretur: verum cum is tempestive non adesset, scaphæ haud satis tutæ sese commisit in loco, cui* Aldea Gallego *nomen; unde Ulyssiponem usque duorum triumve horarum iter erat: oborta, dum navigat, tempestate, scaphæ velum, spemque simul nautarum ventorum rabies abstulit; jamque periculum aderat, ne in mare scapha abriperetur: certabat cum undarum sonitu desperantium clamor: prospiciens tandem e lectica sereno vultu* „ *Agite,* „ *inquit,* F „ *mox portum tenebimus.* „ *Duplicantur, operæ, velum recuperatur et ventis datur, redit amissa nautis spes, ac tandem post horarum fere octo cum undis ventisque luctamen Ulyssiponem sub mediam noctem scapha appellitur.* Borgiæ *meritis precibusque adscriptum fuit, scapham non periisse, præsertim cum tres aliæ, quæ ejus, qua ille vehebatur, subsidio missæ fuerant, eadem tempestate perierint. Pernoctavit ea nocte in S. Rochi collegio, perturbata nonnihil ex procella, quam sustinuerat, valetudine: postridie regina oratum voluit, ut in palatium regium de Xabregas, ad Tagi ripam situm, dum convalesceret, sese reciperet, ut vires ægro celerius restitueret purior loci aer et amœnitas. Eo secessit cum Vasquezio* Borgia, *quibus quotidie cibos regina subministrari jussit,* ita splendide atque benigne, *inquit Vasquez,* ut, si ejus filii fuissemus, nihil posset abs illa amplius exspectari. *Tertio post die PP. Franciscanos, quorum conventus mare respiciebat, horis pomeridianis accessit: monuit hos, ut, qui eam monasterii*

AUCTORE J. B.

partem, quam Tagus alluebat, incolerent, supellectilem colligerent, et in alteram monasterii partem concederent. Sudum erat cœlum, nec ullum imminentis tempestatis indicium. Borgiæ *dictis partim est habita fides; partim non: qui remanserant, ingruente noctu sævissima tempestate, vix salvi sociorum opera submersionis periculum evaserunt. Redux ipse in palatium regium, etsi firmum satis esset, illic ea nocte subsistere noluit, reclamantibus frustra ministris regiis, ac sociis suis: ad collegium itaque S. Rochi, quoniam ita præfracte vellet, delatus est. Palatio regio non magis, quam Franciscanorum monasterio tempestas illa pepercit, imo non exiguam ruinam attulit, ut, Vasquezii testimonio, si illic pernoctassent, non nisi divina ope salvi esse potuissent. Fœdam hanc tempestatem, inde ab ultimis Indiæ finibus ortam, ac Ulyssipone mense Septembri eadem nocte cœptam, dein per omnem fere Europam ac Africam pari passim furore sese effudisse, ac horrendam mortalibus contagionem intulisse, historici ferunt.*

Probatur ejus industria

B 216 *Receptis utcumque viribus, reginam, Sebastianum, Henricum Cardinalem (obierat carissimus sibi princeps Ludovicus) de more salutatum adiit, a quibus ingenti honore ac benevolentia susceptus fuit. Autumabant plerique Ulyssiponem venisse* Franciscum, *ut Societatis collegia tamquam Hispaniarum commissarius inspiceret. Quorsum autem eo venerat una Catharina exploratum habebat: tractatum itaque ea de re est inter reginam et* Borgiam *non minus secreto, quam diligenter, visumque fieri haud posse, quod cæsar optabat; vivere incolumem Sebastianum; qui si forte exstingueretur, spei nonnihil in Henrico Cardinale reliquum esse: Lusitanorum animos ita comparatos esse, ut, si quid ea de re resciverent, non minores per Lusitaniam excitandi motus essent iis, quos nupera tempestas exciverat. Dixit præterea* Borgiæ *regina eorum, quæ Bustamantio acciderant, conscia, « Et me « et te saxis obruerent, ut socio tuo facere vo- « luerunt. » Quo loco res essent, per litteras certiorem* Borgia *cæsarem fecit. Dum responsum exspectat, collegia Lusitaniæ summa animi voluptate perlustrat; ac a regina pomum*

C *crystallinum fragrantissimi odoris liquore, quem illa stomacho ejus male affecto profuturum rebatur, repletum dono accepit, quod imprudenter coadjutor Briones solo illisit. Subrisit* Borgia, *factumque erubescenti dixit: « Frater mi, absque hujusmodi deliciis « vixit hactenus* Franciscus; *quid ni deinceps « absque iisdem vivat? » A cæsare vero jubetur cœptis desistere, rimas omnes occludere, quibus, quæ essent gesta, serpere in vulgus possent; ac, quantocius per valetudinem liceret, ad S. Justi cœnobium reverti. Abire tamen Ulyssipone noluit, ut ex Dionysio Vasquez Alvarus refert, quin grati animi vicem Barbosæ medico redderet: erat huic filia, quæ adscribi virginibus sacris, leuca circiter una extra Ulyssiponem Deo sub S. Bernardi instituto militantibus, vehementer optabat. Res ardua obtentu erat, tum quod natalibus haud satis claris puella esset, tum quod annis pluribus infirma valetudine nervorumque debilitate laborasset: effecit tamen* Borgia, *non modo ut puellæ patrisque votis fieret satis, verum etiam ut ejus dotem solveret Henricus Cardinalis. Plura item eidem medico* Borgiæ D *precibus beneficia fuisse divinitus collata, idem Alvarus ex Vasquezio refert.*

cæsari, insigne vaticinium edit,

217 *His Ulyssipone gestis, ad cæsarem rediit, uberiorem legationis suæ rationem redditurus: probavit ejus industriam cæsar, qua factum esset, ne pax publica turbaretur. Insigne ea occasione vaticinium edidit* Borgia: *dixerat cæsari, commissum sibi negotium non minus confectu arduum fuisse, quam si universum Lusitaniæ regnum fuisset vi armisque capiendum: tum, repressa tantisper voce, ita perrexit, interrupto subinde orationis cursu: Verum, cæsar, non postulat tempus hoc, ut huic argumento immoremur: spem habeo, et quidem solide suffultam, brevi fore, ut regna illa occultis quibusdam ductibus conjungantur, quodque nepoti optas, filius tuus Philippus in se impletum videat. Obstupuit cæsar, et se gaudio delibutum sensit: percunctari tamen* Borgiam, *unde id compertum haberet, ac tam confidenter affirmaret, non est ausus. Quartum, sed postremum* Borgia *cæsarem in S. Justi cœ-*
E *nobio vidit. Ter tantum id contigisse, Sandovalius scripsit; sed tertium* Borgiæ *iter, quo Placentia S. Justi cœnobium adiit, scriptor ille ignoravit; quod ex Vasquezio, ejusdem itineris socio, Alvarus Cienfuegos retulit. Aureos ducentos in eleemosynam* Borgiæ *dedisse cæsarem, cum ad cœnobium S. Justi prima vice venit, Ribadineira aliique tradiderunt. Sacchinus vero Historiæ Societ. part. 2, lib. 1, num. 123 factum id fuisse contendit anno 1557, cum e Lusitania redux* Borgia *Carolum postremo invisit.* Id autem, *inquit Sacchinus,* non in primo Borgiæ Carolique congressu, ut in ejus Vita proditur, contigisse ex ipsiusmet litteris Borgiæ certum est, quibus nunciat post suum e Lusitania reditum, cum Carolum comite Dionysio Vasquio adiisset ea pecuniæ summa donatum esse: quam ille statim collegio Romano seposuit. *Ribadineira tamen consentit Herrera testis oculatus, ut scribit Alvarus: quare donum suum cæsarem iterasse, non immerito autumat Alvarus.*

comitia Societatis curat,

218 *Nondum hactenus Ignatio, qui Societati præsset, successor electus erat: indicta itaque fuere comitia Romæ celebranda, in quibus alter Præpositus generalis eligendus esset.* F *Viæ, quibus ex Hispania Romam eundum erat, parum tutæ erant a bello: eo migrantium securitati, quanta potuit industria prudentiaque consuluit.* Borgia nihilo, quam Romani, segnius in comitia intentus, *inquit Sacchinus lib. 2, num. 9,* cum undique obseptas in Italiam vias cerneret, diu re secum anxie volutata, ac tandem cum Joanne Vega, perinde sapienti studiosoque Societatis viro communicata, sic statuit, uti patres tres in partes distributi, viæ se darent: Lusitani, quibus id minus erat periculosum, per Gallias tenderent; quod fecere: reliqui dispertirentur in naves: et unaquæque harum partium suffragia reliquarum duarum scripta ferret. Quod eo consilio decreverat, ut inter tot imminentes casus aliqua saltem pars Romam incolumis ac tempestive contingeret: ita ut nec facile intercipi omnes possent, nec, si quos mora longior distineret, necesse esset cum rerum detrimento, famæque jactura comitia prorogare. *Proficisci Romam cum ceteris* Borgia, *etsi ejus maxime illic expeteretur præsentia, non potuit, quod ad veteres ejus*

infirmitates

infirmitates renum dolor gravissimus calculusque accessisset: suo itaque se satis officio fecisse credidit, misso sui ipsius vice ad ea comitia Joanne Plaza, tironum in Bœtica magistro, egregiæ virtutis viro. Electus in his comitiis in Præpositum generalem Lainius fuit die beatissimæ Virgini Visitatæ sacro anno 1558; *non nisi unicum* Borgia *suffragium tulit.*

et oratione funebri cæsarem laudat.

219 *Eodem anno non minus anxie præsentiam ejus expetivit Carolus V, cum esset morti proximus: hanc cum sibi imminere intelligeret, flexa ad adstantes cervice, iterum atque iterum in has voces erupit: « Ubi est sanctus Pater »* Franciscus Borgia : *« et rursum in has, cum codicillos, quibus eum testamenti sui procuratorem statuit, sub extremum spiritum fecit: « « Quid non patior, quod nunc mihi non adsit sanctus Pater* Franciscus *ad lecti caput. » Quam sibi exsequendi testamenti provinciam cæsar dederat, agre suscepit; sed Joannæ, Caroli filiæ, quæ Philippi II vice Hispaniam moderatur, cedendum fuit. Pintiæ seu Vallisoleti in*
B *cæsaris laudem in S. Benedicti templo funebrem orationem habuit, cujus argumentum, ut quidem passim scribunt, fuit illud Prophetæ regii Psalm.* 54, ℣. 8 : Elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *Sed Alvarus lib.* 2, *cap.* 20, § 1 *Herreræ Ms. laudat, in quo is se orationi illi funebri interfuisse, ejusque argumentum fuisse testatur, illud Jeremiæ Thren.* 2 : Cui comparabo te et cui assimilabo te, filia Jerusalem ? Magna est velut mare contritio tua, *cujus primam partem cæsaris animæ, alteram vero adaptavit Hispaniæ. Prodidit autem ea oratione præter cetera, quæ ex cæsaris ore acceperat, nullum hunc, ex quo ad annum ætatis vigesimum primum pervenerat, passum abire diem, quin orationi, quam* mentalem *vocant, vacaret non mediocri temporis spatio, quod sane suspici debet in principe, cui tot regnorum erant sustinenda negotia.* Permolestum vero, *inquit Schottus,* id ei accidit, quod animam agenti Carolo præsto non fuisset, ut patrono optime de se merito, postremum hoc officium præstaret, oculosque morienti clauderet.

C

§ XVII. Socios in exteras regiones mittit. Gravissimas passus in Hispania calumnias, Lusitaniam petit, suisque virtutibus illustrat.

Socios in Africam, Asturias,

Altero amico sub idem tempus orbatus est, Joanne Vega, Vallisoletani concilii præside, in cujus obitu id felicius illi cessit, ut, quod Carolo non potuerat, præstiterit Vegæ, cui fidelem navavit operam, dum hæc Pauli verba ingeminans Cupio dissolvi et esse cum Christo, *felici morte solutus est anno* 1558, *decimo Cal. Januarias, ut Sacchinus, aut sub seq. principium, ut Alvarus tradit. Hujus consilio factum paulo ante erat, ut Martinus de Corduba, Orani in Africa gubernator, cum expeditionem in barbaros moliretur, duos tresve e Societatis hominibus, qui militum saluti operam suam impenderent,* AUCTORE J. B.
a Borgia *peteret : misit hic sacerdotes binos, Petrum Martinez et Petrum Domenek; quibus comitem dedit Joannem Gutierez coadjutorem. Funesta ea expeditio Hispanis fuit, omni exercitu internecione fere deleto, reliquis in captivitatem abductis : quare utilis admodum eorum opera fuisset, sit præliantibus adversus barbaros militibus præsto esse licuisset : sed visum gubernatori fuerat, ut Orani subsisterent, militum facile quingentorum, in nosocomio decumbentium, curam habituri Salvi aliquanto post Granatam pervenerunt, cum jam in mortuis numerarentur, ac pro ipsis Sacra precesque* Borgiæ *jussu essent persoluta : Martinio autem, quam in Florida invenit postmodum, servabatur martyrii palma. In Asturias insuper eodem anno misit Petrum de Saavedra et Carvajalium, primos e Societate principatus illius apostolos. Ingens erat eo anno per Hispaniam annonæ caritas ac apud Asturesmaxime: dederat ad* Borgiam *litteras Christophorus Sandovalius primum Ovetensis, id vero temporis Pacensis episcopus, demum vero* E
Hispalensis archiepiscopus, quibus Asturum non modo annonæ, sed doctrinæ etiam Christianæ inopiam declarabat, rogabatque, ut abs Joanna principe subsidium miseris peteret, ipse vero missis in eam vineam operariis haud satis instructæ gentis animos pasceret. Facile Borgiam *ad commiserationem hæ litteræ commoverunt: Joannam adiit, prælectisque Sandovalii litteris, continuo addidit: Quas in montibus Marianis argenti fodinas habes, o princeps, in dies singulos ter mille ducatorum et eo ampliorem, quæ Dei largitas est, fructum reddunt; pars inde aliqua ad Auctorem redeat : sociemus operas, ut sublevetur inopia, qua hujus regni laborant incunabula: meum erit, binos mittere, qui indigentium animos pascant; tu eorum corporibus, si placet, eleemosynis consule. Religiosissimæ principi conditio placuit; mitti miseris congruum subsidium jussit, cui de suo addidit quatuor ducatorum millia. Sic Alvarus lib.* 4, *cap.* 20, § 2.

Orientales Indias, Austriam et Sardiniam mittit,

221 *In Indias quoque Orientales zelum extendit, quo, eodem teste, misit anno* 1559 *P. Andream Gonzalez de Medina una cum Alfonso Lopez coadjutore: non procul ab Indiæ littoribus aberant, cum in vadum, qua vehebantur, impacta est navis ac dissoluta: pars in scaphas insiliit; reliqui, numero facile quingenti, superatis fluctibus, in vadum enatarunt, ubi miseris fame sitique pereundum fuit. Si scaphis sese Andreas et Alfonsus, uti rogabantur, committere voluissent, spes erat, ut in collegium Goanum cito salvi incolumesque pervenirent : at veriti, ne tanta hominum multitudo ad desperationem adducta animo simul et corpore periret, in vadum et ipsi emerserunt. Animare hic singulos Andreas, ut divini Numinis providentiam in tanta calamitate adorarent, seque ad obeundam mortem rite disponerent: Alfonsus per medios fluctus ad navem ire ac inde referre cibaria; sed quæ vix ad paucos dies suffecerunt. Brevi itaque omnes post expiatas animæ noxas inedia sitique exstincti sunt. Postremi omnium socii, singulari profecto Dei munere, præmissis, uti sperare fas est, in cœlum ceteris, in arenoso desertoque illo loco insignes charitatis victimæ procubuere : quæ quidem sic se habuisse, docuit schedu-*

la

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

la Andrea manu exarata, et una cum ejus cadavere reperta. Joannæ item principis rogatu ad Mariam, imperatoris Maximiliani uxorem, Christophorum Rodericium misit, qui Viennæ Catholicæ fidei plurimum profuit, ac deinceps peregrinationes Apostolicas in Calabriam, Apuliam et Ægyptum gravissimas obiit. Tenebatur is febribus, cum primum illi de obeunda Viennensi missione Borgia *mentionem fecit: fretus vero tum obedientiæ merito, tum* Borgiæ *sanctimonia, Ibimus, inquiebat, si tamen ita præceperis; jussit* Borgia; *convaluit æger, securoque animo postridie tam prolixum iter aggressus est. Denique in Sardiniam P. Balthasarem Pinnum misit, qui dein Sardiniæ apostolus audiit, et P. Franciscum Antonium, qui egregiam quoque in ejus vineæ cultum contulit operam.*

cujus vicissim famam

222 *Deum Dei gloriam* Borgia *sedulo promoveret, vicissim Deus ejus nomen variis prodigiis illustratum voluit, teste Alvaro lib. 4, cap. 21; ac primo quidem excitato a mortuis puero au-*

B *lam Hispanam admiratione complevit; Sarabrim (seu, ut quidam volunt, Octodurum, Hispanice* Toro, *regni Legionensis oppidum) per id tempus a filia Joanna, Joanni de Almanza, Alcanizii marchioni nupta, evocatus fuit, quam. quod maritum suum in aula Pispanica ægrum decumbere inaudierat, ingenti mœrore affectam reperit.* Borgia, *dicto Sacro, Joannam adit, edocetque sub initium Sacri diem suum obiisse marchionem; sub finem vero ejusdem Sacri, ejus animam evolasse ad Superos; ac paulo post nuntiatum est, eodem, quo dixerat* Borgia, *tempore illum vivere desiisse. Eadem alias, morti proxima, partem rogavit, ut prorogari sibi vitam a Deo peteret. Faciam, inquit* Borgia, *si vanum ornatum, libellosque profanos, quibus tempus teris, missos te facturam promiseris. Promisit illa non id tantum, sed etiam aliud imposterum sibi genus vitæ futurum. Fusis ad Deum precibus, convaliturum prædixit, ac sibi superstitem futuram, sed non diu; nempe biennio, ut eventus ostendit. Prodigiis istis virtutum quoque miscebat exercitia. Vallisoletum reduæ die* XXI *Maii supradicti anni feminæ nobili supremo supplicio*

C *afficiendæ astitit. Jusserat per idem tempus Societatis Præpositus Lainius, ut, quicumque e sociis Indos conversum ire vellet, id ad se perscriberet; eodem se obtulit* Borgia, *spe consequendi martyrii, quod multoties exoptarat. Insigne porro miraculum ex informationibus pro ejus canonizatione desumptum, multorumque oculatorum testium assertione munitum, Alvarus refert lib. 4, cap. 21, § 2. Laborabat nempe anno* 1558 *ex febri princeps Joanna, evocatumque ad se* Borgiam *ursit, ut sacratissimæ Crucis frustum, a patre Carolo dono sibi datum, aquæ immergeret; e qua si biberet, convaliturum sese sperabat: vix id aquæ immerserat, quin colorem sanguineum contraxerit: abstinuit ea aqua præ reverentia princeps; nihilo tamen secius, uti speraverat, prompte convaluit.*

variis

223 *Accidit item eodem tempore, ut, cum frustum cutis S. Bartholomæi Apostoli Joanna communicare cum* Borgia *vellet, isque eam divideret, sanguinis gutta in subjectam telam ceciderit, stupente iterum ad novum spectaculum aula. Adhæc, cum aquam, de qua paulo ante, mittere ad Carolum, in S. Justi cœnobio*

decumbentem, vellet, nativum ejus colorem in D *sanguineum converti denuo vidit; quod cum deinceps fieret, pro certo mortis indicio habitum est. Contra si, ægrotante aliquo, nativum aqua colorem retineret, observatum fuit, pristinam ægro valetudinem rediisse. Accidit anno* 1559 *mense Octobri, ut, ægrotante Maria de Castro, Francisci Cisneros uxore, Crucis particula eidem aquæ immergeretur, quæ sanguineum colorem continuo contraxit: evocavit princeps Ferdinandum de Castro Sarriæ marchionem, comitem de Andrade, et Albuquerquii ducem, qui prodigiosæ conversionis testes essent. Adfuit etiam Dominicus Vadillo, Ordinis S. Benedicti Generalis, qui cruentatæ aquæ partem in Pintianum seu Vallisoletanum S. Benedicti cœnobium ad cultum venerationemque detulit. De cætero eadem nocte Maria de Castro ex hac vita migravit. Non absimile prodigium, licet multo serius, anno nimirum* 1571, *cum Cardinali Alexandrino, legato Pontificio, comes in Hispaniam ivit, in Matritensi Clarissarum discalceatarum cœnobio accidit, quo* E *sese princeps Joanna subinde recipiebat. Habebat illa inter sacra cimelia sacratissimæ Crucis partem, sed quæ a priori illa nonnihil colore differret; ut quæ paulo altera candidior esset: dubitabat itaque, num hæc sincera Crucis Domini pars esset: consultus ea super re* Franciscus *indubie sinceram esse respondit: cumque eam coram Joanna sacrisque aliquot virginibus, quæ principi ab obsequiis olim fuerant, divideret, sanguis similiter inde profluxit. Id ex antiquioribus illius parthenonis sanctimonialibus audivisse se in Processu canonizationis testati sunt Maria Clara abbatissa et Joannes Muniessa, ejusdem loci confessarius. Segoviam mense Octobri pervenit, ubi ad populum in cathedrali S. Bartholomæi templo rogatu capituli e pulpito verba solito fervore fecit, uti et ad carceribus detentos pari magnatum nobiliumque matronarum concursu, et incarceratorum solatio fructuque. Domi autem P. Ferdinandum a tertiana febri liberavit.*

prodigiis

224 *Guadalaxaræ (Castellæ-Novæ oppidum est) Enneconem Mendozam, ducem del Infantado convenit: hunc inter ejusque filium comitem Saldagna non simultates modo, sed apertæ* F *etiam inimicitiæ erant, quæ in discordiam insuper civilem eruperant. Ubi, quod animo dux gerebat ulcus, quantumvis blande, tetigit* Borgia, *recessurum se, animo haud satis pacato minatus est, si ea de re loqui pergeret. Repulsam passus* Borgia, *quoniam verba non profuissent, ad preces se convertit: dux venatum abiit; sed paulo post vicinum nemus lustrans, ex equo in truncum excussus est. Domum relatus a suis, ac acri febre correptus, revocato quantocyus* Borgiæ *errorem confiteri suum, ac ad omnia, quæ vellet, se paratum exhibere non erubuit. Bono eum animo esse jussit* Borgia, *paucas post horas non omni tantum periculo, sed etiam febre liberum fore, pollicitus. Domum reversus, mox ad aras fecit, Deum obtestans, ut, quoniam dux resipuisset, ipse flagellum inhiberet; id quod accidit eodem die. Dux non* Borgiam *modo grato animo amplexus est, sed etiam, quas illi visum est proponere, pacis conditiones: ita* Francisco *arbitro, patrem inter et filium restituta pax est atque concordia.*

225 *Toletum se contulit mense Octobri, ibique*

Deus illustrat, *ibique, magno ejus collegii emolumento moram fecit usque ad ejusdem mensis finem, sub quem in Andalusiam profectus est: Segoviam ibat P. Ludovicus Santanderus, collegii, quod illic condendum sperabatur, futurus rector, cui prope portum, quem* Yevenes *Hispani vocant, obviam factus est* Franciscus, *seque ad portum comitari jussit. Celebrato illic Sacro, Santandero aperuit, ædes, quæ in collegium convertendæ erant, emptas esse a Francisco Erasso, regi Catholico a secretes: tristis hoc nuntio Santanderus, quod collegii illic condendi spem præcisam putaret, Frustra, itaque, aiebat, Segoviam ivero: Noli, respondit* Borgia, *tam cito animum despondere: nihil tam potens, quod Deo resistat: i, neque dubita, quin omnia ad majorem Dei gloriam sint recte prospereque cessura. Pluribus haud opus fuit, ut spe bona plenus Segoviam Santanderus se conferret, eoque vix pervenerat, quin Erassus emptas a se ædes condendo collegio ultra cesserit. Cum inde Cordubam tenderet, comite*

B *Suero de Vega, nocte quadam in semoto hospitii cubiculo orationi et corporis castigationi vacabat, confabulantibus ad focum ceteris; cum subito vix arreptis vestimentis, inde sese proripuit, commonitis ceteris, ut sese actutum sequerentur, si salvi esse vellent. Fugientem propere secuti sunt, etsi fugæ causam ignorarent. Vix sub dium progressi fuerant, quin subito pars hospitii occultis flammis correpta ingenti strepitu corruerit. Neque dubium fuit, quin ea clade opprimendi fuissent, nisi* Borgia *divinitus de periculo monitus tum verbis, tum exemplo ad fugam tempestive compulisset. Montellam progressus, inter Friæ ducem ejusque matrem, qua invita, matrimonium cum Anglicana contraxerat, pacem concordiamque restituit.*

calumniisque appetitum 226 *Fieri non poterat, quin ingentem hæc omnia* Borgiæ *famam conciliarent et gloriam; quam tamen hoc ipso tempore quidam ejus invidi non modo deterere, sed omnino etiam denigrare aggressi sunt. Offenso in* Borgiam *animo erat Philippus II, quod, se invito,* Borgiæ *frater Ludovicus, marchio de Navarres, uxorem sibi junxerat Eleonoram, quæ ad Ferdinandum, ducem Brigantinum hujus no-*

C *minis II, genus suum referebat. Existimabat quippe Philippus,* Borgiam *eo aliquid contulisse, vel certe id matrimonium non prohibuisse, cum posset. Opportunum calumniæ tempus nacti,* Borgiam *regi gravissimi criminis, quasi minus caste cum Joanna principe versatus esset, suspectum facere sunt conati. Absurdæ prorsus calumniæ non minus absurdam addiderunt; minus eum recte in fide sentire intimum eum esse Carranzæ, Toletano archiepiscopo, qui in custodiam datus, Ferdinandum Valdesium, archiepiscopum Hispalensem, quæsitorum principem, causæ suæ judicem recusarat,* Borgiæ *aliorumque testimonio usus; favere Lutheranis, ac nominatim quidem Dominico de Roxas. Accessit et aliud a bibliopolis malum: libellum quemdam pium non aliis, sed sibi ante initam Societatem conscripserat* Borgia, *cujus exemplar nacti bibliopolæ typis illum aliquoties ediderunt: fuit ex illis, qui majori lucro inhians Borgianæ lucubrationi variorum auctorum libellos adjecit, in quibus nonnulla erant, quæ merito notarentur. Itaque volumen hoc, unius* Borgiæ *nomine insignitum, anno* 1559 *in Indicem librorum prohibitorum his verbis relatum fuit:* Liber, cui nomen: Opera Christiani a Francisco Borgia Gandiæ duce conscriptus. *Sparsum undique ea occasione in vulgus fuit, damnatam esse* Francisci *doctrinam, non illum spiritu Dei agi, sanctitatem simulare, aliaque hujusmodi.*

AUCTORE J. B.

227 *Infamiam quidem propriam magno im-* *gravissimis,*
perturbatoque animo tulit; doluit tamen eam redundare in socios. Rem omnem divino consilio arbitrioque permisit, fretus fore, ut turbulentis istis temporibus lætiora succederent: neque eum spes fefellit. Quod enim de ejus cum Joanna conversatione jactatum fuerat, ne veri quidem umbram habere poterat, fassusque est Philippus anno 1561 *Feriæ duci et Roderico Gomezio de Silva, lectis, quas hi a* Francisco *ad Philippum detulerant, litteris, numquam credidisse se, a* Franciscum *quidquam fuisse admissum, quod vel se, vel eximia sua virtute, vel eo, quod profitebatur, instituto esset indignum: quin et litteras ad eum mox dedit benevolentia ac humanitate plenissimas. Annis vero aliquot post redeunti in Hispaniam obviam nuncium misit cum litteris, quibus ingens videndi ejus desiderium declarabat. Vix vero aulæ pedem intulerat,* E *quin illum amplexus idem Philippus amicissime fuerit. Egerat quidem cum Carranza Toletano archiepiscopo, sed cum is omnibus adhuc in veneratione erat, nec adhuc quidquam cum Hispalensi simultatis habuerat. Egerat item aliquoties cum Dominico de Roxas, hæresi Lutherana infecto: sed sedulo vafer homo caverat, ne latens animo virus* Francisco *proderet; testatusque jurejurando fuit, numquam se ausum fuisse ei animi sui sensa expromere, nihil porro ex ipso audivisse, quod non esset adprime Catholicum. Quam vero nomini ejus nebulam offuderant libelli spurii, de quibus supra, dispulit sincerus* Borgiæ *fœtus, seorsim typis editus, et nova sapientissimorum piissimorumque hominum approbatione et laude munitus.*

consolatur. 228 *Neque vero divino has inter procellas solatio caruit. Vallisoleti aliquando, dum sui ipsius considerationi vacabat, ita confusus animo fuit, ut se dignum duceret, quam res creatæ omnes contumeliis afficerent ac infestarent: audiit vocem sibi dicentem: Confundere pariter coram me. Agnovit satanæ vocem, continuo-* F *que respondit, æquum esse, ut vel coram dæmone sese confunderet; quippe qui, cum præstantissimæ naturæ esset, quod semel peccasset, æterna beatitudine, ejusque spe in perpetuum excidisset: sibi autem vili abjectoque homuncioni, qui Deum multoties graviterque offendisset, ejus consequendæ spem etiamnum esse relictam, licet ingrato, dignoque proinde, cui vel dæmones infesti essent. Obmutuit dæmon: mox autem alteram audiit vocem, quæ diceret: „ Hæc vera est via, hæc animi demis-*
„ sio placet. „

In Lusitaniam profectus 229 *Perceperant ex Joannæ principis litteris Catharina Lusitaniæ regina, et Henricus Infans S. R. E. Cardinalis, quanta tempestate* Franciscus *jactaretur. Dedit itaque ad eum litteras Henricus, qui Societati Eboræ collegium et academiam excitarat, quibus duo potissimum in votis sibi esse significavit; alterum quidem, ut binos doctrina insignes Eboram mitteret viros, qui institutum illic abs se academiam illustrarent: alterum vero, ut Eboram ipse veniret, academiæ exordia inspecturus, ac magistris non modo solatio, sed ingenti etiam ad subeundos alacri animo labores incitamento*

AUCTORE J. B.

incitamento futurus. Redditæ sunt illi Henrici litteræ, Ulyssipone, uti apud Alvarum lib. 4, cap. 23, § 1 videre est, die XI *Novembris scriptæ, cum adhuc Montellæ ageret. Præmisit in Lusitaniam P. Petrum Paulum Ferrerium, et P. Ferdinandum Perez, qui Theologiam Eboræ annis multis magnaque cum laude tradiderunt. Hos Eboram ipse secutus est, comitibus Bustamantio, Saavedra, et F. Marco laico ; lecticam ei miserat regina, sed ea uti noluit : Eboram ubi pervenit, ab Henrico, qui eo quoque Ulyssipone sese contulerat, amantissime exceptus est; cujus rogatu in cathedrali templo, PP. Dominicanis suo jure ultro cedentibus, jejunii verni Dominicis ad populum de pulpito dixit, etsi valetudine esset tam affecta, ut ad templum ire, nisi mulæ impositus; conscendere vero pulpitum nequiret, nisi duorum fratrum laicorum opera juvaretur.*

Eboram,

230 *Accidit aliquando, ut Henrico nuntiarit, non posse se præ tenuitate virium ad populum verba facere : non necesse est, respondit ille, ut verba ad populum faciat : satis fuerit, si vel in pulpito viderint, qui propter Christi amorem deseruit omnia. Per id tempus insigni pompa Henricus lustrare academiam voluit, convocatis in palatium omni juventute, nobilitatis flore, capitulo, et P. Leone Enriquezio, collegii et universatis rectore : hoc comitatu ubi ad collegii ædes venit, obvium habuit* Franciscum *, duobus tantum laicis, janitore et coquo (PP. Ministrum et Procuratorem adfuisse pariter, ait Ribadineira) stipatum : gratiis, ob institutum ab eo collegium ac universitatem, principi actis adjecit, sibi æquum non fuisse visum ut tam docto cœtui sese immisceret : domi itaque mansisse cum laicis, ut qui laicus magnam ætatis partem fuisset : de cetero hunc quoque cœtum (se et coquum indicabat) ejus obsequio devotum, sciret; mirantibus, qui aderant, universis tantam in Viro tanto animi demissionem. Lustratis dein collegii et universitatis aulis, seorsim Henricus et* Borgia *de rebus ad Dei gloriam spectantibus egerunt, quo ex colloquio tantam animi voluptatem cepit Henricus, ut eam celare non posset.*

B

C

Conimbricam

231 *Non prius discessit Ebora, quam tum suis, tum exteris qua verbis, qua exemplis plurimum profuisset, carceri inclusis maxime, ægrisque in nosocomio decumbentibus, ad quorum levamen solatiumque non socii modo, sed ipsi etiam viri feminæque nobiles certatim concurrebant. Conimbricam deinde concessit, salutatis tamen prius Ulyssipone Catharina et Sebastiano nepote, Lusitaniæ regibus. Idem hic, qui Eboræ,* Borgiæ *zelus, eadem pietatis virtutumque exempla : affabilis etiam minimis; totus in dandis vitæ spiritualis præceptis, salutaribusque consiliis viris seu nobilibus, seu ecclesiasticis, suique contemtor perpetuus. Si quando negotiorum multitudine præpeditus, domesticis functionibus haud tempestive interfuisset, castigari se, veluti delicti cujusdam reum voluit : veste utebatur, quæ indecenti propior, quam pauperi videretur : neque impetrari abs illo potuit, ut decentiorem indueret. Captus interim solitudinis desiderio, in villam Conimbricensis collegii in Lusitaniæ Gallæciæque confiniis sitam,* Sansfins *seu* S. Felicis *nomine, secedere statuit, ut fessum laboribus corpus animumque aliquantulum recrearet.*

civitatem Portuensem.

232 *Octiduo itaque Conimbricæ transacto, ad eam, quam dixi, villam cum Bustamantio Saavedraque properavit : ubi vero in urbem Portuensem venit, mox ad S. Rochi Amatoris xenodochium cum sociis sese recepit : adfuit illico Rodericus Pinerius episcopus, nobilitas, civiumque multitudo, fama maxime sanctitatis ejus excita. Ubi venientem episcopum vidit, humi prostratus, manumque præsulis exosculatus, supplex petiit, ut bene sibi precari vellet ; cujus jussu postridie ad populum dixit, secundissimo auditorum studio; quibus effectum est, ut, quod antea concionibus Franciscus Strada excitaverat,* Franciscus *Portuensibus condendi Societati sua in urbe domicilii desiderium innovarit.* Ille secundum concionem, *inquit Sacchinus part. 2, lib. 4, num.* 156, eodem die discessit, ad S. Felicis properans, quamprimum optata solitudine, sanctoque otio fruiturus, *quo, ut idem addit, decimo octavo Kalendas Junii pervenit : non ita tamen illic otio, seu potius rerum cœlestium meditationi se dedit, quin una cum sociis rudes vicinorum Gallæcorum animos doctrinæ Christianæ præceptis summo exco-* E *leret labore, quem ille pro quiete habebat, quod aulicis negotiis turbisque abesset.*

et Bracharam

233 *Portum rediit mense Augusto, accitisque eo sociis, partem ædium, quam illi cesserat Hieronymus de Govea, singularis plane virtutis vir, in collegium converlit, exstructoque in ea ædium parte sacello, illic primum ad aras fecit, ac sacratissimam Eucharistiam collocavit festa S. Laurentii luce. Contigit in ea urbe versanti, ut parum abfuerit, quin lapsus in ejus verticem vectis lucem illi ademerit, et prope miraculo servatus fuerit ; cui nempe major adhuc laborum pro Dei gloria subeundorum moles imminebat. Non diu latuit reginam Catharinam* Borgiæ *in civitate Portuensi cœptum, quod tantum piissimæ principi gaudium attulit, ut, datis die* XXVI *mensis Augusti anni* 1560 *ad illum litteris (videsis Alvarum lib. 4, cap. 23, § 2) testata sit, magno eam rem sibi, quod jam pridem, ut in ea civitate sedem Societas figeret, habuisset in votis, fuisse solatio; iisdemque* Borgiam *rogarit, ut collegii perpetuitati consu-* F *leret, unde ingens fructus speraretur : sese eadem de re ad episcopum ac magistratum scribere, nec dubitare, quin illi essent, quoad opus esset, præsto futuri. Qualem vero se in Portuensi civitate præstiterit* Borgia, *e Sacchino lib. 4, num.* 161 *intellige.* Hic vero, *inquit,* Borgia, velut in ætatem ac valetudinem integram revolutus, adoritur fractas vires per omnia fere vegeti robustique operarii versare munera. Concionabatur frequentissime : gaudebat ad cælestem accedentibus mensam divinum Panem impertiri : ubi consueverat sanctissimum Domini Corpus manu sustinens aliquid interfari apposite ad permovendum. Invisebat et solabatur ægrotos : paces componebat : circuibat cum ære tinnulo ea dignitate ac ætate Vir vias urbis : rudesque ac pueros *(ad bina millia eoque amplius)* ad Christianam institutionem congregabat in aream ecclesiæ principis; *quod hæc illorum, ceteræque promiscuæ multitudinis non caperet numerum. Eodem tempore, quo hæc in civitate Portuensi agebantur, Societati collegium Bracharæ meditabatur ejus civitatis archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus, e S. Dominici absolutissimus*

A *tissimus præsul : sed huic rei mora injecta est, quod quædam pius antistes exigeret, quæ Societatis instituto haud satis essent accommodata : Bracharam* Borgia *venit, moram sustulit, plurimosque, habitis in cathedrali templo concionibus, ut ex P. Tellez aliisque Alvarus supra laudatus ait, reduxit ad frugem.*

zelo suo ac virtutibus illustrat.

234 *Porluensis vero civitas usque adeo arrisit* Borgiæ, *ut, datis ad Lainium Præpositum Generalem litteris, significarit, illic, quod vitæ spatium sibi reliquum esset, se velle, transigere : quibus vero de causis id expetierit, ex Sacchino lib.* 4, *num.* 160 *accipe.* Sed Borgia, *inquit ille,* sanctæ paupertatis mirus amator, cum multis modis eam urbem diligeret, ac peridoneam ad ferendos divinæ gloriæ fructus uberrimos judicaret ; hoc postulata civium audiebat licentius, quod pauperem postulabant domum. Quare cum fecisset ei potestatem Præpositus Generalis, ut sedem sibi, ubi arrideret, ad suum sensum deligeret, ita ad eum scribit : summam votorum jam diu esse, cum Euange-

B lica paupertate arctissime copulari ; neque in collegiis, sed in paupere domo vitam absolvere. Romæ atque Olyssipone esse quidem pauperes domos, sed pariter curias esse : prope quas si degat, humanorum turba strepituque negotiorum carere non queat. Igitur sineret in urbe Portus sancta dotatam paupertate domunculam poni, quam suarum curarum requiem, quam ætatis solatium haberet : cujus in gremio supremum spiritum exhalaret.

§ XVIII. Romam evocatus Vicarii munere bis fungitur : mortuo Lainio, eligitur in Præpositum Generalem Societatis, cujus mox bono præclare consulit.

C

Romam a Pio IV accitus,

Hæc *quidem erant* Borgiæ *vota : at Toletani patres* Borgiam *hortabantur, ut in Castellam rediret ad curiam, ut sinistris occurreret rumoribus, quos ejus inde absentia, seu, ut interpretabantur æmuli, fuga pepererat : sed nimium aulæ strepitum oderat* Borgia, *quam ut eo reverti vellet. Lainius utilem ejus operam Romæ fore putabat, eoque ut accederet, Cardinalis Estensis, ejusdem consanguineus, vehementer expetebat : idem quoque habebat in votis summus Pontifex Pius IV. Evocatum ergo ad se Lainium percunctatus est, num ea valetudine esset* Borgia, *ut pares Romano itineri vires haberet ; respondit ille, infirma quidem* Borgiam *valetudine esse, sed quæ non impediret, quo minus continuas ac difficiles huc illuc, ita exigente Dei gloria, excursiones faceret : Romam procul dubio venturum, si id e voluntate Pontificis esse intelligeret. Scripsit itaque ad eum Pontifex conceptas sequentibus verbis litteras :* Dilecte Fili, salutem et benedictionem Apostolicam. Pastoralis officii solicitudo, quam, sicut Domino placuit, nostris meritis et viribus imparem sustinemus. facit, ut ad tuendam tam necessario tempore gregi Dominico salutem, bonorum atque fidelium Christi copiam præsto nobis esse quam maximam in hac alma Urbe cupiamus. Cum itaque inter cæteros Ordines eorum, qui se cultui divino dicarunt, Societatem istam ipso, ex quo nomen sumpsit, auctore Jesu Domino nostro excitatam fuisse declarent magni et uberes fructus, quos Ecclesiæ attulit et quotidie affert, te, de cujus fideli ac strenuo ministerio, ipso vitæ ac bonorum operum tuorum odore late fragrante cognovimus, huc duximus evocandum. Proinde devotionem tuam, quam acriora mandata nostra non expectaturam esse confidimus, hortamur in Domino, ut ad Apostolica limina, si modo adversa valetudine non impediris, primo quoque tempore venias : ita tamen iter te facere volumus, ut rationem habeas valetudinis. Gratus erit nobis adventus tuus, idemque fratribus tuis cunctis, qui hac in Urbe resident, eumque avide expectant, opportunus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die x Octobris MDLX. Pontificatus nostri I.

AUCTORE J. B.

E

Antonius Floribellus episcopus Abellinus. *e Lusitania per Hispaniam*

236 *Acceptis Pontificis litteris* Borgia *non prius loco se movit, quam per Cardinalem Estensem certior Pontifex factus esset eorum omnium, quæ libellorum suo nomine editorum ac a fidei quæsitoribus damnatorum occasione gesta fuerant, ac alteras a Pontifice litteras, quibus denuo Romam evocabatur, accepisset. Discessurum in villa S. Felicis Tudensis episcopus convenit, adeoque* Borgiæ *virtute captus fuit, ut factus dein Legionensis episcopus Societati Legione collegium struxerit :* Borgia *vero, præmonito de discessu suo, Pontificisque mandato Philippo II, ex prædicta villa, comitibus Petro Saavedra, et Gaspare Hernandez sacerdotibus et F. Marco, terrestri itinere Romam contendit. Vix Gallæciæ fines attigerat, quin binos equites, eosque larvatos vestigia sua, quocumque iret, insequentes conspicatus fuerit : haud tutum his comitibus iter credidit, et ut iis se expediret, in pago vicino, dum illi transiissent, substitit, ac ad S. Felicis villam remeavit. Dierum aliquot interjecto spatio, navim conscendit, Bajonam, Vasconiæ portum, petiturus ; sed suborta interim maris tempestate, unde venerat, redire coactus est ad S. Felicis :* Inde Natali significat, *inquit Sacchinus lib.* 4, *num.* 22, quando navigatio non successit, iturum se per Castellam. Enimvero cunctos patres commovit hic nuncius. Existimabatur in exitium ruere, et quamquam bonitate causæ et conscientia confidebant, tamen vitandam occasionem ducebant, ne quid secus eveniret, atque talis Viri fama ac sanctitas mereretur.

F

237 *Missæ sunt statim ad eum litteræ, quibus id iter dissuadebatur, sed seræ nimis ; quippe in viam jam se dederat* Borgia, *sacros S. Jacobi cineres Compostellæ veneraturus. Inde sui securus, ac conscientiæ puritate fretus Toletum venit, ubi tum versabatur curia, in qua, teste Alvaro lib.* 4, *cap.* 23, § 4, *transactis diebus aliquot, suum in Gallias iter est prosecutus. Inde periculoso admodum ob tumultuantes illic a tempestate hæreticos itinere in Italiam perrexit ; facere vero non potuit, quin, dum Romam properaret. Lauretanam domum,* *tendit, ubi,*

AUCTORE J. B.

domum, in qua Dei Filius humanam induisse carnem creditur, inviseret, perque dies aliquot veneraretur. Romam ingressus est die mensis Septembris septimo anni 1561, *ut Ribadineira et Alvarus tradunt, vel ejusdem anni et mensis die quarto, ut scribit Sacchinus lib.* 5, *num.* 154, *incredibili sociorum gaudio. Qui vero Romæ exceptus fuerit, ita idem Sacchinus exponit :* Eodem die *(post adventum quarto)* vulgato jam per urbem adventu Borgiæ, ad eum nondum e collegio digressum multi nobilium advenere. In his Lusitani regis orator, et unus e pontificii cubiculi interioribus præfectis, qui Pontificis nomine rogavit, ut apud eum in Vaticano diversari vellet, aut, si id mallet, Pontificem ejus persona dignas alibi iustructurum ædes ; adjiciens gratum illi fore Francisci conspectum. Quod ad ædes pertineret, gratiis actis remisit Borgia. Sed quoniam bis accersitus antea usque ab Lusitania tam benigne et modo tam liberaliter invitatus fuerat, adjecit se primo quoque tempore ad osculanda beatissimi Patris vestigia ausurum accedere. Decimo
B quinto Kalendas Octobris accessit. Nec minorem Christi Vicarius præsenti honorem ac benignitatem habuit, quam absenti tribuerat. Quamquam fuit cum sancta Francisci humilitate certandum. Surgere enim jussus non ante potuit de genibus demoveri, quam Pontifex id serio et ex obedientia imperavit. Cum aliquamdiu collocuti essent, subjecit Pontifex, curæ sibi ipsum Franciscum ejusque res fore, uti deberet propter singulare exemplum, quod is suis temporibus mortalibus præbuisset. *Eadem fere tradunt Ribadineira et Cienfuegos, quamquam tertio ab adventu die* Borgiæ *ad Pium IV accessum collocent, quod verisimilius mihi apparet, quam quod Sacchinus ait, accessisse nimirum* Borgiam *ad Pontificem decima septima Septembris, maxime si id sese facturum* Borgia primo quoque tempore *spoponderat. Schottus autem num.* 124, *postridie adventus, cum adhuc de via fessus esset* Borgia, *id contigisse affirmat, Ribadineiram, quem interpretatur, nescio qua de causa, deserens.*

C *absente primum Lainio,*

238 *Aberat tum Roma Lainius, una cum Cardinali Hyppolito Estensi ad Carolum IX ejusque matrem Catharinam de Medicis in Gallias missus, ut gliscenti illic hæresi obviam iret, relicto Romæ P. Salmerone, Societatis Neapolitanæ præfecto, qui vices suas obiret : hoc quoque, uti et Lainio ad consilium Tridentinum jussu Pii IV paulo post profecto,* Borgiæ *humeris vicariatus onus incubuit, licet inviti, quippe qui Laureti apud ædem sacram privatus degere maluisset : cœpit illico, quas Romæ Societas habebat, ædes lustrare, ac singulos ad religiosæ vitæ perfectionem laboresque professioni suæ congruos qua verbis, qua exemplis animare. Bis per septimanam jejunii verni tempore in S. Jacobi ad Hispanos idiomate patrio e suggestu dixit, concurrentibus ad eum audiendum non Hispanis modo, sed etiam Italis. Consiliis ejus et amicitia e purpuratorum patrum numero non pauci sunt usi : in his Alvarus Cienfuegos lib.* 4, *cap.* 24, § 1 *recenset Othonem Truchsesium, Dilingani collegii conditorem, Joannem Aldobrandinum, Stanislaum Hosium, Alexandrum Cribellium, Guilielmum Sirletum, Gabriëlem Palæottum, Antonium Caraffam, Cervantes de Tarracona, Bartholomæum de la Cueva, cui supremo morbo laboranti, morientique non modo fideliter adstitit anno* 1562, *sed auctor etiam fuit, ut* D *magnam pecuniæ summam S. Jacobi xenedochio, quod incurabilium vocant, testamento legarit ; Michaëlem Ghisilerium, qui postea in summum Pontificem electus* Pii V *nomen assumpsit ; Alexandrum Farnesium, insignem Societatis protectorem ; denique S. Carolum Borromæum, qui anno* 1563 *sacerdotio recens initiatus, alterum Scarum facere voluit in eodem domus professæ Romanæ sacello et altari, in quo SS. Ignatius et* Borgia *Sacris fuerant operati.* Borgia *item duce S. Ignatii exercitiis postmodum excoluit animum, jam tum ad sublimen illum sanctitatis apicem enitens, quo illum pervenisse postmodum vidit stupuitque Ecclesia. Per id etiam tempus viam modumque cœpit inquirere, quo captivorum apud Turcas libertati, Græcorumque saluti consuleret, ab Alvaro de Jande, qui biennium captivus Constantinopoli fuerat, miseram utrorumque sortem edoctus.*

ac deinde mortuo, vicarium Societatis agit,

239 *Romam Tridento rediit Lainius Præpositus Generalis duodecima Februarii anni* 1564, *a quo* Borgia *Hispaniæ et Lusitaniæ, ad quod munus pridem designatus fuerat, assistens fuit declaratus, ac Amerino præterea, Tiburtino ac Tusculano collegiis Superintendentis nomine præpositus. Lainius vero die decima nona Januarii proxime sequentis diem suum obiit, de cujus piissimo obitu ita ad Salmeronem* Borgia *scripsit :* Noster optimus pater ab miseranda hac vita ad æternam migravit, toleratarum hic ærumnarum mercedem acceptu- rus. Haud dubium, quin damnum faciamus magnum in eo : sed et lucrum speramus magnum cum eo : quod quanto ei melius fuerit, tanto opitulari nobis poterit magis. Inter alia affirmare id queo, haud nos credidisse brevem adeo ejus abitionem futuram : et quidam medicorum perbene sperare jubebant : sed ille, ut qui certiores habebat nuncios, præstantioresque auctores, cum die sacro Epiphanorium vellent ei medicatam potionem dare, distulit in diem posterum, dixitque mihi : Ego hodie volo Sacrum facere, quod pro Viatico erit ; ideo differenda est potio. Ita evenit. Ultimum illud sacrificavit, F quamvis eo tempore haud dum decumberet ; et, quantum opinor, etiam prodiret domo. Deinde morbo ingravescente, cum ego Sacra, quæ pro ipso fiebant, referrem, quasi quam ægre ferentis specie dixit : Nollem ita pro me fierent Sacra. Retinent enim me ac morantur, ut item istorum benedictorum fratrum preces. Præterea cum sacræ ejus unctioni interessem, commeatum a me petiit eo modo, ut videar mihi quamdiu vivam, recordaturus. Nam ubi finita est sacra inunctio, respexit me, ac statim tollens in cælum oculos invitabat, ut iremus ; se enim jam iter ingredi : quod sæpius fecit, subinde oculos ad me vertens atque attollens in cælum blandissimo et placidissimo vultu. *Noluit Lainius, ut addit Alvarus lib.* 4, *cap.* 24, § 3, *sibi vicarium substituere ; sed PP. professis Romanis, quem vellent, eligendi facultatem reliquit, modo electorum cœtui* Borgia *præsideret : cui die postero regendæ universæ Societatis munus, dum novus in comitiis generalibus eligeretur Præpositus, deferendum censuere : quod jugum ut quantocius excuteret* Borgia, *comitia generalia per provincias indixit in diem secundum Julii ejusdem anni* 1565 ; *quo item tempore aliud ipsi onus immitissimus*

A *imminebat a Pontifice Pio IV, qui eum Cardinalium cœtui meditabatur adjungere ; sed quod sanctitatis suæ pedibus affusus a cervice sua feliciter depulit. Ita idem Alvarus loco citato.*

habitisque comitiis, in ejusdem Præpositum Generalem

240 *Quo propius aberat Generalem Præpositum eligendi tempus, eo majore erat in metu* Borgia, *ne id onus in humeros suos electores conjicerent. Cum romam pervenissent, quibus suffragii jus erat, vehementi eos oratione hortatus est die* XXVIII *Junii, ut, seposito in re momenti gravissimi omni humano privatoque affectu, unam Dei gloriam præ oculis haberent, eumque Societati præficerent, quem præ ceteris maxime idoneum dignumque censerent. Biduo post, eodem metu actus, deliberare apud animum cœpit, qui id onus excutere posset, animusque illi erat, obtestari patres, ut quemvis alium, quam se tanto munere indignum eligerent : prius tamen Salmeronem et Ribadineiram ea de re consultos voluit. His plures consuluisse* Borgiam, *Schottus scribit ; sed Ribadineiræ, qui* Salmeronem et item alium *(seipsum tacite inuens) abs* Borgia *consultos scribit, adversatur. Suaserunt porro, ut ne id faceret : si enim faceret, fore aiebant, ut dignitatem non tam fugisse, quam ambivisse videretur ; futurum fortassis neminem, qui ipsum electurus esset ; sin autem secus fieret, deprecationi locum fore ; denique negotium id Dei arbitrio omnino relinquendum. Cessit utriusque consilio* Borgia : *illuxerat dies secunda Julii, Visitatæ Virgini sacra, et electioni præstituta, ad aras* Borgia *fecit, et sacrosanctum Domini Corpus electoribus distribuit ; habita dein a P. Palmio oratione Latina, dictoque Hymno* Veni Creator Spiritus, *itum est ad suffragia, quibus collectis et omni suffragiorum numero (erant universim* 39*) septem tantum (præter ipsius* Borgiæ *suffragium) exceptis, cetera omnia* Borgiam, *ut Alvarus scribit lib.* 5, *cap* 1, § 3. P. Franciscum Borgiam *Societatis Præpositum Generalem declararunt. Indicata cœlitus futura* Francisci *in Generalem electio, si recte scribit Alvarus, S. Ignatio, Lainio, et Joanni*

C *Texedæ, Petro Saavedra, atque ipsimet etiam* Borgiæ. *Quod ad hunc spectat, ita de eo scribit ex Ribadineira Schottus infra num.* 49 : Hæc dum agitat *(decreverat Societatem ingredi, anno nimirum* 1546*)* oratione intentus, septem continuo diebus tiaram capiti imminentem clare vidit. Ecclesiasticam dignitatem designari putans, obestari Deum, ac deprecari, ne, quos fugeret honores, quæsiisse alibi videretur. Cum post Societatis Præpositus renuntiatus esset, a Gaspare Fernandez interrogatus, illane tiara esset, jucunde respondit, eamdem videri. *Orationi similiter, teste Alvaro, vacabat in Hispania Petrus Saavedra, homo vitæ integerrimæ, Deumque precabatur, ut dignum orbæ adhuc dum Societati Præpositum daret ; cum subito oculis ejus* Francisci Borgiæ *species est objecta. Nihil ille hæsitans, quin in Præpositum eligendus esset, continuo ad eum litteras Romam dedit, quas* Borgia, *ut aiebat, nisi in Præpositum Generalem electus, accepturus*

summa Romanorum, *haud esset.*

241 *Summo gaudio socios omnes novi Præpositi Generalis affecit electio : frustra* Franciscus *tergiversatus fuisset ; tantumque abfuit, ut onus deprecatus fuerit, ut præ stupore animique confusione, quod mutatus oris color abunde indicabat, ne verba quidem facere potuerit : tantisper vero sibi redditus, rogavi quidem, inquiebat, Deum jam pridem, ut aliquam humeris crucem imponeret : at tantam abs illo et Societate impositum iri, numquam mihi persuasum habui. Actis dein Deo de more gratiis, ad conventum Aræ-Cœli, ubi Pontifex Pius tum erat, ab omni electorum collegio deductus est, qui* Francisci *electionem edoctus, nihil ad Dei et Ecclesiæ obsequium utilius, nihil sibi gratius ab electoribus fieri potuisse, edixit ; se vero, quod diceret, factis, ubi res et occasio ferret, comprobaturum. Ita Pontificis responsum Ribandineira refert ; paulo autem aliter ejus interpres Schottus num* 128. *Aliquanto plura Alvarus memorat a Pontifice in laudem Societatis coram legato Lusitaniæ, qui aderat, dicta : quo idem teste, Pius IV, cum non raro adiret Pontificias ædes, soluit dicere, quam aptum tali corpori caput præest !*

AUCTORE J. B.

aliorumque populorum plausu eligitur :

242 *Summo ubique plausu ejus electio excepta est : Romæ purpurati patres, legati, proceresque Romani catervatim accurrere, adeptam ei dignitatem gratulaturi ac omnia fausta precaturi. Ubi ad ceteras regiones ejus rei nuntius venit, non minorem multis in locis lætitiam attulit. Frequentes advenere gratulatoriæ, ut ex Dionysio Vaquez lib.* 4, *cap.* 1, § 4 *Alvarus refert, regum principumque litteræ.* Dux Methymnæ-Cæli, *inquit Sacchinus Hist. Societatis part.* 3, *lib.* 1, *num.* 32, Joannes Zerda, qui ab Siciliæ procuratione in Hispaniam remearat, Madriti re cognita, illico ad collegium cursu tetendit, litterasque ejus rei nuntias habens in manibus, nihil nisi gratulabundus iterabat, Franciscus dux sanctus, Generalis : *in Germania* ad eumdem nuntium *(verba Sacchini iterum sunt)* Cardinalis Augustanus *(Otho Truchsesius)* Dilingæ in templo solemni ritu musicoque concentu Deo grates egit. *His proxime Sacchinus subdit perhonorificas Hosii Cardinalis Varmiensis e Polonia litteras, quibus Deo gratias agit, cujus beneficio factum esset, ut non Societati modo, sed universæ etiam Ecclesiæ de Viro tam gravi, integro ac prudenti prospectum esset. His denique non omnino absimiles Joannis Tapiæ*

F *litteras recitat, Valentia ad* Borgiam *missas.*

solutis vero comitiis,

243 *Protracta congregatio fuit usque diem Septembris tertium, seduloque a patribus in commune consultum. Renuntiatum interim fuit, Melitam insulam a Solimanno Turcarum imperatore numeroso exercitu terra marique obsessam ; quod ingentem Pio IV animi sollicitudinem attulit : cum vero Philippo II regi Catholico decretum esset, navalem exercitum eo trajicere, qui obsessis succurreret, muneris sui congregati patres operam qualemcumque in commune bonum conferre, sunt arbitrati. Itaque Pontifici patres aliquot, quorum aliqui e congregatis erant, obtulerunt, qui divinis mysteriis armarent milites, ægrorumque ministerio se devoverent, quod illi gratissimum contigit. Missi eo sunt, amplis facultatibus instructi, ut Sacchinus scribit, sacerdotes sex ; nimirum Hieronymus Domeneccus, qui sociis Siculis præerat, Bartholomæus Fernandius, Joannes Gurrea, Jacobus Suarius, Joannes Baptista Vitalis, Angelus Hyparchus, et laici duo. Quo die soluta congregatio est, habita*

AUCTORE J. B.

oratione, patres denique rogatos voluit, ut se veluti jumentum clitellarium haberent, si claudicaret; precibus suis sublevarent; si lentius incederet, monitis et exemplis exstimularent, ac fatigatum exonerarent. Tum vero prolapsus in genua singulorum pedes humi repens exosculatus est, omnesque dein magna caritate amplexus sancto delibutos gaudio alacresque dimisit. Non diu post Romæ ob liberatam obsidione Melitam solennes divino Numini actæ sunt grates : gratulationi publicæ accessit Borgiæ *vox :* Nam, *inquit Sacchinus ad annum* 1565, *num.* 64, in S. Jacobi Hispanorum *(uti multi patrum, conventus generalis tempore, auditi cupide erant)* cum grates Deo magna ceremonia agerentur; ipse delectus orator, præter ingentem nobilitatem, magno Cardinalium audiente numero, piam admodum et efficacis exempli concionem habuit.

impositi sibi muneris

244 *Inde porro* Borgia, *ut omnes impositi sibi muneris partes impleret, omni nisu studioque contendit. Certior inprimis fieri minutatim voluit, quæ cujuslibet sive provinciæ,* B *sive collegii conditio esset : qua quidem re id consecutus est, ut accuratam universæ Societatis delineatam animo haberet imaginem, quam attenta mente perlustrans summo mane indies Deo supplicabat, ut disperso huic per Ecclesiam gregi invigilaret ; sibi vero nihil eorum, quæ boni pastoris essent, deesse vellet. Tum vero semetipsum respiciens non poterat divinam Providentiam non admirari, quæ ovem lupo, ut præ contemptu sui aiebat, commisisset. Ter quotidie Deum orabat, ut Societatem conservaret firmaretque ; quater vero et vigesies, ne quem ex commissis sollicitudini suæ filiis perderet. Quolibet item mane commendabat domum professorum Romanam Deo patri ; collegium Filio, Patris Sapientiæ ; domum vero tirocinii, quæ ejus curis erecta est postmodum, Spiritui Sancto, Amori æterno. Certos præterea in orbem dies sibi præfixerat, quibus pro provinciis ceteris, earumque præfectis preces ad Deum ac tutelares earum angelos funderet. Quotidianis quoque precibus lacrymisque perennibus efflagitabat sibi Ignatii quidem sanctimoniam ac prudentiam, Lainii vero sapientiam et lenitatem :* C *noctu autem severam a se rationem exigebat, num, quidquid in administranda Societate eo die gessisset, ad relictam ab Ignatio normam esset exactum ; cujus regulas constitutionesque ita sancte habebat, ut ne transversum quidem ab iis unguem discederet. Regulas in communes particularesque digessit anno* 1507, *et ad earum custodiam socios vehementer est adhortatus : Constitutiones* ut confirmaret, et commendaret impensius, lucubrationem inchoaverat, per quam testimonia ex Euangelio earum singulis convenientia colligebat. Dignum Prælati vigiliis opus, ut gratum futurum posteris, nisi peregrinatio Hispanica interrupisset, *inquit Sacchinus ad annum* 1572, *num.* 172.

partes omnes

245 *Propensiore quidem erat in solitudinem, sacrumque otium animo, uniceque orationi et contemplationi vacare maluisset ; sed cum hoc vetaret ejus oficii ratio, cessit solitudinis et orationis amor utilitatis publicæ studio ; impetravitque a se ipso, ut tantum temporis orationi subtraheret, quantum expediendis negotiis, et tum suorum, tum exterorum, quorum magnus erat numerus, utilitati sufficeret. Non modo facilis erat ad illum accessus, sed etiam suæ quasi dignitatis* D *immemor suorum colloquium ac familiaritatem ultro ambiebat. Visitatores in Germaniam, Galliam, Sardiniam, Hispaniam, Lusitaniam et Brasiliam misit, qui, inspectis provinciis, earum incolumitati bonoque consulerent : in Italiam vero vigiles ipse oculos intendit. Quod autem a re Societatis maxime futurum arbitrabatur, ut singulæ provinciæ separatam a reliquis haberent tirocinii domum, id ipse Romæ, ut ceteris exemplo esset, est exsecutus. Cum adhuc vicarius esset, S. Andreæ sacellum in monte Quirinali cum adjectis ædibus a Joanne Andrea Crucio episcopo Tyburtino obtinuerat, quas anno* 1566 *probationis domui dedicavit, adjutus ea in re maxime Joannæ Aragoniæ, Ascanii Columnæ olim uxoris, ac singulis octiduis confiteri illi de peccatis solitæ, pia admodum liberalitate ac munificentia, quæ non modo necessariam ad fabricam suppeditavit pecuniæ summam, ædesque, quas propter sacellum illud habebat, cum parte hortorum adjecit, sed congruam etiam novæ domui dotem dixit. Hujusmodi domos maximi semper fecit ac in deliciis ha-* E *buit, nec ullum eis præfecit, qui non esset orationis studio, prudentia, probataque virtute conspicuus. Sententias varias e sacrarum litterarum fonte scite admodum, et ad quotidianas tironum actiones prorsus accomodate congessit, ut eas animo ferventiore obirent. Collegium Romanum, quod dux Gandiæ inchoarat, commissarius per Hispaniam foverat, Præpositus Generalis demum numeris suis absolutum reddidit. Collegium Germanicum Romæ et seminarium sanctissimis legibus munivit, academias institui in singulis provinciis curavit, in quibus juniores Societatis alumni quovis artium liberalium scientiarumque genere minore sumptu, quam si Romam aut in alias provincias transmigrandum foret, imbuerentur, regionum, in quibus habitabant, juventuti dein easdem tradituri.*

adimplere

246 *Parum abfuit, quin gravis in Societatem ab Hispania tempestas ingrueret, nisi* Borgia *prudenter occurrisset. Romam P. Antonium Araozium, qui multum in aula pollebat Hispanica, ad electionem Generalis evocarat, rursumque, cum a congregatis patribus* F *dictus fuerat assistens Hispaniæ. Quod unice in majus Societatis bonum factum fuerat, multo aliter in Hispania acceptum est.* Id Araozio muneris, *inquid Sacchinus part.* 3, *lib.* 2, *num.* 72, non ad honorem, sed ad pœnam impositum ; non ut Societatis curet commoda, sed ut regia ne curet : non ab recto consilio eam suffragationem, sed ex occæcato perturbatione animo, atque infectatione natam : ad ulscicendum dolorem, quod vir integer regno prospiciens, numquam censuerit pecuniam aut socios avehi ex Hispania oportere. Itaque homini optime de sua familia, de Ecclesia Dei, et regnis Hispaniæ merito, id unum fraudi esse, quod regia diplomata libere propugnarit, fideliterque observanda semper censuerit. *Ægre id etiam ferebat Philippus II. Scripsit itaque ad* Borgiam, *ut Araozium in Hispania permanere juberet : annuit postulatis regiis* Borgia, *ne irritatum regis animum magis commoveret ; scripsit tamen ad Rodericum Gomezium, cujus consilio rex* ad Borgiam *litteras dederat, purgandi sui et electorum causa :* Abigeret procul ab animo falsas illas suspiciones : neque, si quis obtruderet

A obtruderet, ad aures admitteret. Quod enim in Generali conventu tot talesque viri tanto consilio prudentiaque gessissent, male condemnari. Exploraret, cognosceretque Congregationis Acta : intellecturum se et ceteros patres ejusdem, atque Araozium, sententiæ esse : observanda diplomata regia, idque decreto sancitum, nedum fraudi ea res illi fuerit. In summo illum post Generalem locatum gradu : quodque maxime fiduciæ documentum sit, appositum ipsi Generali custodem. *Statutum in iisdem comitiis est, ut novitii tirocinii biennio non litteris, sed soli pietati studerent. Orationis, meditationisque tempori semihoram addidit : unum e suis, qui obtentam ante initam Societatem humaniorum litterarum cathedram, reditibus aliquot dotatam retinuerat, sic tamen, ut illi collegio Perusino applicarentur, renunciare cathedræ et reditibus jussit. Vetuit quoque, ne in templis arculæ ullæ recipiendis eleemosynis locarentur, teste Alvaro lib.* 5, *cap.* 2, § 3.

B 247 *Æquo in omnes erat amore, nec ullum particulari favore prosequebatur, ita tamen comis in omnes, ut singuli se illi acceptissimos intelligerent. Quos coram affari non poterat, frequentibus litteris conveniebat; quo vero divinæ gloriæ zelo, qua caritate et sollicitudine, qua salutarium monitorum ubertate eæ refertæ fuerint, colligi potest ex insigni illa Epistola pastorali, quam, Hispano idiomate scriptam, Sacchinus part.* 3, *lib.* 5, *num.* 5 *et seqq. Latine exhibet. Viros ætate doctrinaque maturos in Societatem adscisci optabat; quod ad obeunda citius nascentis adhuc Societatis ministeria aptiores instructioresque accederent. Lubens Assistentium sententias consiliaque audiebat, faciebatque permagni, etsi secus ipse sentiret. Auctis Provincialium Rectorumque facultatibus, Societatis gubernationem uti suaviorem, ita et expeditiorem reddidit. Singulorum dotes geniumque accurate edoceri cupiebat, ut quid singulis potissimum quadraret muneris, compertum haberet. Si quos majoris momenti laborisve functionibus admovebat, mŏnebat sedulo, ne præstitutum orationi tempus contraherent un-*

præclare incipit.

C *quam, quantacumque etiam negotiorum mole premerentur. Suos caute in aulis principum versari voluit. Rogaverat eum anno* 1570 *Henricus Cardinalis, post Lusitaniæ rex, is quem Eborense collegium condidisse, supra dictum est, ut Leo Henricius sibi a confessionibus esset, habitaretque in ædibus suis : concessit primum* Borgia, *sed renuit alterum; fieri id non posse dictitans absque pernicioso exemplo : principi vero Henricii operum, etsi in collegio cum ceteris degeret, non defuturam.*

AUCTORE J. B.

§ XIX. Suscepto Generalis Præpositi munere socios suaviter simul et fortiter moderatur : quantum illi socii Hispani Lusitanique debuerint.

Quamvis spectata satis jam pridem esset, multo tamen magis, ex quo universam moderari Societatem cœpit, prudentiæ ejus fama percrebuit. Tanti eam fecit Philippus II, ut anno 1559, *cum adhuc in Hispania degeret* Borgia, *ac sinistræ de ejus sanctitate famaque regi suspiciones injicerentur.* Borgiam *tamen in Hispaniam proxime venturus, ejusque regni administrationem exorsurus, consulere* E *voluerit, quæ quibus e præcipuis regni officiis sive politicis, sive ecclesiasticis tribuenda censeret; qua de re* Borgia *ad regem Commentarium scripsit, quem verbotenus lib.* 5, *cap.* 2, § 5 *Alvarus refert. Sic autem Philippo probatus fuit* Borgiæ *Commentarius, ut vix ullum in eo nominarit, quin insignem aliquam dignitatem sit consecutus. Posteaquam autem Societati præfuit, consiliis ejus certatim usi sunt Pius IV summus Pontifex, Cardinales, Prælati, Imperator, Reges Franciæ, Lusitaniæ et Hispaniæ.* Fas mihi dicere, *inquit P. Dionysius Vasquez,* Borgiæ *confessarius, apud Alvarum paulo ante citatum,* vidisse me plurimas primariorum orbis Christiani principum propria manu ad P. Franciscum scriptas litteras, quibus demisse vel ejus regna sua precibus commendabant, vel in negotiis consilia expetebant. *Hæc ex Alvaro citato, ex quo etiam lib.* 5, *cap.* 3 *sequentia delibo.*

Suscepto Generalis munere

249 *Suavitatem rigori præferebat Bernardi, Anselmi, et Lainii decessoris sui exemplo; eaque gubernandi ratione et modo ita sibi suorum obstrinxit animos, ut nihil tam arduum esset ac difficile, quod parati non essent, si modo id ipsi gratum intelligerent, aggredi. Hanc in congregationibus, quæ ipso Societa-* F *tem moderante sunt habitæ, superioribus inculcabat; qua de re exhortationem anno* 1568 *fecit ad provinciarum Præpositos ceterosque Societatis superiores; maxime vero ad Hispanos, apud quos rigorem nimium non minus virtuti, quam floribus fructibusque gelu nocere, inaudierat. Asper, si superiorum aliquis nimio rigore peccaret : expertus id fuit P. Dionysius Vasquez, collegii Romani rector, quem, licet sibi a confessionibus esset, ea de causa anno mox memorato munere suo exuit. Si quid præcipere suis vellet, oranti erat, quam imperanti similior. Si cui oneris quidpiam impositurus erat, rogabat hominem sedulo, ut suas ipsemet vires consuleret; si vero oneri pares esset censeret, id Deo, Societati ac sibi offerret sacrificium. Quo cujusque magis propenderet animus, examinabat; quod si dotes desiderato muneri pares erant, id ipsi committebat. Oblatum munus ejus, cui id offerebat, alias relinquebat arbitrio; unum tantum novisse se Dionysius Vasquez ait, cui, munus aliquod, licet honorificum, detrectanti,*

socios suaviter

AUCTORE J. B.

ctanti, ex imperio locutus sit. Si quis forte deliquerat, excusabat, cum poterat; cum non poterat, hominem esse, inquiebat. Vitam religiosam veluti crucem censebat, non exiguo tempore, sed a tirocinio ad tumulum usque ferendam; atque adeo illam plus æquo aggravari, nolebat.

simul

250 *Accidit, ut, cum Commissarii per Hispaniam munere fungeretur, Vallisoletano collegio rector præesset vir, ut multæ virtutis et auctoritatis, ita et multi rigoris : huic suberat frater laicus, ita in risum profusus, ut illum ne in loco quidem cohibere posset. Dure fratrem rector excepit, levi illum spiritu, patrumque Christi Domini memorem esse aiens, qui, dum in terris egit, plorarit quidem, riserit autem numquam. Rector ipse paulo post in idem vitium incidit, neque, quidquid contra obniteretur, vincere potuit. Medelæ causa* Borgiam *adiit, idque ab eo responsum retulit, peteret a fratre laico, quem severe nimis increpuerat, facti veniam; ita futurum, ut eo vitio immunis esset : quod cum ille fecisset,*

B *quod prædixerat* Borgia, *contigit. Honorem suorum famamque quam maxime cordi habuit, probe gnarus eos, qui sacris publicisque funguntur ministeriis, ut hæc cum fructu obeant, bona fama carere omnino non posse. Accusationibus non temere fidem habebat, neminemque delicti reum censebat, donec de facti veritate constaret. Si removere ab officio quempiam necesse erat, honestas, cur id fieret, causas prætendebat, ut salvus esset exauctorati honor. Delatas ad sese accusationes nemini prorsus retegebat, finitaque causa, vulcano tradebat. Delicti memoriam pœna inflicta abolebat. Defectuum leviorum, si in consuetudinem abirent, reos non per se ipse, sed per eorum intimos de sui emendatione admonebat, ne admonitionem ab se profectam persentiscerent. Superiores, ne eorum auctoritatem minueret, clam corripiebat, eorumque culpas, cum ita opus erat, dissimulabat. Verum non ita lenis ejus gubernatio erat, ut suorum fervorem relaxaret : sociare cum lenitate severitatem noverat, cum id rei gravitas exigebat.*

C *et fortiter regit*

251 *Malefactores igne ferroque, cum Catalauniæ prorex esset, persequentem vidimus supra § 5, num. 58 : in Societate plurimos loco movit, cum id illius bonum et necessitas postulabat. Commissarius Hispaniæ tres nobiles, qui alteram religionem deseruerant, consulto prius Ignatio, Societatis habitu donaverat : verum cum non satis ex illius instituto viverent, nec quidquam seu lenitate, seu severitate proficeret, continuo expulit; unde ex decreto Societatis ceterarum religionum transfugis ad eam aditus præclusus fuit. Cum Roma Matritum Generalis venit, inter ceteros salutatum cum venit P. Santanderus provincialis : is, cum nuper Complutensi collegio, dum alter ei rector designaretur, præfectus esset, miratus* Borgiam, *minutatim ex se quærere, qui res illic gererentur, quo singuli zelo sua obirent munia, quaque in studiis diligentia ac assiduitate versarentur; cum respondendo non esset, ea excusatione est usus, vix octiduum esse, ex quo ejus collegii curam gessisset : dein eam sibi spartam non perpetuam, sed ad tempus fuisse impositam : cui subirato vultu* Borgia : *Nescis igitur, tantumdem tibi curæ adhibendum, si per octiduum tantum illud moderari collegium debeas, quantum si perpetuo? Statuisne, curæ* D *magnitudinem a diuturnitate temporis, non ab officii gravitate pendere? Gregis Argum multa brevi pervidere necesse est. Tu sic habeto, multo severiorem supremo Judici rationem te redditurum. Num isthæc apud illum valitura sit excusatio, vide. In eos maxime præsides animadvertebat, qui sua somnolentia licentiæ frena laxarent : Væ illis, inquiebat, quia eadem opera, qua ceteris licentiæ, sibi æternæ infelicitatis januam laxant. Infirmorum neglectum vel minimum ferebat ægerrime. Aliena delicta interdum, quasi sua commissa essent incuria, ulturus, cubiculo sese una cum reo includebat; ubi, nudatis humeris, ante Crucifixi imaginem sanguineis in se flagris, reo inspectante, sæviebat, qui pœnæ modus his, qui deliquerant, non poterat non esse gravissimus.*

Quantum

252 *Moderante seu Hispaniæ provincias, seu Societatem universam ad eum, quem diximus, modum* Borgia, *ingens illi collegiorum incrementum accessit, propitio* Borgiæ *laboribus et sudoribus cœlo. Plurimum sane illi Gandiense, Cæsaraugustanum, Complutense, Barcinonense, Hispalense, Romanum, Valenti-* E *num aliaque collegia ante susceptum abs illo Societatis clavum debuere : præter hæc vero multo plura, per quæ varias sparsa provincias, curis ejus atque auctoritate vel excitata a fundamentis, vel ad meliora fuere provecta. Ac in Castella quidem Veteri Abulense, quod condi anno* 1553 *cœptum fuerat, reditibus auxit Ludovicus Medina, velut ejus pater ac conditor a* Borgia *agnitus; in quo institutæ litteræ humaniores fuere anno* 1567. *Segoviense anno* 1559 *impetratum a* Borgia *fuit : eo primum Christophorum Rodericium et Fernandum Solierum misit, auctoque sociorum numero, rectorem illi primum præfecit Ludovicum Santanderum, concionatorem in primis nobilem : ludum quoque litterarium ibidem instituit, tres in classes distributum. Multum id collegium debuit Francisco a S. Maria ex Ordine S. Hieronymi civitatis episcopo, Francisco Soliero archipresbytero, et Cartusiensibus monachis. Bellimarense prope Burgos situm condi cœptum est anno* 1560, *Benedicto Uguccione, Burgensi canonico, eo plurimum* F *conferente. Burgensi initium dedit annus* 1551; *quinquennio post institutum in eo fuit humanitatis gymnasium : at anno* 1568 *alias in ædes migratum, ut lites vitarentur. Palentinum Teresia Quingnonia, Montis-Acuti comes, Joannis Vegæ soror, ejusdemque Joannis liberi Suerus et Eleonora suis precibus impetrarunt anno* 1559 : *primus illi rector datus Petrus Saavedra. Vallisoletano initium dedere Fabri curæ, quo altiora Philosophiæ et Theologiæ studia invecta sunt anno* 1563. *Id anno* 1567 *in domum Professam,* Borgia *instante, mutatum est : pars sociorum in antiquis ædibus remansit; altera in novum collegium, S. Ambrosio sacrum, commigravit.*

Castellanam

253 *Lucroniense item excitatum fuit anno* 1559, *auctore Thoma de Janguez, e primaria illius civitatis nobilitate; hujus collegii incolæ decem anno* 1564 *in obsequio peste infectorum mortem gloriosam oppetierunt : bini reliqui vitam servarunt quidem, eadem tamen peste affla-ti fuerunt. Instauratum postliminio collegium fuit, ac schola Theologica anno* 1569 Borgiæ *jussu ornatum. Legionense collegium anno* 1572 *condidit, inque ejus templo, quod collapsum firmius*

A *firmius ornatiusque exstruxerat, sepeliri voluit Joannes S. Emiliani, laudatissimus ejusdem civitatis antistes. Montis-Regii, quod Gallæciæ in diœcesi Auriensi oppidum est, Alfonsi Fonsecæ et Azebedii, Montis-Regii comitis munificentia condi cœptum est anno* 1556, *collaborante comiti propense admodum Francisco Manricio a Lara, Auriensi præsule. Inchoatum anno* 1551 *a Roderico Duena, pio et opulento cive, Methymnæ-Campi collegium perfecit, reditibus, domo item ac templo auxit Petrus Quadratus, civis honestus copiosusque mercator, quod ita futurum, Antverpiæ ex S. Ignatio olim intellexerat. Exstruendo sociorum Septimancæ tirocinio ædes suas una cum hortis* Borgiæ *obtulit Joannes Moschera anno* 1554. *Tenuibus exordiis collegium Salmanticense cœptum fuit anno* 1548 *P. Michaëlis Turriani potissimum cura : sed dein, invectis eo Theologicis per* Borgiam *studiis, insigniter auctum. Villagarciense tirocinium et collegium Magdalena Ulloa, pari pietate et nobilitate matrona, Ludovici Quixadæ vidua, suis*

B *anno* 1572 *exstruxit impensis. Hanc terna Societati constituisse domicilia, scribit Alvarus; at alteri Magdalenæ, mox memoratæ cognomini, collegium Ovetense et Santanderense Historiæ Societatis part.* 3, *lib.* 8, *num.* 273 *Sacchinus adscribit.*

et Toletanam 254 *Toletum Societatem advocavit anno* 1558 *Bartholomæus Carranza Miranda, Toletanus ex Ordine S. Dominici archiepiscopus. Primi illuc missi sunt PP. Bustamantius, Domeneccus, Strada, aliique aliquot socii; qui collegium inchoarent, quod dein anno* 1566 *in domum Professam, primo Præposito Joanne Valderauano, conversum fuit. Matritense collegium ex domo non ampla, quam sociis Eleonora Mascarenia Lusitana dederat anno* 1560, *ad insignem evasit amplitudinem. Primus ei præfuit Odoardus Pereira Lusitanus, litteræque illic humaniores anno* 1572 *doceri cœptæ. Villa-Regii Toletanæ provinciæ tirocinium institutum fuit anno* 1567 *magno Villaregiensium pagorumque circumjectorum bono : tanto vero Joannis Pacieci, ejus domicilii parentis, gaudio, ut, scriptis ad* Borgiam *lit-*

C *teris, ingentes Deo grates egerit, cujus sibi munere angelos (ut aiebat) in terris videre concessum esset. Ita Sacchinus par.* 3, *lib.* 3, *num.* 190 : *Alvarus autem, quas dixi, litteras a Joanne Emmanuele Leonio, primo illius tirocinii magistro, ad* Borgiam *datas ait; verum, ut apparet, perperam. Originem suam Ocaniense collegium debuit Ludovico Calatajud, ejus oppidi civi ac protonotario Apostolico, a doctore Joanne Ramirio ad id fundandum impulso. Complutum eam rem acturus ad* Borgiam *se contulit, confecitque fundationis tabulas* XVI *Kalendas Novembris anni* 1558. *Societatis illic munera primi obierunt Jacobus Carillius aliique aliquot eo una cum illo missi; cœptis quidem tantisper absistere Joannis Silicæi, Toletani archiepiscopi, jussu coacti fuerunt : sed eo brevi post e vivis erepto, Ocaniam* XVIII *Kalendas Maii anni proxime sequentis redierunt. Theologorum placita illic sociis tradere cœperunt anno* 1567 *Josephus Acosta et Alfonsus Sandoualius.*

provincias 255 *Murciam patres anno* 1555 *evocavit Stephanus Almeida Lusitanus, Carthaginis-Novæ episcopus, qui* Borgiam *familiariter olim norat, multaque de Societatis laboribus secun-*

do rumore inaudierat. Primus collegii Murciensis rector fuit Joannes Baptista Barma : anno insequenti sociorum illic numerus ad duodenarium crevit, e quibus sacerdotes septem, laici quinque. Barmæ mortuo suffectus est Jacobus Miro, illuc a Borgia *e Lusitania missus; collegium vero e Toletana ad provinciam Castellanam secundum Almeidæ præsulis vota translatum. Belmontense anno* 1558 *natum est, quod Jacobus Lopius Paciecus, Villenæ marchio, primum expetiit; dein Joannes Lucas fovit; utroque vero defuncto, Pontia Leonia certis reditibus stabilivit. Placentini collegii originem supra sub* § XIV *principium explicatam habes : ornatum ludo litterario fuit anno* 1555, *novisque reditibus anno* 1557 *ab episcopo Carvajalio locupletatum. Petri Putei, canonici Conchensis, liberalitas Conchensi collegio jam inde ab anno* 1554 *initium dederat; reditus annuos, qui deerant, anno* 1561 *alterius item ejusdem ecclesiæ canonici, Petri Marquinæ, suppeditavit bene affectus in Societatem animus. Huetensis in eadem diœcesi collegii ea fuit origo : jam inde ab anno* 1551 E *patrum contubernium exoptarant quidem oppidani, sed voti compotes facti non fuerant hactenus : at anno* 1559 *Petrus Ortitius Huetensis, Compluti studiorum causa degens, Societati nomen dedit : frustra juvenem a proposito dimovere conatus Stephanus Ortitius, Petri patruus, sacerdos honoratus et locuples, iram adversus socios, ut qui sibi juvenem, in quo repositam spem posteritatis habebat, eripuissent, aluit aliquamdiu; qua paulatim defervescente, aliorumque sacerdotum accedente consilio, quas destinarat fratris filio opes condendo collegio insumere statuit. Eo itaque P. Joannes Ramirius una cum sociis aliquot missus est anno* 1563, *receptumque a* Borgia *collegium, explicatis paulatim rebus, biennio post.* *auxerit;*

256 *Navalcarnerense in archiepiscopatu Toletano collegium condidit doctor Baptista Madridius, collato eam in rem, ex Pii IV summi Pontificis indulto, pingui, quod illic habebat, sacerdotio; neque id satis illi fuit, nisi et semetipsum Societati traderet, in qua diem suum obiit anno* 1572. *Incoli collegium cœptum est anno* 1566. *Oropesanum, anno* 1570 F *conditum, Ferdinandi Alvari Toleti, ejusque fratris Francisci munus fuit. Segunti collegium Cardinalis Spinosa, ejus civitatis archiepiscopus, meditabatur, missusque eo fuerat anno* 1569 *Marcus Valdesius cum sociis quinque : verum collegii progressum Spinosæ mors, quæ anno* 1572 *accidit, intercepit; cumque non esset, qui abs illo cœpta promoveret, inde revocati sunt socii. Caravacam (Equitum S. Jacobi oppidum, figurata ab angelis cruce, cum primis nobile) magno Societatem studio ac labore invehere jam a septennio conatus fuerat Michael a Regno, ejus oppidi civis; quod anno demum* 1568 *impetravit. Huic collegio, quidquid sibi reliquum erat, testamento reliquit, adjecta etiam modestissima cautione, ut, si quis illi plura tribueret, is fundatoris titulo beneficiisque gauderet. Seguritanum collegium anno* 1569 *condidit Christophorus Rodericius de Moia (is, ut apparet, cujus lib.* 3, *cap.* 7 *Vitæ S. Teresiæ Ribera meminit) accedente filiarum ejus non consensu modo, sed etiam liberalitate, qua et ipsæ id collegium ex maternæ hereditatis parte dotatum voluerunt. Aptior*

AUCTORE J. B.

AUCTORE J. B.

ptior quidem videbatur tirocinio locus : collegium tamen illic excitari non abnuit Borgia, ut Christophori votis fieret satis.

quantum item illi

257 *Andalusiæ pariter provinciam seu Bæticam multis sibi nominibus obstrictam habuit. Cum serpere Hispali hæresis cœpisset, presbyteros eo aliquot misit anno* 1554, *qui hæreticorum progressus sisterent, eoque pacto collegii Hispalensis semina jecit. Magno illic fructu egerunt Joannes Suarius, Consalvus Consalvius, Baptista Sancius et Basilius Auila. Anno item* 1554 *Granatense sumpsit initium, adnitente potissimum Petro Guerrero civitatis archiepiscopo : traductum eo Corduba tirocinium fuit anno* 1556. *Accessit eidem provinciæ Gaditanum collegium anno* 1564, *eo evocatis pari ordinis ecclesiastici secularisque consensu sociis, quo ad eam diem religiosorum ordinum nulli patuerat aditus. Emporium illud celebre, in extremo Europæ ad Occidentem limite situm, e Societate primi excoluerunt Jacobus Lopius, Sanciusque Castillus. Inchoatum Cordubense collegium partim Joannis*
B *Cordubæ decani, partim civitatis munificentia fuerat : sed anno* 1564 *additum illi fuit magnificum templum, cujus primum lapidem ritu solemniore Christophorus de Roias et Sandoual, Cordubensis antistes posuit festa luce S. Catharinæ virginis martyris collegiique patronæ.*

Bætica,

258 *Triguerense ædificandum suscepit Franciscus Palma, Triguerensis civis et clericus ; foverunt Eleonora de Zunninga, ejusque filius Alfonsus Petrius Gusmanus, Methymnæ Sidoniæ dux : incoli cœptum fuit anno* 1563, *primo ejus rectore Joanne Rodericio. Montellanum Catharina Ferdinandia a Corduba, Plegi marchio, excitavit, reditibusque firmavit : missi illuc fuere anno* 1558 *sacerdotes sex, laici octo, Alfonso Lopio duce. Marcenense, a Maria Toletana, Catharinæ Fernandiæ filia, et Ludovico Pontio Leonio, Mariæ conjuge et duce Arcos, conditum, incoli cœptum fuit anno* 1567 *a sociis sacerdotibus quatuor, sacerdotii expertibus novem, quibus Gaspar Salazarius rector præerat. Sanlucariense, quod uxor ducis Methymnæ Sidoniæ impetrarat alueratque hactenus, ejusdem mor-*
C *te solutum est anno* 1556. *Viderat Elvira Avila, matrona nobilis, viro liberisque orba, quos fructus ac commoda ex sociorum laboribus Granata caperet, ac tantumdem Biatiæ, (hodie* Baeza) *patriæ suæ boni cupiens, condendo illic collegio hereditatem testamento legavit anno* 1569 : *accepit conditionem* Borgia, *molirique collegium jussit ; quod dein Didacus Carillus Carvajalius reditibus auxit. Malacitano initium dedit anno* 1572 *Francisci Blanci, Malacitani id temporis episcopi, propensus in Societatem animus, quem pluribus alias beneficiis, de quibus vide Schottum infra num.* 176, *testatum fecit.*

et Aragonica

259 *In provincia Aragoniæ, præter Gandiense collegium ejus ære, ut num.* 82 *dictum est, excitatum, Valentino non parum profuit : missi eo aliquot socii anno* 1544, *expetente maxime ea in civitate collegium Hieronymo Domenecco, canonico Valentino : triennio post, collato mille aureorum nummorum subsidio, ejus collegii egestatem si non sustulit, minuit equidem. Vexatum id ab academicis fuit ob institutas illic anno* 1570 *Theologicas scholas ; anno autem insequenti restituta pax est, quo ipsiusmet* Borgiæ *præsentis auctoritas momenti plurimum attulit. Addit Alvarus, domum illic Professorum constitutam : sed id post* Borgiæ *obitum contigit, Everardo Mercuriano Societatem moderante ; anno nimirum* 1579, *ut scribit Sacchinus part.* 4 *Hist. Societ. lib.* 7, *num.* 200, *et Escolanus Hist. Valentinæ lib.* 5, *cap.* 10. *Collegium S. Paulo, domus professa Spiritui Sancto sacrum fuit. Cæsaraugustanum ut conderetur, per litteras cum Ignatio egerat, cum dux Gandiæ erat : postquam inde anno* 1555 *excesserant socii, non diu post revocati, eodem,* Borgia *jubente, redierunt. Barcinonenses domicilium apud se Societati obtulerunt anno* 1540, *quo tempore* Borgia *Catalauniæ prorex præerat ; in quo disciplinæ Theologicæ ejus auctoritate sunt institutæ anno* 1569. D

in Sardiniam propagata,

260 *E Barcinonensi collegio, cum Hispaniæ Societatis commissarius esset* Borgia, *sociorum colonia missa fuit, quæ Balearicum seu Majoricense,* Montis-Sion *ab æde Deiparæ eidem addicta dictum, instituit anno* 1561 *rogatu potissimum Guilielmi Rocafolii, ejus in-* E *sulæ proregis : id civium benignitas aluit, donec reditibus aliquot anno* 1569 *fuit eorumdem collatione munitum. Sassaritanum in insula Sardinia suis absolutum numeris fuit anno* 1562 : *tres illic litterarum humaniorum classes, accitis ex Hispania, qui eas juventuti traderent, magistris, institutæ sunt. Non exiguum ex eo collegio fructum cito Sassaritani perceperunt : unde Calaritanos quoque condendi apud se collegii desiderium cepit, cujus compotes facti sunt anno* 1564. *Aditum vero in Sardiniam aperuerunt Societati, in eam adlecti Sardi duo, Petrus Spiga et Alexius Fontana, ille Calaritanus, hic vero Sassaritanus.*

et Lusitaniæ debuerint.

261 *Apud Lusitanos Portuense collegium a* Borgia *cœptum est anno* 1560 ; *uti et Brachanense a Petro de Martyribus ejusdem civitatis archiepiscopo : templo auctum anno* 1567. *Brigantinum anno* 1561 *Antonii Pinerii, Mirandensis episcopi, et Joannis, Brigantini ducis, rogatu inchoatum est, quod a* Borgia *Brigantini etiam cives legationibus publicis expetierant. Domum Professorum Ulyssiponensem, S. Rocho sacram, multum ejus auctoritate, et, qua valebat apud Lusitaniæ reges,* F *gratia fuisse provectam, jum dictum supra est num.* 143. *Eborensi vero collegio conditum anno* 1567 *templum, amici ejus, Henrici Cardinalis impensis, qui et Ulyssiponense S. Antonii collegium eodem anno reditibus auxit.*

A

§ XX. Societatis in aliis regionibus incrementa: Pii V in eam benevolentia: missiones aliquot a Borgia institutæ; iter ejus Lauretanum, et insignis, quam ipsi factam perhibent, de sociorum salute revelatio.

Societatis incrementa in insula Materiensi, in insulis Tertiis, Brasilia, Sicilia, Calabria;

Anno 1570 *in insulam Materiensem non sine ingenti incolarum gratulatione et plausu invecti sunt socii, duce P. Emmanuële de Sequeyra, primo ejus collegii rectore. Idem eodem anno in insulis Tertiis, seu Flandricis, P. Ludovicus Vasconcellus, instituto in portu Angrensi collegio, præstitit. In Brasilia anno* B 1567 *inchoatum fuit collegium Fluminis Januarii P. Ignatii Azevedii, pro fide postmodum necati, curis, Sebastiani vero regis Lusitani sumptibus. Apud Siculos anno* 1571 *Calataieronense collegium in Siciliæ umbilico constitutum est ex ærario publico, primo ejus rectore P. Josepho Fabricio. Rheginum quidem in Calabria collegium anno* 1564 *rogatu Perifani Ribera, Neapolitani proregis, et Gasparis de Fosso, archiepiscopi Rhegini, susceptum fuit, sed id anno* 1567 *ob administrationis opportunitatem a provincia Neapolitana ad Siculam translatum* Borgia *voluit. P. Joannem Mariam in Siciliam misit anno* 1567, *ut illic studia ordinaret, ac doctrinam Theologicam, ubi id maxime opportunum videretur, institueret, quam is anno insequenti Messanæ est auspicatus.*

in Germania et Moravia;

264 *Herbipoli in Franconia sedem suam fixerunt socii anno* 1567, *quo evocati fuerant a Friderico Wiespergio, ejus urbis episcopo, adornato jam annis aliquot ante ad eorum habitationem ex Pii IV Pontificis consensu deserto vacuoque virginum S. Agnetis monaste-* C *rio. Gliscenti apud suos hæresi obicem objecturus Fuldensis abbas ac princeps Balthassar a Dernbach Societati illic collegium dedit anno* 1571. *Spirense item collegium institutum fuit anno* 1567 *e Moguntino collegio deducta colonia, quæ tertio Kalendas Maias docendi labores exorsa est. In Germania Superiore Halense in comitatu Tyrolensi collegium sacrarum virginum Magdalenæ et Helenæ, cæsaris Ferdinandi filiarum, pietate fundatum est anno* 1569. *Olomuciense collegium apud Moravos anno* 1566 *fundavit Guilielmi Prisienovii ejusdem civitatis episcopi insigne studium, ne commissum sibi gregem inficeret hæresis. Brunæ quoque domum probationis* Borgia *excitari jussit, adlaborante eodem episcopo, ut scribit Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 4, § 3.

in variis Italiæ

265 *Taurinensis in provincia Mediolanensi collegii, anno* 1567 *cœpti, parens fuit Aleramus Becutius, gentis suæ ultimus. Primus illi rector datus Jacobus Acosta. Ingens quoque eidem provinciæ incrementum S. Caroli Borromæi pietas attulit. Is jam inde ab anno* 1567 *ad S. Fidelis sociorum collegium constituerat: sed in anno* 1572 *in Professorum domum cessit; collegio Braidam seu Breram, quæ Humiliatorum Mediolanensi in urbe monasterium fuerat, translato. Aronæ (quod gentis Borromææ oppidem est ad lacum Verbanum) tirocinii domum præterea excitavit. Collegium Montis-Regalis seu Mondeviense in Subalpinis admisit* Borgia, *teste Cienfuegos proxime citato* § 4, *anno nimirum* 1561, *cum Vicarii generalis munere fungeretur. Aucta præterea fuit Mediolanensis provincia anno* 1571 *domo probationis, quam Novellariæ haud procul Mutina Camillus Gonzaga oppidi illius comes condidit reditibusque ornavit; denique Brixiense collegium anno* 1567 *inchoatum fuit, receptis in Societatem Angelo Paradisio et triginta clericis ejusdem sociis, qui illic proximorum saluti ad Societatis normam incubuerant. Angelus tamen deinde e Societate dimitti petiit, obtinuitque a* Borgia.

AUCTORE J. B.

regionibus,

266 *Anno* 1567 *ad Neapolitanum collegium Hieronymum Surianum et Antonium Ramirum misit, qui doctrinam illic divinam traderent, ne quid ad collegii illius perfectionem desideraretur. Anno* 1568 *binæ probationis domus sunt institutæ; altera in urbe S. Angeli* E *in Samnitibus rogatu Joannæ Castriotæ Nuceriæ ducis, altera vero Nolæ. Collegium quoque anno* 1570 *sua in urbe exstrui Cosentini in Calabria Citeriore,* Borgia *Societatem administrante, petierunt, sed rei dilata in aliud tempus exsecutio fuit. In provincia Romana plurimum illi debuerunt collegium Romanum, collegium Pœnitentiæ S. Petri, cujus administrationem Pii V jussu suscepit anno* 1570, *domus probationis S. Andreæ, seminarium Germanicum, et domus professorum, cujus magnificum templum sanctissimo Jesu nomini dedicatum anno* 1568 *condi cœptum est Alexandri Farnesii S. R. E. Cardinalis sumptibus. His addi debent collegium Interamnense Samnitum anno* 1570 *cœptum, et Politianum in Tuscia anno* 1568 *a* Francisco *admissum.*

in Gallia, Belgio,

267 *In Gallia Lugdunense collegium inchoatum est anno* 1565, *cui primus præfectus fuit Guilielmus Critonius; uti et Camberiense, quod Ludovici Codretti curis commissum fuit et a Joanne Trivultio* 1571 *dotatum; Aveniо-* F *nensis vero Antonii Possevini. Burdigalense anno* 1572 *fundavit Franciscus Baulonus senator, probante Carolo IX Galliæ rege; Nivernense vero Ludovicus Gonzaga, ejus urbis dux. Eodem anno receptum fuit Mussipontanum collegium ibidemque academia postmodum instituta anno* 1574 *sub Everardo Caroli Lotharingi Cardinalis munificentia. Virodunense collegium non solum anno* 1565 *inchoavit Nicolaus Psalmæus ejus civitatis episcopus et comes, sed etiam pestilentiæ occasione dissipatum restituit anno* 1571. *Audomarense in Gallia Belgica collegium instituit Gerardus Americoursus, S. Bertini abbas ac primus Audomaropolitanus episcopus, anno* 1567, *reditibusque, scholis et templo auxit anno* 1569. *Tornacense, anno* 1566 *ab hæreticis dissipatum, partim anno* 1567, *partim sequenti restitui cœptum. Sedes propria tironibus ibidem comparata* 1569. *Leodii sedes fixas primum habuerunt socii anno* 1566: *Lovaniense vero collegium a civitate receptum fuit anno* 1565. *Duacenum anno* 1568, *fundatore Joanne Lentaillero*

AUCTORE J. B.

taillero, Aquicinctino ex Ordine S. Benedicti abbate, sumpsit initium.

Borussia, Masovia, Lithuania, Polonia.

268 Societati in Poloniam aditum jam inde ab anno 1564, superstite adhuc Lainio, aperuerunt Hosius, episcopus Varmiensis et S. R. E. Cardinalis, et Commendomus, Apostolicus ad regem Poloniæ Sigismundum legatus, purpuratis et ipse patribus dein adscriptus; quorum prior Bransbergensis in Borussia collegii auctor fuit, in quo Societatis munera exerceri cœpta sunt anno 1565. Hujus exemplum brevi secutus est Andreas Noscovius, Plocensis episcopus, condito Pultoviæ in Masovia collegio, cujus adita possessio est anni 1566 initio. Vilnense in Lithuania collegium Valeriani ejus civitatis episcopi Catholicæ religionis cura studiumque condidit, in quod anno 1569 prima sociorum colonia ex Olomuciensi in Moravia collegio, duce Balthassare Hostovino, invecta est. Primus ejus rector anno 1570 constitutus fuit Stanislaus Varsevitius. Additum his quartum fuit anno 1571, nimirum Posnaniense in Polonia Occidentali seu Majore, fundatore Adamo Konarscio urbis præsule. Accessere et alia subinde collegia, adeo, ut quæ primum Austriacæ provinciæ fuerant collegia, in novam erecta fuerint provinciam sub Everardo, Borgiæ successore, anno 1574. Hæc simul congerere visum est propter argumenti affinitatem, licet variis temporibus gesta sint: nunc rerum seriem ab anno 1566 repeto.

B

Pius V in Borgiam

269 Defuncto sub anni 1565 exitum Pio IV, insequentis initio in Petri Cathedram subrogatus est Michaël Gislerius e S. Dominici familia, dictus Pius V. Is, quam ante Pontificatum cum Borgia contraxerat amicitiam, in Pontificatu quoque perpetuo retinuit. Neque diu distulit benignitatis erga Societatem suæ documentum dare: cum enim solenni pompa novus Pontifex ad basilicam Lateranensem progrederetur, vidissetque pro foribus domus Professæ stantem inter suos Borgiam, ad se accitum arcto complexu alloquioque aliquamdiu dignatus est. Cum vero Pontificem salutaturus ac Societatis illi operam oblaturus adiit Borgia, plurimum se Societatis opera usurum professus est. Mox, quod professus verbis fuerat, opere præstitit. Concessa Societati a superioribus Pontificibus beneficia rata esse voluit confirmavitque. Hieronymum Natalem, Jacobum Ledesma et Petrum Canisium conventui Augustano, quem Maximilianus indixerat, interesse voluit.

C

et Societatem

270 Andream Oviedum, Æthiopiæ patriarcham, et Melchiorem Carnerum, Nicænum episcopum, ex Æthiopia, ubi parum fructus sperabatur, jussit ad Japones Sinasque sese transferre, quod Carnerus quidem præstitit, sed manere in Æthiopia Oviedus coactus fuit, ibique inter ærumnas diem clausit extremum. Idem Pontifex Vincentio Laureo, suo in Scotiam nuntio, comites esse anno 1567 voluit Edmundum Haium, rectorem collegii Parisiensis, et Thomam Darbishirum Anglum. Christophorum Rodericium cum Thoma Orfino, Strongulanorum episcopo, ad exstirpandas Valdensium hæreticorum reliquias in regnum Neapolitanum misit. Cathechismum ad parochos ex concilii Tridentini mente adornatum Gallice, Germanice ac Polonice reddi a Societatis hominibus jussit. Penes eamdem esse domus catechumenorum procurationem voluit; uti et administrationem Pœnitentiariæ, ut dictum est supra. Collegio Romano in menses singulos aureos dedit quinquagenos. Sociorum opera in sublevandis ægris potissimum usus est, grassante per Urbem anno 1566 pestilentiæ lue. Ecclesiasten, qui coram se et Cardinalibus verba faceret, ex eadem voluit, quo munere functi sunt Benedictus Palmius, Alphonsus Salmeron, Emmanuël Sa, et Franciscus Toletus, dein a Clemente VIII anno 1594 in Cardinalium numerum relatus. Ordinandos et ad confessariorum munus promovendos subjecit Societatis examini.

D

benevolentia.

271 Borgia suggerente, uti scribit Cienfuegos lib. 5, cap. 7, § 3, geminam quatuor Cardinalium congregationem instituit, quarum altera hæreticorum, ethnicorum altera conversioni incumberet, quod etiam Ribadineira testatur. Si quid turbarum adversus Societatem oriebatur, continuo præsto erat, id quod anno 1569 maxime patuit, quo Antonii Possevini, qui inquisitionem Hispano ritu in comitatum Venascinum introducere conatus dicebatur immerito, innocentiam, datis ea de re litteris (vide Sacchinum par. 3, lib. 5, num. 145) egregie tutatus est, ortamque inde adversus socios Avenione seditionem exstinxit. Alias, datis ad principes viros litteris Societatem cumulavit laudibus, ac enixe commendavit, cujusmodi fuere ex litteræ, quas ad Salentinum comitem Isemburgicum, Coloniensem archiepiscopum, anno 1568 dedit, et apud Ribadineiram videre est lib. 3, cap. 4. Idem Societatem ordinem mendicantium anno 1571 declaravit, potestatemque eligendi conservatorem singulis provinciis fecit. Sparsus anno 1567 undequaque rumor fuerat, Pontificem alieno a Societate animo esse, eam reformare velle, mutare vestimentum, imo totum Ordinem exstinguere, in aliumque transcribere. Rogavit Franciscus Cardinalem Patiecum, hos ut rumores ad Pontificem referret; quibus auditis, sanctissimus Pontifex, qui nihil, nisi quod ad Societatis perfectionem facere autumabat, molitus fuerat, id a se procul abesse, respondit.

E

Institutæ in Floridam,

272 Eodem anno 1566 in Floridam, Novæ Hispaniæ in India Occidentali finitimam, primum socios misit, qui illic Christianam fidem propagarent, sacerdotes Petrum Martinium et Joannem Rogerium, et Franciscum Villaregium rei domesticæ administrum, e quibus Petrus Martinius, cum in terram præfectum Hispanum quæsiturus descendisset, in maris littore a Tacatucuranis impacta ejus capiti clava brevi mortalis vitæ finem invenit. Cum vero ea non successisset expeditio, alios undecim, duce Joanne Baptista Segura, anno 1568 eodem misit. In Axacanam provinciam jam cum septem octove sociis, duce Ludovico quodam neophyto, Segura Evangelii disseminandi causa pervenerat; cum ejusdem neophyti perfidia, quem ad fidem reducere frustra tentaverat, primum quidem tres ejus socii, quinto vero post die ipse cum reliquis ad necem in odium fidei sunt dati anno 1571, qui præter Seguram hi fuere: Ludovicus Quiros sacerdos sagitta transfixus, et Gabriël Gomez, Petrus Linares, Sanctius Savallius, Joannes Baptista Mendez, Christophorus Rotundus, et Gabriël de Soliz coadjutores. Altero item martyrio honestata est Societas anno 1568. Cocino Goam navigabat P. Franciscus Lopius navi Lusitana, quæ dum fortiter adversus celoces Mahometanas pugnat, scintillæ in pulve-

F

rem

A *rem tormentarium lapsu partim disrupta, partim incensa est. Ita in manus Mahometanorum Lopius venit; salvo esse licuit, si Christum abnueret, ad Mahometumque transiret. Horruit impias voces Lopius; quare pectus ei a Malabaribus hasta transfixum, amputatum gladio caput, corpus lancearum ictibus confossum, ac devolutum in mare.*

in insulas Canarienses, Africam, Peruviam

273 *Bartholomæo de Torres, Carnariensi episcopo, quatuor e suis comites addidit Jacobum et Laurentium Gomium sacerdotes, binos item fratres Ludovicum Ruitium et Alfonsum Ximenium anno* 1567; *missionem item Oranensem in Africæ littore instituit, missis eo una cum Petro Ludovico Borgia germano suo, Montesanæ militiæ magistro, et Orani gubernatore, Petro Domenecco et Hieronymo Mur. Prima quoque eodem anno in Peruviam rogatu Philippi regis Hispaniæ sociorum colonia profecta est, cui præerat Hieronymus Portillus, cui additi sunt e provincia Toletana Antonius Alvarius et Ludovicus Medina; e Bætica Jacobus Bracamontius, primus Limensis rector,*

B *et Joannes Garzia: ex Aragonia Michaël Fontius et Petrus Lobertus; e Castella Ludovicus Lopius. Altera item eo sociorum duodecim colonia una cum Francisco Toletano prorege appulsa est anno* 1569 *sacerdotum quinque et coadjutorum septem. Sacerdotes hi fuere: Bartholomæus Hernandius cæteris præfectus, Joannes Garcia, Alfonsus Barzana, Ferdinandus Sanchez, et Rodericus Alvarez. Coadjutores vero Sebastianus Amador, Joannes de Zuniga, Joannes Gomez, Antonius Martinez, Joannes de Casasola, Didacus Ortun, Didacus Martinez. Ita Ribadineira lib.* 3 *cap.* 7: *at Sacchinus ad annum* 1569, *num.* 302, *et ad annum* 1572, *num.* 419 *Joannem Zunigam sacerdotibus adnumerat. Accessit denique Josephus Acosta cum Andrea Lopio et Jacobo Martinio in Peruviam quoque post longam navigationem anno* 1572 *advectus.*

et Mexicum missiones.

274 *Mexicanam in Nova Hispania provinciam* Borgiæ *missu condidere anno* 1572 *Petrus Sanctius provincialis, Jacobus Lopius collegii Mexicani rector, Petrus Diazius, Ferdinandus*

C *Suarius Concha, Franciscus Bazanus, Alfonsus Camargus, Jacobus Lopius a Mesa, Petrus Lopius Parra sacerdotes, Joannes Curiel, Petrus Mercatus, Joannes Sancius, sacerdotium brevi suscepturi, et adjutores Martinus Matilla, Bartholomæus Larius, Martinus Consalvius, Lopius Navarrus: addit his Ribadineira Didacum Fonsecam sacerdotem. Venerat eo etiam paulo ante e Florida B. Sedennius cum Salsedo, diversorium novis sociis præparaturus; moxque illic collegium conditum Alfonsi Villaseccæ sumptibus, teste Sacchino lib.* 8, *num.* 310 *ad annum* 1572.

Laureto

275 *Dum hæc in exteris nationibus* Borgiæ *curis auspiciisque geruntur, ipse primum procuratorum conventum indixit anno* 1568, *quo singularum provinciarum statum accuratius nosceret, ac cunctæ suæ familiæ melius promptiusque consuleret; cui, cum adversa valetudine laboraret* Borgia, *Everardus Mercurianus Germaniæ assistens præerat. Sperabat conventum generalem indicendum, in quo, quod multis Deum precibus rogaverat, Societatis administrationem, cui se imparem judicabat, missam a se faceret: sed aliter sentien-*

AUCTORE J. B.

tium patrum, non sine maximo Societatis detrimento id fieri posse existimantium, acquiescere judicio coactus fuit. Anni insequentis initio epistolam ad universos socios dedit Dei Spiritu æque ac piis salutaribusque monitis plenam, quam Sacchinus lib. 5, *a num.* 5 *ad* 28 *usque retulit. Cum autem diuturna octo mensium febri laborasset, quamvis ea nondum expeditus, reclamantibus licet omnibus, Lauretanum iter ex voto ingressus est, divinæ Matri de acceptis beneficiis grates acturus. Roma discedens adduci vix potuit, ut oblata sibi a Cardinali Patieco lectica uteretur. Nondum Lauretum usque pervenerat, quin et animi et corporis vires sibi restitutas senserit. Laureti vero beatissimæ Virginis imaginem perita pictoris manu confici jussit bona Caroli Borromæi Cardinalis venia, quæ, eam, quam S. Lucas depinxit, plane referret; quo ejus amorem cultumque sibi aliisque augeret, ut refert Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 9, § 2.

Romam redux S. Ignatii exuvias transfert

276 *Romam redux medicorum hortatu in Tusculanum profectus aliquamdiu illic Societatis negotia expedivit. Mense Julio die* XXXI E *ejusdem anni, S. Ignatii exuvias, dum novum domus Professæ templum Cardinalis Farnesius exstruit, noctu transtulit* maxima cum pietate, minima cum pompa. *inquit Sacchinus lib.* 5, *num.* 63. *Contra vero maxima id pompa nec sine cantu angelico factum esse scribit* Borgiæ *pronepos part.* 2, *cap.* 3; *verum nec maximæ pompæ, nec cantus angelici mentionem faciunt translationis hujus testes oculati, quos Pinius tom.* 7 *Julii pag.* 599 *et sequenti citat. Cantum angelicum pridie translationis sub vesperam a P. Julio Mancinelli auditum fuisse narrat Cienfuegos, eumque tenuisse ad horas viginti, donec urna in novum locum reposita esset. Verum, si* valde de noctu *ea translatio facta, uti testatus est P. Franciscus Gomez, quomodo cantus ille ad horas viginti protractus est?*

ac sub idem tempus insignem de sociorum salute revelationem habuisse perhibetur.

277 *Sub idem tempus contigisse ferunt celebrem illam* Francisco *revelationem, qua ei divinitus patefactum fuerit, neminem eorum, qui in Societate aut jam mortui essent, aut tribus prioribus ejus seculis morituri essent, damnatum esse damnatumve iri; qua de revelatione agunt Pinius tom.* 7 *Julii pag.* 851, F *et Alvarus Cienfuegos lib.* 5 *cap.* 10. *Quæ hic de PP. Didaco Monteiro, Michaële Solerio, Martino Gutierrez, F. Alphonso Rodriguez, aliisque exteris utriusque sexus hominibus, morum sanctimonia cælestibusque favoribus conspicuis, quibus vel partim vel omnino idem revelatum fuerit, prodit, factæ enimvero* Francisco *revelationi, et per socium ejus individuum F. Melchiorem Marcum, qui eam ex ipsius* Borgiæ *ore acceperit, vivo mortuoque eodem propalatæ, nonnihil ponderis momentique adjiciunt.*

AUCTORE J. B.

§ XXI. Gemina martyrum classe Societas decoratur.

P. Azevedii

Insignis Societati accessit anno 1570 *gloriæ cumulus, primum quidem a P. Ignati Azevedii ejusque sociorum martyrio, qui in Brasiliam fidei propagandæ a* Borgia *missi die* XV *et* XVI *Julii in Jacobi Soriæ sectæ Calvinisticæ piratæ manus inciderunt, ab eoque omnes, excepto uno, in odium fidei trucidati vel certe mari submersi sunt prope insulam Palmam, quæ una Fortunatarum est. Numero fuerunt undequadraginta, partim sacerdotes, partim non sacerdotes, partim denique coadjutores, ut vocabantur, temporales. Eorum catalogum Schottus ex Ribadineira exhibet, sed non ab omni errore immunem. Petrus Possinus de vita et morte Ignatii Azevedii lib.* 4, *cap.* 1 *catalogum eorum, ut ait indubitabilem, ex tribus* B *aliis, Catalogo nimirum Romano, Eborensi et Conimbricensi, accuratissime sibi consentientibus, texit hujusmodi*: Decas prima : P. Ignatius Azevedius, P. Didacus Andrada, Antonius Suarez, Benedictus de Castro, Joannes Fernandez Ulyssiponensis, Franciscus Alvarez Covillanius, Dominicus Fernandez, Emanuël Alvarez, Joannes de Mayorga, Alfonsus Vaëna. Decas secunda : Gonsalvus Enriquez, Joannes Fernandez Bracarensis, Alexius Delgadus, Ludovicus Correa, Emanuël Rodriquez, Simon Lopez, Emanuël Fernandez, Alvarus Mendez, Petrus Nunnez, Franciscus Magallanes. Decas tertia : Nicolaus Dinis, Gaspar Alvarez, Blasius Riberius, Antonius Fernandez, Emanuël Paciechus, Petrus Fontoura, Simon a Costa, Andreas Gonsalvez, Amarus Vaz, Didacus Perez. Decas quarta : Joannes de Baëza, Marcus Caldeira, Antonius Correa, Ferdinandus Sanchez, Gregorius Scrivanus, Franciscus Perez Godoius, Joannes Baptista de Zafra, Joannes a S. Martino, Stephanus Zuraire, San-Joannes, *Societatis candidatus, qui Joanni Sanctio, ab hæreticis servato, successit, numerumque martyrum quadraginta explevit.*

C *sociorumque* 279 *Possino et sibi invicem, excepta litterarum aliquot discrepantia, consonant testes ex Processu Eborensi anno* 1628 *instituti* I *et* IX : *ex Processu vero Conimbricensi* III, V, VI, VII, XII, XIII, XV, XVI, XX *et* XXI, *uti in summario Declarationis martyrii Ignatii Azevedii et sociorum anno* 1713 *Romæ typis Cameræ Apostolicæ edito num.* 12 *videre est. Corrigendi itaque PP. Philippus Alegambe apud Josephum Fotium pag.* 147, *et Joannes Nadasi in Anno dierum memorabilium Societatis Jesu pag. ad diem* XV *Julii, qui omisso Amaro Vaz, Petrum Fonsecam perperam substituunt; et verosimillime etiam Alvarus Cienfuegos, quamvis certis P. Vasconcelii se vestigiis insistere dicat, Ludovicum Rodriguez hisce martyribus miscens, expuncto perperam ex illorum numero Joanne Fernandez Bracarensi. Petrum de Fontoura, seu, ut Ribadineira scribit, de Fontaura, Schottus Petrum Pontaureum minus accurate nominat. Petrum vero Nunnez a nonnullis* Mugnos *appellatum invenio. Pro* Amaro Vaz *legitur etiam subinde* Amatus, *quam lectionem Schottus secutus est, licet Ribadineira eum vocet* Amaro, *quæ vox* D *apud Lusitanos, teste Possino lib.* 4, *cap.* 1, *idem valet ac* Maurus.

martyrium, 280 *Azebedii sociorumque martyrium infra num.* 161 *et seqq. Schottus describit : verum non ingratum lectori fore, arbitror, si P. Petri Diaz, Azevedii socii, litteras ad Provincialem Lusitaniæ die* XVII *Augusti anni* 1570 *ex insula Madera scriptas, ex Summario Declarationis martyrii eorumdem num.* 19, *pag.* 140 *et tribus seqq., ubi Latine extant, huc transtulero. Ita habent* : Exponam his litteris felicem exitum Ignatii Azebedi Brasiliæ Provincialis et comitum : Nonis Junii cum Aloysio *(seu Ludovico Vasconcellos)* ejusdem Brasiliæ pro Lusitaniæ rege præfecto, classe navium septem Ulysipone profecti, octavo die Maderam hanc insulam prospera navigatione tenuimus : novem circiter et sexaginta in universum e societate nostra conscenderamus, in tres onerarias distributi. Quæ S. Jacobi dicebatur, ea cum Didaco Andrada multisque aliis e nostrorum numero *(mox recensiti nominatim fuere)* vehebatur E Ignatius. Francisco autem Castrio cum Fratribus duobus et pueris orphanis Ferdinandi navis obtigerat. Me cum sociis amplius viginti eadem, quæ Aloysium præfectum navis exceperat. Et quoniam certis de causis in hoc Maderæ portu aliquamdiu subsistere decreverat Aloysius, vectores et nautæ S. Jacobi, quod multa negotia haberent in Palma ex Canariis, de Fortunatis insulis una, magnopere efflagitarunt, uti sibi liceret præire : se, expeditis mature negotiis, advenienti reliquæ classi præsto futuros. Atque initio quidem recusabat Ignatius, in tanto maris et piratarum discrimine a cæteris digredi periculosum ratus. Verum deinde victus precibus abeundi veniam ab Aloysio petiit, quam impetrata, quasi divinaret ea, quæ postea consequuta sunt, pridie ejus diei, qui Apostolorum Principi sacer est, Sacramento Confessionis et Communionis præmuniendos curavit omnes, et simul divisit iis Agni cælestis cereas imagines aliquot, a summo Pontifice consecratas, et alia quædam religiosa munuscula, quæ ex Urbe Roma secum attulerat.

a P. Petro Diaz, 281 His peractis, solvere pridie Kalendas Junii vento secundo, qui tamen eos in medio cursu defecit. Porro Dominico die proximo F quinto Nonas Julias allatum huc est Jacobum Soriam *(aliis Joannem Soram)* maritimæ rei pro Navarræ regina *(Joanna Henrici regis Navarræ matre)* præpositum (is Calvini sectator egregius capitales inimicitias cum Papistis, sic enim Catholicos per ludibrium hæretici appellant, exercere sese palam profitetur ac prædicat) stare cum navibus circiter septem in portu ad quinque leucas hinc suo *, cui a S. Cruce * sito nomen est inditum. Perturbavit hic nuncius vehementer omnium animos, statimque Aloysius, oppidique præfectus cum populo universo ad pugnam comparavere sese. Itaque Sabati luce, quæ consequuta est, cum se Jacobus Soria in conspectum nostrum dedisset, occurrentibus Catholicis, qui probe instructa militibus, tormentisque navigia decem eduxerant, perterritus cessit. Hostem fugasse contenti nostri postridie revertuntur; ille vero hoc perfunctus periculo Canarias petiit, ac die Jovis insequenti ad aspectum usque Palmæ insulæ, et onerariæ nostræ, quæ portum capere nunquam potuerat, vento destituta, sane feliciter est provectus.

Eo

A Eo ipso die Ignatius mane cum cæteris Fratribus ad Tertiæ Cohortis (id loco nomen est) vicum a portu leucas quinque circiter scapha contenderat eo consilio, ut, si daretur facultas, ad portum terrestri itinere perveniret, sed cum res exitum non haberet, in navim sese denuo recipere sunt coacti. Ut vel ex hoc satis appareat, expetendum id genus mortis paratum illis fuisse divinitus. Eoque magis, quod iter illud leucarum LXXX vix diebus XV ab illis emensum; addo, navi minime impedita, vento etiam initio, ut diximus, valde secundo. Id iter totum navibus quinque (et quidem earum nonnullis admodum onustis) non plus triduo a Jacobo Soria decursum est.

Azevedii socio, 282 Postridie nostri eadem malacia novem fere millia passuum a littore detenti, ubi adventantes Calvinianos aspiciunt, paucis dispositis tormentis defendere sese omnino constituunt. Ignatius autem sumpta Mariæ Virginis imagine, quam Roma secum extulerat, prout res et tempus postulabat, ad officium atque ad pietatem hortari Catholicos instituit. Interea unum ex
B navigiis hostes ad nostram onerariam applicant, in eamque tres primo, in iis nauclerus magna apud eos existimatione, transiliunt. Atque ii quidem statim a Lusitanis tolluntur e medio; sed majore deinde hostium irrumpente numero, diutius obsisti non potuit. Tum Jacobus Soria, ubi cognovit nostræ Societatis homines ibi versari, omnes ad unum occidi imperavit, vociferatus: Interfice, interfice, quoniam ad prava dogmata disseminanda Brasiliam petunt. In eorum numero, qui onerariam occupaverunt, erat Jacobi cognatus quidam, qui cum vitam aliquot Catholicis promisisset, id jussit Jacobo renunciari. Quæsivit ille, cunctine presbyteri (sic enim ille nostros vocabat) essent interempti. Cum interemptos esse responsum fuisset, tum ab aliis manus abstineri vetuit (*lege* voluit.) Quo facto sane præclare suum in nos odium expromsit, præsertim quod paucis ante diebus, intercepto navigio, quo Franciscani concionatores duo, totidemque sacerdotes laici in Lusitaniam vehebantur, neminem eorum occidit.

litteris, 283 Nactus deinde nostros magna ex parte adolescentulos atque novitios nulli pepercit
C omnino. Mactatus est autem omnium primus Ignatius, quem obviam hostibus prodeuntem, elata manibus ea, quam dicebamus, imagine, magnoque animo profitentem, sese cum suis esse Catholicum, lancea tribus ictibus confoderunt, et sacram imaginem frustra extorquere conati sunt. Tum Didacus Andrada in complexum ruit Ignatii. Atque ita conjuncti simul ambo confecti vulneribus præcipitantur in mare una cum ipsa imagine, quæ de Ignatii manibus numquam exciderat. Inde tabulata onerariæ subeunt, quo Ignatius in eo tumultu Fratres octo et triginta (tot enim erant eum ex hoc portu prosequuti) considerat*, binosque ac ternos ordine deinceps eductos ad navis marginem, ac talaribus tunicis, quamquam exigui admodum pretii exutos, adacto bis terve singulis in viscera pugione semianimes e navi deturbant; quorumdam etiam præcidunt brachia, ut omnem prorsus evadendi spem cæteris adimant. Atque hunc exitum fælix comitatus ille sortitus est. Postea quæsitum de trium illorum cæde, qui ex hostium classe in onerariam illam transcenderant. Ejus auctores cædis, onerariæ gubernatorem cum administris duobus ad se perduci furore percitus Soria jubet. Ibi ipso non solum imperante, sed etiam inspectante, viventium pectora dissecabantur, et extracta crudeliter intestina dejiciuntur in pelagus.

* *an* considere jusserat?

AUCTORE J. B.

284 Jam vero hanc immanitatem Calviniani *hic exhibitis,* illo etiam scelere cumulant: in onerariam reverturtur. Sacrosanctum caput unius ex undecim Virginum millibus, quod ad solatium neophitorum Ignatius in Brasiliam afferebat, e carchesii fune contumeliose nefarieque suspendunt, deinde arreptam Virginis Deiparæ effigiem egregio perfectam opere, quam item Roma secum Ignatius adduxerat, cum sacris aliis imaginibus permultis, in angulo navis per ludibrium collocant, in easque ut in scopum sicas ejaculari incipiunt. Rosaria vero benedicta ac Sanctorum reliquias, librosque de religione, et illa scripta quædam ad Brasiliæ provinciæ rem magnopere pertinentia, ut sibi minus utilia vel supervacanea potius, alto mandarunt. Hujus rei gestæ seriem totius a Lusitanis duobus accepimus, qui spectantes affuerunt, cum per eos dies a Calvinianis captivi detinerentur. E Qui e nostris occisi sunt, æque ac veterani, præclaris erant adjumentis rerum gerendarum instructi. Itaque ad rem Christianam promovendam valde habebantur idonei.

285 Obstupesco sane mecum ipse consi- *descriptum,* derans mutationes migrationesque nostrorum e navi in navem Ulysipone primum, deinde in hac insula Madera: ut felix ille manipulus, sicuti Gedeonis quondam milites, pæne viritim a Domino lecti fuisse videantur. Me in S. Jacobi navem imponere, ipse apud Aloysium præfectum remanere, Ignatius jam prope decreverat, sed mutavit deinde consilium: partim, ut equidem existimo, ne laborem atque periculum subterfugere voluisse videretur, partim etiam, quod ego tanto indignus bono videlicet fui. Reliqui sumus nunc e Societate quadraginta: cœptum iter Numinis fiducia persequi certum est: utrum eodem eventu, nescimus. Illud quidem intelligimus, Jacobum Soriam id vehementer expetere, nobiscum *(nobisque)* tendere insidias. Sed jam instat hora professionis, atque finem scribendi facio, meque et comites tuis cæterorumque sacrificiis, deprecationique F commendo. Ex insula Madera XV Kal. Septembris MDLXX.

286 *Hujus rei nuncius* Borgiæ *summum* *ac pro vere* *partim dolorem, partim gaudium attulit: dolorem quidem, quod Brasiliæ tantum ad promovendam fidem adjumenti ereptum videret; gaudium autem gloriosa sociorum de fidei hostibus victoria, quos pro veris martyribus habuit. Mox litteras encyclicas ea de re per Societatem misit; in iis vero, quas ad Brasiliæ Provincialem misit, ita loquitur:* Melius tamen consuluit divina Providentia, quæ de septuaginta operariis, qui simul mittebantur ad ejus culturam, voluit, quod quadraginta e cælis laborarent, dum exitu adeo fælici ad se vocavit Provincialem cum suis beatis sociis; horum autem intercessio longe utilior speranda est quibuscumque operibus in terra perficiendis. *Ita legitur in Informatione Facti et Juris* § 3, *probatione* 2, *pag.* 25. *Consultus a procuratore Lusitaniæ, ut ejusdem § initio legitur, num pro quadraginta martyribus recitari solitæ pro defunctis in Societate preces indicendæ essent, matura prius*

tali a Pio V et Borgia agnitum.

AUCTORE J. B.: *prius consultatione habita, respondit:* Hic non videntur indicenda esse suffragia pro quadraginta martyribus. *Eorumdem quoque patrocinio se commendare solitus, atque adeo privato quodam cultus genere eos prosecutus est, ad quod non solum* Borgiam, *cum Pium V de eorum martyrio certiorem fecit, sed et omnes, qui coram aderant, Pontifex ipse est adhortatus, uti Alvarus Cienfuegos lib. 5 cap. XI § 8 scribit ex P. Dionysio Vasquez, qui rei gestæ interfuit. Idem porro Pio V ac* Borgiæ *de illis martyribus fuisse judicium, efficitur ex ejus Bulla, quæ incipit his verbis:* Dum indefessæ, *dataque est anno* 1571 *die* VII *Julii, in qua socios aliquot dicit, ita Domini amore perstrictos,* ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi *(in utrisque Indiis)* efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint.

Alii duodecim e Societate martyres,

287 *Ex septuaginta circiter sociis, quos in Brasiliam* Franciscus *miserat, præter triginta novem jam memoratos, alii duodecim anno* 1571 *martyrii quoque palmam sunt consecuti, nempe Petrus Diaz, Epistolæ paulo* B *ante adductæ auctor, Franciscus Castrius sacerdotes; non sacerdotes vero Gaspar Goisius, Michaël Aragonius et Franciscus Paulus, qui omnes die* XIII *Septembris a Calvinistis, duce Capdevilio, dum ex Portu Angrensi in Brasiliam navigant, in Canariensi pelago vita in odium fidei spoliati fuerunt, uti et puer quidam, qui Petro Diaz adhærebat. Eodem præterea die Gaspar Gonsalvius, qui mortis metu Societatis vestem abjecerat, non religionis causa, sed ob alimentorum parcimoniam, fuit in mare projectus. Quinque prioribus accessere die postero Petrus Fernandez, Joannes Alvarez, Alphonsus Fernandez, Andreas Pais, Ferdinandus Alvarez, Petrus Diaz alter, et Didacus Cavalius. Eodem præterea die in mare præcipites acti fuere Didacus Fernandez et Sebastianus Lopez; sed hi natatu necem evasere. Didacum Carvalium, licet a Ribadineira memoratum, omittit Schottus, obtruso perperam ejus vice Didaco Gonsalvio. Sebastianus Lopez mense Novembri in Lusitaniam appulsus est, e ejus relatu Franciscus Henricus rector domus Ulyssiponensis* C *suo suorumque nomine ad socios Romanos de duodecim horum sociorum martyrio, die* IX *Decembris ejusdem anni (vide summarium additionale Declarationis Martyrii Ignatii Azebedii et sociorum ejus pag. 13 et seq.) hujusmodi litteras dedit.*

exstincto Azebedio,

288 Admodum RR. Patres et Fratres in Christo charissimi gratia et pax Christi. Exitum Ignatii Azebedii et sociorum novem et triginta jam cognovistis, ut credimus, qui Brasiliam una cum Aloysio regio præfecto petentes, ut in ea provincia rei Christianæ procurandæ causa, more nostro, collegia instituerent, in itinere a Calvinistis oppressi, vitam in processione fidei Catholicæ profuderunt: nunc aliorum quatuordecim *(secluso ex hoc numero ob rationem mox dictam Gaspare Gonsalvio)* qui anno post in eadem causa parem præstiterunt animi fortitudinem (septuaginta enim e nostris Ulysipone discesserant plures in naves impositi) persequemur eo ipso ordine, quo rem totam alter duorum *(Sebastianus Lopez)* qui Dei benignitate superfuere, nobis exposuit.

post longum terra marique iter

289 Post obitum Ignatii cum Lusitaniæ naves e Madera insula cursu in Brasiliam directo solvissent, aliæ alium eventum sortitæ sunt. Ea vero, qua P. Diaz cum sociis aliquot ve- D hebatur ad Cubæ insulæ portum, qui a S. Jacobo nomen est, fluctibus et procellis adeo labefactata pervenit, ut eam relinquere plane sibi necessarium duxerint, sed cum alia esset ibi nulla, Bonam ejusdem insulæ portum leucas ducentas in Orientem discedere statuunt; ac tridui primum iter emensi pedibus, et quidem excalceatis, imbre denso atque perpetuo, vita teterrima, difficultatibus præterea, ut in ejusmodi regione, maximis, exiguo et aperto sese commisere navigio, ventis pluviæque adeo expositi, ut non commeatus modo corrumperetur humore nimio, sed et ipsa, quibus erant induti, vestimenta pene putrescerent. Eo navigio leucas quatuor et septuaginta Bonam usque provecti, majoris formæ navi in eo portu conducta, Augusto mense denique ad insulas Tertiarias Aloysium regium præfectum, et e nostra Societate Franciscum Castrium et quinque Fratres, qui antecesserant, assequuntur. Hic Aloysius, navali turba vehementius imminuta, et quod ex oneraria ipsius in tam difficili ac diuturna mensium quindecim navigatione viri se- E xaginta perierant, et ad Antilias (id loco nomen est) multi substiterant, multi etiam laboribus periculisque defatigati, mutato consilio, inde in Lusitaniam reverterant, cum superesset vectorum et nautarum vix, quod in unam satis esse, onerariam (in quibus tamen ipsis fœminæ quinque et viginti imbelli cum puerorum grege numerabantur) redactis in unum omnibus cœptum iter unica navi peragere instituit, solvitque feria quarta octavo Idus Septembris.

Calvinistis occurrunt.

290 Porro e Societate nostra (totidem aliis fere tempestate disjectis, de quibus nihil dum certi compertum est) quartuordecim aderant: Patres duo, Petrus Diaz et Franciscus Castrius: duodecim Fratres: Alphonsus Ferdinandus, Gaspar Gois, Andreas Pais, Joannes Alvarez, Petrus Diaz alter eodem, quo sacerdos, nomine, Ferdinandus Alvarez; et ex novitiorum numero Michaël Taraconensis, Franciscus Paulus, Petrus Ferdinandus, Sebastianus Lopez, Didacus Ferdinandus, Didacusque Carvalius. Dies octo in altum Oceanum prospero statu * provecti, naves quinque, sole jam occidente, conspiciunt, quarum erant Gallicæ quatuor, F una Anglica. Eæ, dissimulato in noctem usque consilio, conversis deinde repente proris vento secundo navem nostram insequuntur. Id ut animadvertit Aloysius ratus (id quod erat) et hostes esse et hæreticos, advocata statim concione, socios navales ad prælium acriter ineundum hortatur, mortemque, ut Christianos deceret, pro Catholica religione fortiter obeundam. Deinde arma expediri, culcitras locis opportunis prætendi, saxorum vim congeri, sulfurei pulveris cados promi celeriter imperat: dispositis denique ad pugnam stationibus, peccata rite confessus est ipse et cæteri, quibus ea nocte confitendi spatium datum est.

* flatu

a quibus

291 Verum, inalbescente jam die, rostrata hostium navis ex earum numero, quos Galeones appellant, ad nostram appropinquaverat, amplior et eminentior multo, duabusque tormentorum significationibus de more jusserat a Lusitanis vela submitti: cum illi nequaquam parerent, tum hostes, facto ter in onerariam impetu, quinque ex eorum numero occidunt; septemdecim eosque fere omnes in cruribus vulnerant sic, ut funibus, ne caderent, altera manu

A manu apprehensis, nonnisi altera parte decertare possent. Et quamquam hæretici e superiore admodum loco pugnabant, haud tamen incruentum eis fuit certamen; siquidem et initio diminicationis homines fere viginti amisere, vulneratis præterea circiter undecim et deinde tribus bombardæ ictibus læsi gravissime sunt, quorum * distractus malus et vela prostrata, altero perforatum carinæ latus non sine magno eorum discrimine aquas accepit; tertio discerpti decem simul hæretici, quæ tametsi erant omnia non levia incommoda, nihil tamen hostes æque perturbavit ac vela dejecta prorsus, ut de se actum jam arbitrarentur. Tum vero ex ipsa desperatione omnibus connixi viribus quartum jam nostros invadunt, et minore, quam putaverant, negotio superant; decem quippe non amplius propugnatores erant relicti, quorum quinque in prora collocati primo impetu cecidere. Itaque patefacto jam aditu hæretici ad sexaginta vi maxima irrumpunt, quos Aloysius, cum duas ferreas glandes, alteram accepisset in pectore, alteram in crure, quamquam B exhaustis jam corporis viribus, magno tamen animo statuit operiri, gladioque et scuto nunquam abjecto ad extremum usque spiritum dimicavit egregie.

* *supplendum hic videtur* imo

capti

292 Ejus morte a reliquis deditio facta, quæ tamen ad mitigandam hostium crudelitatem minime valuit: nam diabolicis instincti furiis obvios quosque obtruncant: Aloysium ignari, quis esset, nudatum, itemque aliorum corpora, multis adhuc spirantibus, in undas projiciunt. Versus deinde in Sanctorum reliquias, sacras imagines furor, quarum erat ingens in ea numerus, has hæretici Catholicis per vim extorquere, trahere per tabulata, calcare pedibus, in ignem denique gratulabundi projicere; blasphemias in Beatos illos, quorum erant reliquiæ, spiritus evomentes, quas horret animus scribere. Quin etiam repertas vigesimo post die statuas duas, alteram sacratissimæ Virginis, alteram angeli, elatas in publicum sacrilegis fregere manibus; caput angeli per ludibrium tota navi circumferentes. Tertium et trigesimum vagati diem, capto etiam Algarvensi navigio, prædam exposuere ad Oruium promontorium C oræ Callaicæ *. Classi præpositus erat Joannes Cadavilius *(seu Capdevilius)* Gallus, hæreticus vehemens et ecclesiasticorum Ordinum inimicus acerrimus. Rostrata vehebatur eadem, qua Jacobus ante Soria Ignatium Azebedium et comites ceperat et occiderat. In Aloysium vero præfectum incidere Calviniani, cum ab insula Comera eam depopulati solvissent, atque is fuit Aloysii et Lusitanorum obitus, cujus de fortitudine virtuteque Frater noster ita multa commemorat, ut pro certo habendum sit, animam ejus in cæleste domicilium commigrasse.

* ad sinum Oraianum, in ora Gallæciæ

primum quidem tres ex illis exduntur;

293 Nunc veniamus ad nostræ Societatis homines, quod maxime nobis propositum est. Ii, cum hostes adventarent, a media nocte ad lucem usque expiandis per confessionem criminibus quisque suis vacarunt: deinde tabulata subire jussi, nonnisi commisso prælio, ascenderunt ad animandos milites, cibo recreandos et curanda vulnera. Sed, quo tempore facta est deditio, in summa navi præter Castrium extabat eorum nemo; namque is paulo ante ad excipiendam unius e gubernatoribus confessionem ascenderat ad imam proræ turrim ex vulnere agentis animam: in eo munere occupatum hæretici vulneribus quamplurimis punctim cæsimque confodiunt ira maxima perciti; nimirum eo quod Ecclesiæ Sacramenta ministrantem offenderant: nam in cæteros non adeo sæviere. Sub idem tempus Petrus Diaz, qui ad eam usque horam confessionibus eorum, qui sub tabulatis erant, operam dederat, atque hilari semper atque sereno vultu animaverat cæteros, Gaspare Goe sequente, in apertum prodiit. Utprimum apparuere, utrumque Galli confestim occidunt, nec puero quidem ætatis admodum teneræ parcunt, qui a Petro ægre sese divelli patiebatur: atque hoc maxime modo tres ii primo congressu cæsi ac nudati dejiciuntur in mare.

AUCTORE J. B.

dein vero reliqui

294 Tum undecim reliqui, sedato jam tantisper tumultu, sese invicem plenis pietate sermonibus adhortati ultro in editoria navis evadunt. Nec modo latendi causa in cæteram turbam sese non inserunt, sed etiam in unum dedita opera conglobati omnes aperte profitentur, se et ejusdem esse religionis, cujus tres modo perempti, et æque paratos ad mortem communis Domini gratia subeundam, quos cir- E cumfusi confestim hæretici dictis factisque eo die toto contumeliose ac petulanter illudere ac divexare non desinunt, cum illi responderent nihil, nisi si quid ad honorem Dei vel ad dignitatem Ecclesiæ Catholicæ pertineret. Ubi nox affuit, manus ad terga religantur insontibus, atque inter vinciendum accidit, ut Michael Taraconensis *(idem qui supra* Aragonius) e vulneribus, quæ in brachiis principio acceperat, ingemisceret, quæ res tantum abfuit, ut ad misericordiam præmoveret * hæreticos, ut * permoveret etiam arreptum furenter hominem, multa ingerentes probra, e navi præcipitaverint, et, ne incomitatus abiret, Franciscum quoque Paulum (nam is erat proximus) eodem impetu deturbaverint: cæteri omnes vinculis (ut dicebamus) injectis, in Aloysii cubiculum detruduntur etc. Et infra.

detruduntur in mare.

295 Cædebantur pugnis alapisque frequenti- F bus defensores fidei: quin etiam exquirebantur diligenter in summis capitum verticibus sacræ, quas appellant, coronæ, quarum hæretici, si quas invenerant, has vero iterum iterumque singuli tundere, et simul jurgiis et maledictis in eosdem invehi cum aliis multis, tum illis præsertim: canes, fures, veteratores; per vos stat, quo minus conspirent universi mortales atque consentiant, sublatisque discordiis ac tumultibus, tranquilla omnes pace atque otio perfruamur. Vestro scelere non modo Germania et Gallia, verum etiam Brasilia atque adeo toto terrarum orbe prava doctrina diffunditur etc. Et infra. Porro nobis hæc omnia Sebastianus ipsemet Lopez exposuit. Nos totam rei gestæ seriem his consignatam litteris eidem Sebastiano recognoscendam ostendimus, cujus ille narrationis veritatem ac fidem suo rursus testimonio comprobavit. Quo etiam studiosius fecimus, ut hanc ad vos mitteremus epistolam, rati, eo vobis gratiorem futuram, quo certiora perferret. Quod reliquum est, vestris omnium sacrificiis precibusque nos etiam atque etiam Domino commendari percupimus. Ulysipone v Idus Decembris MDLXXI. Indigni vestrum omnium in Christo servi Franciscus Henricus rector domus Ulysiponensis et socii. *Quæ in hisce litteris desiderantur, suppleo ex iis, quæ in citato Summario illis ex Processu Conimbricensi*

AUCTORE J. B.

Conimbricensi proxime subnectuntur, ac ita se habent : Cum patribus *(reliquis, uti ibidem præmittitur)* de dogmatibus fidei disputare cœperunt, de Missa, de confessione et de aliis, et post disputationem (in qua Patres veritatem fidei constanter defenderunt) dixerunt hæretici, an parati Patres essent mori pro defensione eorum dogmatum, quæ docebant, et respondentes forti animo et alacri, quod libentissime pro veritate earum rerum mortem subiissent, dixerunt hæretici, ita fiet vobis, et eos omnes vulneraverunt et in mare projecerunt, ex quibus duodecim mortui sunt, duo vero ex his natando ad scaphas pervenerunt et mortem evaserunt. *Qui plura de his desiderat, adeat Petrum Possinum lib. 4, cap. 4 et 5. Ad* S. Borgiam *redeo.*

§ XXII. Pii V jussu Hispanum et Lusitanum iter suscipit.

B

Cardinali Alexandrino a Pio V comes datus,

Non minus Borgiæ *Societatis Europeæ status curæ fuit : Junio mense anni* 1571 *congregationem procuratorum in Urbe habuit, in qua nonnulla ad meliorem Societatis administrationem utiliter sunt instituta. Novos provinciarum præfectos, Romanæ Alfonsum Ruilium, Siciliæ Hieronymum Domeneccum, Aquitaniæ Claudium Matthæum, Franciæ Edmundum Haium, Germaniæ Inferioris Balduinum ab Angelo, Rheni Hermannum Tyræum, Novæ Hispaniæ Petrum Sancium designavit. Maximam id temporis regni Cypri partem Turcæ occuparant, quorum progressibus S. Pius V, icto cum Hispanis Venetisque fœdere, decrevit obsistere, missisque variis ad varios principes legationibus id sategit, ut ad debellandos teterrimos rei Christianæ hostes, consilia, vires, armaque conjungerent. Ad Hispaniæ, Lusitaniæ Galliæque reges Michaelem Bonellum Cardinalem Alexandrinum, ad Maximilianum cæsarem et Sigismundum Poloniæ regem Cardinalem Commendonum misit : cum autem non ignoraret sanctus Pontifex, quanta rerum agendarum dexteritate, quantaque* Borgia *apud Hispanos Lusitanosque auctoritate polleret, Cardinali Alexandrino socium* Borgiam *addere voluit, uti Cardinali Commendono P. Franciscum Toletum : quamvis autem fracta jam valetudine esset* Borgia, *id tamen oneris haud gravate suscepit in Ecclesiæ universæ bonum, pro qua vel vitam effundere paratus esset. Placuit Pontifici promptitudo* Borgiæ, *eoque tempore diploma edidit, quo Societatem mendicantium Ordinem, beneficiorumque illis collatorum participem declaravit. Voluit insuper Pontifex, ut e PP. Capucinis et Societate religiosi aliquot viri militibus nautisque præsto futuri fœderatorum classem comitarentur, missique in hoc e Societate fuerunt Christophorus Rodericius, Joannes Montoia aliique quatuor, præter eos, quos Veneti duxere ad regis Catholici classem. Universæ classis præfectus erat Joannes Austriacus, qui memorabilem illam de Turcis ad Echinadas insulas victoriam Nonis Octobris anni* 1571 *retulit.*

C

per honorifice Barcinone.

297 *Roma profecturus Polancum vicarium dixit. Itineri se dedit pridie Kalendas Julias: itineris vero ea ratio fuit, ut pars diei nulla elaberetur, quin vel ipse, vel e comitibus nonnemo precibus incumberet ; quam Cardinalis Alexandrinus adeo probavit, ut eam suos imitari jusserit. Obvium sibi habuit, teste Cienfuegos lib. 5, cap. 13, § 2, Filibertum Sabaudiæ ducem, et cum S. Carolo Borromeo Mediolanensi archiep. colloquium intimum, priusquam Galliam ingrederetur : quo cum pervenisset, adfuit (sævientibus ea tempestate in Gallia discordiis civilibus hæresique) a Carolo IX Francorum rege præsidium. Barcinonem, urbem Catalauniæ primariam, ubi proregem olim egerat, veniat* IV *Kal. Septembris, summo civium studio exceptus. Lis illic agebatur inter collegia canonicorum procuratoresque regios difficilis admodum ; sed, sequestro* Borgia, *continuo fuit communi utriusque partis gratulatione composita. Obvium hic habuit Ferdinandum filium, a Philippo II Hispaniarum rege cum litteris, quas infra Schottus exhibet, ad Parentem missum. Eodem quoque tempore tum aliorum procerum, tum Jacobi Cardinalis Spinosa regii concilii præsidis, et Roderici Gomii Sylva Ebolitani principis et amici veteris ei redditæ sunt honorificæ litteræ, et sui de ejus in Hispaniam adventu gaudii testes.* Tum porro, *inquit Sacchinus lib. 7, num.* 128, huic tantæ in primo regni limite oblatæ honoris benignitati, quanto interius processum est, tanto honorificentiora successerunt : eo favore eaque omnium propensione voluntatum, ut Arbiter ille summus, qui exactissima libra rerum momenta singularum examinat, humanæque trutinæ castigans iniquitatem, hinc demendo, illic, unde detractum est, apponendo, pondera et rationes exæquat, profectionis *(ex Hispania)* ante decennium obscuritatem, cum impensam ab humillimo Patre Christi Vicario obedientiam, pro ignobili fuga multi vituperarunt, hac redditionis celebritate et gloria compensare visus sit voluisse.

D

E

F

Montione,

298 *Barcinone Valentiam itum est. Barcinonem inter et Montionem accidit, ut missus clam a Carolo duce Gandiæ præfectus domesticorum, prandenti* Borgiæ *lancem auream apponeret, quam removere protinus jussit, hominemque, etsi multum tergiversantem, mensæ secum accumbere : idem vero, cum* Montione Borgiam *Joannis Riberæ archiepiscopi Valentini verbis salutatum nonnemo venisset ; paulo plus, quam consueverat, cibi mensæ apposuit ; sed, quod consuetis adjectum fuerat cibis, jussit auferri egenisque distribui, ut loco cit. Cienfuegos narrat. Montione ad Hieronymianorum monasterium, a S. Michaele regum dictum, mille quingentos passus Valentia distans processit ; ubi adventum Patris Carolus, dux Gandiæ, una cum filio Francisco Lombayæ marchione, Alfonso fratre, magnoque nobilium virorum comitatu septus opperiebatur ; quibus in genua provolutis cum bene precatus esset, ut Cardinali legato honoris causa sese adjungerent, præcepit : ipse autem, amotis a se eo pacto turbis, a via regia, ut qui tam splendido comitatui ereptum se cuperet, declinans longo ambitu civitatis mœnia prætervectus, porta S. Vincentii collegio proxima Valentiam ingressus mox ad socios sese recepit postridie Idus Septembris.*

Valentiæ,

299 *Recta ad templum, quod ingens nobilium feminarum turba, vivendi ejus studio ducta, impleverat, se contulit ; indeque per binos*

Fratres

A *(laborabat enim podagra) in collegii ædes deferri jussit: eadem illic vespera, ubi a Cardinali legato recedere licuit, adfuere Joannes Ribera patriarcha, Carolus dux Gandiæ aliique consanguinei. Proximo die Dominico patriarchæ rogatu ad populum dixit pari audientium admiratione et pietate. Aderat Patri Carolus aperto capite pedibusque consistens: socios* Borgia *sedes occupare jussit, hos sibi esse fratres, illum sibi filium inquiens. Obtinuit a Carolo, ut Ferdinando fratri reditus augeret annuos. Turbarum aliquid erat inter id collegium et academiam Valentinam, ad quas sedandas multum ejus auctoritas valuit. Invitatus ad convivium a Cardinali legato, multis precibus ægre impetravit, ut ultimum sibi in mensa locum occupare, cibos aperto capite sumere, pedibusque consistere liceret. Pridie discessus (moratus autem est Valentiæ quatriduo) concionem ad socios habuit, qua eos docuit, quanti intersit, orationis et pœnitentiæ studia conjungere, et qui animum rerum humanarum cupiditate expedirent. Valentia*

B *Matritum legatus concessit; bona ejus venia* Franciscus *paululum de via deflexit, et Villaregiense tirocinium adiit, ubi et tirones suo recreavit alloquio, et a Joanne Patieco de Sylva Villaregii domino ejusque conjuge Hieronyma Mendoza summa benevolentia ac veneratione exceptus est, cum iisque egit de amplificanda tirocinii illius domo. Inde mox ad legatum reversus est.*

ac Matriti excipitur,

300 *Matritum una cum legato ingressus est die S. Michaëli archangelo sacro, seu* XXIX *Septembris. Utrique jussu regis obvius fuit comes de Olivares, maxima item hominum multitudo: in his* Borgia *virum nobilem generoso equo vectum paulo attentius erat intuitus: ratus ille, speciem equi placuisse* Francisco, *hunc illi probe ornatum dono misit; sed remisit* Borgia *multa cum gratiarum actione, additis insuper munusculis sacris, inquiens se non Gandiæ ducem esse, sed pauperem religiosum. Aulam regiam, insigni nobilitatis primariæ comitatu ingressi, a Philippo rege comiter honorificeque excepti sunt. Nondum ab itinere vires recreârat, quin a rege fuerit in palatium evocatus; quem ut ingredientem rex vidit, in ejus am-*

C *plexum ruit, multaque sibi esse dixit, tum privata, tum publica, quæ cum eo communicata vellet: inde ad reginam ductus, et summa veneratione exceptus ad collegium divertit. Negotiorum cum varietate tum pondere pressus, ubi otium erat, summo mane in ædes Ferdinandi filii sese proripiebat, ibidemque prolixis orationibus omnisque generis pietatis exercitiis indulgebat. Virginibus discalceatis, quibus Joanna a Cruce soror ejus præerat, salutaribus potissimum legibus, consiliisque plurimum profuit.*

consectisque ibi

301 Interim et curam, *inquit Sacchinus lib.* 7, *num.* 133, rebus Societatis ordinandis una cum Provincialibus, qui ad se venerant, impendebat: dumque Miro Aragoniam inspicit, mox Lusitaniam inspecturus; Bœticam, Castellam, Toletum Francisco Vasquio: Balthassari Alvario, et Joanni Emmanuëli Leonio, qui Romam procuratores adierant reverterantque, breviter cognoscendas, ut res ad sese referrent, attribuit. In Castella restituti sunt, rogatu episcopi et civitatis universæ, Segoviensi collegio Latinitatis magistri. Burgense domicilium decretum est, ut professorum esset domus, quod proximo anno est factum, et novem Legione susceptum collegium. In Bœtica, insistente episcopo, Malacam socii aliquot missi ad primordia collegii. In Aragonia cœpta domus Probationis Valentiæ, coemtis vicinis collegio ædificiis. Multa simul constituit, quæ ad Mexicanæ provinciæ initia pertinebant: idque fuit destinatis in eam patribus moræ pretium: qui cum ejus anni classi ad tempus nequivissent occurrere, expectare sequentis cogebantur.

AUCTORE J. B.

prospere negotiis,

302 *Quod vero ad legationis negotia attinet, id tantum universim de his ait Sacchinus, existimasse omnes, legationi* Borgiam *longe maximum pondus adjecisse; Ribadineira vero, ea confecta fuisse ex regis legatique sententia. Plusculum narrat Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 14, §§ 2 *et* 3, *ut viguisse id temporis inter regia ecclesiasticaque tribunalia de suis juribus discordiam; cumque alii aliter ea in re procedendum existimarent; auctorem Philippo fuisse* Borgiam, *ut a selectis utrimque aliquot viris res amice pacateque tractaretur; idque ex regis quidem nomine Ruitio Gomez de Silva principi Ebolitano et Cardinali Spinosa Ca-* E *stellæ præsidi; ex legati autem uni* Borgiæ *fuisse demandatum, remque optatum exitum habuisse. Discessurus in Lusitaniam cum legato Pontificio* Borgia *sanctissimæ Crucis particulam Philippo II per marchionem Dianii, generum suum, dono misit, addita epistola, cui rex ipse manu propria benevole officioseque respondere dignatus est. Utriusque epistolam Hispanice exhibent Ribadineira lib.* 3, *cap.* 14, *et Cienfuegos lib.* 7, *cap.* 14, § 4, *Latine vero Schottus infra num.* 198 *et seq.; Sacchinus lib.* 7, *num.* 134 *et seq. Illud vero admirationi pluribus fuit,* Borgiam, *cum tantum apud regem valeret, ne verbo quidem umquam questum tum fuisse de iis, qui calumniis tam atrocibus ab annis hinc aliquot famam ejus existimationemque prosciderant.*

pari successu

303 *Confecto itaque legationis Hispanæ mu-* *nere, Lusitanum iter, prout a Pontifice in mandatis habebant, ingressi sunt: in ejus regni finibus adfuit Constantinus, Theodosii ducis Brigantini frater, et Indiæ antea prorex, eo a rege Sebastiano missus, ut ambos Ulyssiponem usque deduceret; quo cum pervenerunt, a rege ad maris littus in* F *eorum occursum progresso honorifice ac peramanter, concurrente ad rei spectaculum immensa hominum multitudine, excepti sunt. Pari* Franciscum *benevolentiæ significatione prosecuti sunt regina Catharina, Sebastiani avia, et Henricus Cardinalis regni princeps. Legatus in aula regia hospitatus est: idem ut faceret, impetrari abs* Borgia *haud potuit; itaque divertit ad socios. Regiam familiam ad pacem concordiamque* Franciscus *revocare omni conatu studuit. Privata quædam negotia ad optatum exitum perduxit, quæ a Pontifice in mandatis habuerat; item quæ a Philippo II. usus in his potissimum opera Joannis filii sui, Philippi ad Sebastianum regem ea tempestate legati. Successu non minore confecta sunt negotia cetera: duo potissimum Pontifex a Lusitano rege postulabat: alterum, ut in Turcas arma converteret: alterum, ut Margaritam, Caroli IX regis Galliæ sororem, quæ tamen Henrico Navarræ principi, ac dein Galliæ regi hujus nominis IV desponsa*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE J. B.

sponsa est postmodum, matrimonio sibi jungeret: effecere, ut in utrumque Sebastianus consentiret, legati ac Francisci *curæ: siquidem iis de rebus paulo post illorum e Lusitania discessum, die* XX *Decembris anni* MDLXXI *ita ad Pium V Sebastianus scripsit; de primo quidem:* Ego vero, sanctissime in Christo Pater ac beatissime Domine, posteaquam ipse mecum rem omnem diligenter consideravi, atque prout sane tanti negotii a me dignitas ac magnitudo postulabat, cuncta maturo consilio perpendi, ad ejusmodi expeditionem libentissimo animo conspirandum mihi esse constitui. *Et paulo post:* Quod si potentissimi Dei Clementia res fuerit eo loci, ut ceteri Christiani principes gloriosissimam hanc expeditionem simul aggredi decernant, polliceor ego, et constanter affirmo (quamquam, utpote in extremis orbis terrarum finibus collocatus, a Turcarum imperio longe absim) velle me primum in hanc sacri belli societatem adscribi, ipsique expeditioni præsentem interesse.

B 304 *De altero vero:* Quæ quidem omnia cum ita revera sese habeant, cognoverimusque non solum a Beatitudine tua, sed etiam ex aliorum cum sermonibus, tum litteris, Christianissimi Galliæ regis sororem maximis clarissimisque virtutum ornamentis ita fulgere, ut ea jure optimo nobis placere possit; faciendum esse decrevimus, ut ea de re cum eodem Cardinali Alexandrino apertius ageremus, idque negotii in ipsius manu poneremus, ut ipse Beatitudinis tuæ nomine, cum primum perveniret in Galliam, quo nunc ab ipsa legatus contendit, eadem super re loquatur cum oratore nostro ibidem agente. Quod si Gallicæ res, quod ad negotium attinet, eo loco fuerint, ut salva et auctoritate et existimatione nostra de iis agi posse videatur, tunc solum ad præpotentis Dei honorem et gloriam, ad sanctæque matris Ecclesiæ salutem et tutelam, atque ad Christianorum principum inter se concordiam et pacem retinendam, libenti animo feram, ut hujusce matrimonii affinitatisque vinculis Beatitudo tua me obliget atque devinciat.

in Lusitania fruitur.

c § XXIII. Gallicum item iter suscipit, e quo redux Romæ sancte moritur: lucubrationes ejus, Vitæque scriptores.

Gallicum item iter

Matritum e Lusitania una cum Cardinali legato reducem Hispaniæ reges baptismo Ferdinandi filii interesse voluerunt, quo suis precibus recens nato cœlestem favorem impetraret. Alterum ibidem a Pio V mandatum accepit, ut Cardinali legato etiam in Galliam comes iret. Mox itineri se dedit cum legato, deducente illos regis Philippi jussu ad extremos usque regni fines Ferdinando Borgiæ *filio: Thomas vero, Cæsaraugustanus postmodum præsul, Romam usque secutus est Fratrem. Legati etiam sodalitium duxit Petrus Nugnez, Toletanus sacerdos. Burgis eum summa veneratione Cardinalis Paliecus excepit: inde Mirandam ab Hebrum secum duxit P. Joannem Suarez, domus professæ Burgensis Præpositum:* D *hic a nobili matrona Magdalena de Ulloa, quæ domum tirocinii Villaganciensem condere meditabatur, litteras accepit: displicebat quibusdam locus: at* Borgia *eam domum utilitatem ecclesiæ ingentem (quod probavit eventus) allaturam prædixit. Cum missum ibidem a se Joannem Suarez fecit, duo illi prædixit; vix vivum se Romam reversurum; Joannem vero denuo Castellanæ provinciæ præsidem futurum. Ferdinandum filium Fontarabiæ sacro Epulo suis refecit manibus, postremisque instructum monitis Bajona in Hispaniam remisit.*

306 *Alia prorsus in Gallia, ac in Hispania rerum facies erat: grassabantur undique Calviniana hæresis, cædes, rapinæ, seditiones, et quidquid mali secum invehunt bella civilia. Templa passim semiruta, sine tectis, sine ornatu, sine aris, ut in iis res sacra decore fieri nequiret; quarum calamitatum (quas datis ad Ribadineiram in Sicilia agentem litteris ante decennium prædixerat) aspectu* Borgia, *jam morbis laboribusque pene confectus, summum* E *pro suo erga domum Domini zelo, concepit animi dolorem; quo factum est, ut corporis eum vires magis magisque deficerent. Die secunda Februarii, Purificatæ Virgini sacra, incruentum Deo sacrificium obtulit in templo quodam, ventis, pluviis nivibusque pervio, cum aliud non inveniret, usus supellectile sacra, quam secum deferre consueverat. Hic febris eum invasit adeo vehemens, ut vix biduum in vivis futurum medici crederent: prosequi tamen iter voluit; cum in via esset, remittebat aliquantulum febris; augebatur, cum quiesceret. Legatus Blefas pervenit instante proxime Quadragesima, die* XVI *Februarii;* Franciscus *biduo post. Venienti obviam processit, ut scribit Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 16, § 3, *Carolus IX Galliæ rex, qui tum Blesis una cum regina matre Catharina Medicea versabatur, eaque erga* Borgiam *humanitate est usus, ut multo se fuisse pudore suffusum ad Polancum, suum Romæ vicarium, scripserit. Neque minus humaniter a regina matre est habitus: vix ille Blesum pervenerat, quin continuo miserit, qui eum suis verbis salutaret: cum ad alloquium ventum est, considere juxta se jussit, caputque* F *tegere. Regni Gallici tranquillitatem ejus precibus commendatam voluit, pollicita etiam, se consiliorum ejus socios voluit, abeuntisque globulos precatorios, qui ex ejus cingulo pendebant, dono sibi dari petiit, reverenterque accepit; teste Petro Nugnez, Toletano sacerdote, apud Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 17, § 3.

sed minore fructu suscipit,

307 *Ceterum, cum non satis negotia ex voto procederent, ac legatus Pontificius de Pii V morbo certior factus esset, visum utrique est maturare in Italiam reditum: Blesis itaque simul digressi sunt die* XXV *Februarii, Lugdunumque pervenerant, cum alteris litteris Cardinalis Alexandrinus intellexit, Pontificis vitam in magno esse periculo; quæ res Cardinalem, licet invitum, a* Borgia, *qui eodem, quo Pontifex, properabat, secedere coegit.* Franciscus, *cum pedes ire nequiret, lectica delatus est ad Joannis Morani, ditionis Sabaudicæ oppidum, ubi Thomæ filii sui suasu et fratris Marci imperio dierum aliquot moram fecit. Decumbenti medicos et pharmaca subministranda curavit Emmanuel Philibertus Sabaudiæ dux:*

ac paulatim

A *dux : nec minorem ejus curam habuit, cum ex memorato mox oppido Taurinum per Alpes Cottias, seu montem Cenisium, ægre delatus est : hic omni honorum obsequiorumque genere cultus prolixius fuit, quam animi ejus demissio ferret : itaque abeundi licentiam invitis ducibus extorsit, navique impositus secundo Pado in fines Ferrarienses venit, Balignanum appulsus. Inde Ferrariam die Jovis post Dominicam Quasimodo vectus est navi, quam ei Alfonsus dux Ferrariensis, ejusque consanguineus miserat. Nihil æque* Franciscum *hic habuit male, ac pompa, qua a duce Ferrariensi exceptus fuit, spretoque palatio, alio, quam in Societatis collegium, divertere noluit; medicorum tamen Patrumque consilio, jubente F. Marco, in villam quamdam ducis suburbanam, ubi salubrior aura spiraret, ea lege secessit, ne quid eo ad se dux mitteret, præter id, quod præciperet collegii medicus. Thomam fratrem, ne ejus occasione ad se dux proceresque ventitarent, alio ablegavit. Dux interim preces publicas indici curavit largas-*

B *que pro ejus salute eleemosynas effudit.*

deficiens 308 *Frequentes id temporis extases passus est, visusque aliquando fuit subito in aerem rapi, ibidemque flexis genibus suspendi. Has inter extases mortis tempus modumque edoctus, ac modo paululum meliore, modo deteriore ad mensem usque Septembrem anni* 1572 *valetudine usus, Ferraria Romam discedere statuit : Alfonsum itaque rogat, ut postridie inde profecturo, quæ itineri necessaria essent, parata esse juberet : obluctanti Alfonso respondit, esse divinæ voluntatis, non ut Ferrariæ, sed Romæ, ubi decessores sui Ignatius Lainiusque mortui essent, ipse pariter moreretur. Ingenti sibi fore solatio, si mox Romam deportaretur : contra dolori, si Ferrariæ mortalis hujus vitæ peregrinationem absolveret. Paruit Alfonsus ejus desiderio, ac discedentem medicos binos et e domesticis suis aliquot comitari voluit. Lauretum delatus in ædem sacram, in qua Servator humanam carnem induit, se jussit inferri, ut Deiparæ Virginis patrocinio festinantem in cælestem patriam animam commendaret. Laureto Maceratam valetudine paululum meliori profectus, identidem comites monuit, ut iter accelerarent : Maceratæ pene exspiravit ; resumpsit tamen aliquatenus vires : monitus hic a medicis, existimantibus eum Romam non perventurum, fuit, ut vicarium generalem designaret ; verum id facere* Franciscus *renuit, certiora nimirum a cælesti Medico edoctus. Cum pene exspirantem cerneret F. Marcus, atque una cum illo commori velle dixisset, nondum, inquiebat* Borgia, *id fiet : futurum enim est, ut paulo post obitum meum in Peruviam (qua de re, ut jurejurando testatus est, nihil unquam Marco in mentem venerat) abeas, multumque illic ad infidelium conversionem tua opera conferat ; cui provinciæ Marcum mox admovit Everardus Mercurianus, in locum* Francisci *paulo post defuncti electus.*

Romam redit, ibique 309 *Romam tandem pervenit die* XXVIII *Septembris sub vesperam, portaque Flaminia Urbem ingressus, obortis præ gaudio lacrymis, hæc Simeonis prophetæ verba usurpavit :* Nunc dimittis servum tuum, Domine. *Ubi ad S. Mariæ de Populo venit, lecticam sisti jussit, et fratri suo Thomæ præcepit, ne cui ad se aditum concederet : tum per semihoram junctis manibus piissimas ad B. Virginem preces fudit, gratiasque egit, quod vivus advenisset, inque Pontificis et Ecclesiæ obsequio vitam poneret. Inde ad domum professam summo alumnorum gaudio exceptus est : mox P. Ludovicum de Mendoza ad Gregorium XIII (qui S. Pio V successerat), Tibure agentem misit, qui Apostolicam benedictionem sibi suppliciter peteret ; quam illi Pontifex cum indulgentia plenaria per Cardinalem Joannem Aldobrandinum continuo misit. Adfuere mox etiam cæsareus Hispanusque legatus ; quibus citissime expeditis, vetuit, ne quis ad sese accederet, præter P. Natalem, P. Ludovicum Hernandez, F. Marcum, et dominum Thomam de Borgia, soli deinceps Deo vacaturus. Die postero, S. Michaeli sacro, mira pietate sacrum accepit Viaticum, ac universæ Societati benedictionem impertiit. Extremæ vero unctionis Sacramento summo pietatis affectu animique tranquillitate munitus est die* XXX *Septembris sub vesperam piissime ad preces, quæ fundebantur, respondens : mox trium horarum spatio extra se raptus* E *paratam sibi gloriam vidit ; sibi redditus, cum Thomam fratrem suum flentem videret, non est, inquiebat, cur me defleas : Quantum beatitudinis jamjam vidi ! Deinde Thomæ cæterisque suis filiis nepotibusque postremam benedictionem impertiit ; Thomam nominatim monens, fidelis esset Ecclesiæ minister ; quod eum Deus in Ecclesiæ suæ præsulem destinasset ; vaticinium probavit eventus, cum ad Malacitanam primum, deinde ad Cæsaraugustanam cathedram Thomas evectus est, ad primam quidem anno* 1600, *ad alteram vero* 1603. *Rogatus, ut vicarium nominaret, facere noluit, quod neque S. Ignatius, neque Lainius fecerat. Pictorem, qui aderat, ut imaginem sui exprimeret, vultum avertens abire re jussit infecta. Felicem Creatori animam reddidit paulo post mediam noctem, quæ Kalendas Octobris antecessit, anno ætatis* 62 *completo diebus septem supra viginti circiter minus ; alii obiisse aiunt die* XXXI *Septembris paulo ante mediam noctem : at paulo post mediam noctem obiisse scribunt Ceparius, Alvarus Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 8, § 2, *idemque legitur* F *in Compendio vitæ virtutum et miraculorum, nec non Actorum in causa Beatificationis et Canonizationis* B. Francisci Borgiæ *anno* 1671 *Romæ edito typis Cameræ Apostolicæ.*

in magnæ sanctitatis opinione moritur, 310 *Tanta fuit ejus existimatio sanctitatis, ut mox ab ejus obitu, qui aderant Romæ patres, non pro eo orare, sed ejus se orationibus commendare cœperint. Cardinales, episcopi, viri fœminæque nobiles concursu maximo pedes ejus exosculaturi advolarunt. Gregorius XIII, intellecto* Borgiæ *obitu, hodie, inquiebat, fidelem ministrum amisit Sedes Apostolica, Ecclesia columnam ; Cardinalis vero Paleotus Ecclesiæ Catholicæ lumen exstinctum ingemuit. Habitudinem corporis infra num.* 203 *Schottus ex Ribadineira describit. Sepultus Kalendis Octobris in templo domus professæ inter S. Ignatium et Lainium decessores suos, eo populi magnatumque concursu,* ut, *teste Marco de Contreras, qui vidit,* Romana Urbs in altera sui parte deserta videretur. *Imagines, quarum vel aspectu plures se commoveri ad pietatem testati sunt, effformatæ mox non paucæ fuerunt : sed nullam ex his sibi visam*

AUCTORE J. B.

AUCTORE J. B.

visam fuisse, quæ satis accurate delineata esset, scriptum reliquit P. Dionysius Vasquez, qui ei a confessionibus fuit. Minus defectuosam Vallisoletum detulit P. Antonius de Alarcon, qua obsessorum capitibus imposita, invocatoque Francisci *nomine expelli dæmones non semel vidit, teste eodem Vasquez apud Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 18, § 3.

relictis

311 *Animi autem sui dotes pulchrius ipse depinxit in opusculis, quæ partim ante, partim post initam Societatem exaravit, Hispano plerumque idiomate : varia ea sunt et ad excitandam potius, quam ad eruditionis ac facundiæ laudem comparandam accommodata. Collegit, quæcumque reperire potuit, redactaque in justum volumen typis Francisci Foppens, typographi Bruxellensis, edidit anno* 1675 *D. Franciscus Borgia, Sancti pronepos. Recensentur ea in Bibliotheca Societatis hoc ordine :* I. Sermo de verbis illis Lucæ 19 : « Ut « appropinquavit Jesus, videns civitatem, flevit « super illam. « II. Speculum hominis Chri-
B stiani, seu de Christianis operibus. III. Collyrium spirituale. IV. De præparatione ad S. Eucharistiam. V. De Exercitio spirituali ad sui cujuscumque cognitionem. VI. Super Cantico trium puerorum, cujus initium : « Benedicite « omnia opera Domini Domino. « *Sex hos tractatus, ante initam Societatem sibi potius, quam aliis scriptos, editos in lucem publicam, sed invitus vidit ; eosque post illius obitum, Latinitate donatos, Matriti excudi curavit anno* 1579 *Alphonsus Deza, Societatis theologus. Hos tantum et non alios, legitimos* Borgiæ *fœtus fuisse asserit Ribadineira lib.* 3, *cap.* 19 : *quæ Ribadineiræ assertio non in eos tantum tractatus cadit, quos anno* 1559 Borgiæ *nomini falso affictos fuisse diximus supra ; sed etiam in eos, qui infra num.* 314 *primo ac tertio loco recensentur, quorum primus in sermonem Italicum translatus Venetiis prodiit anno* 1561 ; *alter vero Valentiæ annis* 1550 *et* 1570, *teste Nicolao Antonio. Ad Tractatus ejus reliquos in Bibliotheca Societatis memoratos progredior.*

lucubrationibus

312 VII. De Meditatione super Passione D. N. Jesu Christi. *Tractatum hunc, discursibus*
C *septem divisum, Nicolaus Antonius tom* 2, *pag.* 44 *Ludovico de Montoia, viro ex Augustiniano Ordine pio juxta ac docto, adscribit, ex Thoma de Herrera ejusdem Ordinis, ut quidem ex eo apparet, quod hunc Ludovici Vitam in sua Domus Augustinianæ Salmanticensis Historia in compendium redegisse paulo post addat. De* Borgia *item agens tom.* I *loco cit. sic scribit :* Meditationes de Passione Domini nostri pro singulis horis canonicis. Hujus argumenti tractatus Borgiæ non jure tributus Ludovicum de Montoia Augustinianum authorem habuisse dicitur. *Idem lego apud Cornelium Curtium in Virorum illustrium ex Ordine Eremitarum S. Augustini Elogiis anno* 1636 *Antverpiæ editis pag.* 1779, *uti et apud Augustinum Mariam Arpe in eorumdem Elogiis anno* 1709 *Genuæ editis. Hujusmodi plane tractatum reperio lib.* 5 *Operum* S. Francisci *ab ejus pronepote anno* 1675 *editorum : verum ut dubitem, sitne hic idem, quem Ludovicus de Montoia confecerit, facit Thomas de Herrera, qui in laudata domus Augustinianæ Salmanticensis Historia anno* 1652 *edita pag.* 342 *meminit quidem in compendio Vitæ Ludovici de Montoia Tractatus de Passione Christi in septem discursus divisi, a Ludovico compositi, sed* Borgiæ *adscripti ; verum non pro septem horis canonicis, sed* pro septem septimanæ diebus, *uti verbis conceptis ait Herrera.* D

variis, et solida

313 *Fortassis itaque hic error aliquis latet, cui cum ipsummet tractatus argumentum, tum ejus dispositio fere similis occasionem dederit. Ceterum fieri potuit, ut repertum inter* Borgiæ *defunctis chartas hujusmodi tractatus apographum, habitum pro ejus fœtu fuerit, ac pro tali dein in lucem editum ; id quod contingere etiam Schotto potuit, qui in Vita Latina* S. Francisci *anno* 1598 *typis vulgata ejusdem Tractatus velut a* Borgia *compositi, tacente licet ea de re Ribadineira, meminit, id sibi licitum putans, quod Ribadineira omnes plane* S. Francisci *lucubrationes enumerare, sibi propositum non habuerit. Mox enim a sex tractatibus num.* 311 *relatis ad reliqua* S. Francisci *opuscula sermonem convertens ait :* Præter istos sex tractatus S. Francisci (qui Latine, uti diximus, typis editi sunt, et soli ejus sunt) scripsit etiam quædam E alia opera multi spiritus et doctrinæ, nondum edita seu manuscripta : inter quæ sunt *etc.*

pietate plenis,

314 *Adduntur his in Bibliotheca Societatis :* Instructio equitis Christiani, *libellus* De ratione concionandi, Præcipuæ et maxime necessariæ S. Thomæ Aquinatis materiæ in Litaniarum rationem redactæ, Epistola ad socios Aquitanos de mediis conservandi spiritum Societatis, Lectiones in Threnos Jeremiæ, *tomi duo* Meditationum in Euangelia, quæ per annum Dominicis ac Festis diebus leguntur in Missa, Instructio pro bono regimine subditorum ad filium Gandiæ ducem, aliaque a Nierembergio ad calcem Vitæ S. Francisci memorata.

nactus subinde quamplures,

315 *Vitæ suæ scriptores nactus est plurimos, quos recensere singulatim necesse non arbitror : E præcipuis itaque dumtaxat aliquot, quibus potissimum hoc in Commentario usus sum, paucis attingo. Primus* S. Francisci *Vitam typis edidit P. Petrus Ribadineira, patria Toletanus, in Societatem a S. Ignatio receptus anno* 1540, *vir non modo* S. Francisco *ætate æqualis, sed eruditione etiam, scriptis, religiosarumque virtutum laude insignis ;* F *Matriti defunctus anno* 1611 *decimo Kal. Octobris, de quo plura in Bibliotheca Societatis pag.* 693 *et seq., cui Operi ipse initium dedit, legere est. Inter varias, quas sudore multo concinnavit, lucubrationes quinto ibidem loco occurrit,* Vita B. P. Francisci, tertii Præpositi Generalis, *in libros nempe quatuor, Hispano idiomate scriptos, dispertita, anno* 1594 *typis Matritensibus edita, ab auctore vero suo Philippo II, Hispaniarum regi, oblata, atque adeo eo tempore, quo recens adhuc erat* S. Francisci *rerumque gestarum ejus memoria apud Hispanos, a quibus falsi redargui facile potuisset, si quid commenti aut a vero alieni in ejus Vitam invexisset. Assistentis officio fungebatur anno* 1571, *quo in Hispaniam profectus* Borgia *fuit. Anno* 1609 *juridice interrogatus a Nuntio et Commissariis Apostolicis, jurejurando affirmavit, nihil se* S. Francisci *Vitæ et prodigiis, de quo sibi non constaret, miscuisse, ut omni ex parte plenam hæc Vita fidem mereatur. Nescio, num hujus exemplar S. Maria Magdalena de Pazzis fratri suo*

A *suo in villa Parrigiano commoranti Florentia dono miserit sub seculi hujus initium, commendaritque, sed verbis Italicis, ad hunc modum :* Mitio tibi librum de Vita P. Francisci Borgiæ, cujus lectionem magnæ tibi voluptati et solatio futuram reor. *Ita habet Epistolæ autographæ, in domo oblatarum, vulgo* Turris speculorum *dictæ, Romæ servatæ, apographum, inde anno* 1749 *ad decessores nostros missum.*

optimæ fidei notæque

316 *Hispanam* S. Francisci *Vitam, a Ribadineira conscriptam, ut plurium manibus tereretur, Latinitate donavit, ediditque Antverpiæ anno* 1598 *P. Andreas Schottus, ab Hispana verbis tenus nonnihil discedens interdum, additis etiam subinde brevibus digressiunculis et interpretationibus :* In interpretando, *inquit in Epistola nuncupatoria ad Carolum, Gandiæ ducem,* S. Francisci *pronepotem,* M. Tullii et Horatii regula sum usus, ne verba enumeranda, sed sententias, modo nihil ut omitterem, appendendas existimarem. Ad veritatis autem fidem omnia retuli. *Idem Schottus ex Italico in sermonem Latinum Vitæ* S.

B Francisci *Compendium Romæ anno* 1624 *a P. Virgilio Cepario editum vertit. Hic sua hausit partim ex Ribadineira et Chronicis Societatis, partim ex Processibus pro* Francisci *canonizatione factis, et ex Rotæ sacrorumque rituum Congregationis documentis ; cujusmodi fontes consulenti error obrepere haud facile potuit. Novis familiæ Borgianæ monumentis, librisque Italis adjutus B. Eusebius Nierembergius Ribadineira copiosius* S. Francisci *gesta libris sex descripsit ediditque Hispanice Matriti anno* 1644 ; *usus præterea manuscriptis de rebus a* Francisco *gestis P. Dionysii Vasquez Commentariis, qui* Borgiæ *non solum per Hispaniam commissario, sed etiam Romæ Præposito Generali a secretis, imo et a confessionibus fuit, primusque de illis scripsit.*

Vitæ suæ scriptores.

317 *Omnium denique copiosissime de* S. Francisco *scripsit P. Alvarus Cienfuegos, in sacrum Cardinalium cœtum postmodum relatus, insigni illo volumine, quod sermone Hispanico scriptum et in septenos divisum libros Matriti primum prodiit anno labentis seculi secundo, ac iterum decimo septimo. Libri duo*

C *postremi de heroicis* S. Francisci *virtutibus, et insignibus prodigiis agunt : quod ad virtutes spectat, id affatim præstat liber quartus Vitæ, a Ribadineira conscriptæ et ex Schotti interpretatione infra recudendæ : quod autem ad miracula ; poterit horum curiosus Alvarum libro sexto septimoque consulere. Nobis infra e multis pauca et explorata retulisse sufficiet. Præter memoratos Vitæ* S. Francisci *scriptores idem Alvarus in Proœmio PP. insuper Verjus et Bartoli, quorum ille idiomate Gallico, hic autem Italico, ejusdem Vitam accurate diligenterque exaravit, non sine laude commemorat.*

AUCTORE J. B.

§ XXIV. Ejusdem Beatificatio, canonizatio, cultus sacer, et adversus terræ motum patrocinium.

Institutis rite de ejus virtutibus et miraculis processibus,

Qui, cum in vivis esset, dictus fuerat Ducum Miraculum, patratis post obitum miraculis, sanctimoniæ suæ famam mirum auxit in modum ac longe lateque diffudit ; quibus se moneri Franciscus Sandovalius, dux Lermæ, S. Francisci *ex filia Isabella nepos credidit, ut procurandis Avo suo cœlitum honoribus sedulo incumberet, obtinuitque ab illustrissimo D. Decio Caraffa, Pontificio in aula Hispanica tum temporis oratore, ut de ejus virtutibus et miraculis actiones seu processus rite instituerentur : instituti autem sunt anno* 1610 *in Hispania processus quatuor Matriti, Valentiæ, Barcinone et Cæsaraugustæ : in Italia vero specialem instituit Recineti* E *Cardinalis Aræ-Cæli, Recinetensis episcopus, de miraculis patratis in monasterio Virginum Ordinis S. Benedicti ejusdem civitatis. Romam ex Hispania ad Paulum V transmissi fuere processus anno* 1615, *additæque Philippi III Hispaniarum regis, magnatum, præsulum, collegiorum, universitatum et regnorum totius Hispaniæ, uti et Claudii Aquavivæ Societatis, cui præerat, nomine, ut ad canonizationem procedi posset, supplices litteræ, quibus alteras item addidit Lermæ dux, ut* S. Francisci *virtutes miraculaque sua auctoritate firmaret. Causam Pontifex S. R. Congregationi commisit, quæ, excussis diligenter processibus censuit die* XXVIII *Augusti ejusdem anni rem eo esse loci, ut rotæ auctoribus committi posset, qui Romæ processum generalem instituerant, remiseruntque in Hispaniam litteras, ut iterato processus in specie institueretur in Hispania, datis judicibus Bernardo Sandovalio S. R. E. Cardinali et archiepiscopo Toletano, et Isidoro Aliaga archiepiscopo Valentino. Allatæ eæ litteræ Matritum fuere, ut scribit Alvarus Cienfuegos lib.* 5. *cap.* 19, F *§* 2, *die tertia Aprilis anni* 1617, *ac postridie a duce Lermensi magna dynastarum, sociorum, ac Dominicanorum caterva stipato, delatæ ad ædes archiepiscopi Cardinalis, mox memorati ; hujusque pompæ esse spectator voluit Philippus III.*

translatisque Roma Matritum reliquiis,

319 *Dum hæc aguntur, majori veneratione, quam pompa, clausisque valvis* S. Francisci *reliquiæ summi Pontificis venia e primo sepulcro in sacrario domus Professæ primum depositæ fuere die* 23 *Februarii anni* 1617, *indeque in templum novum translatæ, collocatæque ad cornu Euangelii altaris S. Francisco Xaverio dicati, præsente Gaspare Borgia, Sancti abnepote. Statuerat dux Lermæ Avo suo Matriti magnificum templum condere, eaque de causa tum apud Paulum V, tum apud Mutium, Vitellescum generalem Societatis Præpositum institit, ut illius reliquiæ Matritum ad sese mitterentur. Traditæ sunt die* 22 *Aprilis Antodio Zapatæ S. R. E. Cardinali in Hispaniam profecturo, osse tantum brachii Romæ relicto. Matritum allatæ aliquamdiu in conventu monialium*

AUCTORE J. B.

nialium Incarnationis, apud Virgines Discalceatas, et in conventu regio S. Dominici quieverunt, ac, aperta capsa, multis coram testibus suavissimum odorem diffuderunt. Tandem vero P. Provinciali Toletano a duce Lermæ in manus traditæ sunt die 17 *Decembris ejusdem anni, locatæque ad cornu Euangelii templi domus Professæ Matritensis, quæ tum sita erat in via,* del Prado *dicta : verum tertia earum translatio facto anno* 1627 *die* IX *Maii, ubi in sacello templi servatæ fuerunt usque ad annum* 1680, *quo, condita curis P. Ludovici Suarez altera ecclesia, in hujus altari principe sunt collocatæ, teste Cienfuegos, num. superiore citato.*

anno 1624 *Beatis adscribitur :*

320 *Confectis porro in Hispania iterato processibus, Rotæ auditores, Gregorio XV Pontifice, expensis matura* S. Francisci *sanctimonia ac miraculis, dignum illum videri, qui Beatorum albo inscriberetur, anno* 1623 *censuerunt : cum vero, Gregorio XV e vivis erepto, eodem anno successisset Urbanus VIII,* B *is oblatam sibi auditorum Rotæ relationem S. R. Congregationis subjecit examini ; cumque et illa, habita congregatione die* 31 *Augusti anni* 1624, *censuisset,* causam servi Dei Francisci Borgiæ *(verba sunt Compendii Actorum in causa Beatificationis* S. Francisci, *anno* 1671, *quo Sanctis adscriptus fuit, Romæ typis Cameræ Apostolicæ editi)* in tali statu esse habendam, ut tam ad Beatificationem, quam ad solemnem ejus Canonizationem quandocumque deveniri posset. Hanc sacræ Congregationis sententiam *(ut paulo post sequitur)* referente D. Cardinali de Monte, sacri collegii decano, ejusdemque Congregationis præfecto, approbavit SS. DD. Urbanus VIII, ac proinde die 23 Novembris ejusdem anni idem summus Pontifex de eorumdem Cardinalium concilio, enixe supplicantibus Philippo III, Hispaniarum rege Catholico, et Gaspare Card. Borgia, et nomine Societatis Jesu Mutio Vitellesco ejusdem Præposito Generali, per litteras in forma Brevis licentiam et potestatem concessit, ut servus Dei Franciscus Borgia, donec ad illius Canonizationem deveniretur, BEATUS nuncupari ab omnibus C posset, et Kalend. Octob. ab omnibus sacerdotibus Societatis Jesu ubique existentibus, et in ditionibus Dominorum de Borgia ab omnibus sacerdotibus tam regularibus, quam sæcularibus, de ipso Officium et Missa de communi Conf. non Pont. celebrari posset, quod indultum postea ad preces ejusdem Card. Borgiæ et Mutii Vitellesci Præpositi Generalis Societatis Jesu idem summus Pontifex litteris datis II Septembris anni 1625 extendit et ampliavit ad omnes presbyteros regulares et sæculares cujusvis Ordinis et Instituti in ecclesiis et domibus ejusdem Societatis Jesu. *Hujus rei nuncius summa lætitia replevit Hispaniam, ac Matriti quidem splendidissima, quæ per octiduum tenuit, instituta solennitas fuit.*

ex patratis ante Beatificationem

321 *Miracula quidem plurima, eaque rite probata, suppeditabant Processus in Hispania et Italia instituti : sed ea tantum hoc loci ex supra laudato Actorum in causa Beatificationis* S. Francisci Borgiæ *Compendio exhibebo, quæ, ut eum Beatis adscriberet, facta ipsi eorum relatione per Joannem Baptistam Coccinum, Alphonsum Manzanedum de Zuiguones, et Jacobum Cavalerium Rotæ auditores, Urbanum VIII potissimum permoverunt. Sic autem bent* : Primum. Ad extremum vitæ discrimen D adducta erat *(anno* 1607*)* excellentissima fœmina D. Hieronyma de Cardona Uzedæ ducissa, Lermæ ducis nurus, eo quod fœtus in utero materno egredi ex illo non posset, et acerrimis per viginti horas vexata doloribus, præ virium imbecillitate effundere illum non valeret : deplorata jam ejus salute, ipsisque regiis medicis nullam superesse vivendi spem asserentibus, dux Lermæ fœminæ, jam fere animam agenti, beati Francisci reliquiam affert, utque ejus patrocinio se cum fide commendet, hortatur : paret hortanti duci ducissa, reliquiam sacram amplectitur, osculatur, et illa uterum tangit. Ad uteri attactum illico fœtus emortuus, et fere putrescens egreditur, omnique amoto dolore incolumis statim evadit. Vix tanti miraculi fama per Hispaniam se porrexit, inexplicabile dictu est, quanto cum venerationis ardore ubique beati Francisci nomen exciperetur, nam in excellentissima fœmina, omnibus fere Hispaniæ magnatibus sanguine conjuncta, miraculi splendor splendidior emicavit. E

abs illo 322 Secundum. E nobilibus puellis, quas in suo palatio ad sui famulatum numerabat Esquilacii principis conjux, quædam, nomine Agnes Hurtado, sævissimis laterum doloribus afflictata, febrique immani correpta, magnum salutis discrimen subiverat, ex adhibitis remediis nihil prorsus adjumenti recipiens ; miserrimum puellæ statum triduo jam laborantis commiseratus princeps, beati Francisci, sui consanguinei, reliquia arrepta, circumstantes deprecatur, ut miraculum beati Francisci oculati testes aspectent. Tum illis comitantibus ad ægram accedit, ipsique beati Francisci sanctitatem commemorans, ejus reliquiam illi offert, cui se ardenti cum fide commendet. Ejus nomen invocat cum fide puella, ejusdemque reliquia leviter tangitur : ad reliquiæ tactum statim dolor cum febri evanescit, et pristinæ saluti restituitur.

miraculis 323 Tertium. Infantulum suum lactabat Maria Martinez, sed ubera tantus morbus invasit, ut cum eorum capitula sugeret puer, acerrimo dolore cruciaretur mater, et labia sanguine aspersa fere semper filius referret : eo brevi morbus devenit, ut dexteri uberis capitulum fere F totum abscissum, et pendulum vix ab exiguæ pelliculæ partæ uberi adhæreret : humanis destituta præsidiis mater ad beatum Franciscum plissime accedit, ejusque imaginem uberi, lectum intrans apponit, et nunquam inde amovendam statuit, quoad usque sanitati reddatur. Eadem nocte ad pueri fletum expergefacta, lac illi ab uberibus porrigit, ne levissimum quidem dolorem percipiens : conjugi sciscitanti, cur juxta morem de doloris acerbitate non conquereretur, miraculum aperit, et benefactorem suum beatum Franciscum declarat. Tum ille assurgens e lecto, lumenque propius admovens ad conjugis pectus, ubera sana et integra comprehendit, dextrumque capitellum fere totum jam abscissum uberi fortiter adhærere.

e multis 324 Quartum. Alia ejusdem principis Esquilacii conjugis famula, dicta Francisca de Milan, sævissimis pariter angebatur laterum doloribus : inutilia fuere plurima et maxima medicamenta, quibus morbi vim superare medici præclarissimi contenderunt, tandem sopore correpta et paulo post expergefacta reliquiam beati Francisci sibi dandam postulavit, eo quod a Patre quodam Societatis

A Societatis, quem quiescens aspexerat, affirmatum sibi fuerit, se illius patrocinio doloribus, quos patiebatur, liberandam : statim præsto fuit, qui a principe acceptam reliquiam subministraret, et cum illa latus attingeret dolorum aculeis cruciatum, statim dolor, simul et febris, evanuit. Tum interrogata, quinam fuerat ille Pater, quem vidisset in somnis, respondit, ignotum sibi penitus illum esse, sed facile cognoscendum, si beati Francisci imaginem conspexisset. Vix hanc sibi repræsentatam inspexit, protinus dixit : Hic quidem ille ipse est, qui se mihi dormienti videndum dedit mihique persuasit, ut ad me e doloribus vindicandam ejus reliquiam postularem.

pauca 325 Quintum. Octennis puer ex eadem familia de Milan, nomine Christophorus, e tumore, quo dextrum genu magnum in modum intumuerat, eo periculi redactus erat ex omnium medicorum sententia, ut, nisi ejus dextrum totum abscinderetur, desperata penitus ejus salus esset. Adhæc ejus mater mæstissi-
B ma, beati Francisci patrocinium confidenter exorans, ejusdem Beati imaginem puero tradidit, qui ipsam cum lachrymis osculatur, et morboso genui superimponens, his verbis illam affatus est : O sancte Pater Francisce, fac, ut sanus evadam, et a tanto periculo liber fiam. Ad hæc illico dolor acerbissimus, tumor ingens et febris abscessit.

referuntur ; 326 Sextum. Matriti triennis puer apud Franciscum Perez e domestica scala delapsus, et toto impetu per viginti gradus usque ad ultimum
* præcipitanter præcipiter * devolutus, immane vulnus, latoque hiatu dehiscens in capite passus fuerat. Hinc cranium illi fractum, febris magna, largissima sanguinis effusio, et to tam faciem occupans fœdissimus tumor. Postera die periclitanti puero traditur imago beati Francisci Borgiæ, ut ejus opem pie reposcat : paret puer, capitique imagine imposita, somno se dedit : ut primo mane se excitavit, advocatis domesticis dixit, se optime habere, et ope B. Borgiæ sanitatem recepisse. Accedit chirurgus, nullum in capite vulnus agnoscit, cicatricem videt obductam, conglutinatam pellem, nullam deformitatem in vultu, et omnem ardorem febris extinctum.
C Totum hoc miraculose patratum a beato Borgia, totius rei narratione scripta ipse confirmavit, cum ad eam tantum reficiendam pellem, quæ cranium contegit, juxta chirurgicæ disciplinæ leges, triginta saltem dies necessario exigantur.

uti et ex iis, 327 *Exin vero Deus Servi sui sanctimoniam meritaque novis prodigiis declarare non destitit : bina ex his in Compendio Actorum in causa Beatificationis et Canonizationis supra num.* 320 *citato referuntur his verbis:* Septimum. Apollonia Caballa, puella Romana, nunc in monasterio Montis Thabor in Ereti oppido (*vulgo* Monte-Rotundo) dicta soror Deodata a Sanctissima Trinitate, in sinistro latere herpetem patiebatur, visu horribilem, et naturæ viribus prorsus insanabilem : septennio enim cum totali cutis vitio substantiam in patiente devoraverat, carnemque vivam erodebat, omniaque validissima adhibita medicamenta eluserat. A P. Nicolao Zucchio Societatis Jesu tradita illi fuit imago beati Francisci Borgiæ, ut pia erga eum fiducia illam desperato ulceri superponeret : Annuit illa, brevi factum est, ut, tota herpetis malignitate recedente, pristinam salutem recuperaverit, ne levissimo quidem in extima pelle obductæ cicatricis vestigio remanente.

AUCTORE J. B. *quæ ejus canonizationem*

328 Octavum. E gravissima febri acuta et parothide ad dexteram capitis partem, conclamata jam omnibus erat in Urbe Valentiæ Magdalena, famula D. Josephi Poli, jamque sacris mysteriis Christiano ritu munita extremam mortis horam expectabat; cum ex insigni devotione, qua beatum Franciscum Borgiam prosecuta semper fuerat, ejus reliquiam postulavit a P. Augustino Palatio, qui non ita pridem extremam ejus confessionem exceperat : indulsit desperatæ fœminæ precibus P. Augustinus, eique optatam reliquiam porrigit, sibi illam ad parothidem apponit ægrota, et perbrevi temporis spatio sævissimi dolores, quibus e parothide angebatur, abscedunt, cibum inde hilariter sumit, totam inde noctem quiete ducit, demum summo mane cum tanta morbi diminutione a medico urbis primario reperitur, ut ab omni prorsus mortis periculo libera diceretur, et triduo perfectæ incolumitati restituta omnibus se spectandam dederit, e beati Francisci miraculo cunctis id factum affirmantibus.

E *antecesserunt, de qua Benedicti XIII Bulla hic exhibetur.*

329 *Bina hæc miracula Clemente X obtulit sacra Rituum Congregatio anno* 1670, *ut* Franciscum *Sanctorum numero adscriberet ; quod ut fieret, Leopoldus Romanorum imperator, et Carolus II, rex Catholicus, aliique tum ecclesiastici, tum seculares viri principes enixe postulabant; quorum æquissimis desideriis ut faceret satis,* Franciscum *in Sanctorum numerum solenni ritu una cum SS. Philippo Benitio, Cajetano Thiencæo, Ludovico Bertrando et Rosa a S. Maria retulit, Dominica secunda post Pascha pridie Idus Apriles anni* 1671. *Quia vero decretales ea de re litteras neque Clemens X, neque ejus successores Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII, Clemens XI et Innocentius XIII de more conscripserant promulgarantque, fecit id Benedictus XIII anno* 1724 *pridie Nonas Junias, Pontificatus sui primo, sequenti bulla:* Benedictus episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit et convenit æquitati, ut, quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarchum, Archiepiscoporum F
et Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea ab ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

B. Franciscus Borgia in variis vitæ statibus sanctitate excelluit.

330 Romana Ecclesia, cui, nullis exigentibus meritis nostris, ineffabile Dei consilium præesse nos voluit, ex veteri disciplina et constitutionibus Apostolicis, in Sanctorum canonem eos solemni ritu referre consuevit, qui suarum virtutum exemplo Christi fideles ad viam salutis per majorum vestigia alacrius incurrendam accenderent ; quumque multi peculiari aliquo vitæ genere ut plurimum excelluerint, unus Franciscus Borgia sæculo decimo sexto repertus est, quem in variis multisque ordinibus constituti, ut certum salutis ducem sequi possent. Optimates enim et viri principes, quique rem publicam gerunt, in eo habent, quæ sibi in omni vitæ suæ cursu imitanda proponant. Magna quoque habent, qui regum gratia florentes in summarum dignitatum fastigio positi sunt. Conjugio sociati æque ac eodem soluti, adolescentes pariter, juvenesque.

Viri

AUCTORE J. B.

Viri item Deo dicati, cœtibus quoque religiosis præpositi. Hi ad unum omnes in Francisco tenent, quæ ubertim et tuto moribus et actibus suis exprimere possint. Etenim ille, Deo volente, singulas has personas mira vitæ sanctimonia, comitibus miraculis, repræsentavit; unde factum, ut Viri Dei virtutum et signorum constanti fama quotidie aucta, felicis recordationis Romani Pontifices, antecessores nostri, Paulus V atque Ubanus VIII de illo sanctorum Confessorum canoni adnumerando consilium inierint, permoti etiam Catholicorum regum Hispaniæ ferventibus votis, huic sanctæ Sedi Apostolicæ expositis: quod tandem piæ memoriæ decessor noster Clemens Papa X ad canonicos ritus, veteri traditione et pontificia auctoritate receptos, tota Ecclesia plaudente, complevit.

Francisci ortus, patria et educatio.

331 Inter præcipuos Hispaniarum dynastas, Gandiæ duces, quæ est gens Borgia, numerantur. Eam multiplices dignitates claram et percelebrem reddiderunt. Clarior tamen evasit, ex quo magnus Dei servus Franciscus, parentibus Johanne Gandiensium duce III et Johanna ex Alphonso Ferdinandi regis Catholici filio progenita, in lucem prodiit anno Christi Domini MDX, V Kalendas Novembres: quem diem beati Apostoli Simon et Judas martyrio nobilitarunt. Francisci locus natalis fuit Gandia, Borgiæ domus avitum opidum ad oram Balearici maris in Consetanis, populis Hispaniæ Tarraconensis in diœcesi et regno, quæ a Valentia principe civitate appellantur. Pia mater, quod præsenti ope seraphici confessoris beati Francisci vitæ discrimen in filio pariendo evasisset, Franciscum in Baptismate dici voluit, quod nomen tunc primum in domo Borgia, fausto omine futuræ ejus sanctitatis, auditum est. Patris soror et mater, quæ erat Ferdinandi regis Catholici consobrina, inter Clarissas virgines eximia pietatis laude conspicuæ, animo Adolescentis Christianæ perfectionis igniculos injecerunt: qui, puerilibus annis domi traductis, et cum iisdem Dei sponsis ex prædonum manibus ereptus, apud avunculum archiepiscopum Cæsaraugustanum Alphonsum Aragonium, et Catharinam Johannæ reginæ filiam, postea Johanni III Lusitaniæ regi nuptam liberaliter educatur.

In aula Caroli V imp. sancte vivit, uxorem ducit, prolem suscipit, et ex aspectu defunctæ Isabellæ Augustæ divina luce illustratur.

332 Inde in aulam Caroli V Augusti profectus, salutis animæ suæ memor, se undequaque immaculatum servavit, matronas officii causa non nisi aspero cilicio præcinctus adire solitus. Caroli conjuge Isabella Augusta adnitente, Eleonoræ a Castro, lectissimæ virgini Lusitanæ, de sanctioris vitæ instituto nihil unquam remittens, matrimonio sociatur. Pulchra et copiosa prole donatus ab ea, quam inierat, pietatis regula animum domi foris ve nunquam avertit, cœlestibus meditandis diu noctuque occupatus, sacraque Synaxi quolibet octiduo non sine lacrymis muniri sollicitus. Sublatæ Isabellæ Augustæ Granatum funeris deducendi Francisco onus imponitur, cujus cadaveris, ut publica fide recognosceretur, nudata facies deformitate sua tantum ei terrorem incussit, ut divina luce illustratus, de terrenis rebus, si conjugi superesset, omnino deserendis apud se constituerit, postmodum dicere solitus, mortem Augustæ sibi vitam attulisse.

Cataloniam sancte administrat, deque rebus æternæ salutis beatum Ignatium consulit.

333 Cataloniæ cum imperio præfectus, eam cogitationem ardentius fovit, ibique populorum felicitatis ita studuit, ut patris patriæ elogio, tamquam rei publicæ bono natus, honestari meruerit. Magnam auri vim in pauperes erogavit, pias sacrarum virginum et virorum familias eleemosynis auxit, sed eos in primis, qui ex summa fortuna ad extremam inopiam devenissent, clam aluit. Consilium pridem animo insitum sæpe recogitans, atque uni Deo meditando inhærens, diluculo quinis horis de genu quotidie orare: frequenti divinæ mensæ accubitu, jejuniis et pœnitentiis, ubi a regiis negociis vacaret, recreari consuevit. Tunc ei beatum Ignatium, regularium presbyterorum Societatis Jesu, cui postea nomen dedit, parentem et conditorem, prima occasio de tantis rebus scripto consulendi cœlitus data est.

Gandiensium felicitati prospicit; in Societatem Jesu se rapi sentit: honores fugere maxime appetit.

334 Patre optimo, atque conjuge, piarum omnium exercitationum socia, orbatus, et domum redux, suorum Gandiensium solatio et securitati prospexit, nosocomia instauravit, cœnobia construxit, gymnasia pro Mauris Christiane educandis erexit, sacras ædes vasis aureis argenteisque pro dignitate locupletavit; deque veteri vitæ proposito perficiendo secum animo statuens, salubria in hoc sibi consilia divinitus dari, per bonorum hominum preces flagitavit. Deus tandem Servi sui votis arrisit, inque Societatem Jesu se rapi sensit. Quod enim recens orta religio, et ab origine ardentior, vulgo etiam adhuc ignota esset, nullusque in ea ambitiosis hominibus dignitatum locus pateret, Francisco, summos honores fugienti, aptissima visa est. Orationi intentus hæc animo agitans, septem totos dies tiaram capiti suo imminentem aspexit, veritusque, ne Ecclesiæ dignitatem portenderet, Deum enixe obtestari non destitit, ne honores, quos fugeret, alibi offenderet. Post defunctos duos fratres suos S. R. E. Cardinales, quum eandem dignitatem per antecessores nostros Romanos Pontifices ultro oblatam, ab se repulisset, tiara illo Præpositi munus in sacra sua familia indicatum postea cognovit.

Adhuc Gandiæ dux religionis vota nuncupat; annoque jubilei Romam petit.

335 Adhuc Gandiæ dux per felicis recordationis Paulum Papam III decessorem nostrum, beato Ignatio deprecante, permissus est, ut, paucis consciis, religiosa vota nuncuparet. Quadriennium rebus suis componendis a Pontifice præfinitum disciplinis gravioribus, sacro homine dignis, singulari modestia publice perdiscendis impendit: quo elapso, et per felicis recordationis Julium Papam III anno Jubilei Christianis indicto, Franciscus limina Apostolorum frequentaturus, utque Ignatii invitantis alloquiis frueretur, et Caroli V beneficam erga se voluntatem declinaret, suis valedicens, Romam eo animo cogitavit, ut natale solum deinceps numquam repeteret, qui ad aliam patriam, cœlestem nimirum, summa contentione properaret; idque sancte servavit, etiam sedente antecessore nostro Pio Papa V, in legatione Cardinalis Alexandrini ad Catholicum Hispaniarum regem Philippum II illac digressus. In sacro itinere ad Urbem, quod assiduæ preces divinique sermones minuebant, juxta ac Romæ positus, ignorari, quam honorifice excipi maluisset.

336 Ingentem in eo pietatem, submissumque spiritum, qui beati Ignatii complexui amplissima et magna quæque postponeret, Urbs tota suspexit. Menses quatuor lustrandis basilicis Deo sacris, omnique pietatis genere cum Ignatio

Roma ejus pietatem miratur. Honores metuens, inde discedit, suis se abdicat, clericum induit, et primum Sacrum celebrat.

Ignatio Romæ transegerat, quum de se Cardinalium senatui adscribendo apud Julium agi subodoratus, eodem Ignatio auctore, Pontificis oculis propere se subducens in Hispaniam reversus est, ubi Caroli V, propositum ejus laudantis, auctoritate, rebus et titulis suis Gandiensibus universis Carolo filio transcriptis, se penitus abdicavit, regularem Societatis Jesu clericum induens, et Davidicum illud lætus ingeminans : « Dirupisti, Domine, vincula mea, « tibi sacrificabo hostiam laudis. » Presbyteratu initiatus, primum Deo Sacrificium Loyolæ in Cantabria, Ignatii patriæ et pietati hoc tribuens, privatim obtulit, mappis Ludovicæ sororis acu pictis in ara usus. Quia vero Julius Pontifex hoc speciatim indulserat, ut quum primum publice Sacris operaretur, quotquot peccatorum confessione rite expiati, ex ejus manu Corpus Domini sumsissent, plenariam veniam perciperent. Vergaræ opido id factum, quo tot homines, rei fama ducti, advenerunt, ut sacra æde, licet magna, nequaquam eos capiente, in ara sub dio excitata celebrare debuerit, tot
B ad sacram Mensam accedentibus, ut meridiana hora longe transierit. Postea concionen habuit, et, clero ac populo suppliciter procedente, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum gestavit.

Magna ejus pietatis fama ubique pervagatur. Beatus Ignatius intercedit quominus Cardinalis creetur.

337 Ad socios inde reversus, majori sanctitati excolendæ operam dedit, precandi studio horas octo quotidie largitus, vilissima quæque munia ultro subire non dedignatus, stipem vicatim et ostiatim nudo capite et pedibus palam mendicans, et pauperibus ac nosocomiis distribuens, humi quoque vel in tabulis cubans. Fama tantæ pietatis aulas regias pervagante, quamplurimi illum adire, deque salutis negocio consulere visi sunt. Complures pariter, summates præsertim, Francisci exemplum secuti, religiosis familiis se devoverunt. Sed Julius Pontifex et Carolus V tantam virtutem in Cantabris delitescere indignum rati, consilium de illo inter S. R. E. Cardinales cooptando certatim, incassum tamen, quod postea sæpenumero quoque factum, inierunt. Ignatius, qui sociis aditum ad honores legibus latis obstruxerat, Julii pedibus advolutus, ne invito atque inscio honorem deferat, neve oblatum capere cogat ; nascenti sodalitati hoc saltem benignus
C tribuat, libello supplice et lacrymis coram exorat, et permagna Francisci lætitia impetrat, qui et grati animi testes literas ad Pontificem dedit.

Munera per beatum Ignatium sibi injuncta pie init, Carolum V decumbentem solatur, defunctum pro concione laudat, Romam advocatur, ubi fit Præpositus Generalis III, et a beato Pio V cum Cardinali Alexandrino in Hispaniam ablegatur.

338 Non tamen illum Ignatius latere permisit. Viri enim singulari prudentia in lucrandis Deo animabus, et sanctitate perspecta, sacras conciones habiturum varias civitates et regiones adire, et multarum provinciarum, quas, licet incommoda valetudine usus, pedes obivit, cum amplissima facultate, Commissarii generalis officio fungi, mandavit : quæ omnia magno rei Christianæ bono peracta sunt. Postquam vero Carolum V, morbo languentem, misericordiæ commemoratione erexisset, et defunctum funebri sermone laudasset, suæ voluntatis, quam ratam haberi vellet, exequendæ, supremis tabulis per eum nominatus, a recolendæ memoriæ antecessore nostro Pio Papa IV Romam advocatur, ubi, Societatis Præposito generali Jacobo Laynio ad Tridentinum concilium ire jusso, Vicarii generalis munus Francisco imponitur. Mox, Jacobo ad Urbem reverso, assistens pro Hispania et Lusitania eligitur ; postea, Laynio e vivis sublato, iterum Vicarius generalis, et demum totius Ordinis Præpositus magna suffragiorum consensione invitus renunciatur, quo in munere Societatem septennio sanctissime rexit, inque obsequiis Apostolicæ Sedis vitæ cursum, quod maxime optaverat, consummavit. Pius enim Papa V Cardinalem Alexandrinum in Hispaniam, Lusitaniam et Galliam pro re Christiana ad sacrum fœdus in Turcas percutiendum mittens, consiliorum ei comitem et participem Franciscum adjungi voluit. Et Pontifici jubenti Vir pius, quamvis laboribus, asperrimis pœnitentiis et morbis prope confectus, alacriter paruit.

AUCTORE J. B.

Romam redux plenus virtutum et meritorum pie obit, et signis claret.

339 Romam redux, oculis et manibus in cœlum sublatis, lætus exclamavit : « Nunc di- « mittis servum tuum, Domine ! » Mox biduum a reditu longa ægrotatione multisque incommodis fractus, quæ tamen illum impedire non potuerunt, quin Romam ad supremum et jamjam imminentem mortalis vitæ suæ terminum festinaret, susceptis præsenti animo et summa religione Ecclesiæ Sacramentis, ac Pontifi- E
cia Gregorii XIII felicis memoriæ antecessoris nostri benedictione munitus, plenus virtutum et meritorum inter sodalium amplexus piissimam animam cœlo reddidit anno Christi MDLXXII Kalendis Octobribus. Dei Servus a beatis et spectatissimis viris Ignatio Loyola, Pio Papa V, Carolo Borromeo, Francisco Salesio, sacra Virgine Teresa a Jesu, aliisque quamplurimi factus, magnam ubique virtutis et sanctitatis famam reliquit. Miracula etiam multa subsecuta sunt, quæ, precibus accedentibus Philippi III, Hispaniarum regis Catholici, et Magnatum, Præsulum, atque Academiarum Hispaniæ Paulum PapamV permoverunt, ut ob tantum Dei Famulum in Sanctorum canonem referendum, summarum ejus virtutum et eorundem miraculorum examen rite institui posse concederet : quo absoluto, Urbanus VIII eum Beatorum ordini adscribendum sancivit, largitus quoque, ut de illo Missa et Officium omnes Societatis Jesu religiosi ubique recitare possent, ac mox ut in eorum ecclesiis idem omnibus presbyteris agere liceret.

De Francisco in Sanctorum canonem referendo consulitur, decretum a Clemente X vulgatur, et rei solemnis cæremonia ab eodem completur.

340 Interim sub aliis inclytæ memoriæ antecessoribus nostris Innocentio X, Alexandro VII et Clemens IX signa post Francisci beatificationem patrata in examen ex Constitutionibus Apostolicis adducta et undequaque probata sunt. Decretum tamen de illo in Sanctorum tabulas referendo, quod Clemens IX, morte præreptus, vulgare non potuerat, ejus successor Clemens X rite vulgavit, exorantibus illustris memoriæ Leopoldo electo Romanorum imperatore cum conjuge augusta, Carolo II Hispaniarum rege Catholico, aliisque viris principibus ecclesiasticis et sæcularibus. Quare idem Clemens X gestis omnibus beati Francisci de veteri more Apostolicæ Sedis in tribus Consistoriis coram rite discussis et approbatis, eum statuta die in Sanctorum fastos referendum pronunciavit. Itaque Dominica secunda post Christi Domini Resurrectionem pridie Idus Apriles, pontificatus sui anno primo, quum in sacrosanctam basilicam beati Petri principis Apostolorum solemni ritu cæremoniam peracturus processisset, semel, iterum et tertium iteratis ad Deum precibus in plenario conventu venerabilium Fratrum

AUCTORE J. B.

trum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum pro Francisco Borgia Sanctorum Confessorum canoni adscribendo, unanimi omnium acclamatione et suffragio post sacros hymnos, precesque ad Deum pie fusas, et Paracliti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis, exaltationem, fidei Catholicæ, Christianæque religionis amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum Apostorum Petri et Pauli, beatum Franciscum Borgiam, Societatis Jesu presbyterum Hispanum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate omniumque virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia cumulate constiterat, una cum beatis Confessoribus non Pontificibus Philippo Benitio, Cajetano Thienæo, Ludovico Bertrando et virgine non martyre Rosa a sancta Maria, sanctum Confessorem esse decrevit, Sanctorum Confessorum non Pontificum canoni adscripsit, atque imposterum ab universis Christi fidelibus, tanquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque statuit et definivit: ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, ubi Incruentum Sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari: quotannis quinto Nonas Octobres illius memoriam, ut Sancti Confessoris non Pontificis, pie coli, atque Officio et Missa ritu S. R. E. honorari, pronunciavit. Adhæc eadem sua Apostolica auctoritate universis et singulis Christi fidelibus, qui dicta die ejusdem sancti Confessoris sepulcrum et corpusculum devote visitassent, annos septem et totidem quadragenas; infra vero Octavam quadraginta dies de injunctis seu debitis pœnitentiis misericorditer relaxavit. His peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum, Patris sempiternum Filium; sanctumque Paraclitum Spiritum, unum Deum atque unum Dominum, hymnis et laudibus veneratus, peculiari oratione in honorem beati Francisci Borgiæ ad Deum cantata, Missam in ara maxima supra confessionem beati Petri cum ejusdem Francisci commemoratione celebravit, omnibus Christi fidelibus tantæ cæremoniæ præsentibus, peccatorum indulgentiam largitus.

Clementis X decretum de Francisco Borgia inter Sanctos relato constitutione hac confirmatur.

341 Ne vero de hujusmodi Clementis Papæ X decreto Apostolico, definitione, sanctione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem Clemente et ab ejus successoribus Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII, piæ memoriæ Romanis Pontificibus decessoribus nostris, literæ decretales de more conscriptæ et promulgatæ non fuerint, deinceps possit unquam quomodolibet hæsitari, nos, qui meritis iisdem, licet imparibus disponente Domino, in Cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus et Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a jam dicta die pridie Idus Apriles anni MDCLXXI suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa X literæ decretales revera eadem die conscriptæ et de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Hæc constitutio ubique fidem obtineat.

342 Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscunque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea, quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Nemo eam infringere audeat.

343 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie Nonas Junias, Pontificatus nostri anno primo.

† Ego Benedictus, Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

† Ego Franciscus episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.

† Ego Joseph Tit. sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis Sacripantes.

† Ego Philippus Antonius Tit. sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Gualterius.

† Ego Ludovicus Tit. santi Silvestri in Capite presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ presbyter Cardinalis Zondadarius.

† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam presbyter Cardinalis Corradinus.

† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum presbyter Cardinalis de Polignac.

† Ego Bernardinus Tit. sancti Petri in Monte aureo presbyter Cardinalis Schottus.

† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei et Achillei presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis presbyter Cardinalis Spinula.

† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priscæ presbyter Cardinalis Belluga et Moncada.

† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Stephani in Monte Cœlio presbyter Cardinalis Salernus.

† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula presbyter Cardinalis Cienfuegos.

† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana presbyter Cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii presbyter Cardinalis Petra.

† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni presbyter Cardinalis Marefuscus.

† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica presbyter Cardinalis Coscia.

†Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus Cardinalis Pamphilius.

† Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro diaconus Cardinalis Imperialis.

† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes diaconus Cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium diaconus Cardinalis Columna.

† Ego Curtius sancti Eustachii diaconus Cardinalis Origus.

† Ego

A † Ego Fabius sanctorum Viti et Modesti diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.

† Ego Carolus sanctæ Mariæ in Aquiro diaconus Cardinalis de Marinis.

† Ego Julius sancti Hadriani diaconus Cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis Albanus.

† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ de Rotunda diaconus Cardinalis judice.

P. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiëpiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Cultus primum Franciscus fuit die I, *dein* III, *nunc* X *Octobris :*

344 *Summo ubique plausu* Francisci *canonizatio excepta est : in Hispania cum eam, teste Cienfuegos ad calcem lib.* 5, *hæreticus quidam inaudivisset, seque, si Gandiæ Ducem cœlo receptum crederet, inferis devovisset, vix blasphema verba protulerat, quin manu invisibili raptus ex hominum oculis continuo disparuerit.* S. Francisci *festum, cum in Beatorum*

B *album relatus fuit, primum quidem Kalendis Octobris celebratum fuit : id vero Clemens X, posteaquam Sanctis eum adscripserat, ad diem tertium Octobris transferri, hisque verbis in Martyrologio Romano memorari voluit :* Romæ S. Francisci Borgiæ Prænositi Generalis Societatis Jesu, vitæ asperitate, orationis dono, abdicatis sæculi, recusatis Ecclesiæ dignitatibus memorabilis. *Inde autem ad diem* x *Octobris, quod cum primis Vesperis S. Francisci Assisiatis concurreret, translatum denique fuit anno* 1683. *Officium sub ritu duplici secundæ classis pro Hispania et Societate approbatum fuit anno* 1684 : *anno autem* 1689 *Missam ejus et Officium sub ritu semiduplici ad Ecclesiam universam extendit Alexander VIII.*

patrocinium ejus adversus terræ motus

345 *Patrocinium ejus adversus terræ motus potissimum invocatur. Anno* 1625, *ab ejus Beatificatione proximo, uti refert Petrus a Mercato in historia Novi-regni Granatensis Societatis Jesu, Ferdinandus Arias d'Ugarte, archiepiscopus S. Fidei di Bogotta, una cum episcopis Carthagenæ, S. Marthæ, et Popaiani suffraganeis provincialem synodum habuit,*

C *in qua unanimi cleri populique consensu in singularem adversus terræ motus, quibus ea regio frequenter concuti solebat, patronum electus, constitutumque ex voto publico fuit, ut anniversarius ejus dies festivus et feriatus haberetur, ac solemni ad Societatis templum supplicatione celebraretur.* S. Francisci *imaginem anno* 1627 *Tuniæ in eodem regno prodigioso viginti et amplius dies sudore manasse auctor est Alvarus Cienfuegos lib.* 7, *cap.* 8; *quem ingens terræ motus subsecutus est. Profluens interea ex imagine sudor ægris sanitatem, visumque integrum omnino fere occæcatis restituit; quæ quidem omnia Juliani de Cortazar, archiepiscopi S. Fidei, examini subjecta fuere, qui, adjunctis sibi capitulo suo, variorumque Ordinum Præpositis, re mature excussa, imaginem illam vere miraculosam ejusque affecta naturæ vires excedere, ex concordi omnium sententia declaravit, votumque, de quo supra, renovavit.*

potissimum invocatur.

346 *Idem præstitere plura earum regionum oppida, communesque ad Urbanum VIII his de rebus dedere litteras, quibus pariter* Francisci *Canonizationem postulabant. Alia item quædam oppida, oborto anno* 1641 *altero terræ motu, eidem voto se obstrinxerunt. Refert præterea laudatus supra Petrus Mercatus lib.* 3, *cap* 13, *cum minus integre anno* 1666 *tum in civitate S. Fidei, tum Tuniæ contractæ ex voto obligationi factum esset satis, ingruentibus mox terræ motibus, pristinam continuo erga* Franciscum *pietatem venerationemque rediisse. Civitatis item regnique Neapolitani adversus terræ motum patronus electus fuit anno* 1694, *Panormitanæ vero in Sicilia anno* 1693 : *primum habeo ex relatione solemnitatis, accepta anno* 1695 *ab Innocentio XII electionis approbatione, institutæ, eodemque anno Neapoli vulgata; alterum ex Joachimo Maria Sanacori, presbytero Panormitano in Compendio Vitæ* S. Francisci *num.* 97, *quod tractatui* S. Francisci *de ratione concionandi Italice reddito subjecit.*

AUCTORE J. B.

VITA E

Auctore P. Petro Ribadineira æquali.

P. ANDREA SCHOTTO INTERPRETE.

CAPUT I.

S. Francisci natales, educatio, accessus ad aulam cæsaris, matrimonium, liberique.

LIB. I. CAP. I. *S. Franciscus natus anno* 1510,

Qui illustrium virorum res, domi forisque gestas, litterarum monumentis consignarunt, ii fere majorem stirpes a capite accessere solent. Equidem breviter, etsi felicitatem his non metiar, Francisci Borgiæ, patre, avo, majoribus clarissimi, natales recensebo : quando ad laudem permagni interesse existimant, domi nobilem, virtutis via ad pietatis culmen pervenisse, contemptisque majorum imaginibus et honorum titulis, Christo sese crucifixo consecrasse *a*. Igitur Franciscus Borgia, Gandiensium dux quartus, post Societatis Jesu Sacerdos et Præpositus Generalis tertius, filius fuit primogenitus *b* Joannis Borgiæ, Gandiensium ducis tertii *c*. Natus matre Joanna Aragonia, Alphonsi filia, ejus qui Ferdinandi regis Catholici filius fuit : idque Gandiæ, quod in Consentanis tertio lapide, LEUCAS Hispani vulgo appellant, a Sucronis fluminis ostio, nono vero Valentia situm et oppidum : ante diem v Kal. Novembris *d*, qui dies Simoni et Judæ Apostolis anniversario ritu sacer est, anno reparatæ Salutis decimo supra millesimum et quingentesimum, Julio secundo Pontifice maximo Ecclesiæ Romanæ clavum tenente, imperii vero Maximiliano I cæsare, cum apud Aragoniam

a

b

c

d

A. P. Ribadineira.

regnum obtineret Ferdinandus rex, cui Catholici cognomentum merito tributum, Francisci nostri proavus, quique Castellæ tum regna administrabat Joannæ filiæ nomine, et Caroli nepotis, qui post et Hispaniarum rex et imperator ejus nominis quintus fuit *e*. Borgia vero gens, Hispanas inter familias clara in primis et nobilis, ex qua meri principes prodierunt : Pontifices duo, Calixtus Tertius *f* et Alexander Sextus *g*, Cardinales et duces plurimi.

Joannis tertii Gandiæ ducis, filius natu maximus,

2 Mater gravida, cum uteri doloribus angeretur, et religiosorum hominum preces sacrificiaque adhibuit et pauperibus multa eleëmosynis elargita est, ut felicem partum ederet, tum beatum Franciscum, cui addicta maxime, dum viveret, appellavit : partui vicina, ejus cingulo ex divæ Claræ cœnobio oblato, feliciter enixa et ex voto parens, Francisci nomine Partum honestavit *h*. Hic jam summa cura diligentiaque ab utroque parente educatus, primis statim fidei Christianæ rudimentis imbutus, una cum lacte ea virtutis semina imbibit, quæ in omnem ætatem adhæserunt. Caverunt diligenter ex Platonis præcepto, ne tenera ætas ineptis nutricum fabulis inficeretur. Orationibus pro captu ætatis Deum frequenter precabatur, flexis etiam genibus, ut a parentibus edoctus, libentius etiam sua sponte, quod indolis optimæ virtutisque argumentum visum est : divum Jacobum *i* inter ceteros colere, aras domi erigere, imaginibus Sanctorum placari, si vel ut in tenera ætate, excandesceret, vel lacrymas funderet. Erat et solemne familiæ Borgiæ vetere instituto, ut e Divorum numero aliquem quotannis *k* forte educeret. Servabat religiose hunc morem puer etiam tum Franciscus (quem etiam in Societatem induxit, priusquam familiam ducere cœpit.) Divi nomen cui obvenisset, is profesto die duos mendicos vicatim colectos alebat; festo vero, binis bini mares, feminis feminæ, ad mensam ministrabant. Mores candidi, suaves, sine fastu, neque ut in hac ætate plerumque, difficiles : sic fiebat, ut carus omnibus, quibus uteretur, acceptusque esset.

claris natalibus parem nactus indolem,

3 Septimum jam ætatis annum attigerat, cum præceptori Ferdinando, theologo insigni, negotium parens dedit, ut primis Latinæ linguæ præceptis erudiret accurate, et scribendi rationem traderet. Morum item præfectus, vir nobilis, ut custos additus, qui aulicis moribus imbueret, salutandique comiter et agendi officium doceret *l*. Hi inter se non contentione invidiaque dissentiebant, sed honesta potius et ab Hesiodo laudata æmulatione suum quisque munus sedulo obibat. Neutri perdifficilis ad formandam primam illam ætatem provincia fuit, quod docile ingenium Puer nactus esset, et obsequens, nec ad parendum pervicax. Decimum agebat annum, cum Verbi Dei præcones in templis libenter audiret : qui si forte, ut diserti homines, actione placuissent, eorum venuste gestus exprimebat, sententias memoriter recitabat. Concionari ab avia et amita *m* Puer jussus, ea tum de Christi Assertoris nostri cruciatibus verba fecit, supra quam ab ea ætate exspectari posset, ut non pueri, sed Spiritus Sancti vocem audisse se, qui aderant, affirmarent. Matrem decennio major morte amisit anno post natum Christum millesimo quingentesimo vicesimo. Ægrotantis salutem a Deo, si ita placitum esset, postulare, lacrymas fundere, obtestari. Ad hæc in cubiculum sine arbitris secedere, flagellis in se ipse sævire; suane sponte, an a piis hominibus edoctus, non habeo dicere : illud tantum; præclare jam tum jecisse fundamenta, initiumque fecisse austerioris vitæ. Matris obitum luxit, quoad ætas illa patiebatur, et constanter tulit. Consilia vitæque præcepta piæ matronæ ad extremum usque spiritum retinuit religioseque servarit.

4 Tumultuatum ea tempestate in Hispania civili seditione, absente Carolo rege *n*, qui tum in Germania, imperator appellatus, versabatur. Plebs enim secessione arma adversus optimates induerat. Quiritando libertatem inclamare, et ad pileum etiam servitia vocare. Questa a divitioribus potentioribusque oppressam se, ægre vitam tolerare, gravem servitutem servire. Tempore, ut sit, parvis e principiis orta seditio huc demum evaserat, uti castris locatis, signa conferrent, neque a nobilium cæde inflammatum vulgus temperaret. Non ejus expers calamitatis (sævitum enim in omnes majorum gentium familias) Borgia gens. Jam enim Palmam *o* inter et Gandiam patentibus campis conjurati, cum prorege *p* omnique adeo nobilitate manus conserere ausi *q* superiores evaserant; turbati fugatique nobiles terga verterant. Gandia prædæ cessit, direptaque confestim, uti vix matrem Joannes dux, sororem et filias *r* virgines Deo ad divæ Claræ consecratas, emittere potuerit. Franciscus filius fuga salutem, admisso equo, invenit, Dianium, qui quarto inde lapide portus est, delatus. Inde cum parente et prorege navigio in arcem rupi impositam venit, quæ rupes a forma Pæninsula ab incolis vocatur. Hinc Cæsaraugustam eum parens deduxit : ipse tranquillatis rebus, cæsis ad internecionem, fugatisque a Segobrigensium regulo rebellibus *s*, domum tandem revertit.

cap. II. seditiosorum manibus vix ereptus,

Cæsar augustam migrat;

5 Franciscus in avunculi Joannis Aragonii archiëpiscopi Cæsaraugustani contubernio hæsit. Is artibus, quas liberum scire æquum est adolescentem, grammaticis, musicis et equestri disciplina, ab optimis doctoribus imbuendum curavit. In his tamen Franciscus pietatis studium minime negligendum duxit. Audierat tum, verni temporis jejuniis, cum de rebus divinis ad populum sermones haberi solent, familiæ divi Hieronymi disertum hominem, de ultimo universi judicio vehementer firmisque lateribus perorantem, iterumque de Christi passi cruciatibus; pupugit nimirum Adolescentis animum Dei verbum, anticipiti gladio acutius : illinc timor tribunalis illius severi, ubi omnes sisti nos oportet; hinc commiseratio dolorum in cruce, sui redimendi gratia, susceptorum. Quibus rebus adductus, fastidire præsentia, et jam tum de perfectioris vitæ ratione, in aliqua piorum hominum familia transigenda, animo agitare : sed quia annis minor, neque integra res ei, qui nondum sui juris esset : illud saltem commodi accepit, uti res omnes prudentius, quoad ætas ferret, ne transversum animum ageret, administraret.

inde vero Baëzam : dein Tordesillæ Catharinæ, Hispaniæ principis, ephebis adscribitur :

6 Cæsaraugusta Baëzam (ut incolæ Granatensi in regno situm oppidum appellant) officii gratia in viam se dedit, invitatus a lectissima femina Maria Luna proavia, uxore Henrici Henriquez, qui, Ferdinandi regis Catholici patruus *t* et prætorio præfectus, magnus item Legionensis militiæ magister erat. Huc etiam avia Maria Henriquez, illius filia, cum amita, sodoribusque *u* civili illa secessione, pedestri itinere

A nere fuga dilapsæ pervenerant. Quarum conspectu, etsi delectatus Franciscus, in morbum post tamen, itinerum forte incommodis, incidit. Sex ipsos menses lectulo, affixus jacuit : mox cum meliuscule haberet, ecce tibi terræ motus, periculosus juxta et diuturnus. Igitur quadraginta dies sub dio et pellibus lectica usus egit: hæc illi tectum lectumque, periculo declinando, præbebat. Sanus jam valensque, missus a parente Tordesillam (oppidum id TURRIM SYLLANAM sine auctore quidam vocant) ad Catharinam principem Hispaniæ, Joannæ reginæ filiam, cui de more serviens operam Adolescens navavit, priusquam ea Joanni III, regi Lusitaniæ, nuptum daretur.

tum litteris et pietate apprime instructus,

7 Cæsaraugustam post, unde venerat, ad avunculum redit : qui patruum sapiens, ne otio Adolescens (quod vitiorum omnium seminarium est) languesceret, ad philosophiam de more appellere animum jubet, et differendi primum ratione imbuendum tradidit Gaspari Laxo, subtili tum philosopho, sed, ut ea tempora erant, minime diserto, quod ætatis potius, quam hominum vitio, humanitatis ibi studia jacerent, quibus cæteræ artes, tanquam in bono lumine collocatæ splendescunt. Dialecticam vero facultatem Borgia tractabat, qua disputando, qua dictata evolvendo, perinde atque lauream academiarum more accipere constitutum haberet. Perceperat, radices scientiarum amaras, fructus ex se dulcissimos efferre : animi vero, quod caput est, pietatisque summam curam adhibuit, ne assiduo litterarum studio, nimio sui neglectu siluesceret. Igniculos itaque animo insitos identidem excitabat assiduo Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ usu : si quod spiritui bellum intestinum naturæ fomes et dæmon faceret, ad orationem confessionemque, tamquam ad anchoram, confugere. Quibus rebus fiebat, ut domesticas aulicorum et parasitorum blanditias, adulationis plenas, et libidinem casti Josephi exemplo effugeret; Ulyssis denique more, obturatis cera auribus, Sirenum voces prætereundo, ad scopulos non adhæresceret. Sacros adhæc libellos de rebus asceticis domi libenter lectitando (qui animos potius, quam oculos pascunt) obfirmata mente virtutem amplectendam, vitia sibi fugienda persuaserat, illud regii vatis sæpenumero usurpans : « Juravi et « statui custodire judicia justitiæ tuæ *x*. » His potissimum rebus ad sacrum conjugium castum integrumque corpus attulit, quod et in Nebridio, equite Romano, sanctus Hieronymus mirifice prædicavit *y*.

x

y

CAP. III. *ac Caroli V aulam secutus,*

8 Unde vicesimum ætatis annum agebat *z*, cum Cæsaraugusta domum visendi parentis gratia revertit : humaniter ibi menses aliquot habitus, missionem deinde postulare cœpit; liceret pace illius, cui semper dicto audiens fuisset, in aulam cæsaris migrare, ut in tanti se principis clientelam daret, cui Christianum orbem multum esse merito debiturum augurabatur. Parens filii prudens consilium probare. « Amo « te, » inquit, « de hac sententia, Fili, et volo, ut « vis : unico te non invitus carebo, dum e re sit « optimi Principis : macte igitur animi, et, quo « tua te virtus et majorum exempla vocant, « perge. » Familiam hinc proficiscenti adornat, qua honeste stipatus in Vaccæos venit. Hic Pintia, quæ hodie Vallisoletum, cæsaris tunc sedes, nobilissimis omnium nationum viris abundabat. Franciscus, ut in hoc ætatis flore pulcra erat, et imperio digna forma, facile omnium in se oculos convertit. Hic igitur, Deo bene juvante, ita se comparavit, ut post paullo falsam eorum refellerit opinionem, qui dicerent, aulicum simul Christi et principum asseclam esse vix posse. Ut enim Carolo placere Franciscus ex officio obnixe studuit, sic ad Christum respectum habuit, rerum omnium inspectorem et judicum : uti nihil equite et Christiano, quæ laus summa est, indignum diceret, ageret, cogitaretve. A. P. RIBADINEIRA.

cæsari quidem,

9 Domesticis itaque ignavo otio, aleæ ludo, libidine, obsceno sermone et jurandi prava consuetudine, qua verbo, qua exemplo interdixit : quæ mala, ut sunt, pestes palatii juvenis appellabat. Qui lenocinium, impurum admodum vitium, profiterentur, suas sibi res habere jussit. « Aliis », inquit, « voluptatem parasiti, Gna- « thones, Thrasones, et ollæ amici assentando « adferant : mihi, ut, quod sentio, dicam, non « placent. Placent viri graves et innocentes, qui « verum dicere libere audeant. » Servos aiebat, non tam dominis honorem stipando adferre, quam contra a dominorum bona existimatione decus mutuari : de aliorum fama detrahi, se præsente, non sustinebat, sed vel modeste, cum res daret, reprehendere, vel certe sermonem abrumpere solitus, tacite officii admonebat. Hisce artibus bonis domi suis exemplo esse et honestis sermonibus facem præferre. Aulicos voti sui in ambiendo compotes fieri præmiaque a principe accipere, tantum abest, ut invideret, ut etiam libentibus auribus acciperet, laudaretque factum; illis etiam gratularetur, cum bona spe, fore, ut sibi itidem decurso spatio honos aliquando haberetur. Equidem memoria teneo, cum diceret, qui ab intimis illi cubiculis erat, vidisse se, quoties matronas nobiles officii gratia visere oporteret, hirsutum pilisque asperum cilicium induere solitum : ut hoc tanquam clypeo munitus, tela dæmonis ignea, carnisque illecebras restingueret. Solet enim per oculorum fenestras ad animum mors penetrare, vulnerare etiam telo sæpe letali. Sic Scyllam inter et Charybdim navem salvam deduxit. Quin et conjuge domum ducta, quæ illo natu grandior erat, cum et fores regiæ semper illi paterent, nihil unquam ferunt aut intemperans a Francisco aut leve dictum factumve.

sed Deo potissimum placere studet,

10 Equestribus porro exercitationibus mirifice delectabatur, hausta illa ex Xenophonte philosopho disciplina. Ludos igitur Troianos agere libenter, hastis concurrere, tela jacere, fuga Parthorum more ficta hostem ferire, aversa manu vulnerare, tauros in arena lacessere, equum in gyrum agere, cursu cum æqualibus contendere, præmia nemini concedere, omnia denique se digna dextre exsequi *aa*. Non fefellit ea virtus, quæ diu latere non potest, Carolum, sed, quasi in illustri loco posita, in oculos incurrit sermonemque passim dedit. Erat in comitatu augustæ fidamque illi operam pridem probarat Leonora Castri, virgo nobili apud Lusitanos loco nata *bb*, Alvari Castri et Isabellæ Menesiæ Barretæ filia, candidis ornata moribus et in Deum eximia pietate. Huic conditio dum quæritur, unus Franciscus augustis placuit ob morum honestatem prope singularem, missusque extemplo Gandiam Petrus Gundisalvus Mendosius, augustæ œconomus, qui cæsaris nomine a Joanne duce postularet, quæsitam Filio uxorem, conjugiumque ratum esse vellet

aa

bb

A. P. Ribadineira.

vellet juberetque. Nec abnuit dux : cæsari per litteras gratias agit, quod Filii rationem habuisset. Nec Franciscus matrimonium detrectavit, ratus id, quod erat, cæsari, cui omnia deberet vitæ ornamenta, simul et parenti, cui vitam, morem esse gerendum.

cap. iv. *matrimonioque Eleonoræ de Castro junctus,*

11 Nuptum jam data Leonora in Borgiam familiam, Franciscum Marchionis Lombayæ titulo cæsar decoravit, regioque equorum stabulo, quæ summa fere dignitas est, præfecit. Mores utrique conjugi concordes, et omni bono de aliis merendo, pia quadam contentione certabant : augustorum amicitiam benevolentiamque non tam sua quam inopum causa, affectabant. Quibus rebus fiebat, ut rerum Parens et Effector Deus pauperum gratia illos vicissim proveheret in majus : hinc constans valetudo, opes, clientes, honores, magistratus affluebant, quodque Dei benignitate accidere credimus, liberorum et quidem optimorum copia. « Ti- « mentis enim Deum », inquit Psaltes regius, « uxor, sicut vitis abundans in lateribus domus « ejus : filii ejus, sicut novellæ olivarum in cir- « cuitu mensæ ejus *cc*. » Suscepti ex ea liberi

cc

B octo ; mares quinque, tres feminæ : natu maximus Carolus Borgia fuit, qui in honorum titulis Parenti successit. Caroli Cæsaris nomen, qui tum in Italia agebat, ei donavit augusta uxor, cum Philippo principe juventutis Hispanicæ, Christi anno M.D.XXX. Summa vir prudentia et acerrimo judicio ex omni nobilitatis flore unus, ad Ligurum seditionem pacandam a Philippo II rege Catholico missus anno M.D.LXXV. Postquam in regis potestatem venit Lusitania, idem militiæ imperator summa auctoritate provinciam rexit.

numerosa prole augetur.

12 Hujus natalem anno vertente Isabella excepit. Lermæ comes, marchionis Dianii comitumque matronarum Lemosii et Altamiræ, Joannis quoque Sandovalli mater. Tertius Joannes Borgia Belpouchii Gothalaniæ vico natus, cum uterque parens cæsarem conventus Aragoniæ regni agentem secutus esset. Hic similiter legatus a Philippo rege in Lusitaniam missus, post ad Maximilianum augustum in Germaniam, nunc in curia augustæ Mariæ, sororis Philippi, Præfectus maximus. Quartus Alvarus, et ipse Catholici regis nomine arduis de rebus

C Romæ apud Pontificem legatus, post uxoris dote Alcanizii marchio. Quinta soboles, Joanna Aragonia, nuptum matura ætate data Alcanizii marchioni : hujus filia Alvaro, quem nominavi, avunculo in manum, Pontifice indulgente, convenit. Sextus Ferdinandus Borgia, Mariæ augustæ et ipse curiæ præfectus. Hinc Dorothea filia, quæ in tenera adhuc ætate, qua se Deo ad divæ Claræ virgo devoverat, vita abiit. Natorum ultimus, Alphonsus Borgia, ipse quoque fratrum exemplo Augustæ curiæ, dum vixit, præfuit *dd*.

dd

ANNOTATA.

a *His quidem verbis* S. Francisci *Vitam orditur Schottus ; Ribadineira autem sequentibus.*

b *Fratres germanos habuit Alphonsum, Vallis-Dignæ abbatem, et Henricum S. R. E. Cardinalem ; sororem vero Aloysiam seu Ludovicam, Martino de Gurrea, Villæ-Hermosæ duci, nuptam : non germanos autem Petrum Ludovicum, marchionem de Navarres, Didacum, Philippum, Montesani Ordinis* D *equitem, Isabellam seu Elizabetham, Discalceatarum Virginum Gandiæ abbatissam, Thomam, Cæsaraugustanum archiëpiscopum, Joannam a Cruce, Clarissam item Gandiensem, Margaretam Frederico de Portugal et Cerda, Eleönoram, Michaëli de Gurrea, Magdalenam comiti de Almenara nuptas, et Rodericum S. R. E. Cardinalem.*

c *Primus Gandiæ dux fuit Petrus Ludovicus, Alexandri VI filius ; secundus Joannes, Petri Ludovici frater, Gandiæ dux hujus nominis I, quem excepit Joannes II,* S. Francisci *pater.*

d *Id est,* v Kalendas *seu* XXVIII *Octobris.*

e *Hæc fusius explicata habes num.* 17 *Comment. prævv.*

f *De Calixto consule num.* 10 *Commentarii prævii.*

g *Materno nimirum genere : paterno enim Lenzolius fuit, qua de familia vide dicta num.* 12 *Comment, prævii.*

h *Bina vaticinia, alterum de* Francisci *nativitate, alterum de sanctitate, sub id tempus, quo in lucem editus fuit, edita, habes num.* 18 *et seq. Comment. prævii. Nato* Fran- E cisco *apparuisse sidus insolitum inter Taurum (Borgianæ gentis scutum Taurus ornat) et Cassiopeiam, ex P. Joanne Baptista Masculo refert Alvarus Cienfuegos lib.* 7, *cap.* I, § I ; *verum, si ita res se habuerit, potuit id a causis naturalibus esse profectum.*

i *Nempe Majorem, die* XXV *Julii cultum.*

k *Recte hic Schottus scribit* quotannis *: sed male, Ceparium vertens,* quot mensibus.

l *His adde Alphonsum de Avila, canonicum Gandiensem, qui a confessionibus illi id temporis fuit.*

m *Maria Henriquez, et Isabella Mariæ filia ; cujus exemplo illa, defuncto marito Joanne, duce Gandiensi hujus nominis I, Clarissarum cœtui sese adjunxerat Gandiæ.*

n *In Germaniam ad capessendam imperii coronam dicesserat anno* 1519.

o *In planitie, quam* Vernica *Hispani vocant.*

p *Didaco de Mendoza.*

q *Anno* 1521, *die* XXV *Julii.*

r *Imo filiam, nomine Ludovicam, et* S. Francisci *sororem germanam. Vide Comment. prævv. numm.* 24 *et* 29. F

f *Hæc de suo Ribadineiræ dictis addidit Schottus, neque, ut apparet, satis accurate. Vide Comment. prævv. num.* 26.

t *Imo avunculo. Vide num.* 28 *Commentarii prævii.*

u *Lege : et* sorore, *nempe Ludovica. Vide num. proxime citatum et seq. ; item dicta ad lit.* r.

x *Psalm.* 118, ỳ. 106.

y *Ep.* 9 *ad Salvinam. Schotti additamentum.*

z *Annum potius decimum septimum, ex num.* 32 *Comment. prævii.*

aa *Hæc a Schotto paulum amplificata sunt.*

bb *De Eleonoræ genere consule Comment. prævv. num.* 35.

cc *Psalm.* 127, ỳ. 3 *et* 4.

dd *Paulo plura de* Borgiæ *liberis habes num.* 37 *et tribus seqq. Comment. prævii.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Animi corporisque exercitationes ; cæsarem comitatur ad bellum Gallicum ; aviam amittit. Ex Isabellæ augustæ funere sanctioris vitæ propositum concipit ; Cataloniam prorex administrat; Ignatium de frequenti Sacramentorum usu consulit.

CAP. V. *Familiam caute administrat,*

Tametsi prudenter antea rem familiarem administrarat, ut cuivis in aula patrifamilias præire videretur; nunc tamen cautius rem tueri
B præire videretur; nunc tamen cautius rem tueri domesticam cœpit. Rationes et æra subducenda Leonoræ uxori mandata : publica ipse negotia curare ; nihil prætermittere eorum, quæ cæsar in mandatis daret. Familiam elegit optimam, ex frugi, non nequam, servis. Alea et id genus ludis, longe quam antea severius, interdixit : oculorum eam falsam esse voluptatem dictitans. Interrogatus etiam, quidnam causæ esset, cur, quam avide aulici amplectuntur alea ludendi cupiditatem, eam ipse formidaret? « Dementis, « inquit, « est navem bene compactam, et merci- « bus plenam, date opera, in scopulos velis « remisque impellere. « Scopulum recte Vir prudens aleam appelabat, ad quem, exgiuum quidem cubum, vi tamen magnum, plerique re lauta, ac beati, navem fregissent. Quatuor adhuc rerum quantivis pretii damna adferre solere ; temporis, pecuniæ et pietatis jacturam fieri ; conscientiæ denique bonæ religionem, perjurio, ludorum comite, facile amitti.

C *musicam, aucupium,*

14 Melioribus itaque valetudinis tuendæ exercitationibus animum relaxabat, ut musicæ symphonia, in qua sic excelluit, ut non canere solum suaviter modulateque posset, sed et numeros ipse ex arte concinnaret, cantusque meditaretur, qui in Hispaniæ templis hodieque in re divina sacrisque Gandiæ Ducis titulo accinuntur. Corpori vero exercendo aucupium adhibuit, falcone potissimum usus et accipitre. Qua quidem venationis forma eo impensius delectatum narrant, quo gratior ea Carolo cæsari tum erat, quem singulari studio assectabatur. Verum non hic Francisci industria substitit : altiora animo agitabat uberioresque ex agrorum aspectu venationeque fructus tulit : ut enim divinum illum Franciscum *a* cum pedibus se daret in viam, spectatis ruri flosculis, Deum omnium effectorem laudare solitum accepimus : sic noster ex conditis rebus, agris, avibus canibusque architectum Deum assidue laudabat : quas quidem pias meditationes, non a me excogitatas, sed ex illius ore acceptas, precium operæ erit referre.

a

15 « Magna «, inquit, « Dei exstant in utram- « que partem in me beneficia, agros etiam, « silvaque oberrantem, feras insectantem et « prædam ex avibus agentem. Quo fit ut in- « terdum sapientiam illius admirabundus medi- « tari soleam, qui hominum generi feras, et « aves, ad rapinam comparatas, parere docue- « rit : quæ quidem vinculis solutæ, in cælum « usque eo subvolant, ut vel oculorum aciem « effugiant. Homini quoque tantum tribuerit « honoris, ut ejus imperio aves, et vinculorum « et pristinæ libertatis oblitæ, sibilis, fictisque « clamoribus obediant, vocatæ redeant, me- « mores manus, quæ cibum præbere solet : et, « quamvis fero sint agrestique ingenio, usu ta- « men et educatione mansuescant. Eædem emis- « sæ ad capturam, tamquam milites ad explo- « randas hostium copias, fugandasque, reliquas « aves etiam majores, unguibus rostrisque cæ- « dunt, sternunt et ad humum affligunt. Mox, « parta victoria, prædam domino reliquunt, « partem minimam patienter exspectant. Pu- « gnantes itidem in aëre cum spectarem, subiit « ea mentem cogitatio, talem videri dæmonis « pugnam, cum piorum animos ex insidiis ag- « greditur ; dum, ut leo rugiens, circuit quæ- « rens, quem devoret : et, si quis paulo con- « stantior existat, cuniculis rationis arcem « evertere studet.

A. P. RIBADI-NEIRA. *animum interim piis meditationibus*

E *pascens,*

16 « Frequentius vero pudorem mihi medi- « tatio illa incutere solet, feram illam carnivo- « ram, modicæ escæ gratia, agreste ingenium « exuere, cicurem atque mansuetam reddi, vo- « ce hominis accitam statim advolare ; pati ad- « hæc velari lumina, quibus nihil in vita ca- « rius : hominem contra rationis et orationis « participem et ad civilem societatem conditum, « alis talaribusque, quibus divinam vindictam « effugere possit, carentem, tot tantisque be- « neficiis ornatum, adeo ingratum, ætatem « agere, ut Deo vocanti parere nolit. In canum « vero venatione illud mirabar, quamvis fame- « licum et in feram rabie quadam actum animal, « obsequi tamen hominum imperiis prædamque « relinquere : hominem contra, Dei simula- « crum, si quo se scelere obstrinxerit, ægre « avelli, surdis auribus degere, nec Deo appel- « lanti dicto audientem esse. « Hisce meditatio-nibus Franciscus, etiam agros lustrans, fructus capiebat uberrimos : dum non oculos solum
F corpusque, ut venatorum natio, sed animum etiam cælestium rerum memoria pasceret. Prædam adhæc unguibus sæpius eripere et manu mittere solitus, quam longo diei spatio quæsiisset, ut vincere sese ipse animique sensum jam tum assuesceret.

et mathesim exercet.

17 Mathematicis etiam disciplinis operam dedit iis præsertim, quas in optimo belli imperatore requiri audierat, ad machinas molesque jaciendas, mœnia munienda, locum castris capiendum, cæli solique situm et naturam investigandam. Quibus artibus magnos sœpe duces victoriam militiæ peperisse, mêtu etiam milites liberasse, acceperat. Calcar addebat et cæsaris, quo familiariter utebatur, exemplum, cur majores indies progressus facere vellet, cujus et cosmographo, Sanctæ Crucis cognomento, operam dedit, horis tamen diversis. Carolus itaque libenter Franciscum consulere, dictata exigere, qua una read pristinam consuetudinem non parva accessio facta est : joca itaque et seria cum illo communia habebat omnia. Verum ne illis quidem animi studiis, musicis et mathematicis aut corporis exercitationibus, venatione et aucupio satis erat ad constantem corporis habitudinem

A. P. RIBADINEIRA.

nem tuendam comparatus, sed, ut plerumque fit in hac vitæ imbecillitate, morbis etiam interdum tentabatur.

febris dolores piis lectionibus mitigat,

18 Febri enim ardentissima debilitatus, didicit, nihil esse in rebus humanis proprium, nihil perpetuum. Cum vero alterno et novercali die igni medullæ coquerentur, pia illa mentem pupugit meditatio, ecquænam illos flammæ urerent, qui ob flagitia apud inferos pœnas æternas penderent, quique, purgante igni, cum futuræ beatitudinis spe expiarentur. Pro his igitur ex illo tempore orare indies ipse et rem divinam curare cœpit. Illud etiam commodi e morbo accessit, ut libris jam tum profanis nuntium remiserit, sacros assidue tractaverit, Novum præcipue Testamentum Sanctorumque Vitas summa et voluptate et utilitate : impuros vero scriptores, ut vitiorum libidinumque seminaria, ne nominari quidem sit passus. Lectica valetudinis gratia, dum in agros portaretur, divi Pauli Epistolas, adhibito etiam sacro interprete, lectitabat, non secus atque Isaïæ vaticinia Candaces Æthiopiæ reginæ
B eunuchus : verum non multa, sed multum legere studium fuit. Si quid laudabile occurrisset, sustinens, ponderare ea et exsequi cupiebat. Hinc piorum librorum lectionem recte primum melioris vitæ gradum esse, dicebat.

exsarem comitatur in bello Gallico :

b

19 Vix jam confirmatus, suscepta in eam Galliæ partem, quæ PROVINCIA Romanis est appellata, expeditione, arma tractans cæsarem secutus est *b*, adscitis sociis Ruisio Gomesio Sylva, qui post Evoli princeps, Georgio item Melo, quos unice caros habuit et in paucis, ut conjugis cognatos, dilexit. Affecto jam bello, missus a cæsare, qui augustæ uxori omnem belli eventum exponeret, deque valetudine sua securo esse animo juberet. Anno qui est insecutus, M. D. XXXVII, dum Segoviæ in Carpetanis conventus Ordinum haberentur *c*, morbo item anginæ decubuit, ut sanguine pœne fauces obstruerentur ; sed linguæ licet usum amisisse videretur, mentem tamen in Deum fixam tenuit ad mortem obeundam animo, quam unquam alias, paratiore. Jam tum enim singulis mensibus Pane illo cœlesti, criminibus expiatis, victitabat. Præter illa morborum incom-
C moda, stimulos ad pietatem addidit tristis nuncius Gandia de morte Mariæ Gabrielæ aviæ allatus, quæ lectissima femina, vita prius pie innocenterque acta, post in divæ Claræ cœnobium sese abdiderat ; de cujus vita moribusque, quando locus manum injicere videtur, pauca de multis attingam.

c

CAP. VI.
Mariam Henriqueziam,

d

20 Inter cetera felicitatis argumenta numerabat, aviam sibi pientissimam obtigisse, Mariam Henriquez, Catholici regis Ferdinandi patruëlem *d*, quam Joannes Borgia, Gandiensium dux secundus, thalami consortem habuit : sed, illo immatura morte prærepto, hæc octavo decimo ætatis anno vidua relicta est, susceptis duobus liberis, Joanne, et Isabella, quæ tenera adhuc ætate ad divæ Claræ Deo sese votis obstrinxit ; Joannes vero natu maximus in matrimonium Joannam Aragoniam cepit, ex qua Francisco, primo jam partu suscepto, ad divæ Claræ Maria, filiæ Isabellæ exemplo, migravit. Nec ut maxime optarat, præstare citius licuit quod, ut piam matronam decet, liberi antea parente orbati recte educandi, prolesque ex iis prapaganda esset : cujus jam voti compos in tot tantisque vitæ miseriis nihil cœnobii solitudine duxit antiquius ; Joannes dux tertius factum illud heroïcum lacrymis deprecari et disuadere frustra tentavit : veritus, ne quid unico familiæ nominisque heredi Francisco recens nato, humanitus accideret. At illa : « Ego vero hoc te, « fili, metu libero. Natus enim tibi Franciscus « talis tantusque evadet, ut multorum instar « liberorum unus sit. Hujus itaque divini be- « neficii nomine utrumque gratias Deo quoti- « die agere, nisi ingrati esse volumus, necesse « est. Equidem de me affirmare possum, quo- « ties in virginum Deo laudes canentium cœtu « versor, toties Angelorum choris interesse vi- « deor. Hanc cur mihi veram voluptatem, fili, « invideas, non video. » Paruit his dictis Joannes, invitus tamen. D

aviam suam.

21 Tertium itaque et tricesimum ætatis annum attigerat, cum Maria, abdicatis aulæ titulis, regum se Maximo consecravit, corporis tamen ea imbecillitate, ut vel annum superesse posse inter velatas virgines, tam austeræ vitæ abstinentia, negarent medici : atqui, Deo jubente, tres ipso et triginta in cœnobio *e* summa et religione et disciplina vixit, ceterisque E omnibus exemplo fuit, nulla dignitatis et natalium habita ratione : jam enim Mariæ Gabrielæ, ut sacræ solent virgines, nomen adscivit. Filia, cum forte abbatissæ, ut vulgo nominant, titulo virginibus præesset, matri pro tunica detrita novam tradidit, jussitque veterem sibi indumento relinqueret. Certatum hic utrimque officiose de attrita veste, dum neutra alteri eam concedit. Cessit tandem mater filiæ, filiæ, ut dignitate tum majori, hoc addito, augurii loco : « Habe tibi, nata, vestem meam, « quam cupide affectasti attritam : faxit parens « ille universi Deus, qui nos nostraque respi- « cit, tum demum eam abjicias, cum in Car- « petanorum regno (ut post evenit) nostrarum « virginum divæ Claræ titulo familiam insti- « tues. »

e

sanctæ admodum vitæ

22 Memorandum et illud, Ignatiam Corellam virginem nobilem, Consentanorum comitis filiam, a Maria sibi carissima, morti vicina (quod sine illa vitam sibi acerbam fore putaret) obnixe obtestando petiisse, ut defuncta a Deo impetraret, sibi in cælum subsequi statim ut morte liceret : facturam se, Maria recepit. Vi- F sum non longo post intervallo illius spectrum, jamque voti compotem factam renunciavit. Sic non diu post Ignatia feliciter vita decedens, subsecuta est. Nec minorem illud admirationem legenti pariet ; pridie ejus diei, quo vita migravit, mortem præsagiisse : « Cras » (inquit ad Mariam Jesu, comitis Dianii sororem, conversa) « Dei Benignitate hinc, tamque e diver- « sorio, in cælum, ut spero et opto, evolabo. « Interea febri ardentissima, ut anteactæ vitæ « errata expientur, excoquar : nihil enim im- « mundum sedes illas introibit : sed in his ar- « doribus illud postremum morienti officium « præsta, ut pace tua (erat enim vicaria aucto- « ritate prædita) sitienti mihi frigida porriga- « tur ; nec enim nisi summa necessitate fla- « gitabo. » Vix dicendi finem fecerat, cum febris medullas occupat adeo vehemens, ut flammis ardere videretur. Dux enim Joannes, manum exosculatus, matris benedictionem postulans, postremum jam vale de more dicens, ignis se carbones, non hominis manum contractasse, affirmavit.

23 Franciscæ filiæ, quæ cum imperio præerat,

matronam amittit.

rat, benedicens, id negotii dedit, ut simul extremum efflasset spiritum, hymnum illum TE DEUM LAUDAMUS cum gratiarum actione a virginibus decantari juberet, quod Dei benignitate tandem aliquando, veluti vinculis libera, migrasset. Fuit et illud sanctioris vitæ argumentum: sito jam corpore, priusquam efferretur, auditas esse Angelorum voces, sacræ virgines prædicarunt. Quibus etiam cum dux, ecclesiasticis ordinibus stipatus, ad justa matri persolvenda funusque curandum adesset, sacerdotes sacris operaturi silentium imperarunt, quod in illarum odæo cantus symphonia audiretur. Neminem vero tum mortalem cecinisse compertum; creditumque divinitus auditam vocem, ut sæpe in beatorum hominum funere. Gregorius Pontifex accidisse commemorat *f*. Hic matronæ religiosissimæ exitus fuit: cujus jactura Franciscus, quod vitæ magistram re consilioque juvantem amisisset, vehementer indoluit: patrocinio tamen, quod Deo potiretur, jam tum se foveri sensit, cujus etiam precibus in Societatem Jesu se, tanquam in portum, post esse delatum existimavit.

f

B

CAP. VII. *Conspecta Isabellæ augustæ*

24 Septimo illa et tricesimo post Christum natum supra millesimum et quingentesimum gesta *g*: hæc biennio post, non minus quam illa admiranda, acciderunt. Carolus cæsar Toleti, quæ Carpetanorum caput regumque sedes Gothicis temporibus, ut Hispaniæ umbilicus, fuit, omnium ordinum conventum agebat, magno et festorum ludorum apparatu, et nobilium plebisque plausu. Sed, ut plerumque fieri solet, gaudia luctus contaminavit. Isabella enim augusta, Caroli uxor, vita decessit, magno cæsari sui relicto desiderio. Erat enim fœmina ob singularem pietatis cultum et in egenos liberalitatem omnibus cara, et ut illo, non peregrino, cælo nata, Hispanica ingenia cum nosset, moderabatur egregie. Decretum cæsaris auctoritate, uti marchio Lombayæ funus deduceret Illiberim versus, quæ urbs hodieque Granatensis regni caput, templumque in ea sepulcris Catholicorum regnum, avorum Isabellæ *h*, clarum; qui reges majorum memoria eam urbem Mauris ereptam Christi regno vindicarunt.

g

h

C

cadaveris fœditate,

25 Efferebatur insigni pompa cadaver, stipante Francisco cum omni familia et uxore: hic nihil ad custodiam, decusque funeris ac sumptus quod pertineret, prætermissum. Illiberitanis compositum corpus traditur, uti regio sacello majorum monumentis inferretur, et in Acta publica, tabellionis fide et manu referunt, augustæ hoc cadaver esse, quo tempore, cujus opera acceptum conditumque. Nudata vero facie ut agnosceretur, ne qua forte fraus commissa esset, adeo deformis apparuit, ut spectantibus terrorem incuteret; gravi etiam odore itineris comites fugaret: ut qui testificari auderet, illam ipsam augustam esse, repertus sit nemo. Noriens enim, qua erat matrona verecundia, ne quis tangeret vel aromatibus condiret, mandarat. Franciscus solus mansit, et quanquam jurejurando firmare non auderet, eamdem illam toto terrarum orbe clarissimam principem esse, quod adeo sui dissimulis appareret: illud tamen sancte et conceptis verbis affirmans, in acta referri jubet, ipsam augustam videri; quod nihil eorum, quæ ad fidam custodiam pertinerent, in Illiberitano itinere sciens, prudens omisisset. Hic tacitus ille secum et mœstus, præsentia præteritis committens cogitare: „ Hæccine illa „ sunt lumina, quæ omnium in se oculos con- „ verterant? hæc venustas illa, quæ aliarum „ formas extinxerat? Tune Isabella? Tune augusta? Fallunt oculi: aberrat mens: sed non „ fallunt, nimirum humanarum hæc rerum vi- „ cissitudo est. I nunc, fragile illud formæ bo- „ num admirare. „

A. P. RIBADINEIRA.

26 Illud sane verum certumque est, uno hoc, brevique aspectu cadaveris, adeo immutatum, suique dissimilem redditum et ipsum Franciscum, ut eumdem esse, negares. Jam tum enim divina luce illustratus, longe diversa meditabatur, animumque serio semel induxit, falsa hæc, fluxaque bona, formam, divitias, clientelas, honores, pro nihilo esse ducenda; vera illa æternaque sectanda, cælestia terrenis, divina humanis anteponenda. Brevibus vitæ curriculum spaciis angustique terminis circumscribi. Unicum singulis animum cælitus infusum, qui, morte obita, corporisque vinculis liber, aut dedictorum æternas pœnas dabit, aut virtutis præmia sempiterna consequetur. Nihil itaque procrastinandum ratus, meliora omnia, ubi primum potestas foret, animo agitare Deoque religiose promittere. „ Quid „ enim, „ inquit, „ mihi est in cælo, et a te „ quid volui super terram *i*? Quæ utilitas in „ sanguine meo, dum descendo in corruptio- „ nem *k*? „ Sito jam rite in æde sacra cadavere, domum Franciscus se contulit, et in cubiculum confestim sine arbitris, pessulo januæ obducto, se addidit; humique prostratus, lacrymis gemitus miscens, in has fere voces erupit: Augustinum *l* credo imitatus, cum et ille recens cælesti vulnere, cervi instar, ictus esset. „ O mi- „ seram vitæ rationem! o fallaces hominum „ spes et inanes nostras cogitationes? Quousque „ tandem diligimus vanitatem et quærimus „ mendacium *m*? Quousque veris neglectis um- „ bras consectamur? Regna, imperia, nobilitas, „ honores morte solvuntur; formæ dignitas mor- „ bo et morte amittitur; omnia denique cito ex „ lætitia et voluptate ad luctum et lacrymas „ recidunt. En illa augustarum pulcherrima ut „ in funere deformata jacet! Expergiscere igitur „ anima mea, expergiscere tanquam e veterno: „ sat principi mortali datum. Te, te sequar im- „ mortalis. Illumina, Deus, oculos meos viam- „ que commonstra, ut, quod reliquum est vitæ „ spacium, perbreve illud quidem; at, quantum „ id est, recte pieque transfigatur. „ Sic fere Franciscus, fusis ubertim lacrymis, repetens identidem illud: „ Sat datum mortali principi, „ deinceps immortali serviendum, si sapio. „ Transcribam igitur reliquum vitæ tempus re- „ giæ cælesti. „

sanctioris vitæ

E

i

k

l

m

F

27 Noctem, quæ subsecuta est, anxiis hisce cogitationibus insomnem traduxit. Postridie ejus diei, facta se divina, parentatum est juxtaque rite persoluta. Mox Joannes Avila, ecclesiastes insignis, et quod scripta testantur, egregia sacrarum litterarum peritia et pietate, pro concione breviter augustæ laudes perstrinxit: vehementer vero et fusius vitæ mortalis conditionem, spes hominum inanes, miserias calamitatesque innumerabiles prædicavit. Nec pupugit solum Francisci animum, qui divinitus jam ictus esset; verum et gladium spiritus Dei verbum altius adegit. Sumpto itaque modico in meridie cibo, sacerdotem illum ad se arcessendum

accedentibus aliis præterea stimulis,

A. P. Ribadineira, dum curavit : vulnus aperit ; mentem animi detegit ; rogat, quæ in rem futura existimet, audacter edisserat. Ille aulicorum tria potissimum vitia fugere jubet, ambitionem, invidiam, libidinemque, tanquam animorum pestes præsentiaque venena.

propositum concipit

28 Alter hic stimulus accessit. Redditæ ea tempestate litteræ amitæ Franciscæ Jesu, quæ ad divæ Claræ Gandiæ velatis virginibus præerat. Narrat, visum sibi in oratione Franciscum, dum in Illiberitana profectione esset, tendere ad Deum manus, supplicem : deinde manu divina sublatum, ad optima quæque subvectum. Augustæ etiam animam a sacris virginibus spectatam, e purgantibus flammis in cœlum ab angelis elatam. Quibus visis, tametsi summo judicio atque delectu fides habenda, quod multæ simplicitate deceptæ mulierculæ, graves etiam viros in errorem traxerint : illud tamen inficiari nemo potest, sanctissimis hominibus vera sæpe visa et simulacra apparuisse. Magnum certe Franciscus ex hisce litteris, ut augustæ funere. Joannis item Avilæ concione, emolumentum ce-
B pit. Adeo verum est illud sapientissimi hominis consilium, « melius esse domum luctus, quam
n « convivii frequentare *n*. » Quare in austerioris vitæ studio magis indies confirmatus, ab aula se domi colligere, privatusque vivere cum uxore et liberis decrevit. Hoc amplius ; si quid uxori quod nollet accideret et superstes ipse esset fore, ut in aliquam se religiosorum hominum familiam daret : tum demum præclare secum actum iri existimabat, hancque vitæ felicitatem appellabat. Quod quidem votum Deo rite promisit, et tandem, data longioris vitæ usura, re ipsa præstitit.

cap. viii. *Catalauniæ prorex*

29 Illiberi domum reversus, Carolo rei gestæ curatique funeris rationem constare voluit. Is, collaudato officio, honorifice dimisit. Post non diu ad se accitum, proregis seu prætoris eum imperio legat in Gothalaniam provinciam, sic a Gothis et Alanis, qui ibidem sedem, occupata Hispania, fixerunt, appellatam ; ut et a Vandalis Bœtica hodie Andalusia quasi Vandalia, et a Longobardis Insubrum regio Lom-
C bardia est dicta. Quæ quidem a Septentrione gentes, immanitate barbaræ et multitudine innumerabiles, in Italiam et Hispaniam infusæ, ducentos, et quod excurrit, annos imperium vi tenuerunt. Catalauniam incolæ nominant. Sunt, qui a Gotalaunicis Galliæ campis Catalauniam
o derivent. Caletanos esse Ptolemæo, alii autumant *o*. Sed hoc agamus. Tergiversari primum marchio cœpit, munusque plenum quidem honoris, oneris tamen immensi esse affirmavit. Cæsar contra sic urgere, illius ad hanc rem opus esse ingenio. Bonorum enim principum uti vicaria potestate velle se, non eorum, qui quæstum ex imperio dignitateque ambirent. Vicit tandem Caroli, qui pro suo jure imperare posset, auctoritas.

a Carolo V constitutus

30 Deum itaque venerans precatur, quando non studio quæsitos esse fasces, et titulos, nec ambitam a se provinciam sciret, vires idem negociis pares, qui unus et posset, et vellet, sufficeret. Proregis jam auctoritate in viam se Barcinonem versus dedit : sed Valentia primum et Gandia profectus, ut parentem optimum de via salutaret. Abeunti Cæsar divi Jacobi, Hispaniæ tutelaris, crucem rubeam, ensis forma pectori appositam, gestare jubet, additis etiam annuis opimis prædiorum fructibus, et vectigalium. Is est inter militares Hispaniæ ordinis primus *p*, D
in quem nobilissimi dumtaxat, approbatis prius natalibus, optimeque de repub. meriti, adscribuntur. His multæ in provinciis, tum in ea, quam ingrediebatur, immunitates a regibus datæ. Barcinone publica civium lætitia festisque ludis exceptus, nihil duxit antiquius, quam ut munus feliciter obiret : Dei ante omnia justitiæ auctoris ope implorata, unde omnia rerum gerendarum ducenda initia. Prima vero cura fuit, viam regiam a latrociniis tutam reddere, ut merces urbi opulentissimæ commode et importari et exportari possent. Erat omnis ea tunc ora, Galliæ vicina, latrociniis infamis, sive loci ingenio, sylvis montibusque impediti, sive gentis vitio incertum.

imposito

31 His Franciscus nobiles quosdam latronum receptatores factionesque alere audierat. In hos primum more majorum animadversum. Rumor erat, quinquaginta pæne sicarios, agmine facto, vastatis agris, vicisque direptis agrestes abduxisse in oculis pœne Barcinonensium. Copiis itaque coactis corporisque custodibus eductis, Franciscus bello eos persequi studet : illi E
terga vertunt, in arcem se recipiunt. Meticulosi enim id genus homines, sive armorum tractandorum imperiti, sive conscientia stimulati. Marchio muris inclusos arma deponere et imperata facere jubet : ni pareant, machinas æneas admoturum. Sic ad deditionem tandem compulsi, pœnas dederunt. Alios in furcam tolli : sectis corporibus, membra in viis publicis collocari, quo ceteris exempla darent, jussit : alios regiis triremibus ad remigandum adscripsit. Formidinem ea severitas fontibus ceteris attulit. Observarunt et curiosi, cum diceret, ex hac sicariorum venatione, qui vias obsidentes in viatores incurrerent, majorem cepisse voluptatem, quam dum feras juvenis consectaretur. Rem enim publicam corpori componebat, membra putrida secari et cauterio uri solere, ut reliqua salva permaneant : improbos a bonis judicibus ad mortem damnari, ut bonis inter improbos tutis esse liceat.

sibi munere

32 Vitia itaque, non homines, oderat, sed eorum vicem miseratus deplorabat : cumque ad supplicium raperentur, sacrificia singulatim triginta fieri suo ære jubebat. Judicum quoque F
rationem habuit : cum ut jus ex æquo et bono administrarent, tum ne lites ampliando redderent immortales, litemque prævaricando facerent suam ; magno litigantium, quorum facultates exhauriantur, detrimento. Controversias vero partium consensu sæpe ad concordiam adigebat, ne lites ex litibus sererentur. Ditiores æs alienum inopibus dissolvere confestim jubebat. Pauperes quoque, de suo dissoluto ære, quod contraxerat, ne prætoris edicto creditoribus addicti servirent, liberali caussa manu asserebat. His, qui ludos litterarios aperirent, quibus prima ætas optimis informatur et litteris et moribus, domum publice attribuit et salarium. Seminaria enim rerum publicarum pueros esse, e quibus recte institutis optimi cives exsisterent, prædicabat.

sancte perfungitur.

33 Præsidia item diligenter inspexit, ut reipublicæ nervos. Militum delectum habuit ignavos et ad signa infrequentes exauctoravit : si quæ copiæ, ut solent, in Italiam illac transirent, injuria agrestium abstinere jussit. Qui secus fecisset, damnum tribunus militum pendere cogebatur. Barcinonem, qua mari alluitur, muris

A muris nudam cinxit, pariete continenter ducto : molemque jecit, cui, quod primum fondamentis lapidem injecerit, Francisci nomen adhæsit. Laboratum eo tempore annonæ caritate, ut periculum esset, ne fame exhauriretur respub. Marchio undique terra marique, datis litteris, importandum frumentum curavit viritimque distribuit. Quo factum est, ut reipub. bono natus diceretur et patriæ Parens a civibus appellaretur. Magnam pecuniæ vim pauperum subsidio donavit. Clam alebat, quos ex opimis fortunæ bonis excidisse cognorat, quod his inopiam onus Ætna gravius esse, non ignoraret. Pias monachorum virginumque familias eleëmosynis juvit. Denique, ut ne tristem ab se præsidio indigentem ullum dimitteret, quod de Tito Vespasiano imperatore ferunt, diligenter cavit.

CAP. IX. *neque proprium interim*

34 Nec cæsaris solum curanda negotia remque publicam tractandam Marchio censuit ; salutis suæ majorem rationem ipse duxit : ratus, quod res est, brevi mortales occidere : tolli plerosque in medio cursu, falsos inani spe : ni-

B hil nos hinc effere, unam virtutem comitem esse. Animum itaque, cujus ea propria est, potissimum excolendum, quod a funere supersit. In mentem interdum revocabat susceptum melioris vitæ consilium, ne, ut fit, oblivione vel desidia languesceret. Dicere et illud solitus : mortem augustæ vitam sibi attulisse. Fixum itaque illud manebat, sæculi pompis nuncium aliquando remittendum, quamvis ea res sermonem plerisque datura esset, et quale tandem cumque aliorum de se judicium foret, minime laborandum. His quasi alte jactis solidæ virtutis fundamentis, quæ in vulgi rumore gloriaque contemnenda sita sunt, precationi quotidie et rerum cælestium meditationi subsecivas aliquot horas dandas putavit. Hanc unam rerum prudenter feliciterque gerendarum anchoram, optimorum consiliorum basim appellabat. Sacramentorum item usum frequentandum duxit, pœnitentiæ et Eucharistiæ, quæ naufragii tabulas colligentibus navem compingant, et anteactæ vitæ errata expiando restaurent.

in virtute

35 Cum itaque ex commendati sibi tituli Crucis officio recitare indies statis horis orationes Dominicas salutationesque Angelicas tene-

C retur ; ad horas canonicas septem, medidationes totidem salubres adjunxit passionis Christi : quibus illum a monte Olivarum ad Calvariæ usque, hinc cum spiritum Patri commendasset, ad sepulcrum officii gratia comitabatur. Ut autem

q " septies in die cadere justum *q* " mortalium sapientissimum judicasse : sic parentem illius regium prophetam, septies in die laudem dicere solitum, medias inter regni occupationes didicerat. B. Virgini preces quotidie rite adnumerabat, mysteria animo versans, ex quibus triplex capi emolumentum aiebat. Primum, immortales Deo pro tot tantisque donis gratias agi : pudore deinde nos affici, quod ea adhuc contempserimus : denique ad eas ipsas virtutes, quæ hic eminent, incitari. Harum meditationum usu ad pietatis majus in dies studium exstimulabatur, majora animo agitans. Dei itaque attributa ineffabilem potentiam, qua condidit universa ; inscrutabilem sapientam, qua gubernat omnia ; bonitatem inexhaustam, qua pascit cuncta ac vegetat, meditari : et misericordiam, atque justitiam, gloriam denique æternæ beatitudinis pulchritudinemque contemplari. Quo, tamquam mari magno invectus, altum tenebat, extraque se admirabundus rapiebatur. Hinc fiebat, ut lacrymæ ubertim fluerent, diceretque identidem illud : " Domine, quis silice aut ru- " pe, immo adamante durius cor meum mollire " potuit, nisi tu, mesericordiarum Deus, qui de " petra fontes aquarum eduxisti ? qui potes ex " hisce lapidibus Abrahæ filios excitare *r* : cor *r* " denique saxeum reddere carneum *s*. " Sic di- *s* luculo, quinas sæpe horas flexis genibus orando transigebat : diei reliquum publicis negotiis impendens, ne suo ipse muneri defuisse videretur.

A. P. RIBADINEIRA.

36 Ludis sæpe invitus aderat, et spectaculis aliud tamen agens, ut quid gestum esset interrogatus, nihil referre aut posset aut vellet. Hæc quidem de oratione admiranda : nunc de abstinentia et pœnitentia. Cœnis sibi perpetuo interdixit. Prandio ita pærce victitabat, ut herbis et leguminibus coctis tantum uturetur, pane solum et frigida contentus ; lautitias et edulionum fercula respuebat. Piis ipse sermonibus convivas, prolixe etiam nobiles viros de more accipiebat. Principum enim virorum vocationes, E quibus illac in mediam Hispaniam iter esset, omittere honoris gratia non potuit. Hac abstinentia factum, ut, cum obeso admodum corpore ventreque esset, brevi laxæ nimis tunicæ essent, duplicarique indumenta possent. Par austeritas in vigilis et cilicio, quibus carnem domabat : flagellis item et sui contemptu atque victoria, quam Plato, vel urbium expugnatione majorem esse, dicebat. Reprehendet fortasse non nemo nimiam in principe viro austeritatem : at non abhorret a vero, Deo ita visum, atque impetu adeo vehementi, vas illud electum edolare voluisse expiandis prioris vitæ peccatis.

progressum negligens,

37 Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, privatim quidem octavo quoque die, publice vero anniversariis festis, quo civibus exemplo esset, frequentabat. Verum frequens ille Sacramentorum usus, sermonem plerisque dedit, variis varie sentientibus : quando imperitæ plebis quot capita, tot sententiæ : in desuetudinem enim abierat vetustissimus ille mos frequentius divinis Eucharistiæ epulis accumbendi : qui ta- F men, inde ab initio nascentis Ecclesiæ invaluerat. Non defuere itaque tum homines, cetera non indocti, qui majorem dignitatis Sacramenti rationem haberi crederent, si raro admodum vel semel quotannis juxta Ecclesiæ præceptum Panis ille angelorum manducaretur.

CAP. X. *de frequenti Sacramentorum usu*

38 Ceterum alii nihilo illis inferiores afflidua sanctorum Patrum lectione didicerant, ut indigne fumere nefas esse ; ita utilissimum digne, frequenterque illum accipere : quod et frigidos incendat, et a vitiis deterreat. Optabat Franciscus in tam repugnantibus sententiis cognitam veriorem obviis ulnis amplecti. Venerat commodum Roma Barcinonem Antonius Araoz, Societatis theologus, ab Ignatio Loyola missus. Hic officii gratia dum Marchionem salutat, inter varios de piis animi exercitationibus sermones, de Eucharistia etiam mentio incidit, quantumque in eo genere excelleret Ignatius, exposuit. Incessit Marchionem cupiditas, ad illum hac tota de re animi sensum referre.

Ignatium

39 Datis itaque Romam litteris, gratulatur primum Ignatio de recens orta, opera ipsius, stirpe, Ecclesiæ Catholicæ emolumento : orare, quid de frequenti Sacramentorum communione

per litteras consulis.

A. P. Ribadineira.

sentiendum putaret, certiorem faceret. Redditis litteris Ignatius respondit, Societatis illud bonum solidum esse Dei beneficium. " Paulus " plantavit, Apollo rigavit, Deus autem dedit " incrementum t. " Ad Eucharistiam quod attinet : inter ejus commoda ut plurima sunt, et illud non postremum videri ; frequentiore ejus usu a vitiis homines avocari, rariusque impingere : sin, ut homines sumus, labi contingat, citius exsurgere, resipiscere, ad frugemque revocari. Neque una amussi ingenia omnia metienda : aliis rarius, frequentius aliis, ad divinam Mensam accedere, utile videri. Suadere itaque et hortari, prudentem aliquem piumque e multis deligeret, cujus potissimum consilio in pietatis studio uteretur. Assensus statim Marchio est, in ejusque sententiam libens iit, et jam tum Societatis Jesu presbyteros ad excolendum animum consilioque regendum libenter consuluit u.

ANNOTATA.

B a *Assisiatem.*

b *Febri laboravit* Franciscus *anno* 1533 : *cæsarem. cum in Tunetanæ expeditionis procinctu esset, Barcinonem usque comitatus est, indeque Matritum ad augustam rediit anno* 1535 : *anno sequenti bellum Gallicum susceptum est : non igitur statim a reddita* Francisco *valetudine, ut ait Schottus. Insigne porro amicitiæ specimen, quod eo bello* Franciscus *edidit, vide num.* 48 *Comment. prævii.*

c *Montione eo anno Ordinum conventus est habitus postquam ab anginæ morbo* Franciscus *convaluerat. Vide num.* 40 *Comment. prævii.*

d *Ferdinando mater fuit Joanna Henriquezia : hujus vero frater Henricus Mariæ pater : erant igitur Ferdinandus et Maria amitini, seu fratris et sororis liberi.*

e *Malim dicere : circiter* 27 *: cum nata sit anno* 1479, *vixerit in seculo annis* 33, *obieritque anno* 1539 *ex dictis num.* 51 *et seq. Comment. prævii.*

f *Lib.* 4 *Dial. cap.* 14, *ubi de S. Servulo, ad diem* 23 *Decembris Martyrologio Romano inscripto.*

C g *Imo* 1539. *Vide Comment. prævium locis ad lit.* e *hic citatis.*

h *Ferdinandi et Isabellæ, e quorum filia Maria, Emanueli I Lusitaniæ regi nupta, nata fuit Isabella, Caroli V uxor.*

i *Psalm* 72, ỳ. 25.

k *Psalm.* 29, ỳ. 10.

l *Lib.* 8 *Confess. cap.* 8.

m *Psalm.* 4, ỳ. 3.

n *Ecclesiastis* 7, ỳ. 3.

o *Additamentum Schotti.*

p *Verosimilius anno* 1175 *institutus, quo ab Alexandro III approbatus fuit, ut habet Henricus Florez in Clavi Historica.*

q *Proverb.* 24, ỳ. 16.

r *Matth.* 3, ỳ. 9.

s *Ezech.* XI, ỳ. 19.

t *Ad Cor.* 1, *cap.* 3, v. 6.

u *Plura a* Francisco, *cum Catalauniæ prorex esset, gesta habes* § 5 *Comment. prævii.*

D

CAPUT III.

Fit Gandiæ dux : uxore mortua, Societatem Romæ ingreditur : Romam, ut cardinalatum fugiat, deserit : bonis titulisque vale dicit.

CAP. XI. *Sublato e vivis*

His fere intentus, recte provinciam administrabat, incolis acceptus, quod omnes officio adjungeret, læderet neminem : cum tristis e patria nuntius nec opinanti allatus, Joannem parentem vixisse. Percussit non leviter Franscisci animum, tali se parente orbatum. Erat enim ob singularem animi facilitatem Joannes morumque integritatem carus acceptusque suis ; tota ut in luctu et squalore ditio Gandiensis, amisso communi parente, jaceret : E lugerent vero potissimum inopes, quos, ut Christi membra, fovit liberaliter. Unum de multis exemplum seligam.

patre Joanne,

41 Cum præfectus curiæ pares eleëmosynis non videri rationes expostularet, Joannes respondit : " Cum ad meam ipse voluptatem de- " liciasque splendide mea expenderem, conqueri " minime solebas : nunc cum egentibus, quibus " debentur, hæc distribuo, deesse quereris ? Ve- " rum ita statuo, mihi potius omnia vitæ ne- " cessaria deesse, quam Christi membris, pa- " tiar. " In Deum quoque maxime pius exstitit : dum enim Gandiæ Corpus Dominicum per compita ad ægrotos Viatici nomine, veteri consuetudine, deferebatur, facem ipse ardentem dextra gestare solitus, suis omnibus exemplo erat. Quin et venatum egressus (quo studio mirifice tenebatur) si forte, ut jusserat, signum daretur ære campano, confestim retro domum, reducto equi freno, calcaribus etiam admotis, redibat, ut hoc officii de more præstaret. Valentiæ quoque nobilibus viris præivit, ut ab aula, quæ divi Laurentii templo objacet, ad F Hieronymianorum usque divo Michaëli sacram ædem, Regiam cognomento, longo admodum intervallo ordines nobilium duceret : qui nobiles tædis ardentibus honoris gratia Eucharistiam antecedebant et reducebant a.

a

Gandiam regreditur.

42 Morte itaque parentis nunciata, Franciscus ab imp. Carolo, qui tum forte Barcinone in Italiam cogitabat, postulavit, uti ad suos redire, pace illius, remque tueri familiarem liceret. Impetravit, quamvis ægre, a cæsare : ea tamen lege, ut Philippi Hispanicæ juventutis principis (Romano more loquor) qui tum uxorem ducere parabat Mariam, Joannis III Lusitanorum regis filiam, curiæ præfectus esset, sponsæ vero a cubiculis Leonora uxor. Quæ res tabulis etiam imperata, immatura Mariæ morte diremta est b. Igitur Gandiam magna omnium exspectatione pervenit anno M. D. tertio et quadragesimo : bene ominantibus suis, quod in illius humanitate et benevolentia magnum sibi præsidium collocassent. Parentis famulos non dimisit, ne desertos se quererentur ; tametsi pridem familiam integre constituisset. Xenodochium

b

A chium ad hæc instaurandum curavit et amplificandum, annua etiam pecunia attributa.

paternam ditionem egregie administrat,

43 Oppidum mari nostro vicinum, quod piratarum incursionibus obnoxium esset, qui ex Africa in Hispaniæ oras desilientes captivos abducerent, et pecora abigerent muniendum murisque cingendum, qua parte nudum, censuit: tum ne presidiis militum, qui fere impotenter agunt et libidinose, inquilini perpetuo vexarentur. Ænea quoque tormenta recens conflata disposuit, moles jecit, fossas et vallum duxit, excubias ordinavit: nihil ut ad elegantis oppidi speciem decusque desiderari posset. Palatium etiam membro ædificato auxit, posterorum commodo: pagos ad hæc finitimos suorum concordiæ et quieti, magno appenso ære, redemit adjunxitque Gandiensium ditioni. In vico Lombayæ cœnobium divi Dominici familiæ a fundamentis construxit *c*: vasis aureis argenteisque templum ditavit, victui corporisque cultui, quamtum satis esset, attribuit. Maximam enim rationem habendam existimabat inopiæ religiosorum hominum. Judicabat item, reque ipsa

c

B præstitit, pauperes quidem jure alendos; tum vero justius eos, qui splendido olim fortuna usi, gravi accepta calamitate, ad extremam inopiam recidissent *d*.

d

LIB. XII. *uxore item*

44 Parente optimo orbatus Franciscus, post non diu conjuge etiam viduatus luxit. Qua quidem fidissima socia plures annos usus est, non solum tori, verum etiam piarum omnium exercitationum. Erat enim matrona singulari in Deum pietate et in egenos caritate. Et, tametsi dissimili ingenio fuisset, mariti tamen domestico exemplo frangi potuisset. Interrogata aliquando a nobilissima femina, cur simplici adeo pæneque attrita veste, nulla dignitatis habita ratione, uteretur. « Mene », inquit, « byssinis, « sericis aut purpureis indui vis, cum dominum « meum (sic enim verum appellabat) cilicium « gestare sciam? » Cum igitur annos ipsos duodeviginti sine querela simul vixissent, prior illa, diuturno morbo confecta, tandem decessit. Lento nimirum dolore expiari crimina, si quæ forte contraxisset, voluit Deus. Afflixit igitur et ille casus Francisci, quamvis constantem,

C animum, quod altera sui parte spoliari se videret, liberorum matre et dolorum curarumque socia. Ægrotante illa orare frequentius, piorum etiam hominum precibus adhibitis, eleëmosynis atque jejuniis. Solus aliquando conclave, remotis arbitris, ingressus, obnixe lacrymis fusis obtestabatur Deum, salvam conjugem superstitemque vellet: cum ecce tibi vocem quandam interiorem clare audire visus est, ut post ipse retulit, quæ diceret: « Uxorem « si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat, at « tibi non expedit *e*.

e

orbatus,

45 Qua re turbatus, minime dubitavit, Dei vocem esse. Parendum itaque: tacite enim redargui, quod, quid pederet, ignoraret. Rursus vero in lacrymas iit hisce admistis vocibus: « Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui « committas meo, quod in tua solius est pote« state? Mea permagni refert, tuam sequi in « omnibus voluntatem. Quis enim te novit re« ctius, quid e re mea sit? Tua itaque volun« tas fiat: nec de uxore solum, sed de liberis « etiam statuas, supplex oro. » Observatum, conjugis morbum statum quendam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, meliusculene, an deterius haberet; post has vero preces ad desperationem laborare cœpisse. Animam agenti ad cervical adfuit et divinis alloquiis confirmavit, mortem forti animo Dei misericordiæ innixa obiret. Illa vero Christi de cruce pendentis imagine pie amplexa, anima salutis Auctori, spei plena, reddidit ante diem VI Kal. Aprilis anno redemti orbis M. D. quadragesimo sexto *f*.

A. P. RIBADINEIRA.

f

CAP. XIII. *exercitiis spiritualibus animum excolit,*

46 Mortua Leonora, Gandiam commodum venerat Petrus Faber Allobrox, qui primus se ad Ignatii Loyolæ Societatem Lutetiæ Parisiorum applicuit. Hunc ex Hispania Paulus III Pont. Max. evocandum curarat, ut in theologorum Sedis Pontificiæ numero, Tridentino concilio, Catholicæ fidei caussam adversus recens ab inferis excitatas hæreses tueretur, una cum Jacobo Layne et Alphonso Salmerone Toletano sociis. Ignatius in mandatis Fabro dederat, Gandia iter faceret, Franciscum ducem officii grata salutaturus; qui ædes Societati excitare animum induxerat: eoque paullo ante sacerdotes Roma et Ulyssipone allegati. Incredibile dictu, quantum illius adventu delectatus Franciscus: ut animi parentem et moderatorem, tum demum nactum se Dei beneficio prædicaret. Exercitationes enim Faber, quas Ignatius de Christi rebus gestis et morte dictarat, meditandas proposuerat. Asceticum hoc opusculum (sic enim, Basilii Magni auctoritatem secutus, appello, quas vulgo « Exercitationes spiritus ») post Franciscus, utilitatem reipsa expertus, Pauli III Pont. Max. auctoritate ratum haberi curavit. Diploma quoque, ut in eam sententiam fieret, quod libello additum legimus, impetravit *g*, ad eorum opinionem minuendam, qui, quæ non legerunt, temere damnant; aut, si legerunt, fascinato invidiæ oculo, non recta ratione dijudicant.

E

g

collegium et academiam Gandiæ excitat

47 Jacta collegii fundamenta feliciter ante diem III Nonas Maias anni M. D. XLVI. Primum quidem lapidem Faber, Sacris rite operatus, posuit; alterum Dux, postque ejus exemplo liberi. Brevi ædes constructæ, ludique aperti humaniorum litterarum, divinæ item et humanæ philosophiæ. Quin et in academiæ formam summi Pontificis et Cæsaris auctoritate evexit. Prima ea omnium Societati credita. Bibliotheca item exornavit. Faber, salutato Francisco, quam maximis itineribus Romam pervenit. Mox Kal. Sextilibus, magno sociorum luctu, occubuit. Insequenti anno Monsonium *h*, in Celtiberiæ finibus id oppidum, ubi trium regnorum haberi conventus solent, Philippus Hispaniæ tum princeps Franciscum honorifice evocavit: quo nobilium animos ad concordiam revocaret. Memoria tenebat, parentem suum Carolum cæsarem, quincto ante anno, fideli ejusdem opera usum. Franciscus quasi jam ultimum id officium principe præstaret, et immortali se Regi compararet, quod ad patriæ commodum, nobilium emolumentum, regis ornamentum pertinere videretur, nihil prætermisit.

F

h

CAP. XIV. *deque novo vitæ genere deliberans,*

48 Exin majora animo agitabat, uti ad summam vitæ perfectionem contenderet et Euangelii consilia, vinculis jam conjugii liber, amplectenda duceret. Rogare itaque pios homines, quoties ad se adirent, precibus, liturgiis a Deo poscerent, salubria sibi consilia de optimo vitæ genere deligendo, in quo sunt omnia, fuggereret *i*. Ipse quoque eleëmosynas indies erogabat, plusque tribuebat temporis orationi, meditationi atque vigiliis: jejunia et corporis verberationes

A. P. Ribadineira.

verberationes intendebat. Didicerat enim puer, deliberationem de vitæ cursu ineundo, omnium esse difficillimam. Illud vero fixum animoque obfirmatum, divitiis honorumque titulis abdicatis, Christum sequi, ejusque crucem tollendo vestigiis insistere. Hæc vero dubia et impedita cogitatio in duplici religiosorum hominum via, utram ingredi melius esset, eorumne, qui cælestium rerum meditationi dediti, in solitudinem se hominumque infrequentiam abdiderunt, et suæ duntaxat saluti invigilant; an, qui excellente animi magnitudine proximos Christo, qua verbo, qua exemplo lucrificare student, qualis Christi et Apostolorum vita fuit. Et vero sunt arctissimo inter se vinculo, tanquam germanæ, colligatæ, quæ in contemplatione, quæque in actione versatur vita, in Maria et Martha sororibus designatæ. Franciscus quidem solitudinis amantior videbatur, ut uni sibi Deoque in solitudine commodius vacaret, jejuniis et abstinentia corpus in eremo macerare : verum cum se ad orandum daret, eorum potius institutum sibi commendari, Deo inspi-
B rante, sensit, qui contemplationi etiam actionem publico commodo adjungerent. Sed in hoc ipso vitæ genere perplexum et illud in tot tantisque piorum hominum familiis, quam potissimum sequeretur.

Societatem

49 In primis divi Francisci institutum ceteris prætulit, quod et tutelarem illum jam inde a puero, nomenque adscivisset. Illic summam et inopiam et vitæ austeritatem, quas pridem artes bonas exoptarat, exerceri sciebat. At dum hæc Deo sæpe commendat consilia, aridum ab oratione, frigidum et jejunum exurgere se sensit : rapi vero ad Societatem Jesu ; quod recens nata religio in vulgus etiam ignota esset : nullus denique hic ambitioni dignitative locus pateret. Fore itaque, ut ibi ignobilis et inglorius falleret ac lateret. Qua in deliberatione rem ad
k divi Francisci pium et eruditum sacerdotem *k*, tanquam arcanum, retulit; Dei oraculum, illo interprete et deprecatore, auditurus. Ille vero sacris operatus narrat, vocari illum in Societatem
l Jesu; ita Deo placitum *l* : « Quod », inquit, « tibi, « Dux, et Ecclesiæ vertat bene. » Victus tandem cessit Franciscus, Societatemque inire certo de-
C crevit. Hæc dum agitat, orationi intentus, septem continuo diebus tiaram capiti imminentem clare vidit. Ecclesiasticam dignitatem designari putans, obtestari Deum ac deprecari, ne, quos fugeret honores, quæsiisse alibi videretur. Cum post Societatis Præpositus renuntiatus esset, a Gaspare Fernandez interrogatus, illane tiara esset, jucunde respondit, eandem videri.

Cap. XV. *expetit,*

50 Igitur Franciscus nihil ultra cunctandum ratus, domesticum extemplo cum litteris Romam ad Ignatium allegavit, qui tum Societatis familiam auctor ipse ducebat : rogat primum reliquiis sociis adscribendo, voti compotem faceret. De re omni familiari, liberis, annuo, censu, reditibusque certiorem facit : quæ consilio regeret moderareturque. Non exiguam, redditis litteris, Ignatius voluptatem cepit : quod recens ortam familiam tanti Viri accessione illustratum iri confideret. Et vero pridem id præviderat, Deo suggerente. Romam enim ex Hispania reverso Fabro vitaque mox defuncto, cum mœstos videret socios Ignatius tanti viri immaturo obitu atque jactura : « Bene sperare « jubeo », ait, « minimeque lugendum censeo : « quando præclare cum illo agi non dubito. « Spero item fore, ut, qui Fabrum nobis eri- D « puit intempestive, idem alium parem sufficiat »; Ducem Gandiæ tacite vaticinans. Epistolam, qua respondit Ignatius, attexam : sed mihi fraudi non sit, verba non esse adnumerata, cum sensum fide bona redditum sciam.

votique compos ab Ignatio factus

51 « Benedictus Deus, qui consolatur nos in « omnibus, cui quoniam pro meritis gratias « agere non possumus mortales, laudent eum « omnes angeli beatorumque spiritus, quia te vi- « neæ suæ excolendæ destinavit atque conduxit. « Equidem te in Ordinem nostrum adopto re- « cipioque libens cum bona spe, utilitati id fo- « re Ecclesiæ Dei, cujus honor quæritur ; tibi « quoque summæ consolationi, Societati orna- « mento, omnibus denique exemplo et emolu- « mento. Precabor itaque Deum, ut, qui velle de- « dit, det idem et perficere ad laudem et gloriam « Nominis Filii sui Jesu Christi, in cujus So- « cietatem pusillum hunc gregem vocare pla- « cuit. Venio ad singula epistolæ tuæ capita. De « te, quando in nostrum gregem admitti possis, « quæris. Equidem in Domino sic statuo, rem « primum familiarem, ut gnavum patrem fami- E « lias decet, constituas prudenter et mature. « Mature quidem, ut citius voti compos fias ; « prudenter vero, ne in vulgus efferri prius « sanum id consilium patiaris, quam præstare, « quod valde exoptas, commodo tuo possis. De « filiabus matrimonio collocandis, dignitatis et « ordinis tui habendam rationem censeo. Mar- « chioni quoque filio natu maximo uxor quæ- « renda. Fratribus reliquis tantum in bonis re- « linquas, quantum satis est, quo in academiis « disciplinarum studia persequi commode liceat. « Cæsarem præterea eorum rationem habiturum, « cum pro tuis in illum officiis, tum quia ita « merebuntur ipsi, consido. Ædificia, si quæ « inchoata ad tecta perducantur. Denique, ut « semel dicam, absolvi omnia quam maturrime « ad exitumque, quoad ejus fieri potest, re- « ferri optarim : quo citius libero te et expedi- « to frui liceat. Interea loci studia revocanda « omnino existimo ; et urgenda serio est Theo- « logia, sacerdoti necessaria, in qua etiam lau- « rea te doctoris insigniri velim in Gandiensi « academia. Cetera, ut se dabunt, ad me refe- « ras, licet ; equidem rebus tuis parentis post- F « hac animo consulam, Deumque precabor, te « tuaque sospitet atque ad portum salutis æter- « næ perdicat. Romæ. »

religiosis in ea votis sese obstringit, anno 1547.

52 Hisce lectis litteris, Franciscus gaudio pæne exsiliit, quod e sua ipse potestate exisset et Ignatio se, ut cœpit, commisisset. Omnia itaque satagere ne longius fieret, quo citius sese vinculis expediret. Optabat jam tum vota concipere religiosorum hominum ritu. Quam rem, litteris illius adductus Ignatius, a Pontifice Max. impetravit. Anno itaque Salutis M. D. XLVII *m*, votis nuncupatis solemnibus, socio- *m*
rum numero adscriptus Gandiæ est ; paucis tamen consciis, ne in vulgus prius manaret, quam rebus omnibus compositis, Societati se adjungeret.

Cap. XVI. *Liberorum nuptiis expeditus,*

53 Igitur parendum in reliquis sibi Ignatii sanis consiliis duxit. Filio marchioni Lombaiæ Carolo, familiæ principi, uxor data Magdalena Centellas, Francisci Centellæ comitis Olivæ (id oppidum mille passibus Gandiæ adjacet) et Mariæ Cardonæ filia *n*. Filiarum trium natu mini- *n*
ma Dorothea, nondum amissa matre, Christum sponsi loco adsciverat, in cœnobiumque D. Claræ

A ræ puella admodum se abdiderat : ceteræ nobilissimis viris collocatæ. Isabella nuptum cessit Francisco Rogio Sandovalio, Lermæ comiti et marchionis Dianii heredi : Joanna Aragonia Joanni Henriquez, Alcanizii marchioni, in manum convenit. Gener sane uterque, ut genere nobilissimus, sic et moribus honestissimus. In quibus nuptiis illud Francisci ducis consilium laudari video. Alterum generum Lermæ comitem ad tertium diem adesse jussit ; pactus horam, tempusque, quo sacris rite peractis, sponsalia inirent, ne, ut sæpe fit, non recte ante Ecclesiæ benedictionem convenirent sponsi. Restabat alterum e mandatis, quod exsequi studio fuit simul et voluptati. Liberorum enim nuptiis expeditus, totum se sacrarum litterarum studio dedit. Ei rei in Societatis collegio membrum domus, quod exstat, exædificarat, quo se cum liberis studiorum gratia colligeret. Theologiæ itaque partim mysticæ, partim ei, quæ in scholis tractari disputando via ac ratione solet, egregiam operam navavit, doctore usus
o magistro Peresio *o*, quem Valentia Edetano-
B rum magno præmio, honore atque stipendio evocandum curarat. Hunc attente assidueque audivit, et legendo disputandoque ea industriæ atque doctrinæ dedit argumenta, ut brevi laureæ titulo omnium suffragiis dignus haberetur.

Theologiæ vocat,

54 Magisterii itaque primum, mox Theologiæ laurea, adhibitis prius et disputationibus et examine, decoratus est. Operæ pretium fortasse fuerit, horas studiique rationem referre. Tribus horis solem antevertebat, quas et alteras tres precationi tribuebat. Octava diei hora, ut Hispani numerant, expiatis quotidie criminibus communicabat. Nona doctorem Theologiæ attente auscultabat, dictata etiam calamo excipiens. Summa temperantia pransus, de rebus divinis agebat. Pomeridiani temporis reliquum partim studiis, partim negotiis privatis publicisque dabat. Vergente ad Occasum sole, SS. PP. monumenta Scripturæ lectioni adjungebat : horis item canonicis temporis nonnihil tribuens. Somni enim parcissimi fuit, non lecto ; sed tabulis ligneis, villoso tegmine instratis, usus. Ante somnum seipse accurate excutiebat, apparitoris, lictoris, rei et judicis sustinere se
C personam fingens. Quo vitæ genere factum est, ut fama disseminata illius visendi gratia dynastæ aliquot Gandiam venerint : in his et episcopus Carthaginis Spartariæ, Stephanus Almayda, datis etiam ea de re honorificis ad amicum litteris.

CAP. XVII. *Romam anno 1550,*

55 Cesserat dies, quem Pontifex rebus componendis Francisco præfixerat, et decurso jam triennii studiorum spatio, annus sæcularis sacer, qui hodie JUBILÆUS, imminebat Romam itaque proficisci decrevit, cum ut principum Apostolorum, quæ tum rite universa panduntur, limina frequentaret, tum Ignatii studio : denique ne sua iterum opera cæsar in negotiis obeundis uteretur. Verebatur contra, ne Romæ præsens cum esset, a Paulo III contra Societatis institutum Cardinalium collegio invitus adscriberetur, quod Alexander VI gentis Borgiæ purpureo illum olim galero donasset *p* : auxerat quoque metum, quod Francisci fratres duo, ab eo ipso Paulo Cardinales nuper creati fuerant *q*.
p
q Sed commode cecidit, quod Paulus ex humanis
r exemptus *r*, Julio item tertio vacuam Sedem Pontificiam reliquit.

56 Conditis igitur testamenti tabulis, Carolum familiæ heredem sevocat. « Postremum « hoc te », inquit, « Carole fili, forsan alloquor. « Romam iter adornari vides anno sæculari sa- « cro, ut Apostolorum limina exosculer. Socie- « tati Jesu me volens addixi, bonis me titulis- « que abdicaturus, quo vivam securius æter- « namque beatudinem, Deo bene juvante, con- « sequar. Fratres itaque ditionemque Gandien- « sem tuæ committo fidei : tu vicissim da ope- « ram, ne eam tibi, familiæ principi, commisisse « nos aliquando pœniteat. Jus et æquum impri- « mis tuere, consiliaros prudentes fidosque ad- « hibe, qui libere dicant, non assentando blan- « diantur. Civium potius, quam tuis commodis « stude, et amari, quam timeri malis. Tria tibi « cœnobia, tanquam majorum monumenta, in « manus trado : Lombayæ, sodalium S. Domi- « nici ; Gandiæ sociorum et D. Claræ virginum, « in quibus soror est *f* et amitæ *t*. Piorum enim *s t*
« hominum precibus consilioque respub. feli- « citer geritur. Deum, quod rei caput est, time « et religiose colito : hunc inspectorem rerum « humanarum in oculis gestato, et Judicem ex- E
« pecta. Salve et vale. » Marchio lacrymis ubertim fusis, paucis optima quæque pollicitus, dexteram parentis, more gentis, exosculatur. Franciscus, ceteros ordine liberos complexus, valedixit ; Joanne tantum, natu secundo, patrem comitante : moxque vicinum Societatis collegium ingressus, comites adscivit Antonium Araoz, Franciscum Stradam, septem item alios sacerdotes *u*.

A. P. RIBADENEIRA. *commendata Carolo filio ditione,*

u

57 Equis conscensis, Gandia discessit pridie Kal. Septembres anni M. D. L. Oppido egressus, sublatis in cælum oculis manibusque, mixtis etiam præ lætitia lacrymis, Davidis illud alta voce recitavit : IN EXITU ISRAEL DE ÆGYPTO *x*. Mox etiam : LAQUEUS CONTRITUS ET NOS LIBERATI SUMUS *y* ; cum bona spe et mente fixa, fore ut eodem nunquam reverti patriumque solum revisere cogeretur, qui ad cælestem patriam properaret. Servavit hoc religiose. Missus enim longo post temporis intervallo a Pio V Pont. Max. honorifica legatione cum Alexandrino Cardinali in Hispaniam ad regem Catholicum, Valentiamque ingressus, nunquam sibi imperari passus est, ut Gandiæ oppidum, quod unius F
duntaxat diei itinere abest, inviseret. Proficiscens orationi quotidie horas complures dabat, moremque, quem perpetuo tenuit, de peccatis quotidie confidendi sacrisque epulis accumbendi servavit. In meridie tantum cibum capere solitus, etsi de via fessus langueret : in cœna modico admodum contentus cibo vixit : flagellis etiam in se, licet in diversoriis incommodum esset, sæviens. Colloquia divina, quibus itinerum tædium levari solet, sic partiebatur, ut precationi horas tribueret vicissim, et sermonibus divinis piisque meditationibus ; nec ad aurium se voluptatem, sed animi utilitatem potius compararet *z*.

CAP. XVIII. *tendit,*

x

y

z

58 Italiam simul attigit, ecce tibi nobilem virum cum litteris ab Hercule Estensi, Ferrariensium regulo, Francisci patruo majore *aa*, orare, ad se ut de via divertere non omittat : cupere, pro veteri necessitudinis vinculo, aspectu ejus frui, quod sine ullo pæne viæ incommodo temporisque jactura fieret. Paruit, ut decuit, Franciscus, triduumque Ferrariensi duci tribuit, comiter acceptus : biduum etiam cum

perhonorifice Ferrariæ in Tuscia, et Romæ,

aa

A. P. RIBADINEIRA. *bb*

cum Cosino Medice, Etruriæ duce, fuit, qui et ipse nullum officii genus prætermisit *bb*. Mox ne longius fieret, quo Ignatium videret, Romam festinavit. Introductus honorifice in Urbem, Cardinalium aliquot cæsarisque legati voluntate. Caverant enim, ne, quod maxime obtabat Franciscus, nocte intempesta obscurus ingrederetur. Latere nimirum atque ignorari, qua erat modestia, malebat. Sed et ipse Ignatius, superiorum auctoritate victus, manu sua, horis aliquot, antequam Urbem iniret, significarat, æqui boni gratulationis pompam faceret, quam ille probri non honoris loco duceret. Julius III Pontifex Max. palatium illi læta cum gratulatione, quod expectatus venisset, per legatos obtulit, ædiumque membrum, si volenti esset, attribuit. Magnas ille gratias agere : Societatis enim Jesu humile domicilium delegerat. Hic pro foribus Ignatius præstolabatur, amplexus Ducem amice humoque reluctantem tollens, quod pedes manusque exosculartur : mistis etiam caritatis lacrymis, quod magno Franciscum emolumento amplificandæ Ecclesiæ Dei, sociis quoque, re
B et consilio juvandis, exemplo denique ad majorem Dei gloriam usui futurum provideret.

ab ipso etiam Pontifice excepitus.

59 Fessus ille nonnihil de via, ubi se modicum collegit, confirmavitque, nihil duxit antiquius, quam Pontificem Max. venerari pedesque more majorum exosculari. Hic in basilica Pontificia acceptus officiosus est, quam ceteri ejus ordinis solent. Laudare factum Pontifex gratumque id sibi accidisse, ab ultimis pæne terris hoc anni tempore et æstu, qui nondum se fregerat, Romam religionis gratia advolasse, ut beatorum Apostolorum sepulcra viseret et patefactæ jam portæ aureæ limina oscularetur. « Utinam », inquit, « talium principum magnam copiam haberemus : constantius se res « Christiana haberet. » Ædes rursum suas patere illi coram testatus. At Franciscus modeste abnuere, gratias agere, quod in sociorum collegium divertisset : satis fore, immo summi beneficii loco ducturum, si patientes interdum aures sibi daret benediceret. Sic honorifice domum reductus, redditus sibi videbatur. Cardinales tamen, quos necesse erat, officii gratia invisit.

jubileum lucratur,

60 His tandem salutationum curis expeditus
C sacra divorum templa ordine lustravit, adhibito, tanquam viæ duce et nomenclatore, itinerarii libello : in quibus templis, innumerabiles beatorum Martyrum reliquiæ, ut nusquam alibi plures, asservantur, et a piis hominibus frequentantur. Quibus e commodis, copiosiores ut fructus caperet, omnem anteactæ vitæ rationem reddendam Ignatio putavit, et errata sacerdoti confitendo, in Urbe sancta temporeque sanctissimo expianda iterum censuit. Nec foris solum se lustrandis obeundisque locis sacris oblectabat ; domi etiam mirifice aspectu Patrum illorum, principum societatis et familiæ auctoris Ignatii, recreabatur. Inter cetera vero plurima Romæ præclare gesta, illud ad æternitatem memorabile, ab illo prima esse collegii Romani fundamenta jacta : seminarium id omnium nationum quoddam est, eritque semper. Sed omnis ea laus Gregorio XIII Pont. Max. Societatisque parenti optimo relicta cessit, ædibus augustoque ludo exædificato.

CAP. XIX. *cum cæsare*

61 Optabat Franciscus ætatem Romæ diutius agere, et nusquam alibi libentius consenescere, tum ob loci sanctitatem religionemque ; cum ob Ignatii innocentissimi viri mores. Optimum itaque factum* duxit, suis sese fortunæ bonis titulisque exspoliare, quo pietati commodius operam daret. Igitur e domesticis unum Gasparem Villanonum ad cæsarem Carolum, qui tum in Germania res gerebat, cum litteris seu supplice libello allegat : bona illius venia filio natu maximo, Lombayæ marchioni, Gandiæ ditionem concedere titulosque liceret, rogat. Gratum id sibi acceptumque fore, qui colligere se ipse et abdere vellet. Societatis Jesu familiam potissimum delegisse, in qua reliquum vitæ curriculum consumeret ; nuperam quidem illam, sed ut ceteras, ab origine calidiorem indies futuram. Litterarum exemplum, ut eum voluptate simul et utilitate legatur, adscribam.

* factu

per litteras de bonis titulisque

62 « Quanto pridem opere exoptarim, cæsar « auguste, tuum in Italiam adventum, ut, quæ « nunc litteris absens coram postularem, uni « Deo notum est, cui, quando ita visum, ne me- « rito meo voti compos fierem, ratam ipsius, ut « debeo, voluntatem habeo. Et cum absentem « me non minus, quam si præsens essem, sensa « mentis explicaturum confidam, idcirco, ut « mentis interpres oratio est et vicissim oratio- E « nis scriptura, hac utar, quando illa in tanto « loci intervallo non licet. De me sic habeto : « peccatorem me ingenue confiteor, ceterisque « offendiculo aulicis fuisse, cum in regia tua « versarer, cujus delicti gratia nullam detrecto « pœnam a Deo cœli Rege, nec abs te, qui in « terris imperas. Ille misericordiarum Parens, « toties inferorum cruciatus meritus cum sim, « ad hunc diem incredibili patientia, mansuetu- « dine, benignitate sustinuit me, quo resipiscerem in viamque redirem : tempusque largitus « est, ut, quanta illius essent in me beneficia, « quot quantæque meæ in illum injuriæ tempestive animadverterem. Hæc ipse dum considero « jam inde a conjugis morte Leonoræ, quattuor « ipsos annos, multisque, ea gratia, fusis a piis « viris precibus ad Deum, crevit vitæ novæ cupiditas indies, et, quasi depulsa mentis oculis « caligine, terrena omnia despicatui ducere cœpi. Nunc, licet indignus sim Dominicæ vineæ « cultor futurus ; præsertim cum tam fero accessim, et vites olim, quas alii plantarunt, « evellere studuerim ; Dei tamen benignitate So- « cietatis Jesu sacerdotes me in Ordinem suum « nullo meo merito admiserunt. In qua quidem F « etsi jam pridem degere et emori exopto, prohibitus sum tamen, dum boni parentis officium « expleo, filiisque abunde consulo : qua cura « post unum et item alterum mensem semel « me expediam.

abdicandis agit,

63 « Quam ob rem, maxime cæsar, bona tua « venia id mihi liceat, quia cliens tuus et eque- « stris D. Jacobi Ordinis, rogo, ut, quod reli- « quum est vitæ spacium, perbreve illud quidem « at in lucro deputandum, ita transigam, quo « anteactæ vitæ jacturam dignis pœnitentiæ « fructibus, Deo bene juvante, sarciam ; præ- « terita errata corrigam, præsentia pericula fu- « giam, futura evitem. Et, si quid in hac ipsa « vitæ melioris forma profecero, equidem dabo « operam, ut sacris astans altaribus, re divina « atque jejuniis assidue pro imperii tui in- « columitate vota faciam, et pro tua salute, a « qua et multorum pendet, Deum precer, ut, « qui nuper de Turcis et hæreticis victoriam « tibi concessit, det idem, ut te ipse vincas, quæ « sanæ vincendi ratio, ut difficillima, ita est « et utilissima maximeque laudabilis : denique « amoris

A « amoris te divini ignibus inflammet, idque as-
« sidua meditatione cruciatuum Christi, ut jure
« cum Apostolo dicere possis : Mihi absit glo-
« riari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Chri-
cc « sti *cc*. Ille, qui crucis dolores pro nobis tulit
« Christus, te quam diutissime reipub. Christia-
« næ servet incolumem. Dat. Romæ A. D. XVIII
« Kal. Feb. M. D. LI. »

Roma, ut cardinalatum declinet, fuga se proripit,

64 Dum cæsaris jussum exspectat, sparsum jam in vulgus erat, mutasse Franciscum vitæ statum in melius. Qua re cognita, Pont. Julius Franciscum (quod antea metuerat, ut Romam idcirco proficisci cunctaretur) Cardinalium collegio adscribere cupiebat. Ille vero tristi nuncio tam exhorruit, quam cupide quidam honorem illum consectantur et captant. Itaque Ignatio visum est expedire, subito Franciscum Roma discedere, ut, Pontificis oculis subductus, fuga se honoribus eriperet. Igitur iisdem sociis, quibuscum Romam ex Hispania venerat, cum vix quattuor menses in urbe mansisset, in Hispaniam revertit. Hic, ut erat solitudinis in
B primis amans, procul a vulgi strepitu agere cum vellet, Guipuzcoam, Cantabriæ provinciam, sedem sibi delegit : cum quod pauciores eam oram haberent ; tum quod Ignatii natale solum id esset. Hispanias itaque simul attigit, recta in Cantabriam tendit : domumque Loyoleam ingressus, locum percunctando studiose quæsivit, quo loco primum natus terram contigisset Ignatius. Hic terræ osculum pedibusque figere, Deo gratias agere, quod eo loci tam utilem orbi terrarum virum nasci voluisset, seque tanti magistri discipulum fecisset. Igitur re divina audita, sumptaque Eucharistia, Ognatum discessit ; oppidum id Loyolea domo tertio
dd abest lapide. His Petrus Michaëlius Araoz *dd* ædes aliquot Societatis collegio exædificando moriens testamento legarat. Hinc comitum nonnulli varie dimissi, in suas provincias remigrarunt : alii in Francisci contubernio cum Joanne filio hæserunt.

AAP. XX. *et bona cæsas tis venia*

65 Nec diu factum est, cum Gaspar Villalonus, e Germania redux, cæsaris litteras Francisco attulit, quarum hoc exemplum est : « Tuas
« mihi, dux Borgia, reddidit Gaspar Villalonus,
« cliens tuus. Quamvis sanctum piumque id
C « consilium tuum, vitæque institutum, quo se-
« cedere ac te colligere vis, ut terrena cælesti-
« bus permutes : (quis enim nisi impius id ne-
« gaverit ?) angit tamen nonnihil nos, te caren-
« dum quod erit. Verum meæ ipse morem gerere
« cupiditati commodaque mea tuis anteponere,
« nec volo, nec, si velim, possim. Potestatem
« itaque facio libens, volensque, ut Carolo, na-
« tu maximo, Gandiensi ditione tuo arbitratu
« cedas. De facto equidem sic sentio, plures
« æmulos, quam imitatores, reperturum : pro-
« num enim, atque proclive cuivis alteri invide-
« re ; paria præstare fuit, eritque semper diffi-
« cile. Quod ceteros liberos deseras, id mihi
« oneris imponi facile patior, iis ut ipse pro vi-
« rili consulam et parentis in locum succedam.
« Effectum id dabo, cum officiorum gratia Leo-
« noræ matris, feminæ lectissimæ ; tum paren-
« tis, qui et ipse bene de me meritus est. Illis
« damno non erit, utrumque parentem operam
« mihi dedisse. Deus Opt. Max. consilia tua,
« dux Borgia, ad exitum felicem adducat, quem,
« ut nos quoque, remque publicam, difficilli-
« mis hisce temporibus respiciat, precator. Sic
« te servet ille et sospitet. Dat. Augustæ Vin- A. P. RIBADI-NEIRA,
« delicorum. Idib. Feb. M. D. LI. »

bonis titulisque renuncias

66 His lectis gaudio pæne triumphans Franciscus, conclave statim ingressus ad Christi de cruce pendentis imaginem genibus accidit. « Domine Jesu », inquit, « cujus misericordiæ
« non est numerus, tot tantaque cum exstent in
« me beneficia, novis tamen cumulare non ces-
« sas. Gratiam, quam possum, habeo, agamque,
« dum vivam. Nunc te vocantem sponte sequor,
« et bonis fortunæ omnibus, quæ liberali manu
« donaras, me exuo, te ut cruci affixum nudus
« promptius imiter. Abjicio libens omnia, mo-
« dica illa quidem ; sed et regna atque imperia,
« si suppeditent, eadem animi alacritate dimit-
« terem, ut tu probe, qui corda scrutaris et re-
« nes, nosti. Supplex igitur rogo obtestorque, ut
« prodigum illum filium a longinquis reducem
« me recipe et amplectere expansis ulnis mise-
« ricordiæ tuæ. Pateant mihi fores domus tuæ,
« apud religiosos uni tibi deditos Unum hoc pe-
« to, ut inhabitem in domo tua omnibus die-
« bus vitæ meæ. Tu, qui lux es, via, veritas et E
« vita, respice me : et, qui hanc mihi mentem
« dedisti, da exitum felicem. » His cum se precibus Deo addixisset, in publicum prodiit, confestimque accitis tabellionibus et actuariis, ditionis se Gandiensis jure bonisque omnibus exuere, et Carolo natu maximo transcribere universa, in acta retulit, superstitibus præsentibus, nihil ut sibi reliquum fecerit. Mox detonsa barba, vestibus abjectis, talarem sociorum togam tritamque induit, lacrymantibus famulis, non secus atque si vita decederet : ille vero gaudere, vix ut apud se esse videretur, quod toga se publica, ducisque titulis exuisset, et, quasi maximo e naufragio et tempestate emersisset, ratus portum se tenere, et in summa Societatis paupertate ditissimum revera esse, identidem illud exclamans. « Dirupisti, Do-
« mine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam
« laudis. » Mox servos amice dimisit ; Joanni Borgiæ alios clientum in numero attribuit, alios Carolo duci per litteras commendatos misit.

ANNOTATA.

F

a *Diem suum obiit anno* 1543 *die nono Januarii : eum Paulus III virum auctoritate, pietate et virtute insignem appellavit in litteris, quibus* Franciscum *in patris obitu consolatus est.*

b *Decessit anno* 1545 *die* x *Julii.*

c *Cœptum id cœnobium fuit anno* 1543, *habitari vero a PP. Dominicanis anno* 1548 *et S. Ludovici Bertrandi sanctimonia illustratum.*

d *Præter ea, quæ hic Schottus memorat, et alia quædam præclare sub idem tempus Gandiæ gessit, quæ num.* 74 *et quatuor seqq. Comment. prævii explicata habes.*

e *Vox illa e Christi e cruce pendentis imagine (vide num.* 79 *Comment. prævii) ad* Francisci *aures animumque delapsa est.*

f *Edito jam ab annis aliquot ex utriusque conjugis consensu continentiæ voto.*

g *Exhibetur id num.* 86 *Comment, prævii et binis seqq.*

h *Seu* Montionem, *Hispanis* Monçon.

i *Numerantur in his S. Ludovicus Bertrandus,*

A. P. Ribadineira.

dus, Joannes Myco Dominicani, Joannes de Texeda Ordinis S. Francisci, et P. Faber.

k *Joannem de Texeda, de quo proxime.*

l *Tam Texedæ, quam* Borgiæ *per beatissimæ Virginis iconem confirmatum id fuit. Vide num.* 84 *Comment. prævv.*

m *Kalendis Februarii.*

n *Alphonsum, filiorum natu minimum, Caroli fratris potestati reliquit. Ceteri vero, Joannes, Alvarus et Ferdinandus, ut conditionem ecclesiasticam aut religiosam amplecterentur, in votis habuit.*

o *Ordinis S. Mariæ de Mercede.*

p *Alexander Farnesius, factus summus Pontifex anno* 1534 *dictusque* Paulus III, *ab Alexandro VI in Cardinalium collegium adscitus fuit anno* 1493.

q *Rodericum nempe Borgiam, fratrem* Francisci, *sed ex alia matre, Francisca de Castro, Paulus III Cardinalem creavit anno* 1536 ; *anno autem* 1539 *Henricum, fratrem* Francisci *germanum, qui perperam Franciscæ de Castro et Pinos, secundæ Joannis Gandiæ*
B *ducis hujus nominis II, filius ; perperam item* S. Francisci *patruus appellatur tom.* 3 *de Vitis et Rebus gestis Pontificum in Additionibus ad Ciaconium col.* 673.

r *Obiit anno* 1549 *die* x *Novembris.*

s *Dorothea.*

t *Isabella et Joanna a S. Cruce,* S. Francisci *sorores.*

u *Oviedum, Gandiensem rectorem, Jacobum Mironem, Petrum Tablares, Emmanuëlem Sa et Franciscum Roias ; quibus binos adde laïcos, F. Herculem, et F. Julianum, Araozii socium.*

x *Psalm.* 113, ŷ. 1.

y *Psalm.* 123, ŷ. 7. *Vide plura num.* 97 *Comment. prævii.*

z *Plura ad pium* Francisci *peregrinandi modum spectantia vide num.* 99 *Comment. prævii.*

aa *Vide num.* 100 *Comment. prævii. Idem Parmæ præstitit Octavius Farnesius, Camertium dux.*

bb *Plura de rebus a* Francisco *id temporis Romæ gestis habes num.* 103 *et binis seqq.*

cc *Ad Galat.* 6, ŷ. 14.

dd *P. Araozii patruus.*

C

CAPUT IV.

Sacerdotio initiatur : mutatum ejus vitæ genus hi reprehendunt, laudant illi : exemplum ejus imitantur insignes viri. Cardinalatum non semel respuit.

Lib. II. Cap. I. *Primum Sacrum privatim Loyolæ,*

Lætiorem nullum ad id temporis diem illuxisse sibi Franciscus et sentiebat et prædicabat, quam quo bonis sese omnibus exspoliasset. Liber enim a curis, uni Deo, qua re nihil illi jam tum erat antiquius, sese dabat. Id ut procederet felicius, Sacris initiatus est. Quo quidem ordine ne indignus videretur, orare jam indies Deum, corpusque castigare solitus erat. Nec enim ignorabat, ad illa adyta illotis manibus irrumpere, sacrilegio affine crimen esse. Ritus jam ceremoniasque edidicerat. Loyolam itaque contendit, primamque Liturgiam obtulit *a*, tribuens hoc Ignatii et patriæ et pietati, Kal. sextilibus *b* anni post Christum natum M. D. LI. Aræ ornamenta, mappasque graphice elaboratas, atque sororis acu pictas, Ludovicæ Borgiæ comitis Ribagorzæ adhibuit. Joannes vero Borgia filius Eucharistiam de manu illius sumpsit. Julius tertius Pont. Max. liberaliter Francisco jubilæum, ut nominant, indulserat, ut, cum primo publice Sacris operaretur, quotquot rite confessi adessent, ii veniam acciperent peccatorum. D

a

b

68 Igitur Vergaram in oppidum *c* secundo ab Ognato lapide, ut ad plures Sacrificii manaret utilitas, properavit. Incolis simul atque innotuit, tantus fuit subito hominum circumcirca concursus, ut spaciosum quidem templum non caperet. Quare sub dio aram erigere necesse fuit juxta D. Annæ sacellum : totque ad cælestem Mensam accesserunt, ut meridiana hora longe transierit ; mirantibus cunctis, præ gaudioque a lacrymis non temperantibus, quod E Ducem Apostolico habitu libenter spectarent, qui summa animi magnitudine titulos fastumque cum Evangelica inopia, et purpuram cum religiosorum hominum attrita veste commutasset ; sive quod rarum et insolens ævi nostri exemplum esset ; sive quod populari judicio cuivis honori sacerdotium postponerent. Facta re divina, ad populum concionatus est. Rogati plerique cur eo concionante, cujus aut sermonem ignorarent ob idiomatis diversitatem, aut quod longius in tanta hominum corona a suggestu abessent, non satis audirent, lacrymati essent : illi ingenue, ut est gentis illius ingenium, divinam in eo vocem, non humanam, audiri visam ; ad hæc prodigii simile esse, ducem sanctissimæ vitæ spectari.

alterum publice Vergaræ facit concursu populi maximo

c

69 Sacerdotio inauguratus, nihil duxit antiquius, quam ut colligere se et Deum venerari qua precibus, qua pœnitentiæ effectis posset. Petiit itaque modeste ab Ognatanis sacellum D. Magdalenæ sacrum, mille passibus dissitum, habere liceret Impetravit facile ; domum exilem addere constituit, et perangustam, e materia rudi et impolita fabricatam, ut paupertatis F amantior, aularum augustarumque ædium pertæsus. Huc cum paucis sociis migravit, quos tum rexit Michaël Navarrus sacerdos, a quo illud primum petiit, coquo operam dare bona illius venia liceret. Quod non minore animi voluptate, quam alii principis beneficio summum magistratum provinciamque, impetravit. Domestica hic officia exsequi, ligna et aquam in culinam ferre, ignem accendere, verrere pavimentum, lances mundare, et ollas ceteraque id genus, quasi Societatis vel infimæ conditionis tiro esset. Mox apparatis omnibus, mensæ ministrabat. A Patribus Fratribusque negligentiæ erratorumque veniam deprecabatur : singulatim pedes osculatus, pro se Deum interpellarent, hanc ut sibi mentem perpetuam esse vellet, rogabat.

humilia quævis obit officia.

70 His exercitationibus probe informatus, non angustis domus finibus contentus, de pluribus officio bene mereri studuit, memor illius Areopagitæ Dionysii : « Bonum quo longius « manat, eo esse præstabilius. » Igitur excurrere in vicinos pagos, sacculo mendicantium more onustus, et scipionem gestare, panem eleëmosynæ loco vicatim stipemque Christi nomine exigere.

catechistam et ecclesiasten agit :

A exigere. Cantabricæ matronæ, sanctitatis opinione, incredibile dictu est, quam alacriter domo pedem extulerint panemque osculatæ obtulerint: benedictionem vicissim reposcentes, orationemque pro communi salute efflagitantes. Hic pueros tintinabulo, virgam manu gestans, evocabat, ductabatque longo ordine cantantes in templum, forumque publicum, quo prima illos fidei rudimenta catechista doceret: et interrogando et iterando sæpius eadem, inculcare non piguit cognitu necessaria. His fere officiis horas bonas bene collocavit, ad Sebastiani usque Cantabrorum portum pervadens: hinc Victoriam pedibus adiens (oppidum id VELLICAM Cantabrorum Ptolemæo esse putant) et pueros erudiit, et in templis frequenter egit Ecclesiasten.

CAP. II. *mutatum ejus vitæ genus reprehensione nonnulli,*

71 In solitudinem se abdiderat Franciscus, frequentiam hominum vitans: latere tamen, et fallere alios perpetuo non potuit. Odor enim pietatis longius vagatus, finitimis etiam afflabatur: fama, in immensum omnia augere solita, varie increbuerat, dum alii factum prædi-
B cant, alii vituperant. Ut enim sensus cujusque est animi, ita fere sermones serit. Qui terrena sectantur atque caduca, præterea nihil, hi ex suo sensu reprehendere: indignum illo, honores repudiasse jam ad culmen progressum; liberos certe deseruisse videri. Quorum contra præstans erat de rebus, verumque judicium, factum Francisci laudibus in cælum tollere. Nec enim honores, magistratus, ceteraque imperitæ plebi admiranda, in bonis ducenda; animi tranquillitate Deique cultu et cognitione felicitatem hominis, aut nulla re, metiendam. Dei obsequio sese dedere, id demum esse longe lateque imperare, liberum, et dominum ac regem esse: quod rerum terrenarum despicientia infra se ducat omnia, cælestia tantum animo verset. Commendare Franciscum, qui excelso animo fortunæ bona calcasset: gratias etiam Deo agere, quod in hæc tempora, rara etiam vetustatis exempla transtulisset; quales viros singulos vix singulæ ætates Dei benignitate tulissent.

dignam laude sanctores censent,

72 Officii itaque et observantiæ gratia latentem inviserunt viri nobiles. In primis Carolus Borgia Gandiensium dux, et Alvarus Borgia, filii: Martinus item Aragonius, Villæ-Formosæ dux, qui sororem *d* ejus uxorem duxe-
d rat: comes quoque Lermæ *e*, et marchio Al-
e canizii *f*, generi. Complures etiam nobiles viri,
f et episcopi per suos salutarunt, de mutata in melius vitæ conditione gratulati. In his et Bernardinus Cardenas, Maquedæ dux, qui tum Navarrici regni prorex erat, novum Ecclesiasten audire auebat, et de officio principis coram disserentem. Domesticum itaque cum litteris allegavit: optare se, Pompelonamque *g*, cui præ-
g esset, præsente illo frui, et salubria vitæ consilia capere. Dimisso cum litteris aulico, Franciscus postridie ejus diei in viam se, duobus adhibitis sociis, Pompelonam versus dedit. Hic proregem inopinato adventu oppressit, qui illum ad se traduxit in aulam, omnique officiorum genere accepit. Multæ de officiis principum horæ, in multam etiam noctem consumptæ. Quæ in mentem venissent, ea non voce solum tradi, sed et memoriæ causa, litteris consignari cupivit prorex; scriptumque religiose asservandum curavit. Crebro ad populum rogatus verba fecit in æde summa, familiisque monachorum et monialium. Cum satis esset factum proregis voto plebisque studio, Ognatum revertit, Allava provincia profectus, per viam erudiens multos, et pietatis studio excolens.

A. P. RIBADINEIRA.

73 Nec vero Hispaniæ solum eam oram, quæ Carpetanorum *h* est, Francisci nomen pervasit; etiam Lusitaniæ in extremos fines usque penetravit. Hic Ludovicus, Lusitanorum princeps, Joannis tertii regis et Isabellæ Augustæ germanus frater, Franciscum quanti faceret, hac epistola testatum reliquit: " Alteras ad te

CAP. III. *in primis Ludovicus regis Lusitaniæ frater (cujus ea de re*

h

" dedi, Pater optime: his itaque illud duntaxat " adjiciam, per mihi gratum fore, si quod illis " abs te postularam, semel consequar: commo- " do tamen quod fiat tuo: cui, tametsi mea " permagni id fieri interest, animi mei sensum, " desideriumque lubens postpono. Deum testem " appello; quanquam nihil adhuc de te meritus " sum, amorem tamen voluntatemque nunquam " defuisse, si qua se res daret, tibi gratificandi, " pro veteri meo in familiam Borgiam studio, " quam tu quidem mea sententia dum relinquis, " teque abdens Deum sequeris, immensum E " quantum illustraris. Ea res una, ut cetera de- " ficiant, satis esse poterat, te deinceps ut pluris " facerem, amaremque ardentius. Mirabilis sa- " ne Deus in Sanctis suis, et misericordiæ ejus " non est numerus. Tuum est itaque gratias " eidem agere, quando conversio tua opinione " longe majores fructus adfert Ecclesiæ. De me " illud certo affirmare liquet, verba tua, quæ " adhuc memoria teneo, auribus meis insonare, " quasi coram te audiam; incessumque videre " videor tuum tam maturum, quasi præsens " adesses. Sed o te felicem Dei servum, qui in " hac reipublicæ perturbatione, atque tumultu, " animi tranquilitatem inveneris, pacemque " interioris hominis: quæ cum a Deo sit, exsu- " perat omnem sensum. Qua una in re, si quæ " est in vita mortalium, beatitas sita est; speci- " menque est, et particula ejus felicitatis, quam " in meliori æternaque vita omnes speramus. " Equidem majorem in modum peto abs te, ut " posthac Deum orans nostri memoriam agas; " quo semitam mandatorum suorum benignus " ostendat: ejus voluntati, non meæ, obtem- " perem; vitamque beatam, illo bene juvante, F " consequar. Si qua vero in re mea tibi opera " usui erit, pergratum mihi, si per te certior " fiam. Vale. Almerino *i* III Idus Quinctiles *k* *i* *k*
" M. D. LI. "

74 Pio principi respondit Franciscus; non *uti et Borgiæ* tam ad pompam, quam ad vitam, moresque dictata epistola. « Spiritus Dei, qui pauperum « Pater, idem et misericordiarum est, gratiam « tibi referat, quod nos amice litteris console- « ris, mei peccatoris non immemor. Quod etiam « beneficium ad se pertinere socii omnes, quo- « rum ego minimus sum, ingenue confitentur. « Singulari hac tua humanitate, etsi multis an- « tea nominibus tibi obstrictus tenebar, magna « accessio facta est: quo nomine meam tibi « operam addico, Deumque rogo indies, ut, si- « cut externis te exornat donis, ita internis ma- « gis magisque perficiat. Benedictus Deus, qui, « ut Propheta regius canit, aufert spiritum « principum *l*. Qua in re si in alios principes *l* « terribilis, in te certe pius ac clemens exstitit, « exstincto spiritu illo, et fastu, quo turgent « nonnulli dynastæ, immemores Dei et ingrati.

A. P. Ribadineira

« Dedit tibi spiritum principalem, quo se con-
« firmari exoptat idem propheta. O te felicem,
« princeps, cui hic in paucis obtigit spiritus! Et
« o beatam Lusitaniam, quæ tales principes sine
« spiritu principum semper extulit! Utinam
« vero intelligi queat, quantum id Dei benefi-
« cium sit, auferri ab aliquo spiritum princi-
« pum et principali confirmari. Utinam discri-
« men utriusque cognoscatur. Alter enim belli
« auctor est; pacis alter: ille perturbatos, hic
« pacatos reddit: ille hominum, hic Dei est.
« Magnum certe emolumentum esset, si quantum
« studii ponunt mortales in fortunæ, corporisque
« bonis parandis, tantum in cælesti spiritu quæ-
« rendo tribuerent: Probate, inquit apostolus,
« spiritus, si ex Deo sunt *m*.

m ad eum litteræ

75 « Plerique sane, erroris tenebris erepti,
« viderent acutius. Sed nostra negligentia fit,
« ut toties caussa cadat spiritus ille divinus, et
« quidem impie: carnis vero spiritus stet in
« judicio, et vincat. Suum quisque spiritum ho-
« die ducem sequitur, qui cæcutit; cum contra
« Dei spiritui principali obsecundare oporteret.

B « Erit, erit aliquando dies illa, cum decurso
« hoc vitæ spacio aperientur libri multorum, qui
« humani spiritus pleni præcipites ierunt ino-
« pes a spiritu, qui ad æternæ beatitudinis por-
« tum ducit. Deo itaque gratias ago, cum te
« videam, a communi spiritu principum alie-
« num, optare spiritum principalem. Hic enim
« spiritum proprium superat; ut idem regius
« vates ait: Expectabam eum, qui salvum me
« fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate
n « *n*. Hic divinus est spiritus, qui, ubi vult, spi-
o « rat *o*: qui ingressus vivificat, quos et quo-
« modo libitum fuerit. Hunc mundus colligere,
« quia colligere se ipse detrectat, non potest. In
p « hoc clamamus: Abba, Pater *p*: est enim
« adoptionis spiritus. Hunc accipere oportet,
« manipulis odorum, operumque in caritate. Sic
« gentium doctori parebimus: Nolite, inquit,
q « exstinguere spiritum *q*. Id tibi evenire Deum
« precor, ut et dicere cum propheta queas: De-
r « fecit spiritus meus *r*. Sic fiet, ut nihil intel-
« ligas, velis, credas, investigesque præter spi-
« ritum Dei, fidemque Ecclesiæ Catholicæ: me-
« moria denique hic defixa hæreat. Res condi-
C « tas infra te ducas, et scalarum tantum mini-
« sterio adhibeas, quibus ad Deum, Architectum
« universi, ascendere possis: ut ex creatis vere
« cognoscas, et cognitum, quæ felicitatis summa
« est, ames.

hic dantur)

76 « Vere enim illud dixero, res conditæ in
« Deo amplius, quam per se ipsæ splendescunt,
« in eo spectatæ delectant: contra absque illo
« expetitæ angunt et cruciant: possessæ vero
« timorem, et amissæ dolorem afferre consueve-
« runt. Hoc Dei spiritu si potitus vixeris, vi-
« tam vives beatam, nec aliud extra eum quæ-
« res. Quo fiet, ut vere illud usurpes: Defecit
« spiritus meus: et cum Deipara, Exsultavit
« spiritus meus in Deo salutari meo *s*. De me
s « utinam vere dicere queam: Defecit spiritus
« meus. Externa si spectes, talis videor pleris-
« que, quando, mutato vitæ genere, Dei be-
« nignitate altos spiritus abjeci, receptusque
« sum nullo meo merito in religiosorum ho-
« minum familiam. Utut est, cum multis antea
« nominibus, ut dixi, devinctus tibi tenear, nunc
« voluntatem studiumque (quæ sola mihi votis
« astricto reliqua sunt) libens volensque offero:
« quibus cum Deus placari se sinat, tu eadem
« æqui, boni facito; quoniam Dei te ipse volun- D
« tati accommodas. Idem bonis te omnibus
« augeat, provehatque in majus virtutis pieta-
« tisque incrementum, ut cælesti tandem regno
« potiaris. Ognati xv Aug. M. D. LI. »

Franciscus peccator.

77 Magna vis est in utramque partem exem- CAP. IV.
plorum, ut iis quisque vel ad virtutem infor- *quin etiam ex-*
metur, vel impellatur ad vitia. Cum ergo Fran- *emplum ejus*
cisci fama longius emanasset, egregii aliquot
ac nobiles viri ad illum profecti sunt, ut in ejus
ludo instituerentur ad pietatem, et passibus, si
non æquis, non longo certe intervallo, Chri-
stum nudum nudi sequerentur. In his Antoni-
nus *t* Corduba, Laurentii Suarez Figueroæ et *t*
Catherinæ Ferdinandi Cordubæ, marchionum
Priegi et comitum Feriæ, filius. Hic cum il-
lustri genere, et Francisci proprius sobrinus *u*, *u*
tum singulari virtute morumque facilitate præ-
ditus, Salmanticensi gymnasio Hispaniæ cele-
berrimo, in studia incumbens, omnium suffra-
giis academiam rexerat: qui summus ibi magi-
stratus non nisi primæ nobilitatis viris defer-
tur. Agebatur per id tempus, rogatu Hispania- E
rum principis, ut in Cardinalium collegium ad-
scriberetur; sed aliam insistere viam constituit:
Societati enim, Deo vocante, nomen dedit, et se
Francisco aggregavit.

78 Ognatum eodem consilio et tempore ve- *viri insignes*
nit Sancius Castellanus et Petrus Lodoza Na-
varrus: theologi item duo, qui Joanni Avilæ,
egregio, ut supra ostendimus, in asceticis viro,
operam dederant, Didacus Gusmanus, comitis
Baileni filius, et Gaspar Loartes. Uterque jam
annos aliquot antea in diœcesi Calagurritana *x* *x*
per oppida et pagos concionati, rudes homines
Euangelium docuerant, pueros etiam Christia-
næ doctrinæ summam: inopes multorum com-
modo, qua pecunia, qua consolatione juve-
rant. Verum instituti nostri ratio non postu-
lat, ut ad unum omnes recenseam, qui jam
tum ad Franciscum confluxerant. Unum tamen
sine flagitio præterire non debeo, Bartholomæum
Bustamantium, sacerdotem theologum et eccle-
siasten egregium. Is Cardinali Joanni Taveræ,
Toletanorum archiepiscopo, a secretis, magna
apud Hispaniæ dynastas auctoritate valuit, dum
Toleti, quod Carpetanorum caput est, eccle- F
siam Tavera administraret. Tandem vero, ut a
publicis negociis animum fessum avocavit, am-
bitione procul atque avaritia, rerum terrena-
rum jam pertæsus; de optimo vitæ genere su-
scipiendo animus, huc illuc, ut fit, impellebatur: est enim ea deliberatio difficillima. Hac in
ancipiti cogitatione ad Deum, uberrimum vitæ
fontem, sitibundus se recepit. Rem divinam
faciens, Deum, quem manu gestabat, adorans,
precabatur, eam monstraret vitæ viam, quam
ingressus, salutem, illo bene juvante, adipi-
sceretur.

79 In ea precatione, ut sæpe postea memo- *imitantur,*
riter et jucunde narrare solebat, interiorem
quandam vocem audivit, ut, si salvus esse vel-
let, Cantabriæ provinciam Guipuscoam adiret
Franciscique Borgiæ exemplum sequeretur; de
quo jam ad Deum converso per nebulam inau-
dierat: ea tamen vis Dei vocantis fuit, ut eo
ipso die, familia valere jussa, nihil cunctandum
ratus, in viam se Guipuscoam versus dederit:
quam quidem oram sanctitatis jam opinione im-
pleverat Franciscus, quem primum obviam ha-
buit, simul atque Ognatum, ad Divæ Magda-
lenæ

A lenæ, ingressus est Bustamantius. Sporta reperit gestantem lateres, et calcem, ædiculæ construendæ : qua abditus perpetuo, si per Ignatium liceret, cum paucis lateret. Genibus statim accidit Francisci supplex : adventus caussam exponit : in Societatem ut recipiat, rogat. Nec vero multis opus erat precibus. Famulis itaque dimissis, in contubernio hæsit Bustamantius, et assiduus Francisci comes negociorum omnium et peregrinationum ob singularem prudentiam fuit.

CAP. V. *Cardinalatus periculo,*

80 Summam Francisco tot tantorumque præstantium virorum adventus lætitiam attulerat : optabat enim complures eadem animi tranquillitate, quam degustare cœperat, perfrui. Parit nimirum vitæ conjunctio honestam quandam virtutis atque utilem æmulationem : quæ tamen careat omni acerbitate dissensionum : et vero domestica magis invitant exempla, quam externa. Sed invidit hanc illi quietem, nescio quis : ut nihil est in rebus humanis proprium ; et læta tristibus, et amaris dulcia permista temperan-

B tur. Carolus enim cæsar augustus, cognito Franciscum sponte abditum latere, indignum ratus virtutem abscondi, ad summum Pontificem *y* retulit, Borgiam, raro huic ævo, et in-

y usitato spectaculo titulis se abdicasse, et fallere perpetuo inglorium velle. Dignum itaque videri, qui in purpuratorum Patrum numerum adsciscerétur, nisi quid secus illi videretur. Virtutem enim hac tempestate, si unquam alias, id genus præmiis ornandam, et tanquam in illustri loco ponendam. Sibi pergratum id fore. Nec erat, cur laboraret dubitaretque cæsar : non enim difficile fuit, currentem, quod aiunt, incitare. Persuasit extemplo Pontifici, cui jam eadem pridem in mentem venissent : Francisco enim antea Romæ usus erat familiariter et amice. Re itaque ad collegium Cardinalium delata, assensum est ab omnibus.

Ignatii prudentia,

81 Quod ubi Romæ Ignatius inaudivit, serius tamen, (ut fieri solet ab iis, ad quos periculum proxime pertinet ;) veritus, ne, quod res erat, multum de Francisci opinione decederet, dum quisque calumniandi libidine ansam prompte arripere consuevit, jactando, hypocrisin late regnare : idcirco bonis sese titulisque abdi-

C casse Franciscum, ut purpureum galerum privatus, religionis sanctitatisque specie, captaret sibi ; liberos vero, etiamnum superstes, ditaret. Deinde et illud perincommodum Societati fore : fenestram enim ambitioni aperiri, quæ pestis est teterrima, labes atque pernicies non familiarum solum piorum hominum, sed rerum omnium publicarum regnorumque. Quare optimum fa-

* factu ctum * judicavit, natam recens Societatem contrariis artibus tueri et amplificare, paupertate nimirum et honorum contemptu. Æqualitate enim vitæ, simul et munerum morumque similitudine, caritas, arctissimum religiosæ conjunctionis vinculum, invalescit. Quam ob rem omni ope huc nitebatur, ut aditum ad honores sociis obstrueret, legibusque latis vetaret. Quo factum est, ut, Pontificis pedibus advolutus, rogaret deprecareturque, ne invito honorem deferret : verum quo cæsari et collegio Cardinalium fieret satis, galerum quidem offerret, capere tamen obedientiæ vi, ne cogeret. Sic enim et illius honori consultum iri, et animo suo morem gesturum. Interesse etiam permagni Societatis, ab honoribus alumnos arceri. Nascenti saltem et surgenti sodalitatis plantæ hoc benignus tribueret. A. P. RIBADINEIRA.

82 Impetravit Ignatius, quod supplex lacrymis coram postularat : Francisco interim nihil horum conscio et secessu illo Cantabrico mirifice capto. Qui, simulatque audivit, animo quidem cruciabatur : at eodem fere nuncio ægritudinem detersit, audito, rem Ignatii singulari prudentia et oratione discussam. Deo item gratias egit, qui hunc sibi honorem detulisset, quem libens illi redderet, a quo proficisceretur ; omnemque adeo terrarum orbem, si ejus imperio potiretur, eadem alacritate animi ac despicientia rerum humanarum oblaturus. Pontifici quoque Julio grati animi litteris testificationem dedit : orans, ut, bona ipsius venia et benedictione, obscuro atque privato degere liceret, quo cœpta mutatæ in melius vitæ ad exitum adduceret : quod unum, præterea nihil, propositum sibi fuisse tum, cum se ducis titulis bonisque abdicaret, liquido affirmabat. *non sine magno animi sui gaudio liberatur,*

83 Nec vero semel his sese periculis emerserat, neque jam usquequaque securus erat. Iterum enim, sæpiusque idem a Pontificibus tentatum. Illo ipso Julio III, postulante Philippo, Hispaniarum principe, qui nunc regni clavum, atque utinam diu, tenet : id enim negotii Joanni Pogio, Apostolicæ Sedis nuncio, post Cardinali, dederat, rem ut transigeret. Hunc vero Franciscus in cœnobio B. Dominici Calcadæ *z* obvium cum habuisset, quid rerum *z* gereretur, accepit. Ille, facundia quadam divinitus data, iis rationum momentis disseruit, ut facile rem discuteret, et regi post idem atque Pontifici Pogius dissuaderet, ne Francisco latere volenti, negocium facesserent, animique tranquillitatem adimerent : quando nulli honores animum satis explent beatumque efficiunt. Pii rursum duo Pontifices, quartus et quinctus, Romæ agentem, Cardinalem creare conati, ut fama vulgavit. Cujus rei non modo commemoratio, sed vel recordatio, lacrymas illi excutiebat. Deum itaque frequenter precabatur, ut, qui a sæculi curis honoribusque abduxisset et pauperem esse jussisset, idem in dignitatum procellas revolvi ne pateretur. Memoriæ proditum, Gasparem Hernandes, qui illi aures quotidie confitenti dare solitus erat, ex Francisco F audiisse aliquando injecta forte dignitatum mentione, Deum pridem precatum fuisse, ut vita prius abire liceret, quam titulis iterum bonisque oneraretur invitus. *eamque dignitatem non semel respuit.*

ANNOTATA.

a *In natali S. Ignatii cubiculo, in sacellum converso.*

b *Seu Kalendis Augusti.*

c *In Guipuzcoa.*

d *Aloysiam seu Ludovicam.*

e *Franciscus Sandovallus, Isabellæ,* S. Francisci *filiæ, maritus.*

f *Joannes nomine, cujus uxor fuit Joanna,* S. Francisci *filia.*

g *Regni Navarrici caput.*

h Carpetani *Hispaniæ Tarraconensis populi sunt.*

i *Lusitaniæ burgus est ad Tagum in Extremadura, ubi morari Lusitani reges consueverant.*

k XIII *Julii.*

l *Psalm.*

A. P. Ribadineira.

l *Psalm.* 57, ŷ. 13.
m I. *Joannis* 4, ŷ. 1.
n *Psalm.* 54, ŷ. 9.
o *Joannis* 3, ŷ. 8.
p *Ad Rom.* 8, ŷ. 15.
q *Ad Thess.* 5, ŷ. 18.
r *Psalm.* 76, ŷ. 4.
s *Luc.* 1, ŷ. 47.
t *Lege* : Antonius.
u *Henricum Henriquez et Mariam de Luna communes parentes habuere Maria Henriquez*, S. Francisci *avia (de qua supra fusius num.* 20 *et tribus seqq.) et Elvira Henriquez, Antonii avia. Vide Tab.* XVIII *familiæ Gironum, tom.* 3 *Hispaniæ illustratæ insertam.*
x Calaguris *(Hispanis* Calahorra*) urbs est episcopalis in Castella Veteri ad Iberum fluvium.*
y *Julius III.*
z Calciata, *uti scribit Baudrandus, urbs est Castellæ Veteris ad fluvium Lagleram devotione in S. Dominicum celebris, etiam* Dominicopolis *dicta.*

B

CAPUT V.

Ognato Ignatii jussu digressus uberes per Hispaniam et Lusitaniam fructus colligit.

cap. vi. *Relicto Ognato,*

Pergratum Francisco acciderat, honorum titulos, tanquam scopulos Sirenum evitasse : et securo jam de tempestate atque naufragio, in illo ad D. Magdalenæ secessu, quam sibi vitæ mortisque sedem jam delegerat, ecce tibi nec opinanti mandatum ab Ignatio allatum, egrederetur, et tanquam ex umbra, in solem aspectumque prodiret, fructumque aliis adferret ; memor, non eo se Societati a Deo aggregatum, sibi uni ut studeret. Ognato itaque quamprimum digressus, cum lacrymis atque suspiriis, quasi non amplius dulcem secessum visurus, oppidum, Reginæ-casam *a* appellant, accessit Ferdinandi Velasci comitis stabuli regii : cujus uxor, Juliana Angela Aragonia, Francisci matris consobrina erat *b*. Multa de religione ac pietate, omnique adeo officiorum genere studiose quærendo didicit. In aulam tamen illius ut diverteret rogatus, recusavit ; humili tecto contentus. Inde Burgos *c* urbem profectus, in æde summa, rogantibus canonicis, et senatu populoque, concionatur. Hinc digressus est Pintiam Vaccæorum *d*, ubi tum cæsaris sedes et regia erat : pauci vero Societatis sacerdotes anguste habitabant in æde parva xenodochii S. Antonii. Mox in oppidum, quod a Tauris *e* nomen invenit, profectus est, evocatus a Joanna Lusitaniæ principe. Hic hebdomada, quam Majorem alii, alii Sanctam appellant, de cruciatibus Christi passi, magno audientium fructu, disseruit. Hinc Salmanticam *f* venit : qua in academia multi magnæ spei simul et rei adolescentes, exemplo Francisci invitati, Societati sese sponte addixerunt. Post Tordesillam *g* ingressus, ubi Joanna Hispaniæ regina, Caroli mater, tum forte ex morbo decumbebat, in aulam iterum divertere constanter detrectavit.

C

a
b
c
d
e
f
g

D

85 Hinc Methymnæ-Campi *h* commodum concionatus est, in sacrorum primitias Antonii Cordubæ, sacerdotio recens inaugurati jactaque collegii fundamenta ad tectum perducenda curavit. Hic litteris evocabatur rursum visendi gratia, ab Antonii Cordubæ matre, marchione Priegæ, et sorore *i*, ducibus Arcos, et Medinæ Sidoniæ *k*. Eo profectus, perpetuos de rebus divinis sermones habuit, brevique amorem insevit, ac benevolentiam erga Societatem ; ut et ipsæ post non diu socios in ditiones suas habitatum invitarint. Illud in præsens patientiæ Francisci modestiæque exemplum præterire non debeo. Dum e Castellæ regno Bæticam adiit, sociis stipatus Antonio Corduba et Bustamantio, in asperis confragosisque montibus Marianis, (Sierra Morena hodie incolæ nominant) diversorium mansionemque publicam, fessus de via, iniit ; ut cibo lassum corpus, dum se meridianus æstus frangit, reficeret. Ad pedes cum desiliit, conclave unicum hospitii et vacuum ingressus, statim, ut solet, genibus flexis, orationi intentus, Dei auxilium implorabat. Rediit interea Viator, qui prior, impedimentis ibi locatis, occuparat ; ratusque e vulgo clericum illuc ingressum, ac pietatis specie res suas furto sublegere conatum, jurgari iratus cœpit, vocemque intendere, convicia jacere, verbera etiam minitari. Franciscus, qua erat animi modestia, ab oratione surgens : « Da mihi », inquit, « hanc veniam, animoque sis tranquillo. « Nec enim mihi propositum, conclavi te ex- « cludere : quin potius, si prior tempore occu- « passem, tibi libens cederem. Verbera, quæ « mihi minitaris, fateor equidem meritum me « peccatis. » Concursus subito ad clamantis vocem factus ; qui cum illum jurgantem placassent, docuissentque, in quos stomachum evomeret, illustres esse et claros viros, sibi ille redditus, magno sui pudore, genibus accidens veniam precatur. Franciscus vero humo sublatum, amplexusque in Domino, assidere sibi jussit : hortatus ad patientiam, neve deinceps, si saperet, iracundiæ frena laxaret.

varia Hispaniæ oppida pera- grat ;
h
i
k

E

86 Cum in Lusitania increbuisset, Franciscum in Bæticam profectum, Hieronymo Natali, qui tum Olyssipone versabatur, cuique in Hispania sociorum provincia commissa erat, negocium rex dedit, eum evocandum curaret. Optare enim vehementer, coram videre et cum eo de rebus divinis agere. Natalis vero ad hæc potestatem se in Hispaniæ provincias sociorum, jussu Ignatii, habere, extra unum Franciscum : rogaturum tamen se per litteras, quæ reges vellent. Promittit cum bona spe fore, ut quamprimum, quo erat obsequendi studio, advolaret. Nec fefellit hominem opinio. Redditis enim litteris, quod nihil magis Societatis interesse arbitraretur, rebus omnibus prolatis, continuo accurrit ; non immemor, quot quantaque exstarent regis Lusitaniæ (ut patronus merito appellari possit) in Societatem eximia beneficia.

cap. vii. *inde veroin Lusitaniam tendens,*

F

87 Viam ingresso cum Bustamantio, illud prodigii simile accidit. Dum rupem, saxis asperam et impeditam, jumentis superant, quam Septem Pallares vicini nominant, cis Mundam flumen, non procul Conimbrica, Franciscus anteibat, precationi intentus ; sequebatur pone Bustamantius, B. Virgini preces orbiculis numerans

Bustamantium vitæ periculo eripit,

A numerans. In crepidine angustiisque loci vel aspectu formidabilis, jumentum lapsu in præceps decidit, volutum in gyrum sursum deorsum; ut cetera examinatus Bustamantius, integram tantum vocem haberet, invocaretque Christum atque Deiparam. Franciscus dicto citius ad pastorum, qui ad spectaculum inclamarant, vocem, reflectit oculos, illud sæpe ingeminans: „ Jesu, adjuva, Pater misericordiarum. „ Cum ecce tibi (dictu mirum) lapidi continuo institit mulus: quodque incredibile videtur, illæso corpore. Bustamantius a viatoribus funibus tamquam ex abysso extractus, vivus valensque emersit; Virginis, cui tum preces fundebat, et Francisci votis vitam referens acceptam. Ventum tandem Conimbricam, ubi socios præsens Franciscus exhilaravit. E suggestu concionante, in Societatis ædem flos academiæ celeberrimæ nobiliumque virorum confluxit.

uberesque, 88 Olyssipone post a regibus singulari humanitate exceptus, auditusque de rebus sacris assidue, publice privatimque. Catherina regina Francisci potissimum alloquiis est delectata, B non immemor, puerum sibi Tordesillæ olim ministrasse: cum quod sanctitatis in eo splendesceret non adumbrata imago; tum quia consilia vitæ salutaria religionisque suggereret. Ludovicus ad hæc Lusitaniæ princeps, Francisco utebatur familiariter, pro veteri, quæ antea intercesserat, necessitudine, in cæsaris olim aulam profectus cum esset, ut augustam sororem *l* viseret: cumque in Africa Tunetum *l* Carolo armis expugnanti adfuisset. Hic et cælibem degebat vitam, et colligens se ipse, inglorius agebat, aliis pietatis facem præferens: in oratione ad Deum assidue, et meditatione rerum cælestium acquiescens. Francisci consuetudine usque eo inflammatus est, ut Societati sese dedicare constitutum haberet: verum, quod imbecilli utebatur valetudine, et natu jam esset grandior, visum Ignatio, plus commodi publice allaturum, si in regis fratris comitatu re atque consilio, ut adhuc, adjuvans cælebs permaneret. Cetera, unum e sociis fuisse, diceres.

in aula 89 Humili enim domo contentus, et ineleganti, absque regio splendore et famulorum C turba. Vasa aurea, argentea et peristromata, ornatumque adeo omnem, vænum dedit, redactaque pecunia, æs omne alienum dissolvit. Votis continentiæ paupertatisque, consilia Euangelicæ legis secutus, et obedientiæ, quantum res et dignitas ferret, sponte se obstrinxit. Morum facilitate et comitate, prudenti gravitate mista, nihil sermone turgidum, nihil elatum præ se ferens. Sublevare solitus libenter aliorum inopiam, et eleëmosynis fovere indigentes. Puerum a pedibus in domum professorum so- *m* ciorum ad D. Rochi Xenobriga pago *m* mittere consueverat, qui sacerdotem aliquem, quisquis tandem is esset, expiandis criminibus, quasi ad unum de multis hominem, evocaret. Lacrymans frequenter, hæc sæpe usurpabat: „ Quid „ misero me fiet, si vel æthiops, mancipium „ domesticum, me longe felicius, cælo potia- „ tur; ego vero excludar? Et si tam præclare „ nobiscum agetur, ut ambo beati simus: quid „ si ille multis me partibus felicior, quia Deum „ dilexit ardentius: ego vero seculi curis nimis „ implicatus, salutem neglexi? „ Imitatus fortasse hoc sermone Augustinum, cujus memoranda illa vox: „ Surgunt indocti et cælum ra- „ piunt: et nos cum doctrinis nostris sine cor- „ de, ecce tibi, volutamur in carne et sangui- „ ne *n*. „ Idem fratri Henrico Cardinali auctor fuit, ut socios amplecteretur, foveretque, exstructo Eboræ *o*, cujus præsul ecclesiam regebat, gymnasio. Quod dum ædificatur, Ludovicus indies, qui tum Eboræ esset, opus urgebat et operis instabat. Socios item ægrotos quasi fratrum loco ducens, invisebat: venam, arteriamque et præcordia medicorum more tentabat: morbi ortum, decessumque explorabat, ministrabat, et alloquiis consolabatur. Quæ quidem eo potissimum consilio referre placuit. quod omnis ea vitæ in melius mutatio Francisco, cum a Deo discesseris, debeatur.

A. P. RIBADINEIRA. *n* *o*

Ulyssiponensi potissimum, 90 Jacta per id tempus fundamenta domus Professorum ad D. Rochi: sacellum id erat in urbis Olyssiponensis pomœriis, loco deserto et olivetis consito. Rex aream summa liberalitate et munificentia coemendam suo ære curavit, opera Petri Mascarenæ, viri nobilissimi Societatisque studiosi: qui olim Lusitaniæ apud Pontificem orator, ut primi in Orientis Indiam socii mitterentur, auctor exstitit *p*. Rex cum principe *p* Lusitaniæ Joanne Sacris aderat. Rem divinam E Hieronymus Natalis fecit. Franciscus de superiore loco de rebus divinis disseruit, summa audientium admiratione *q*. Princeps templo di- *q* gressus, dynastis, qui aderant, dixit: „ Hic ve- „ ro mihi Ecclesiastes placet, qui re ipsa, quæ „ docet, præstat. „ Igitur domus ampla sociis, templumque augustum, regia munificentia ædificari cœpta; crevitque suburbanis adjectis circumcirca vicis atque ædibus, urbs.

itineris sui fructus colligit: 91 His rite curatis, regumque votis expletis, in Castellæ regnum reverti, urgentibus negotiis, statuit. Henricus tamen Cardinalis, alter regis frater, cognitis quæ Olyssipone gesta essent ex Ludovici litteris, Franciscum et ipse videre auebat: rogat, illac iter habeat. Idque negocii sociorum ibi præfecto dat, ut in adventu quamprimum se certiorem faciat. Postridie quam urbem ingressus est Eborensem, in summa æde concionatus, Cardinalem mirifice omnesque adeo cives recreavit. Octavo inde lapide Theodosius, Brigantinus dux, Villavitiosa in oppido, videndi et ipse cupididate incensus, obviam processit. Ea vero comitatis officia cruciabant potius, quam oblectabant animum Francisci. Prin- F cipibus tamen, bene de Societate meritis, mos gerendus fuit. Quo in benevolentiæ genere dux ille multis præstitit; idemque in socios studium liberi posterique hæreditatis jure a majoribus traditum servarunt.

CAP. VIII. *In Hispaniam reduæ Vallisoleti et Complutiorum oratorem sacrum agit* 92 E Lusitania reversus, Pintiam recta contendit, ubi tunc Philippi Hispaniarum principis, pro cæsare Carolo imperantis, regia erat. Huc enim ardua negocia invitabant. Divertit ad socios, qui in xenodochio, ad divi Antonii, anguste habitabant, ut veterem secessum Ognatensem, quo primum se abdiderat, agnoscere videretur. Nihilominus vel humili domo latitantem, Hispaniæ dynastæ frequenter invisebant. Qui cum solemne illud suum in salutationibus speciosisque titulis servarent, tædio affectus Franciscus, flexis genibus, interdum rogabat, titulis temperarent; ne exprobrasse Deo viderentur, quod in se contulisset eximium vocationis beneficium; neve pluris facerent, quæ abjecisset, quam quæ nunc sumpsisset. Frequentes hic de verbo Dei sermones habuit, tum ad velatas virgines, tum in D. Antonii sociorum templo, ut magna morum in melius mutatio subsecuta

A. P. Ribadineira.

subsecuta sit. Threnos Hieremiæ pro concione explanavit, quibus et Compluti *r* finem imposuit, magno utriusque academiæ doctorum hominum concursu; qui dicerent, non tam ex libris, quæ publice doceret, quam ex humili oratione, cælitusque data scientia, proficisci.

et Clarissarum Gandiensium coloniam in Castellam ducit.

93 Gessit et illud eo ipso tempore memorabile. Virgines Deo sacratas, quæ austeram D. Claræ vitam normamque tenent, Gandia in Castellæ regnum traduxit. Cujus Gandiensis cœnobilii hæc origo fuit: anno circiter M.CCCC.LXII Gallicæ aliquot matronæ Deo votis consecratæ, Massilia *s*, maritimo itinere, patrio solo justis de causis cedere coactæ, Barcinonem *t* appellunt, et a Joanne, Aragonum rege hoc nomine secundo, humaniter acceptæ, Gandiamque missæ sunt, æde D. Claræ sacra, quam privatæ aliquot et piæ mulieres habebant, illis attributa. Nec ita multo post pietatis odorem vitæque severioris et continentiæ longe lateque propagarunt, ut integræ virgines complures, illustri etiam genere natæ, eandem vitæ viam ingredi (abdicatis sæculi curis) cupientes, Christo sese B sponte addixerint, cælestemque in terris vitam egerint. In hac familia aviam *u* Franciscus vidit, filiam *x* item, sorores *y*, consobrinas et neptes. Inde tamquam coloniæ ductæ sunt in alias provincias, Gerundam *z*, Tubalim *aa* Lusitaniæ (quam Salaciam veterum fuisse, non nemo existimat) Malentiam item Edetanorum *bb*, Emporias *cc*, et in Ilicitanum oppidum, sive Alona est nominanda, quod hodie Halicantum *dd* indegenis est. Nondum tamen ad eam diem in Castellæ regna sacræ illæ virgines penetrarant. Egit ea de re Franciscus cum Juliana Angela Aragonia, duce domina Frias, simulque ad Lusitaniæ principem Joannam retulit, persuasitque non ægre. Bona itaque Pontificis venia, Gandiensi monasterio egressæ, amitæ duæ, Francisca Joannis Gandiæ ducis, Maria marchionis Dianii soror. Sorores item Francisci duæ *ee*. Pintia dehinc profectæ Madriti sedem fixerunt. Monasterium Joanna princeps *ff* pecunia sua exædificavit: quod nuper Margarita Austriaca, Maximiliani cæsaris filia, dum in eam se familiam, spretis mundi honoribus atque deliciis, tradidit, mirifice illustravit.

r
s
t
u
x y
z aa
bb
cc
dd
ee
ff

ANNOTATA.

C a *In Rioia.*

b *Joanna*, S. Francisci *mater, Alphonsi, Cæsaraugustani archiëpiscopi, filia fuit; Juliana vero filia Ferdinandi, alterius ejusdem Alphonsi filii.*

c *Caput Castellæ Veteris.*

d *Seu Vallisoletum, civitatem in eadem Castella Veteri episcopalem.*

e *Hispanis* Toro *in regno Legionensi.*

f *In regno Legionensi.*

g *Legionensis regni oppidum; alias* Turris-Syllana *dictum.*

h *Legionensis regni oppidum est.*

i *Antonii soror dicta fuit Maria de Toledo, nuptaque Ludovico Christophoro Ponce de Leon, duci de Arcos: mater vero Catharina de Corduba.*

k *Dicta fuit Anna, Alphonsi Aragonii filia, nupta vero Joanni Alphonso de Guzman, Medinæ Sidoniæ duci.*

l *Anno* 1535. *Vide num.* 45 *et seq. Comment. prævii.*

m *Vernacule* Xobregas. D

n *Lib.* 8 *Confess. cap.* 8.

o *Lusitaniæ civitas est, provinciæ Transtaganæ caput.*

p *Anno* 1540 *Joannis III Lusitaniæ regis ad Paulum III legatus.*

q *Kal. Octobris anni* 1553, *quo die illius domus adita possessio est, ut addit Ribadineira lib* 2, *cap.* 7.

r *Quod Hispaniæ Tarraconensis oppidum est,* Alcala de Henares *Hispanis dictum.*

s *Episcopali in Gallia Narbonensi civitate emporioque celebri in ora maris Mediterranei.*

t *Civitatem Cataloniæ primariam, in ora item maris Mediterranei sitam.*

u *Mariam Henriquez, seu Mariam Gabrielam.*

x *Dorotheam.*

y *Isabellam et Joannam a Cruce; ita Alvarus Cienfuegos lib.* 1, *cap.* 2, § 2.

z *Civitas est episcopalis in Catalonia Hispanice dicta* Girona. E

aa *Lusitaniæ oppidum, vernacule dictum* Setubal.

bb *Regni cognominis in Hispania primaria civitas.*

cc *Cataloniæ oppidum in ora maris Mediterranei.*

dd *Regni Valentini oppidum, quod* Illicitanum *perperam appellari contendit Escolanus Historiæ Valentinæ lib. cap.* XI, *numm.* 8 *et* 9.

ee *Alvarus Cienfuegos lib.* 1, *cap.* 2, § 2 *alteram* Isabellam, *Gandiensem abbatissam; alteram* Joannam a Cruce, *abbatissam Matritensem appellat: Ribadineira vero lib.* 2, *cap.* 9 *præter Clarissas a Schotto hic relatas memorat etiam sorores Mariam a Cruce, et Joannam Baptistam, aliasque, quarum nomina reticet. Verum non omnes simul Gandia egressæ sunt: anno enim* 1552, *teste Joanne Carillo in Vita Joannæ principis cap.* 8, *Gandia Casam-reginæ adiit Francisca a Jesu,* (S. Francisci *amita*) *cui designatæ comites sunt Maria a Jesu, (Bernardi Sandovalii et Franciscæ Enriquez, Dianii marchionum, filia) Hieronyma del Pasebre, Margareta de la Coluna, Isabella ab Incarnatione et Anna a Cruce;* F *quibus dein aliæ, etiam Gandia, accesserunt. Vallisoletum migrarunt anno* 1557, *ubi Francisca eodem anno obiit. Matritum denique translatæ fuerunt anno* 1559, *quo demum Joanna a Cruce,* S. Francisci *soror, post Mariæ a Jesu obitum, Gandia Matritum evocata, abbatissæ munere fungi cœpit.*

ff *Caroli V filia Joannis Lusitaniæ principis, anno* 1554, *defuncti, vidua.*

CAPUT

A

CAPUT VI.

Factus Hispaniæ Indiarumque Orientalium Commissarius rem Societatis egregie promovet; Carolo V rationem initæ Societatis reddit, ejusque ad Catharinam, Lusitaniæ reginam, legatione fungitur.

CAP. IX *Hispaniæ Indiarumque Commissarius renunciatus,*

Bene rem gerere Franciscum viderat Ignatius, ut quas res cumque aggrederetur, ad felicem exitum adduceret. Universæ itaque Hispaniæ sociis præficere decrevit. Erat jam tum B Lusitania singularis provincia: reliquam Hispaniarum partem doctor Araoz, Ignatii jussu, regebat. Crescente vero indies collegiorum numero, oneri ferendo parem se esse negabat. Placuit itaque Ignatio utriusque Castellæ, ut hodie vocant, Provincialem præfectum renunciare, quo levius onus Araoz haberet. Accesserant provinciæ rursum duæ, Bœtica et Aragonensis. His in universum quinque Societatis in Hispania provinciis, et Indiarum Orientis impositus ab Ignatio Franciscus, commissaque ei generatim administrandæ Societatis cura. Ille vero onus detrectare, latere se malle, obscurum vivere sibique et Deo vacare. At Ignatius, datis ad eum litteris, imperare; Deo ita placitum. Quare, ut adhuc fecerat, dicto audiens esset, Societatem ad perfectæ vitæ rationem exemplo, consilioque vocaret: numerum augeret, quoad posset, cum delectu tamen et prudentia. Lustraret item oberitque collegia sociorum, quæ instauraret proveheretque jam cœpta. Quod ab itineribus reliquum esset temporis, in regia consumeret: ibi enim commodum fore, et pietatis negocium promovere, et litteras quaquaversum mittere.

C

vitæ rigorem, quem auxerat ab Ignatio temperare jubetur

95 Paruit cessitque, qua erat animi demissione, Franciscus Ignatii jussis: et vero in difficili hac administrandæ provinciæ ratione ratus, quod res erat, fore ut rationem Deo reddere creditarum sibi animarum aliquando cogeretur, licet antea in se ipse sævus esset quæsitor, tunc tamen facere omnia diligentius accuratiusque cœpit: illud interdum mente repetens, NUNC CŒPI *a*. Jam enim legibus quasi solutus, et inspectore carens morumque custode, immoderatius in se ipse animadvertit vigiliis, jejuniis et flagris, valetudinem ut non parum labefactarit. Qua re cognita, Ignatius factum absens reprehendere, modum in omni re, in asceticis quoque exercitationibus servandum, ut superesse possimus. Sacerdotem itaque senem addidit, cujus consilio pœnitentiæ effecta regeret, valetudinisque, ne læsisse eam temere videretur, rationem haberet. Dici vix potest, quot quantaque sociis emolumenta, exterisque in Hispania tunc attulerit. Recens enim etiam tum Societas erat, et a multis oppugnabatur, ut fere fit, maxime in ipsa origine. A se primum initium ducere constituit, et rogare in primis Deum, ut qui humeris onus imposuisset, idem etiam vires, ferendo oneri pares, sufficeret. Collegia partim inchoata provexit, ad tectumque perduxit; partim etiam inchoavit, quæ majus post incrementum sumpserunt.

a

A. P. RIBADINEIRA.

96 Duorum de multis collegiis ad posteritatis memoriam illustrium, referre libet, Placentini et Hispalensis originem. Placentiæ *b* episcopus Guterius Carvajalius, fama adductus cum Francisci, tum sociorum Laynis et Salmeronis quibus in Tridentina synodo fuerat usus; litteras ad eum dandas curavit, rogans socios aliquot mitteret, quos in curarum commissi sibi gregis partem vocaret: idque cumulatius beneficium, si se illis adjungeret, futurum. Franciscus nihil prolatandum ratus, mox sociis aliquot adhibitis, in viam se dedit: tam humaniter ab episcopo acceptus, ut a parente majora proficisci non possent. Domi sociis usus perfamiliariter, famam re ipsa, quod contra solet, superari comperit. Erat tum Guterius animi impetu insolentior, et aulicis in vulgus moribus plus æquo deditus, quam sacerdotis, nedum episcopi officio, dignum videretur. Nec fugit ea res Franciscum. Orare igitur Deum assidue, sociisque idem negocium dare, mensem ut integrum, episcopi salutem Deo precibus, jejuniis, ceterisque exercitationibus commendarent. Viderat Vir prudens, magnum esse in principum virorum exemplis ad vitam moresque civium moderandos momentum. Tandem intensiore cura, atque diutius Deum precatus, conclavi egressus oculis incensis, ut flammam emicare crederes, obviis forte patribus hilari vocc, « Bono », inquit, « esse animo jubeo: gratiæque Deo agen- « dæ, qui preces nostras audiit, et episcopum « bene de nobis meritum miseratus aspexit. »

CAP. X *Carvajalium episcopus, Placentini collegii conditor, Francisci precibus* *b*

E

97 Nec diu factum est, cum se ipse Carvajalius collegit. Orationi intentus et lacrymis anteactæ vitæ memoriam repetens ultimam, totius vitæ crimina rite confessus expiavit. Edixit statim præconis voce, omnibus a se satisfactum velle. Si quem forte sciens, prudens læsisset, sua, vel ministrorum opera; si fraudasset, audacter res repetitum veniret. Judices adhæc constituit, et arbitros, Joannem Ayoram, qui ejus tum vices gerebat, et Ovetensis ecclesiæ *c* post episcopus fuit: socios item duos theologiæ alterum, alterum juris Pontificii bene peritum. Hi lites componerent, et jus suum cuique ex æquo, et bono tribuerent. Familiam quoque domi ad frugem, parsimoniamque traduxit, servorum et aulicorum grege misso facto, sex contentus sacerdotibus, morum honestate singulari: quos et mensæ, summa temperantia instructæ, adhibuit. Lectusque quotidie ab anagnoste sacræ scripturæ liber, quo animus potissimum reficeretur. Cum canonicis ecclesiæ in gratiam rediit: remissisque sponte injuriis, positæ simultates et odia. Diœcesim integram lustrandam piis maxime viris mandavit, qui non rudes duntaxat docerent, sed pascerent etiam inopes, magna vi pecuniarum distributa. Domi suæ trecentis interdum et mille egenis quotidie victum suppeditavit, præsensque aderat mensæ: doctrinæ item Christianæ præceptis a catechista socio traditis. Vitæ hæc in melius mutatio et admirationem attulit omnibus, et exem-

mores emendat

F

c

plum

A. P. Ribadineira.

plum ceteris præbuit. Francisci id omne precibus acceptum referendum.

Condi collegium

98 Hispali *d* dæmon clam ea tempestate zizania serere cœperat : cui malo in tempore provisum est vigilantia censorum fidei : et ut in partem juvaret Franciscus, eo, tanquam in coloniam, socios mittere decrevit. Igitur Joannem Suarez, qui Salmanticæ sociorum collegium regebat, nondum tamen a diuturno morbo satis confirmatum, Hispalim allegat. Domum humilem atque augustam quærere jubet, quæ duodecim socios caperet : se propediem eodem venturum collegio instruendo promittit. Paruit Calendis ciciter Novembris *e* Hispalim delatus, comitante Joanne Guterio. Hic archiepiscopi vices Ceruantes Salazarius, qui post Cardinalis creatus, et archiepiscopus Taraconensis, nostros fovit, collegiumque exædificavit. Huic se supplice libello Suarez obtulit, concionandi potestatem, sacrificandique postulans. Pontificis de Societatis instituto diplomata profert : ei facile se suaque probavit. His rebus peractis, pace tanti viri, gnaviter agere, partim de rebus divinis publice disserendo, partim confitentibus aures dando, ut a lento morbo sic recrearetur, quasi hanc illi valetudinis confirmandæ viam Deus ostendisset. Ferdinandus Pontius Leonius, vir nobilis, captus hominis pietate, ædes illi amplas laxasque incolendas tribuit.

Hispalense curat, suosque

99 Evocatur itaque Franciscus : qui una cum Michaële Torres, Bartholomæo Bustamantio et Paulo Hernandes palatium ut vidit, non humiles casas quæsitas fuisse (ut erat paupertatis amantissimus) Joannem Suarez, modeste tamen, objurgat; superbam nimis pauperum sedem videri, paupertatem vero maximum esse religionis præsidium. Mansit tamen, temporis angustiis coactus, quod Natalitia Christi agerentur. Post non diu in ædes humiles migravit, quæ vetustate jam rimas, vitiumque agerent, ut et pluente cælo guttæ cubiculum aspergerent, stillaretque undique domus. Ingenti inedia primo affecti, quod in vulgus adhuc ignoti socii laterent. Accidit, ut nec cibum domi, neque æs pecuniamve haberent, venissentque de via socii non pauci; hora vero meridiei ad prandium invitaret. Suarez, quod res erat, ad Franciscum retulit, nihil esse, quod apponeretur : dandumne igitur signum, quo in triclinium omnes convenirent. Ille paululum, quasi Deum precaturus, se collegit; mox vultu ad hilaritatem composito : " Dare signum prandii licet, quando multum jam est diei : Deo fidite; illi curæ sumus. Ecce tibi ad portam duo, cum sportis panis, ciborumque, ut ad pauperes foris pascendos redundarit. Isabella Galindii, matrona illustris, commeatum illum dono miserat. Franciscus precibus a Deo impetrarat, et socios allocutus : " Discite ", ait, " filii, Deo fidere : cujus si glo- " riam quærimus, animis corporibusque nihil " defuturum scitote. "

divinæ fidere Providentiæ docet,

100 Nec Hispali solum, sed alibi semel atque iterum idem accidit; Pintiæ nimirum et Septimancæ : ubi nec opinantibus similiter allatus est cibus, sed ab iis hominibus, qui dicere nollent, quis mortalium mitteret; ut Dei providentia res geri videretur. Et hæc quidem Societatis in Bætica initia, parva illa quidem et infirma in tanta rerum omnium inopia, sed quæ nimium quantum post creverunt : ut jam collegium sociorum, domumque Professorum, dives ea respub. magno suorum civium emolumento alat; quod non litteris tantum, sed et morum pietate juventus imbuatur.

cap. xi. *Carolo V.*

101 Dum Placentiæ versatur, loci opportunitas suadere videbatur, ut cæsarem, qui propius aberat, inviseret, rationemque suscepti consilii præsens redderet. Dederat enim res inopinata sermonem multis, qui secus ac par erat, interpretarentur. Cæsar vero, pius princeps, cum bellis externis implicitus antea fuisset, Societatem, ut recens ortam, vix agnorat. Secesserat hic, fessa jam ætate, in sodalium Hieronymianorum cœnobium Justi cognomento, Placentino in agro Hispaniæ amœnissimo : ut, quod reliquum esset vitæ spacium, Deo transcriberet. Rarum in primis, et nostro sæculo inauditum exemplum in imperatore summo visum. Qui enim tantos de hostibus fidei, religionisque majorum, Turcis atque hæreticis, triumphos egisset, imperio orbis pæne terrarum cessit : quo se commodius Christo consecraret, anteactæque vitæ errata dignis pœnitentiæ fructibus expiaret.

initæ a se Societatis

102 Igitur Franciscus gratulari coram cæsari, suique facti rationem reddere pretium operæ existimavit. Litteris etiam Joannæ cæsaris filiæ, et alteris, Ferdinandi Alvari Toleti, Oropesæ comitis, sæpenumero cognorat, in secessione illa cæsarem, quid Francisco fieret, quærere solitum. Bustamantio itaque sacerdote itineris comite adhibito, ad cæsarem pergit. Lætus ejus adventu Carolus, apud se domi accipi jubet humaniter a Ludovico Quixada : cubiculumque apparatum. Facta salutandi potestate, genibus Franciscus accidit. Surgere et sedere cæsar, confestim jubet; at ille obluctando duravit. " Liceat, quæso, auguste cæsar, bona cum " venia tua, supplici mihi genibusque nixo ho- " dierno die paucis apud te agere. Multis me " tibi nominibus obstrictum agnosco, et præ me " fero non invitus, ut cliens devotus Majestatis " tuæ. Quæ me causa impulit, ut in præsens " tibi mutatæ vitæ rationem reddendam puta- " rim. Diversos enim ea de re in vulgus sparsos " rumores inaudivi. Cum in contubernio tuo " hærerem, multis criminibus obnoxius, deli- " qui, fateor, non raro, ceterisque offendiculo fui.

rationem reddens,

103 " Visum tandem est Deo, animorum pa- " renti benignissimo, nullo meo merito, me ad " se trahere, eamque mentem injicere, ut " sæculi curis nuncium remitterem, et in reli- " giosorum hominum Societatis Jesu familiam " me darem. In quam potissimum familiam " (cum animus ad D. Francisci institutum magis propenderet) " rapi me et trahi indies sensi, dum " precationi ad Deum fusæ insisterem. Idem ut " facerem, alii, qui et intimos animi mei re- " cessus penitus norant, re eidem Deo oblata, " auctores mihi exstiterunt. Hic et aditum ho- " noribus obstrui acceperam, quibus jam me " sponte abdicaram. Nuperam esse sciebam : et " vero quemadmodum si quis recenti regis po- " mario stirpem inserendam afferat, gratius haud " dubie munus esset, quam si in hortos pridem " arboribus consitos traduceret; sic in piorum " hominum familiis, summi Regis Dei virida- " riis, usu venire existimo. Actionem iidem " contemplationi conjungunt : a quo vitæ insti- " tuto nunquam abhorrui, et perfectissimum " esse sapientes viri judicarunt. Certe ex animi " mei sententia confirmare possum, ad hanc me " diem jucunde in Societate, et summa animi " tranquillitate vixisse. "

104 Ad

simul eam

A 104 Ad hæc cæsar : « Mirabar sane, cum « Roma Augustam Vindelicorum ad me ea de « re putares referendum, quidnam accidisset, « cur mutata velificatione, quasi conditionis tuæ « pertæsus, vitæ cursum retro agere induxis- « ses. Tum vero maxime admirabar, quod in « novam illam familiam Societatis te contulis- « ses : de qua secus, quam vellem, sentire et « loqui plerosque video. Scilicet, deerant tot « tantæque veteres pixeque familiæ antiquitate « ipsa, usuque probatæ. » Hic modeste Franciscus : « Si novas religiones, magne cæsar, hoc « nomine contemnimus, quia nuper natæ ; « omnium eadem conditio est, quod originem « semel sumpserint, temporisque diuturnitate « creverint : et hæc ipsa sodalitas tempore ipso « veterascet. Immo, si vere existimare volumus « quo ab origine res propius abest, eo melius « verum cernit et accuratior est. Et motus initio « semper incitatior est et vehementior. Simili- « ter ad fontium capita limpidior aqua purior- « que bibitur. Christi Euangelium, lexque gra- « tiæ præstantiores viros, sanctiores doctiores- B « que extulit, quo principio viciniores fuerunt. « De probatione vero, summi Pontificis autho- « ritate atque auspiciis Societatem confirmatam « videmus. Æmulos reperisse, et adversarios, « non inficior. Hoc enim rebus omnibus, præ- « sertim recens natis, proprium perpetuumque « accidit. Sed ii fere nos oppugnant, qui aut so- « cios vivendique modum ignorant ; aut animi « perturbationibus, odii et invidiæ ducuntur. « Equidem, si quid in sociis non probassem, pe- « dem non intulissem ; aut si intulissem, re « comperta, statim retulissem.

egregie tuetur.

105 Mox interpellat cæsar : « Sed illud quo- « modo refelles, adolescentes hujus familiæ esse « omnes ; senem, quem canities commendet, at- « que prudentia, neminem? » Hic Franciscus : « Si mater juvenili ætate est, non senili, quid, « quæso, mirum, si et liberi ejus juniores sint? « Et si propius inspicias, cani non pauci nobis « se addicunt. Equidem sextum jam et quadra- « gesimum ætatis annum ago, hicque meus, « ne longius abeam, itineris comes » (Bustamantium significans) « sexagenarius pæne So- « cietati nomen dedit, tirociniumque ponere vir C « doctrina et modestia singulari, minime de- « trectavit. » Cæsar introire jubet, et agnitum sibi olim memoria repetebat : quod olim Neapolim missus a Joanne Tavera, Toletanorum archiepiscopo, secum de rebus arduis egisset. Triduum cum cæsare versato, jamque itineri accincto, ducentos aureos eleëmosynæ vice dandos Carolus curavit : modicum id esse testatus, sed se jam bonis exutum privatam personam sustinere. Cujus si status conditionisque respectum haberet, numquam alias majus a se beneficium accepisse, agnosceret *f*.

f CAP. XII *Vallisoleti ad populum dicit, ac Septimancæ*

106 Pintiam revertit Franciscus, ubi domus ad tectum perducebatur, crescebatque indies sociorum numerus. Ille vero et in æde nostra aliisque templis frequenter concionabatur. Hic cum plerique ad eum aulici confluerent, ut suis potius rebus, quam animorum saluti consulerent, dicere solitum accepimus : « Quam « pauci mortales ex urbe Hierusalem huc com- « meant : plerique omnes ex Ægypto veniunt, « ut nostra opera ditiores potius, quam melio- « res fiant. » Respiciebat ad Antonii abbatis dictum divinitus, de quo Palladius *g* memoriæ prodidit, e Macario rogare consuevisse, cum absentem se quæsivissent : ex Ægyptone, an Hierosolymis advenissent. Hos Christi gloriam, illos sua tantum commoda sectari significans. Ægre itaque adduci Franciscus potuit, ut sui omnibus potestatem sine delectu faceret : ne, si hanc fenestram patefaceret, divinis rebus operam dare non posset. Commodum jam Septimancenses Societati domum obtulerant *h*, quam eo avidius Franciscus arripuit, quo secedere aliquo libentius cupiebat, et a negociorum fluctibus, tanquam in portum se recipere. E Salmanticensi et Complutensi academiis, magnæ spei adolescentes, nomen ut Societati darent, confluebant : verum, quo reciperentur, locus deerat. Ratus igitur Franciscus, quem jam solitudini et orationi idoneum sibi locum compererat, eundem etiam tironibus ad pietatem informandis aptum esse, augere domum, membris additis, constituit.

A. P. Ribadeneira.

h

erigi tirocinium curat.

107 Observarat enim longo rerum usu, quod idem epistola ad socios data testatur, permagni Societatis interesse, omniumque adeo religionum primum tirocinium feliciter poni, et tanquam fundamentum jaci. Ut enim bonus tiro, bonus tandem miles evadit : sic et in ascetico vitæ instituto, qui se ipse perturbationesque animi vicerit initio, reliquum vitæ curriculum feliciter decursurum. Domum igitur humilem, qualem Ognati ædificandum curarat, instituit : laborans ipse, materiam, calcem et cæmenta ferens. Multos hic non adolescentes modo, sed et viros genere et litteris claros Societati adscripsit. His magistrum morum et pietatis Bustamantium, ætate jam et prudentia gravem, præfecit. Libentissime vero cæteris aggregabat, qui grandiores natu et integra ætate Societati se addicerent : idque multis de causis. Primum quia judicio maturo, diu multumque deliberantes, eam vitæ rationem amplexantur ; eademque constantia ad extremum usque spiritum retinent. Deinde, quod juniores magnis sumptibus multisque annis educari, incerto etiam eventu, debeant : viros vero, decurso jam studiorum spacio, statim Societati utilem navare operam videas, cum docendo, tum concionando ; tales modo sint, qui parvulorum simplicitatem, ut jubet Christus, cum morum prudentia conjunxerint. E F

in quo tironibus,

108 His Franciscus facem exemplo præferebat viamque monstrabat hortando, urgendo, consolando et revocando, cum freno alii, alii calcaribus indigerent. Per compita publica, præeunte canentium puerorum choro, catechistæ officio fungebatur. De superiore item loco Dei verbum explanabat. Erat tum forte in tirocinio, qui a lancium sordibus abstergendis abhorreret, invitusque hoc onus, cetera libenter, susciperet : quem ut inutilem metum exueret, spectante illo, Franciscus aquam sordibus inquinatam, qua tum orbes laverat, avidius hausit. Adolescens, rei spectaculo fractus, ad pedes ei accidit, veniamque postulavit. Collegium Septimacense aliquando Pintia ingressus, recta in culinam tendit : coquum ignotus rogat, numquid jubeat : hodie se illi operam daturum. At ignarus ille, quid nosset, rogat. « Nihil », ait Franciscus. « Quæ tamen rectius præstare et in « quo minus aberrare soleo, hæc sunt : pavi- « mentum verrere, ollas abstergere. » « Lava « igitur », ait coquus, « ollas illas fictiles, fuli- « gine obsitas. » Ille vero : « Et libenter »; diu-

A. P. Ribadineira.

que ibi hæsit, dum a comite ad res graves obeundas avocaretur.

exemplo præit.

109 Pintia quoque serius aliquando egressus, moraque in itinere injecta, Septimancam intempesta nocte, altero inde lapide dissitam, accessit. Fores collegii pulsat. Multa tum cælo nix decidebat : frustra tamen ad alteram noctis vigiliam, captis arctissimo somno sociis, expectat dum fores paterent : domus enim longius a porta abscesserat. Tandem aliquando intromissus, tantum abest, ut moleste moram cælique intemperiem tulerit, ut magnum et inde fructum pietatis reportarit. « Credo equidem », aiebat, « ut princeps, fera stimulis, et arundine in arena, et venatione agitata, summam capit voluptatem ; sic Deum, me, feris ipsis nihilo meliorem, mollibus dum petit nivium globis, hodie delectatum : qui tamen non me lædebant, sed urgerent atque impellerent. Sic enim Vates ait : Qui dat nivem sicut lanam ; ne- i bulam sicut cinerem spargit *i*. » Nobilis item adolescens hic sociis recens adscriptus erat ; asceticis tamen exercitationibus paupertateque B illa domestica adeo non capiebatur, ut facti pœnitens, a suscepto vitæ instituto resiliret. Cum nihil Francisci alloquia ad constantiam servandam valerent, sociis vaticinans ait : « Sinite abire : nondum enim maturuit. Revertetur, mihi credite, et hanc ipsam judicii imbecillitatem post re ipsa corriget. » Nec vanus augur Franciscus fuit. Post enim idem ecclesiastica dignitate sponte se abdicans, in Societatem iterum revertit, vixitque ad extremum usque diem pie constanterque, ut ceteris omnibus exemplum esset singulare.

cap. xiii, Missus a Carolo ad Catharinam, Joannis III, Lusitaniæ regis, viduam,

110 Decesserat per idem fere tempus anno ejus sæculi LVII. A. D. III. Idus Junias Lusitaniæ rex Joannes III, princeps pacis, bellique artibus clarus, pietate vero in Deum religioneque clarissimus. Societatem maxime fovit, primusque socios ad se in regnum traduxit ; domos regia liberalitate attribuit, collegiaque a fundamentis exstruxit. Primus idem in Orientis Indiam socios misit ; qui gentibus illis barbaris, densa caligine dissipata, Euangelicæ veritatis lucem importarent. Luctuosa ea mors, cum Christiano orbi universo, tum Societati fuit : C quæ et parentem amisisse simul et patronum videbatur. Franciscus Catharinam, regis conjugem, communi Societatis nomine, pia epistola, consolatur : esse quidem reges instar procerum, fulcrorumque Ecclesiæ Dei ; sed e militante Hierusalem in triumphantem, cum placitum fuerit, transferri. Præclare cum illo agi, qui terrenum hoc regnum cum calesti permutsaset, feliciter : hortari itaque, ut regni gubernacula non detrectet, dum Sebastianus nepos imperio adolescat.

gemino mortis periculo defungitur,

111 Nec diu post, in Lusitaniam ipse subsecutus, cæsaris jussu cum eadem et cum dynastis magnis de rebus egit. Eboram nondum adierat, cum ardentissima febri, quæ * mox morbi violentia in delirium pestiferum vertit, ad desperationem medicorum laboravit. Indictæ preces supplicationesque jussu principis Cardinalis Eborensis *k*. Jacenti jam in collegio sociorum, deplorato ac pæne deposito lacrymantes *k* aderant medicus regius *l* et socii, quibus nec *l* opinato Franciscus : « Cur », inquit, « lacrymas frustra funditis ? An illæ morti me eripient, si Deo visum, in patriam ab hoc me vitæ exsilio revocare ? Sed nondum marturuit hic fructus, ut summi regis mensis apponatur. Gran- D dis adhuc nobis restat via : immo intra quatriduum vivus valensque Olyssiponem pergam. » Inopinatum illud præterque fidem visum, et, si naturæ leges consuleres, fieri non posse. Postridie tamen ejus diei, hausto salubri pharmaco, purgata alvus est, et vis morbi remisit, habuitque melius. Tertius jam dies illuxerat, cum a Catharina regina missi domestici aderant : quibuscum postridie itineri se Olyssiponensi commisit. Verum ne hic quidem periculi omnino expers fuit. Tagum enim flumen trajiciente, ea subito exorta tempestas est, ut propius factum sit nihil, quam ut aquis mergeretur ; cum et alia navigia non pauca procella illa perierint. Regina adventu nunciato, Xobrigam, regiam in villam flumini vicinam, amœnitate aërisque salubritate claram, deferri jubet : omnique regio apparatu accipiendum curat. Hic dies aliquot moratus, ad D. Rochi Societatis domum Professorum Olyssiponem maturare se ostendit.

divinamque in se providentiam experitur.

112 Colligere itaque farcinas jubet. Regii ministri rati, quod res erat, eo festinare, quod regium illum luxum fugeret, et sociorum inopiam longe illi apparatui anteponeret, hortari valetudinis habita ratione, ne intempestive in viam se daret. At nihil ille remisse agere, et instare ; noctem ibi transacturum se negat. Incommodum haud dubie cum sociis Franciscus accepisset, ni providentia quadam effugisset. Eadem enim ipsa nocte ventorum procella, ab extremis usque Indiæ finibus vehementius spirans, pestilentem morbum invexit, multique iis anni horis ubique gentium consumpti. Non dissimile divinæ providentiæ exemplum apponam. Occurrit ei olim in itinere Suerus Vega, Joannis Vegæ Hispaniæ præsidis filius, in idemque hospitium diverterant : cumque frigus igne depulissent, secessit, ut solet, Deum oraturus Franciscus. Vega locum retinuit. Post non diu cubiculo raptim noster egressus : « Fugiamus », inquit, « periculum præsto est ». Dictum ac factum : vix domo digressis, tectum decidit, omnes oppressurum, ni cavisset Franciscus. Pii nimirum in tutela Dei sunt. A morbo recreatus confirmatusque Lusitaniæ reginam et Sebastianum nepotem salutat : regni item dynastas, legationemque exponit. F

ANNOTATA.

a *Psalm.* 76, ỳ. XI.

b *Hispaniæ civitas est in Extremadura regni Legionensis provincia.*

c *In regno Legionensi.*

d *Quæ Hispaniæ Bæticæ caput et archiëpiscopalis civitas est, incolis* Sevilla.

e *Anni* 1554.

f *Simile donum cæsar alias etiam obtulisse* Francisco *videtur. Vide Comment. præv. num.* 217 : *item num.* 201 *et seqq., ubi de cæsaris et* Francisci *colloquio plura reperies.*

g *Historiæ Lausiacæ cap.* 26.

h *Anno* 1554 : *est autem Septimanca* (Simancas) *regni Legionensis oppidum, sex passuum millibus Vallisoleto distans. Plura vide num.* 187 *Comment. prævii.*

i *Psalm.* 147, ỳ. 16.

k *Henrici, de quo num.* 89 *Comment. præv.*

l Barbosa *nomine.*

CAPUT

A

CAPUT VII.

Carolum V oratione funebri laudat; missiones aliquot instituit; alterum in Lusitaniam et Romam iter suscipit; bis Vicarius Societatis constituitur.

CAP. XIV. *Carolum oratione*

DOmum revertit cæsari gestæ rei rationem reddit: de animi salute et asceticis frequens sermo. Carolus enim ad mortem tum se comparabat, optabatque vehementer, rationes anteactæ vitæ gestique imperii Deo summo animorum Judici probare. Franciscus misericordiæ
B Dei atque clementiæ commemoratione languentem erigebat. Nec fefellit de morte vicina augurium. Vix enim cœnobio digressus Pintiam attigit, cum tristis nuntius allatus, cæsarem obiisse A. D. XI. Kal. Octob, anno Salutis M. D. LVIII. Tabulis exequendæ voluntatis ultimæ, quam ratam haberi vellet, Franciscum nominat. Permolestum vero id ei accidit, quod animam agenti Carolo præsto non fuisset, ut patrono optime de se merito postremum hoc officium præstaret, oculosque morienti clauderet.

funebri laudat, 114 Post tamen rogatus non detrectavit funebri illum laudatione prædicare Pintiæ, in aulicorum frequenti corona: adhibitis regii Prophetæ verbis: „ Ecce, elongavi fugiens et mansi „ in solitudine *a*. „ Factum prædicans heroe dignum; qui cum de hostibus toties triumphasset, tandem se ipse vicisset. Nuncio enim rebus humanis, imperio et regnis remisso, secessisse, privatumque egisse. Coronas, sceptra, fasces ad Christi crucifixi pedes sponte posuisse; quo rationem gesti imperii, mortem longe ante præsagiens, commodius redderet Imperatori summo, cum bona æternæ felicitatis spe. Illud in
C ceteris memorabile et ad posteros transmittendum; Carolum ab uno et vicesimo ætatis anno nullum diem abire passum, quo non horam orationi meditationique tribueret, negotiisque demeret. De morte demum, quæ ad æternam vitam janua est, sermonem Franciscus clausit extremum.

CAP. XV. *hæresis calumnia*

115 Per idem tempus Pintiam occulte invaserat depravatarum in religione opinionum lues: idque malum, quo occultius, eo periculosius, parvis, ut fit, igniculis ortum, provinciam Hispaniæ inflammasset; nisi ad commune incendium restinguendum mature, atque alacriter Philippus, rex vere Catholicus, et quæsitores fidei advolassent. Mali origo hæc fere memoratur. Dum cæsarem augustum flos Hispanicæ nobilitatis in Germaniam ceterasque hac labe infectas regiones sequeretur, usu, commercioque et disputationibus (quæ damni plus, quam commodi adferre solent) contaminati nonnulli venenum hæreticæ pravitatis imbiberant, edocti ab iis, qui a fide majorum, ut tranfugæ, desciscentes, in alia omnia blasphemiæ, impietatis et atheismi abierunt. Conventicula itaque nocturna et conciliabula clandestina cogere (quod fere seditionum initium) libellos impios et famosos in vulgus spargere ausi; et jam virgines Deo dicatas tabes illa occuparat. A. P. RIBADINEIRA.

116 In his ipsis conjuratis nonnulli socios, ut conscios, falso nominarant, in eandem causam involvere tentantes. At illi innocentia freti, recti se conscientia sustentabant; calumniamque tempus, et ejus filia veritas, diluit. Ferdinandus Valdesius, Hispalensis archiepiscopus, idemque censorum fidei princeps, ceteris judicibus negocium dedit, ut socios in templis vicisque a calumnia liberarent, et honorifica prædicatione in integrum restituerent. Hispali quoque in Bætica, in socios incurrere, calumniisque petere factiosi ausi: et, quod mireris, ii ipsi, quorum intererat, omni ope pro veritate niti. Honori tamen nostro (ea nimirum vis est in omnem partem veritatis) consuluerunt boni; nosque pro concione innocentes et integros publice prædicarunt, ipsi etiam Dominicanæ familiæ sodales. Nihil est tempestatibus adversisque fractus Francisci animus, quin et fortius, palmæ instar, nitebatur *b*. *sociis affictæ depellitur;* *b*

CAP. XVI. *in Asturias c d*

117 Christophorus Rogius Sandovalius, qui post ex episcopo Ovetensi *c* et Pacensi *d* Hispalensis archiepiscopus decessit, Franciscum amanter monuit, Asturum montiumque incolis circa Ovetum habentibus, non solum victum in
E summa temporum difficultate, ex continenti annorum aliquot sterilitate deesse; sed quod rei caput est, etiam doctrinæ Christianæ præceptæ et cælesti Panis frequentiorem usum. Asturum enim ager, licet optimorum ferax equorum est, ingeniorum non item, in agrestibus præsertim hominibus. Adeo verum illud: „ Non omnia „ uno solo cæloque nasci. „ Nec mora, Franciscus ad Joannam, clarissimam Hispaniæ principem, quæ, absente in Belgio rege Philippo, imperabat, Ovetensis agri inopiam animis corporibusque sustentandis retulit: opem implorat: se in partem laborum venturum missurumque socios, qui rudimenta doceant et sacra procurent: sed quando in tanta rerum omnium indigentia, ut anni tempus erat, inanis venter auribus careret, rogat, Asturum inopiam sublevare vellet. Sic enim fore sperabat, ut fructus non pœnitendus animorum colligeretur. Vetus enim fructuosumque Societatis est institutum,
F in paganorum agros excurrere, et quasi legationem Dei docendo concionandoque obire. Princeps illa, ut ad omnia pietatis officia propendebat, Asturum inopiæ sublevandæ quatuor aureorum millia ex ærario publico numeranda curavit. Hæc ut pauperibus viritim distribuerent, duo socii profecti, Petrus Saavedrius et Carvajalius, agrumque per se sterilem, divini verbi semine ita coluerunt, ut tum primum nati videntesque, qui cæci ad eam diem fuissent, sibi viderentur.

et Africam missionem instituit: *c*

118 Missi item a Francisco socii extra Hispaniam in Mauritaniæ Cæsariensis urbem, hodie Oranum *e*, quam olim Icausium alii, alii Madaurum, L. Appuleii patriam, existimant *f*. Quæ urbs in Africæ ora sita, Francisci olim Ximenii Cardinalis, et Toletanorum archiepiscopi opibus auspiciisque capta *g*, præsidiis nunc Catholici regis tenetur, adversus Maurorum incursiones. Exercitus ex Hispania navibus eo deportabatur, ad gentes illas, Christiani nominis acerrimos hostes, debellandas, anno, opinor, M. D. LVIII. Igitur missi a Francisco e nostris, Petri duo, alter Martinez, qui post martyr obiit *f* *g*

A. P. Ribadineira.

obiit in Florida, insulanorum insidiis. Alter vero Petrus, cognomento Domenichus. Eductis in hostem copiis, Mostaganum *h* oppugnaturis, jussit belli dux, in urbe socii manerent, ægrotis quadringentis militibus, qui in nosocomio decubebant, operam navarent. Hi tametsi militibus animum in prælio addendo præsto esse mallent, dicto audientes fuerunt, et visum magno illi Imperatori Deo, ut ad majora reservarentur. Cæso enim ad internecionem exercitu, captisque, qui cladi superfuerant, periculum nostri evitarunt. Post in Hispaniam reversi, mortuorum se in numerum relatos, sacris etiam rite peractis, compererunt.

h

cap. xvii. *alterum*

419 Semel iterumque Lusitaniam ingresso, sed negociorum duntaxat gratia, sociorum collegia lustrare, solatiumque otiose adferre, integrum non fuerat. Commodum jam per ea ipsa tempora Henricus, Lusitaniæ princeps, Cardinalis (qui et Sebastiano in Africana expeditione cæso *i*, regnum tenuit) Eboræ collegium academiamque ære suo Societatis fidei commiserat; petieratque per litteras a Francisco, ut mitte-
B rentur doctores sacrarum litterarum duo; utque se his adjungere ne gravaretur. Valetudinis etiam interesse medici affirmabant, animum a curis, quibus Pintiæ obruebatur, avocare et peregrinando relaxare. Præmissis igitur sociis duobus, Petro Paulo Ferrario et Ferdinando Perez, qui Theologiam docerent, in Lusitaniam se contulit; ut principem bene de Ecclesia Societateque meritum, cum officii causa salutaret, tum gratias etiam sociorum nomine ageret. Acceptus hic omni officiorum et caritatis genere; pari comitate, qua eum olim Joannes III rex, ejusque frater Ludovicus complexi fuerant. Concionabatur Dominicis fere diebus, vernis quadraginta dierum jejuniis, in æde sacra, audiente cupidissime Henrico Cardinali. Hic, cum de via fessum orationibus ad populum habendis onerandum quidam negarent, instabat Cardinalis: „ Nec postulo „, inquit, „ disserte concio-„ onetur: abunde erit populo, mihique, vel sug-„ gestum conscendisse eum, qui omnibus sese „ bonis sponte, Christi propter amorem, abdi-„ cavit. „

i

in Lusitaniam

120 Iterea Henricum cupido incesserat et Francisci invisendi, et academiæ lustrandæ, quando absenti integrum nunquam fuisset. Deductus itaque a nobilitatis flore, omnibusque academiæ ordinibus, et sociis collegium ingreditur. Franciscus pro foribus præstolabatur. „ Jure „, inquit, „ optimo, princeps amplissime, „ omnes te omnium ætatum ordines, doctique ho-„ mines honoris gratia, ut scientiæ parentem, „ deducunt: hic quoque, licet indoctus cœtus „ (se nimirum et cœcum significabat) „ tuus est ti-„ bique devotus. „ Adduci tum nullo modo potuit, pugnante licet, diuque urgente Henrico, ut caput tegeret: obfirmato enim animo honorem illi deberi serio affirmabat. Accessit eo ipso tempore et Birgantinus dux *k* e Villavitiosa *l* oppido, Henricum, Lusitaniæ principem, eademque opera Franciscum salutaturus. Post Franciscus et collegium Bracarense *m* lustravit, nuper ædificari cœptum sumptu Bartholomæi, Martyrum cognomento, e familia divi Dominici, archiepiscopi: qui singularem cum doctrina pietatem ita conjunxerat, ut utra re præstaret, incertum esset. Sociorum hic opera in commisso sibi grege uti velle præ se ferebat; quod re etiam præstitit. Post, ut erat summa vitæ innocentia et sanctitate, sponte abdicato D episcopi officio, cellæ cœnobii se iterum suisque reddidit. Scripsit re penitus explorata, Chrysostomi, et Gregorii Pontificis exemplo, De Cura Pastorum, volumen egregium.

k l

cap. xviii. *iter*

121 Colligere sese et ipse Franciscus, ad ora-
rationemque, ut solet, et solitudinem festinabat. Profectus itaque in Gallæciæ fines, ut a publicis negociis, quæ nimis occupatum habebant, se abduceret: Portum venit, quæ urbs hodie nomen retinet, qua portus est oppidi Calis: indeque adeo, ut Hispanicarum Rerum scriptores tradunt *n*, toti provinciæ nomen inditum. Ea *n*
mille circiter et quingentis passibus Durio flumine, ubi in Oceanum influit, imminet, loci ingenio et situ saluberrima. Hic olim Franciscus Strada commoratus, assiduis concionibus, ut erat in dicendo acer et vehemens, magnos antea fructus retulerat. Delatus et Franciscus noster Kal. circiter Sextil. anni M. D. LX rectaque in xenodochium Rochi Amatoris pertendit. Vix jam ad pedes desilierat, cum Rodericus Pinetus episcopus Portuensis salutatum accessit. Ci- E
ves item admirabundi, cognito quis olim Franciscus fuisset, atque ob commissam illi totius in Hispania Societatis provinciam et modestiæ nomine observabant. Postularunt socios, eo mitteret, qui eum agrum divini verbi semine excolerent.

suscipit,

122 Annuit Franciscus impetravitque, bona cum episcopi venia, sedem sociis et sacellum. Re item juvit Henricus Govianus, vir nobilis, ex eorum numero, quos Strada antea Christo lucrifecerat; mutata in melius vita, qua virtutis odorem cæteris afflabat civibus. Pauperes alere, ministrare etiam ipse in nosocomiis assueverat: Deo et Societati tres filios obtulit, domumque attribuit. Grassante in urbe Portuensi lue, pauperum curam incautius gerens, occubuit. Non fugit Catharinam, Lusitaniæ reginam, Francisci adventus, cui per idem tempus peramanter scripsit, lætari se, quod eam urbem de via attigisset; civesque et episcopum cum senatu optasse, socios mitti collegiumque excitari. Idem sibi pridem votum fuisse, ratumque esse velle *o*. Tale portuensis collegii *o*
principium fuit. Ille et ætatis immemor et vale- F
tudinis, cuncta ferre, agere, concionari, Eucharistiam manu tenendo hortari, pueros ære campano vicatim ad fidei rudimenta discenda evocare. Quare velut hominem, cælo delapsum, suspiciepant omnes.

cap. xix. *uti et Pii V jussu* *p*

123 In secreto hoc secessu libenter acquievisset Franciscus, sed Pius Quartus Pont. Max. missis litteris *p*, honoris gratia evocavit. Nihil vero antiquius Francisco, quam Pii jussis parere, tametsi fessa jam ætate esset, et a valetudine non satis firmus, æstusque anni a profectione deterreret. Regi mox Catholico Philippo, quod erat, exponit: egredi se Hispania jubente Pontifice; quem penes, ut Christi vices gerentem, summum esset hominum rerumque arbitrium: orare itaque bona cum venia proficisci liceret. In viam se dedit, ardente etiam tum canicula, anno M. D. LXI. adscitis sociis Petro Saavedrio et Gaspare Hernandez sacerdotibus, et veteri comite Marco. Terrestri itinere Galliam attigit Narbonensem et Provinciam. Lauretum ubi venit, lustravit supplex ædem sacram Deiparæ Virginis Lauretanæ: religione simul et loci majestate hominumque frequentia commotus.

124 Post

A 124 Post A. D. VII Idus Septemb. Romam ingressus, incredibili sociorum omnium gaudio acceptus. Pius cognito adventu, cubiculi intimi præfectum salutandi gratia extemplo misit, expectatum diu, adesse. Ad se ut migraret, rogat. Franciscus contra comiter pro officio gratiis actis, recusare. Postridie ejus diei postquam illuxit, quamvis de via fessus nondum se collegisset, Pontificis pedes, more majorum, exosculatus, genibusque nixus, ter assurgere jussus, obduravit, rogando obtestandoque. Tandem obedientiæ imperio, pedibus aperto capite institit. De variis mox ultro citroque habitis sermonibus, honorifice dimittens Pontifex, hisce verbis appellavit: « Nostrum est, te tuaque « sedulo curare, quando raro et huic sæculo in- « usitato exemplo te bonis exspoliasti. »

Romam,

cap. xx. ubi, Layne absente mortuoque, Vicarii Societatis munere fungitur.

125 Aberat tum forte Roma Jacobus Laynes, Præpositus generalis Societatis, ab eodem Pio IV Pontifice socius additus Hippolyto Cardinali Estensi, in Galliam legato, ad Carolum regem IX et Catharinam Medicem matrem, ut darent B operam, ne quid, nascente hæresi, in Gallia Christiana respub. detrimenti caperet. Alphonsus Salmeron, unus e decem primis Ignatii sociis, Romæ tum a Layne relictus erat, regni Neapolitani in Societate præfectus. Verum post non diu ad synodum, Tridentum pridem indictam et nunc instauratam, utrumque misit Pontifex. Franciscus vicariam operam præstare, locumque tenere jussus est. Cui muneri cum repugnaret, qua erat animi demissione, summo tandem Laynis imperio dicto audiens, acquievit. Domi omnes socios hortari, collegia lustrare, re consilioque ad pietatem calcar addere: denique ad virtutem verbo et exemplo impellere. Publice vero in divi Jacobi festis diebus concionari: ad quem audiendum purpurati Patres, legati omnisque adeo nobilitas confluebat. Gessit hoc Romæ munus annos aliquot, dum, dimissa Tridentina synodo, Laynes rediret; qui cum in gravem morbum reversus incidisset, insequentis anni ejus sæculi quinti et sexagesimi XIV Kal. Febr. supremum vitæ diem clausit. Igitur exstincto Layne, vacuum rursum tenuit locum Franciscus, communi omnium suffragio, antea re bene gesta, probatus. Rebus, C quoad licuit, ordinatis, ad omnes Societatis in Europa provincias, quam citissime tristem nuncium mortis Laynis transmisit: simul monens continuo conventus agerent, et novo Præposito deligendo, bini quam maturrime Romam advolarent.

ANNOTATA.

a *Psalm.* 54, ℣. 8. *Aliud orationi illi funebri argumentum ex Herrera, qui eidem interfuit, Alvarus Cienfuegos num.* 219 *Comment. prævii laudatus assignat: nempe hoc Thren. Jeremiæ* 2, ℣. 13: Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Magna est velut mare contritio.

b *Has turbas latius explicatas habes* § XV *Comment. prævii.*

c Ovetum *(Hispanis* Oviedo*) situm est in regno Legionensi et Asturiæ Ovetanæ caput.*

d Pax, *cognomento* Augusta, *provinciæ Extremaduræ caput est, incolis* Badaioz *dicta.*

e *In regno Algerii.*

f *Vide Alvarum Gomecium lib.* 4 *Vitæ Cardinalis Ximenii tom.* 1 *Hispaniæ Illustr. pag.* 1022. A. P. Ribadineira.

g *Anno* 1509.

h *Barbariæ oppidum in regno Trimiseno.*

i *Commissum id prævium fuit die* IV *Augusti anni* 1578.

k *Theodosius.*

l *Brigantinorum olim ducum sede.*

m Bracara *Hispaniæ Tarraconensis civitas in Portugallia inter Durium et Minium fluvios.*

n *Vide Andreæ Resendii pro SS. Martyribus Vincentio, Ulyssiponensi patrono, Sabina etc. ad Bartholomæum Kebedium, sacerdotem Toletanum, Epistolam.*

o *Catharinæ litteras exhibet Ribadineira lib.* 2, *cap.* 22.

p *Illas ex Ribadineira lib.* 2, *cap.* 23 *transcriptas vide sub initium* § XVIII *Comment. prævii.*

CAPUT VIII.

D

Præpositus Generalis renuntiatur, remque Societatis publicam administrare incipit: propensus Pii V in Societatem animus.

Evocatis undique per litteras sociis (qui conventus in suis quique provinciis egerant, selectosque binos provinciali Præposito additos, cum auctoritate Romam miserant) veritus Franciscus, quod evenit, ne, in quem omnium oculos conjectos videret, invitum se ac repugnantem Societati præficerent universæ; occurrendum ei rei tempestive ratus, Salmeronem paucosque sacerdotes *a*, re mature deliberata, ita compellat: « Tametsi, Patres, me certo scio non satis « idoneum, qui vel minimum in Societate mu- « nus obire queam, dum me ipse indies magis « magisque ad unguem exploro: tamen, ut F « sunt varia hominum incertaque judicia, di- « cam, quod sentio. Præsagit animus, vereor- « que, ne invitus a sociis eligar, ceterisque hoc « nomine anteponar, quod et vicariam operam, « morte Laynis, præstem Societati; quodque « nescio quod exile nomen Ducis abjecerim. « Quam ob rem, nisi quid secus vobis videatur, « animus est, socios deprecari omnes obtesta- « rique per Ignatii memoriam, ut quemvis po- « tius, quam me, huic muneri obeundo deli- « gant, cui ex omni numero me magis ineptum « esse neminem, ex animi sententia affirmare « liquet. Quod consilium vobis probari velim. »

lib. iii. cap. 1. In Præpositum Generalem,

a

127 Patres vero, re mature considerata, Deoque precibus consulto, contra sentiunt. Deinde summa omnium consensione respondent, in alia omnia ire se coactos: silentio itaque consilium illud premendum videri. Tacita enim hac animi demissione ingeniosaque deprecatione munus potius ambiisse, quam defuisse visum iri: abditas enim esse mortalium cogitationes. De illo deligendo, ut Societatem administraret,

licet invitus,

A. P. RIBADINEIRA.

administraret, in mentem venisse fortasse nemini. Itaque missa illa faceret, Deo fretus, cujus Spiritu cœtus gubernentur piorum. Si deligeretur, quod nolle illum facile viderent, tum demum integrum fore tergiversari onusque deprecari. Paruit ille, nihil pervicaciter ad hæc locutus. Quare quo se gessit submissus, eo sublatus a Deo altius est, omniumque suffragiis, Præpositus generalis magno omnium consensu atque lætitia renuntiatus postridie Kal. quinctiles, qui dies B. Virginis Visitationi sacer est. Ille delata dignitate perculsus animoque perturbatus, tantum abest, ut se purgare verbis potuerit, ut sermonem etiam impedierit omnino insperata res, quod vel ipse vultus et color satis arguebat. Summa Romæ lætitia hinc est consecuta, in provinciasque manavit.

electus,

128 Deductus, facta re divina gratiisque Deo actis, de more ad Pontificem Pium IV. « Fa- « ctum bene », inquit ille, « prudenter judica- « stis, multumque vidistis, qui Franciscum po- « tissimum de tanto insignium virorum nume- « ro delegistis. Quod Ecclesiæ commodum vide- B « tur et Societati, ut eventus ipse Deo, hominі- « bus meque approbantibus, post docebit. » Domum ubi cum sociis revertit Franciscus, priusquam cœtum dimitteret in provincias, ad Patres verba fecit : animadverterent, quantum onus infirmis humeris imposuissent : rogare itaque in partem laborum venirent, ne humo afflictus succumberet. Hortarentur, admonerent, urgerent, reprehenderent, si, ut res sunt humanæ, opus foret, officioque ipse deesset. Re et consilio adjuvarent simul et precibus. « Ju- « mentum », inquit, « factus sum apud vos. Si « oneri ferendo non sit, onus cum clitellis tol- « litur. Idem vos facite : imperium tollite, si « tanto oneri impar videar. Erit hoc divinæ « gloriæ Societatique emolumento, vobis, Pa- « tres, perutile, mihi denique commodum et « pergratum. »

Melitam socios militibus operam navaturos mittit,

129 Assurrexit his dictis Franciscus : ceteris allacrymantibus gaudio, surgere vetitis : mox ordine, singulorum pedes humi exosculatus, etiam complectitur, comiterque in provincias discendentes dimittit; lætos, quod Ignatio et Layni dignum, qui succederet, reperissent. Per idem tempus Melitam insulam *b* terra marique *b* C arctissima obsidione Solimanus, Turcarum imperator, cinxerat *c* : capta pridem Rhodo *d* *c d* diuturna obsidione, pertinacique conatu, dum equitibus divi Joannis, singulari fortitudine dimicantibus, auxilium nemo ferret. Melitam vero summi Pontificis Pii vigilantia, et opibus Philippi II, regis vere Catholici, ad hæc militari virtute Equitum, quibus eam olim insulam Carolus V imperator defendendam tradiderat *e*, *e* liberatam vidimus. Militum copiis, quæ suppetias ferre jussæ erant, socii additi sunt, ex eo ipso aggregatorum Patrum numero : qui militibus animum mentemque piam addere conarentur *f*. *f*

CAP. II. *in provinciis singulis tum tirocinii,*

130 Prima jam cura, dimissis in Provincias sociis, fuit, quando ab origine pendent omnia, de tirocinii domo Romæ constituenda, in qua juvenes, qui frequentes quotidie ex omnibus Europæ urbibus confluebant, Societatique adscribi cupiebant, ad pietatem et religiosas exercitationes informarentur : ne ignorarent, quo modo orandus Deus, qua ratione spiritui caro subjicienda, et animi perturbationes domandæ : Denique ut pueri catechesi Christianæ doctrinæ imbuendi essent. Episcopo Tiburtino *g* eam *g* Deus mentem indiderat, ut templum S. Andreæ sacrum sociis traderet, quod in colle Quirinali visitur. Nec diu post eandem beneficentiæ voluntatem dedit Joannæ Aragoniæ, quæ nobilissima matrona Ascanio Columnæ nupta, singulari pietate in Deum fuit, et in socios liberalitate. Domum enim in eodem colle annuosque reditus attribuit.

tum litterarum humaniorum domum, Romæ vero magnificum templum condi curat,

131 Idem in omnibus provinciis Franciscus teneri jussit, ut sua cuique tironum Societatis domus esset, in qua ad pietatem informarentur, specimenque sui darent, qui se Societati recens, Deo vocante, addixissent. Alterum item collegium in provinciis instituendum curavit, hodieque Seminarium alicubi appellatur, ubi iis artibus imbuerentur, quæ humanitatis Professori, qui alios docere commode posset, necessariæ viderentur. Cumque recens nata Societas tunc esset, omnes Transalpinarum gentium adolescentes Romam bonis artibus instruendos mitterere incredibili sumptu necesse erat : cui incommodo Francisci consilio remedium adhibitum, ut in principiis docerentur. Ædes E item sacra domus Professorum paucorum capax erat, cum multi ad rem divinam et Sacramentorum, hortantibus sociis, frequentem usum ac verbi Dei sermonem confluerent. Hanc igitur amplissimo Cardinali Alexandro Farnesio Deus mentem pariter injecit, ut et pietatis studio, et in Franciscum amore adductus, augustissimum templum a fundamentis exstruendum curarit videritque ad tectum perductum : augustum in primis, sive architecturæ artem spectes, sive ornatum.

nihil inter negotia plurima de precibus remittens.

132 In ceteris vero, quibus Franciscus curis angebatur, frequentes erant litteræ ex omnibus oris, et quidem principum in repub. virorum, ut somno sæpenumero tempus demere opus esset, si omnibus satisfactum vellet. Alii enim socios ad se mitti postulabant : nonnulli collegia apud se excitari : nonnemo rogare, ut pro incolumitate sua Deum precaretur. Quod et olim regibus studio fuisse, ex Athanasio discimus : qui ad Antonium abbatem scribere solitum Constantinum refert *h*; ut se fidemque *h* Christianam Deo precibus commendaret. Quamvis vero crebræ litteræ multum et operæ eriperent et somni, nihil tamen destinati temporis F orationi ad Deum fusæ detrahi, quo pietatis progressum contineri dicebat, patiebatur. Cum Deo enim potissimum esse agendum, in primisque ejus regnum studiose quærendum. Mox principum Christianorum salutem, a qua penderet reliquorum, Deo commendandam.

CAP. III. *Socios*

133 His rebus ita ex sententia peractis, eo ipso anno Pius IV vita simul et cathedra de- *i* cesserat *i* locumque dederat Michaeli Gislerio, viro e Dominicanorum familia egregio, qui Pii Quinti nomen induit, talemque se moribus gessit *k*. Hic etiamnum Cardinalis Francisco usus *k* perfamiliari et amico *l*, postquam ad Ecclesiæ *l* clavum sedit, nihil in amando remisit : quin rebus in arduis consilium ejus et operam frequenter adhibuit. Commodum jam e Lusitania litteræ redditæ erant, socios in Æthiopiam legatos premi et temporum iniquitate sudare, nec proficere : præcisa jam spe messis colligendæ : in Japonia vero insula, Episcopum sacris rite procurandis, in recenti nascentis ibi Ecclesiæ origine, vehementer desiderari. Obibat Æthiopiæ regionem e sociis Andreas Ovetensis patriarcha : quem

A quem olim Julius III, rogante Joanne item III,
m Lusitanorum rege, episcopum crearat *m*, una cum Melchiore Carnero Lusitano. Hi socii additi Joanni Nunnesio patriarchæ, in Æthiopiam Pontificis Jussu proficiscenti, Ignatio etiam tum superstite.

ad Japonas Sinasque 134 David enim, Æthiopum rex, Lusitaniæ regis opera a summo Pontifice, quem in terris Ecclesiæ caput agnosceret, mitti ad se rogabat, qui eam Ecclesiam, in remotis Africæ siccisque terris sitam, pæne dixerim relegatam, Judaismo inquinatam (baptizantur enim Æthiopes simul et circumciduntur *n*) purgarent erroribus, in viam revocarent, rudesque illas nationes ac barbaras erudirent. Nunnesius Goam *o* vix attigerat, inde in Æthiopiam cogitans et conscendere parans, in Beatorum sedes, morte simul et legatione obita, migrare jussus, locum manusque patriarchæ Andreæ Ouetensi, socio et episcopo cessit. Nihil enim socii præter dignitatis nomen et labores ferebant, honoribus et commodis omnibus abdicatis. Hic simul in
B Æthiopiam venit, a Claudio rege, Christianorum quidem sacris imbuto, sed lento homine non satis humaniter accipitur : frigide itaque rem Christianam promovit. Qui vero regnum proxime excepit, re et nomine Adamantius, natura crudelis et immanis, in socios grassari, sævire et incurrere ferarum more insistit. Christi enim nomen extinctum cupiebat, nulla ut spes propagandi Euangelii superesset. Vinculis enim, fame, inopia et nuditate vexati socii, aliaque incommoda et persecutiones passi, ut solent, qui pie vivere in Christo Jesu volunt.

Pius V 135 Quamobrem justo mox judicio Dei a Turcis devicta Æthiopia, in ditionem illorum tyrannidemque regnum incidit, vastum cetera et incolarum multitudine frequens. Pius Pontifex re cognita, Francisco referente, Andream patriarcham Æthiopum furori cedere et se ad majora reservare jubet : commodamque nactum navigationem, maturrime in Japoniam insulam trajicere : ubi multos esse et nuper Christianis adscriptos audierat, qui confirmari et sacerdotio manuum impositione inaugurari possent. Andreæ, accepto Pii diplomate *p*, injecta religio
C est, quam extmere nemo posset, quod juberet Pontifex, tum demum Æthiopiam relinquere, cum salva religione et tuto posset, nullaque spes reliqua ejus Ecclesiæ juvandæ foret, hinc in Japoniam insulam frequenter habitatam transiret. Ille vero bene semper Dei benignitate speraret, fore ut Christo plures lacrifaceret ; et Æthiopia excedere non poterat, quin in Turcarum aut prædonum manus incideret. In his itaque ærumnis vitam egit diemque clausit extremum.

prosficisci jubet : 136 Melchior quoque Carnerus *q*, cui par potestas tributa fuerat ordinandi, confirmandique neophytos Christianos, in Machaonem portum *r* delatus, qua Lusitaniæ naves onerariæ in Japoniam transmittunt, rite obita legatione, et episcopi munere, decessit e vita. Nostra quoque memoria Sebastianum Moralem, qui provinciæ Lusitaniæ sociorum præpositus fuerat, Sixtus Quinctus episcopi nomine in Japoniam legavit : sed, ut incertæ sunt mortalium res, Goæ portum nondum tenuerat, cum et ille longæ tædio navigationis incommodisque mortem cum vita commutavit. Adeo verum est, quod ipsi etiam male in socios animati fatentur, dignitates ecclesiasticas ex Ignatii instituto defugere socios, aliisque libenter concedere : labores vero, pericula, mortem denique pro Ecclesia ad majorem Dei gloriam ultro ac libenter subire. A. P. Ribadeneira.

137 Plura vero exstant Pontificis vere Pii, et illis temporibus pernecessarii, singularia in socios amaris indicia et benevolentiæ. Vetere enim instituto, Romæ pœnitentiæ administri, Pontificia auctoritate monachi et sacerdotes, theologiæ, et canonum linguarum diversarum periti, nodos conscientiæ solvebant, peccatisque expiabant. Magnum id Ecclesiæ munus et arduum, ut quæcunque divina potestate in terris solvant. Visum itaque Pio Pont., quando munus hoc a variis varie abiri vidisset, Societati mandare, ut pœnitentium curam susciperent, et in sacra D. Petri æde summa confitentibus quotidie aures darent, vigamque manu gestarent, potestatis argumentum. Alciatum itaque cardinalem, qui tum pro Carolo Borromæo ei muneri præerat, ad Franciscum misit, qui persuaderet, rem per se Ecclesiæ utilem ac necessariam. *cap. iv. idem penes eosdem esse pœnitentiariam*

E
138 Ille vero tergiversari primum ac defugere : mox ubi se colligit, hæc fere capita supplice libello Pontifici obtulit. Perincommodum id Societati futurum : qui enim legitime id munus ad hanc diem administrassent, iis eripi sine querimonia non posse : ad hæc complures in Ecclesia Dei familias, vetustate corroboratas et sanctitate morum illustres, ad quas id potius pertinere videretur ; alioquin præteritas sese moleste laturas : sociis denique privatim fraudi futurum et damno : quod, qui illud munus obirent, continuo Societatis legibus solvi, et obediente vinculis vellent, tamquam ministri Pontificis jam creati. Lectis his, Pius nihil prolatandum ratus, nodosque facile solvi posse ; Societati exemplo pœnitentiæ Pontificiæ munus pro suo jure mandat, domumque non procul ab æde summa D. Petri, certumque stipendium ad victum cultumque corporis assignat. Franciscus dicto audiens acquievit, præstantesque e provinciis undique sacrarum litterarum Officiorum simul et linguarum peritos evocatos, locat. Gregorio mox tertio decimo Romæ sedente *s* Societas onere illo levari, sed
F frustra, optabat : munusque sustinet in hunc usque diem commodo, opinor, publico. *Romanam,* *s*

139 Ecclesiasten item Pontificium e Societate tunc deligendum putavit, qui coram in amplissimo Cardinalium consessu de rebus divinis frequenter dissereret. Primus hoc munus obivit, Francisco jubente, Benedictus Palmius, Italus ; hunc secutus Salmeron, unus in decem primis Ignatii sociis, sed duodecimo post mense, nimirum secessus amantior et commentandi S. Scripturam studio intentus, alteri e sociis, Lusitano theologo, Emmanuëli Sa, lampada tradidit. Mox cessit Francisco Toleto Cordubensi : qui apud alios continenter Pontifices ecclesiasten egit ad annum usque M. D. XCIV*, quo anno, invita et repugnante Societate, in Cardinalium collegium a Clemente VIII adoptatur : vitaque nuper et dignitate decessit, postridie Idus Septembris anni M. D. XCVI. Neque hic substitit Pii erga nos studium : sociis enim examinandi provinciam dedit eos, qui Romam frequentes confluunt, et sacris initiari vel jam initiati confessiones excipiendi fieri sibi potestatem volunt. *ac coram se concionandi munus voluit,* * MDXCIII

140 Erant ea tempestate (quis credat?) in ultimis

A. P. Ribadineira. *aliaque propensi in Societatem animi*

ultimis Neapolitani regni finibus hæresis Valdensium reliquiæ, qui pauperes de Lugduno vocari gaudebant *t*, quod malum ut maturrime tolleretur, e sociis Christophorum Roderiges *, doctorem Theologum, mittit : qui partim disputando, partim monendo, ad bonas eos partes melioremque mentem traduxit, captos comitate, hominis et pietate, ut pœnam, Pontificia potestate irrogatam, libenter susceperint. Exploratum jam tum erat Societati finem esse propositum, gentes a fide alienas et hæreticos ad sanam mentem pro virili revocare. Si qua forte rursum tempestas exorta in socios esset, statim advolare Pius solitus et opem ferre ; principibus Christianis socios commendare, obtestari, precibus minisque agere. Ut in seditione Avenione excitata statim exstinxit incendium. Hujus studii specimen erit diploma unum in multis, ad Coloniensem episcopum *u*.

t

* Rodriguez

u

dedit indicia.

141 Præterea mendicantium in numero esse socios pronunciavit, immunesque similiter esse et haberi voluit ; dato ea de re, quod exstat, diplomate, quincto Pontificatus anno M. D. LXXI Nonis Juliis *x* : utque tuti ab injuria in provinciis socii viverent, permisit patronum sibi, quem conservatorem vocant, cum res postularet bona sua venia, deligere ipsi summa auctoritate possent. Quod beneficium Gregorius XIII, immatura morte extincto Pio *y*, insequenti anno sociis libens datis tabulis concessit *z*. Non defuere tamen, ut sit, qui dicerent, Pio propositum, Societatis institutum commutare simul et vestitum. Qui rumor cum latius vagaretur, Franciscus pro Societatis honore diligenter excubans animique pendens, Francisci Patieci Cardinalis, et Burgensium archiepiscopi opera, Pium rumoris in vulgus sparsi certiorem facit. Ille vero tantum abfuit, ut id cogitarit, ut nuncio illo tanquam adversa re perturbatus in hæc ipsa verba clamans eruperit : « Absit a nobis « hoc peccatum *aa*. Video enim, complacitum « esse Deo in his famulis suis institutoque vi- « vendi quo, fructum referunt Ecclesiæ. Dum « iidem erunt, qui hactenus, institutumque re- « ligiose servabunt, nemo illis, qui sapiet, mo- « lestus erit, negociumque facesset *bb*. »

x

B

y

z

aa

bb

C ANNOTATA.

a Salmeronem et alium, *inquit Ribadineira se ipsum tacite innuens.*

b *Inter Siciliam et Africam proprie dictam.*

c *Anno* 1565.

d *Insula Asiæ Minoris, anno* 1522 *a Turcis capta.*

e *Anno* 1530.

f *Nominantur hi num.* 243 *Comm. prævii.*

g *Joanni Andreæ Crucio.*

h *Tom.* 2 *Januarii pag.* 103 *in Vita S. Antonii, auctore S. Athanasio, hæc leguntur :* Hoc in eo viro mirabile est, ut hominem in extremo limite conditum, et favor principum et omnis celebraret aula regalis. Nam et Constantinus Augustus, et ejus liberi Constans atque Constantius talia cognocentes, crebro ad eum, quasi ad patrem, missis litteris obsecrabant, ut reciprocis eos scriptis hilararet.

i *Sub finem anni* 1565.

k *Electus in Pontificem sub initium anni* 1566, *relatus in Album Sanctorum a Clemente XI anno* 1712.

l *Magni præterea est habitus ab aliis Sanctis ut ab Ignatio, Carolo Borromæo, Francisco Salesio et Teresia, uti num.* 339 *videre est : amicitiam item coluit cum S. Petro de Alcantara, uti ex* Borgiæ *ad illum litteris, quas lib.* 6, *cap.* X, § 5 *exhibet Alvarus Cienfuegos, liquet.* D

m *Hierapolitanum anno* 1555.

n *Ex Ribadineira in Vita S. Ignatii lib.* 4, *cap.* 13.

o *Urbem Asiæ in India Citeriori sub dominio Lusitano.*

p *Refert illud, in Hispanum idioma traductum, Ribadineira lib.* 3, *cap.* 3.

q *Episcopus Nicenus renunciatus anno* 1555.

r *Sinarum urbem in insula ad oram littoralem provinciæ Cantoniæ sitam.*

s *Sedere cœpit anno* 1572.

t *Sub Adriani IV et Alexandri III tempora seu sub annum* 1160 *Lugduni vixit Waldo, a quo hanc sectam appellatam aiunt. Errores illius vide in concilio Senonensi anni* 1528 *tom.* XVI *Conciliorum apud Labbeum col.* 436 ; *ubi et Valdonis expressa fit mentio col.* 433. E

u *Illas Pontificis litteras anno* 1568 *ad comitem Isemburgicum datas, Hispanice exhibet Ribadineira lib.* 3, *cap.* 4 : *quas autem anno* 1569 *pro Possevini innocentia, qui inquisitionem more Hispano in comitatum Venascinum introducere conatus dicebatur, idem Pontifex scripsit ad suum in Gallia nuntium, Calatinum episcopum, Sacchinus refert ad annum* 1569. *num.* 145.

x *Vide tom.* 2 *Bullarii, a Laërtio Cherubino collecti, pag.* 343.

y *Obiit anno* 1572.

z *Vide Bullarium, mox citatum* 363 *et seq.*

aa *Ribadineira lib.* 3, *cap.* 4 *habet :* Absit a nobis hoc peccatum grande.

bb *Postrema verba non habet Ribadineira.*

CAPUT IX.

Romæ peste afflatorum curam habet : propagari fidem apud Indos Occidentales curat : in Poloniam socii introducuntur. F

Ineunte æstate anni M. D. LXVI, Romæ multi pestilentiæ luæ exstincti, ut et morbi contagio serperet latius. Corruptis enim aquis ea urbis regione, quæ Flaminia olim via, nunc Populi dicitur, quod stagnarent, sordibusque plenæ et putrefactæ subterraneam puteorum frigidam corrumperent, qui hauserant, labem præsentemque mortem senserunt. Tot passim in ea Urbis regione strages, ut tetro odore, quem afflabant cadavera, inficerent alios prius, quam opem implorarent. Exstincti incolarum plerique mysteriorum viatico non instructi. Franciscus simul detrimentum cognovit, socios misit, qui vicatim ægrotos inviserent. Hic opinione majorem stragem comperit. Itaque nihil cunctandum ratus,

CAP. V. *Romæ peste afflatorum*

A ratus, binos statim socios ad Pontificem legat. Hic magnam vim pecuniæ in eleëmosynam ægrorum inopiæ sublevandæ liberaliter erogavit : cujus etiam, tali Pontifice digna, audita vox : « Ea tempora esse, ut et calices auratos « crucisque signa argentea oppignerari vellet, « quo Christi membrorum inopiam sublevaret. »

curam habet

143 Ejus etiam mandato socii senatum populumque Romanum adeunt : ne difficili tempore deessent, rogant. Auditi, et vero perlibenter, factumque est in eorum sententiam senatus consultum : panis, caro, vinum gratuito ægrotis egenis e publico daretur. Ædilibus item mandant, stipem ex omnibus Urbis regionibus corrogarent. Nobilibus e suo corpore duodecim viris negocium datum, una cum sociis ægrotos quotidie inviserent. Igitur socii ægrotantium numero per vicos explorato, Urbem in quindecim regiones distribuunt : singulis officinas medicamentarias et penu attribuunt. Ipsi bini singulis in regionibus cum medico ægrotos adeunt, ministrant animi corporisque alimenta,

B nihil ut egentibus, ad valetudinem quod pertineret, deesse paterentur. Nec minor animis curandis diligentia adhibita, ne qua in malis consolatio deesset. Sacris itaque procuratis erratisque confessis, Panis Angelorum migrantibus porrigebatur. Judicabat enim Franciscus, quantum animus corpori et æterna caducis antecellunt, tanto majorem curam sacris adhibendam. Gratum id omne Societatis officium Pio, senatui populoque Romano accidit, ut et biennio post, ingravescente morbo, non perinde tamen periculoso, idem Pius ; multo post etiam Gregorius XIII Pontifex, sociis iterum ægrotorum curam mandarit, Francisco Borgia nuper extincto.

CAP. VI.

socios ad insulas Fortunatas

144 In Orientis Indiam pridem socii complures penetrarant ; in Occidentis vero ad eam diem nemo. Igitur Franciscus portam illic aperiri, Euangeliique lucem et veritatem incultis illis gentibus nostrorum opera inferri, ex quo familiam ducere cœperat, vehementer exoptabat. Missi primum Christi anno M. D. LXVI Didacus Lopez et Ludovicus Gomes sacerdotes : Ludovicus item Ruiz et Alfonsus Simonis in

a Fortunatas insulas *a*, quæ Canariæ hodie ap-

C pellantur : ubi meridiani circuli extremum cosmographi olim collocarunt. Ceterum enim terrarum orbem, nuper Hispanorum navigationibus repertum, qua sol oritur atque occidit, veteres ignorarunt : existere tamen et esse posse, Plato de Atlantidum insula loquens, et Seneca

b Tragicus aliique divinarunt *b*. Hos igitur, quos nominavi, comites addiderat Franciscus Bartho-

c lomæo Torres *c*, Canariensium episcopo, homini singulari et pietate et doctrina. Illius enim de Trinitate Commentarii valde probantur. Docebat hic insulanos catechesim una cum sociis, lustrabatque diœcesim pedibus ambulans, boni nullum officium pastoris prætermittens.

in Floridam primo quidem Petrum Martinium cum sociis duobus ; d

145 Eo ipso tempore Philippus rex Catholicus, datis ad Franciscum litteris *d*, pro bona Societatis existimatione, quattuor et viginti in Occidentis Indiam mitti rogat : victui et cultui corporis in itinere nihil defuturum, gratumque id Deo, sibi et incolis fore. Ut tam honesta piaque postulanti regi satisfaceret Franciscus, misit primo electos e multis socios : Petrum Martines, ex agro Turolio regni Aragonii, Joannem item Rogerium sacerdotes, Franciscum Villaregium. Hi A. D. v Kal. Sextil. eo ipso anno Hispalensi portu conscendentes, Floridam insulam *e* VIII Kal. Octob. tenuerunt. Petrus Martines classe exiliens, terram simul attigit, ut Dei verbum Euangeliumque prædicaret, interiit, ictus caput pertica ab incolis, qui tum in littore agitabant, adventum Europæorum prohibituri : mox semivivum in mare projiciunt. Nimirum pro singulari in Deum pietatis studio hunc fructum retulit, ut, quod pridem optarat, fidei testis vita decederet. Qui casus tantum abest, ut ceteros in Europa socios ab expeditione deterruerit, ut etiam incitarit magis, quod pro Christo mortem oppetere et ipsi pari studio exoptarent.

A. P. RIBADINEIRA.

e

146 Igitur secundo post anno M. D. LXVIII alia missio sociorum in eas ipsas oras instituta, quibus præfecit Franciscus Joannem Baptistam Seguram, quo se Joanni Rogerio sacerdoti, qui superstes adhuc esset, ejusque sodali Villaregio conjungeret : qui Havanam portum *f* occupantes, in Floridam post penetrarant. Erat tum forte in comitatu Cacicha quidam (sic enim E Florida in insula principem virum appellare solent) quem præfectus Petrus Menendes *g* classe in Hispaniam adduxerat. Hic fidei Christianæ rudimentis catechumenus jam imbutus, et salutari Baptismi lavacro tinctus, Ludovici nomen acceperat. Credebant fore, ut gentis suæ morumque gnarus, simul et linguæ callens, commode socios deduceret viamque muniret : sed contra evenit. Baptista enim Segura, septem adhibitis sociis, Floridam salvus tenuit : reliqui in portu substiterunt, navibusque exscensione facta, pedibus porro ingressi, duce viæ Ludovico usi, sine militum Hispanorum, qui se illis ultro comites dabant, præsidio. Suppellectilem sacris procurandis libellosque humeris gestant. Silvas, solaque loca et paludes emensos, commeatus jam defecerat : herbis itaque et radicibus victitabant, cubabant sub dio : Ludovico interim proditionem animo agitante : cujus tandem patriam attigerunt, procul admodum a mari sitam, a silvestribus hominibus iisque nude agentibus habitatam.

dein vero P. Seguram mittit cum sociis

f

g

147 Socios ille in pago morari jubet seque expectare, dum, salutatis amicis, redeat. Profectus igitur quinque passuum millibus, ad diem F dictam rediturum se pollicitus, cunctabatur : qui dies cum venisset, quattuor item additis, diuturnæ moræ et solitudinis pertæsus Baptista, sacerdotem cum fratre ad Ludovicum allegat *h*. Hic structis insidiis (incertum, sive quia a fide Christiana transfuga desciverat, seu quia proditionem pridem animo cogitarat) armata omni familia, socios agressus, incautos summa perfidia necat. Postridie ejus diei vix illuxerat, ceteros barbarum in modum adoriuntur et silenti nocte, duce Ludovico, interimunt socios genibus nixos, precibusque ad Deum fusis, mortem fortiter pro fide oppetentes. Expoliant cadavera barbari : sacratis vestibus sese induunt illudunt petulanterque insultant, quasi rem magnam, contrucidatis inermibus et non repugnantibus, præstitissent. Arculam mox tres aperiunt, thesauro inhiantes.

ab incolis

h

148 Erant hic Biblia sacra, Missarum Officia, libelli pii, precum orbiculi, imagines, Agni cælestis effigies, cilicia et flagella : religiosorum nimirum arma, quibus et carnem ipsi domant et dæmonem fugant. Christi item cruci

dein trucidatos,

A. P. Ribadineira.

affixi imaginem continebat, quam simul curiose aspiciunt, exanimes ceciderunt humi afflicti et mortui. Comites, qui aderant, inopinata re perterriti, in fugam se, terga vertentes, dederunt. Quæ quidam certa fide retulit a se oculis conspecta Hispanus adolescens *i*, qui e classe socios comitabatur : ideo non jugulatus, quod ad idola evertenda minime venisse, et tenera adhuc ætate cum esset, nihil metuendum, sed in vinculis habendum putarint. Occubuere etiam * Baptista Segura, Toleto Carpetanorum oriundus, morum probitate Francisco gratiosus, Ludovicus item Quiros, sacerdotes. His aderant fratres Grabriël Gomez, Petrus Linares, Sanctius Savallius, Joannes Baptista Mendes, Christophorus Rotundus : alter item Gabriël Soliz *k*.

i

* *lege* : illic

k

149 Eo ipso anno, ut ex Indicis litteris didici *l*, ob eandem fidei constantiam Franciscus Lopez interfectus ; dum e Cochinensi collegio *m* Goam proficiscitur, a piratis Mauris captus, cum tribus sociis : quodque raso vertice viderent, sacerdotem, quod res erat, divinarunt : ad fidei defectionem sollicitant : sic salvum fore et incolumem. Honores etiam pollicentur : precibus denique minas miscent. Ille vero : « Egone ut Christi castra deseram ? non « sinat ille Deus, cui milito. Quodvis potius « supplicii genus subire stat sententia, quam a « Christiana religione migrem. » Lancea itaque ilia confodiunt : ille ad Beatorum sedes abiit feliciter. Alterum e sociis captivum abducunt ; quid reliquis factum non comperi. Eodem ipso anno socios iterum binos Oranum in Africam Franciscus misit, Petrum Domenicum et Hieronymum Mur : utrumque Valentiæ superstitem vidimus *n* : comites hi dati fratri germano, Petro Ludovico Borgiæ magistro equitum Montesanorum, a Philippo rege misso, ut eam Africæ oram armis teneret et militaribus copiis præesset. Socii in hac statione incolis et militibus sacra rite procurarunt.

quod et Francisco Lopio a Malabaribus contigit. Binos item in Africam,

l

m

n

CAP. VII. *geminam vero in Indiam Peruanam,*

150 Eodem ipso anno, qui est ejus seculi septimus et sexagesimus, alteris ad Franciscum litteris petit Philippus rex mitti socios viginti in Peruanam Indiam, provinciarum ad Occidentem longe maximam : quam in sacris Litteris C Ophir et Pirum etiam nominari quidam putant *o*, auri fodinis et Salomonis Judæorum regis commercio nobilem. Conscenderent igitur primo quoque tempore, collegiaque ædificarent et domos, uti certis sedibus morati, Christianam religionem propagarent, puerosque imbuerent optimis et moribus et disciplinis. Postridie Kal. Novemb. selecti de multis pauci, Luciferi fano (quem Bæticæ portum San-Lucar hodie appellant) profecti Hieronymus Portillius, sociorum præfectus, Antonius Alvarus *p*, Ludovicus Lopez et Michaël Fontanus sacerdotes. His additi Didacus Bracamontius, Joannes Garcias Janguensis, Franciscus Methymnæus et Petrus Loberus. Hi primi socios in eas Peru oras duxerunt, ludosque studiorum aperuerunt : hodieque docentur ibi de superiore loco artes omnes futuro theologo necessariæ : incredibili fructu et inquilinorum Hispanorum, qui illic negociantur, et neophytorum, qui Christo jam nomen, suscepto Euangelio, dederunt. Quæ res simul regis Catholici auribus animoque grata accidit, alteram classe missionem institui jubet, profectique cum prætore Francisco Doleto sacerdotes quinque, septemque alii socii *q*.

o

p

q

151 Anno vero secundo et septuagesimo, undecimo Kal. Quinctil. in Novam, ut vocant, Hispaniam, quæ regio nihil ambitu nostra minor est, opulentia sane major, primi e sociis trajecerunt quatuordecim, postulante eodem rege Catholico : quorum eo libentius nomina adscripsi, quod primi viam munierint portarintque Euangelium, longe nunc lateque fusum in Occidentis Indiam, Sociorum præfectus Petrus Sanchius, doctor theologus, qui pridem Complutensem academiam rexerat, et publici doctoris personam sustinens, valere jussis titulis et commodis, Societati se addixerat. Sacerdotes vero Didaci duo, Lopez et Fonseca *r* : Petri item Diaz *f*, Concha, Bazan et Camargus cognomento : reliqui sacris nondum initiati : Joannes complures his cognominibus, Sanchius, Mercatus, Curielius et Matillus : Bartholomæus : item Lariosus *t*, Lupius Navarrus, Martinus Gonsales. Hæc in Peru provincia ; nuperque detecto orbe, Francisco Generali Præposito præclare gesta : nec minus in Europa Societatis incrementum fuisse, nunc ostendam.

alteram item in Mexicum missionariorum classem misit.

r

s

t

E

CAP. VIII. *In Poloniam socii, annuente Sigismundo rege,*

152 Apud Sarmatas, superstite etiamnum Jacobo Layne, inchoatum sociis collegium sumptu et auspiciis Stanislai Hosii, præsulis Varmiensis, Bransberga in urbe, ejus diœcesis, magno provinciæ Prussiæ, quæ ad Polonos attinet, emolumento. Hic episcopus ob singularem cum pietate coujunctam doctrinam in Cardinalium urbis Romæ collegium adoptatus synodo Tridentinæ non interfuit solum, sed et legatus præfuit. Dimisso itaque concilio, insequenti anno quarto et sexagesimo ob præclare in concilio navatam a sociis Layne et Salmerone operam Societatem accivit, amplexusque est peramanter. Sigismundus vero, qui tum Poloniæ regnum tenebat, animi dubius erat, quid Societate faceret, qua de sinistros in vulgus rumores sparserant, ut solent hæretici, in circulis et conciliabulis ; famosis ad hæc libellis. Et vero ita nunc comparatum est, ut in aulis principes verum non audiant, ubi assentatorum et parasitorum (quos palatii sorices tineasque Licinius imperator appellabat) plena sint omnia *u*.

u

Commendono legato Pontificio curante,

153 Tandem vero Francisci Comendonis opera (qui Apostolicæ Sedis nuncius in Polonia, post etiam purpuratis est patribus adscriptus) rex metu liberatus est, honorifica de sociis prædicatione : necessarios cum rebus publicis omnibus, tum iis potissimum exsistere, quæ temporum vitio sectarum labe et opinionum monstris infectæ sint. Catholicos enim confirmant : adversarios refellunt : incolarum denique liberis pie honesteque educandis mirifice prosunt : qui cum civitatum sint seminaria, in ejus ætatis institutione posita videri omnia, spemque sitam constituendi optimi civitatis status, et, quod rei caput est, religionis majorum. His sermonibus, ut a pio viro profectis, assensus rex, animoque erectus, et rei diligentius veritate explorata, Vilnense gymnasium universum Societati attribuere instituit : ut sectariorum, quæ tum pestis ibi grassari cœperat, audaciam, seditiones atque tumultus infringeret.

Societas introducta.

x

154 Pius IV Pont. socios eo mitti, rege postulante, jubet. At Vilnæ *x* palatinus vir quidam, domi nobilis et potens, sed Ariana labe aspersus, arma contra tulit ; nec prius deposuit, quam

A quam victus more majorum pœnas dedit. Pacis itaque tempus in bellum secessionemque vertit,
y resque de Vilnensi gymnasio dilata est *y* : cujus in locum Pultoviæ, quæ provinciæ Mazoviæ regni Poloniæ ampla urbs est, novum collegium sociis institutum, bona cum regis venia, qui regiis comitiis honorifico diplomate *z*, quod in manibus est, Societatem ornavit. Anno sequenti *aa* Vilnæ collegium institutum : mox et Jaroslaviæ *bb* : deinde Postnaniæ cc. Qua tempestate parebant uni provinciali præfecto Austriæ : qui statis anni temporibus ea collegia lustrabat : verum quod vasta ea regio obiri commode non posset, crescente indies collegiorum collegarumque numero, Poloniæ regnum provincia facta *dd*. Accesserat enim collegium ad ea, quæ in Moscoviæ finibus sita, proxime recensui, et Rigense in Livonia *ee*.

z aa bb cc dd ee

ANNOTATA.

a *Africæ insulæ sunt in Oceano Atlan-*
B *tico.*

b *Schotti additio est.*

c *Ejus ad* Borgiam *litteras, quibus sociorum operam postulavit, exhibet Sacchinus lib.* 3, *part.* 3, *num.* 204.

d *Harum partem recitat Ribadineira lib.* 3, *cap.* 6.

e *In India Occidentali, seu potius America, nempe Septentrionali, sitam.*

f *Americæ Septemtrionalis in insula Cuba.*

g *Scribit Ribadineira* Melendez.

h *Tres nominatim exprimit Sacchinus part.* 3, *lib.* 7, *num.* 205 ; *Ludovicum Quiros sacerdotem, binosque non sacerdotes, Gabriëlem de Solis et Joannem Baptistam Mendes.*

i *Alfonsus nomine.*

k *Hæc anno* 1571 *contigerunt, dum in interiora Floridæ penetrare Segura nititur.*

l *Anno nimirum* 1568 : *addit Scottus de suo* : Ut ex Indicis litteris didici, *quod, ut opinor, Ribadineira, quem interpretatur, lib.* 3, *cap.* 6 *Franciscum Lopium anno* 1567 *interfectum scribat. Ceterum Sacchinus etiam Lopii necem, a Malabaribus ipsi illatam, anno* 1568 *adscribit part.* 3, *lib.* 4, *num.* 251.

C m *Asiæ civitate in ora littorali Malabariæ episcopali sub archiepiscopo Goano.*

n *Schotti hæc verba sunt, non Ribadineiræ.*

o *Citat in margine Schottus, cujus ea ad Ribadineiram additio est, Gasparem Barrerium Ariamque Montanum.*

p *Mortuus, ut addit Ribadineira, Panamæ, in provincia Americæ Meridionalis, cui* Terræ-Firmæ *nomen.*

q *Eorum nomina vide num.* 273 *Comment. prævii.*

r *Sacerdotum numerum auget Sacchinus part.* 3, *lib.* 7, *num.* 302 *Petro Lopio Parra, et pro Didaco seu Jacobo Fonseca habet Jacobum Lopium a Mesa.*

s *Lege* : Petrus item Diaz : *qui sequitur,* Concha *dictus fuit* Ferdinandus.

t *Lege* : Bartholomæus Lariosus *seu* Larius.

u *Schotti addimentum.*

x *Quæ Lithuaniæ caput.*

y *Cœptum est anno* 1569.

z *Retulit id Ribadineira lib.* 3, *cap.* 8 : *datum est Petricoviæ in comitiis regni anno* 1565 *die* XIII *Martii.*

aa *Adita ejus possessio est anno* 1566. A. P. RIBADINEIRA.

bb *In Russia Rubra. Collegium a* Borgia *jam receptum, successor ejus Everardus rite admisit anno* 1574.

cc *In Polonia Occidentali cœptum anno* 1571.

dd *Anno* 1574 : *fuerat hactenus sub provincia Austriaca.*

ee *Rigam socios induxit Stephanus Bathori, anno* 1576 *Poloniæ rex renunciatus : idem quoque Polocii in Lithuania sociorum collegium esse voluit, cœptum anno* 1580.

CAPUT X.

Auctus collegiorum numerus : Azebedii sociorumque ejus martyrium.

E

CAP. IX. *Nova collegia*

Apud Hispanos item collegium in Bætica Marchenæ in oppido excitari cœptum a nobilissima matrona Maria Toletana, uxore Ludovici Poncii Leonii, ducis Arcos. Erat eadem soror Antonii Cordubæ, qui Societati pridem se addixerat *a*. Tanto igitur studio hoc agebat, ut evocatos socios suorum commodo colligeret, ut ædificando collegio mundum etiam muliebrem omnem venderet, redactamque pecuniam alendis sociis ædificioque impenderet. Templum ibi satis magnifice conditum domusque ampla : in qua, quia multorum capax, Bæticæ provinciæ conventus sociorum tertio quoque anno habitus sæpenumero est : in gratiam Roderici Poncii Leonii et Teresæ Zunigæ conjugum, ducumque Arcos : qui veluti a majoribus relictam in Deum pietatem sociosque studium cum ipsa hæreditate adiisse videntur. Hoc ipso tempore Toleti Carpetanorum, sociorum cœtus e collegii jure in domus professæ formam transiit. a

156 Proximo anno *b* Pinciæ Vaccæorum ex collegio temploque S. Antonii domus item professorum sociorum constituta : collegis ad D. Stephani portam migrantibus, quod antea Ambrosii collegium dictum, coëmptis ædibus beneficentia nobilis matronæ Majoris Biueroæ. Anno post secuto *c*, in Carpetanis Caravaccæ in oppido Michaël Reynus, vir opibus clarus, pro singulari in socios studio bona omnia testamento legavit collegio sociis exædificando : hoc addito elogio modestiæ pleno : « si quis tantundem ad- « deret et auctius opus faceret, fundatoris se « nomen jusque ei concedere. » In ea ipsa regione anno insequenti Seguræ montium, hodie DE LA SIERRA indigenæ vocant, Christophorus Rodericus Moya, duabus virginibus Catherina Diaz et Francisca Aviles, ex se natis, consentientibus, item sua liberaliter sociis assignavit *d* : eo potissimum consilio, ut, collegio exstructo, ea ora satis inculta litteris coleretur simul et moribus. Et hæc quidem tunc in Hispania gesta accepimus. *apud Hispanos* b F c d

157 In Gallia conditum Avenione collegium : quæ ejus regni urbs est Pontificia Anno quincto et sexagesimo Virodunum socii in collegium, tamquam in coloniam, primum missi, evocante ejus urbis episcopo *e*, e familia Præmonstratensi *Gallos, Sabaudos,* e

A. P. RIBADINEIRA.

Præmonstratensi *f*. Camberiense item collegium inchoatum *g*, quæ urbs metropolis est Allobrogum. In Austria provincia jacta tum fundamenta collegii Olomucensis *h*, in Moravia regione, sumptibus doctoris Guilielmi *i*, qui præsul eam tenebat. Anno proximo *k* Spiram Nemetum Rhenana in provincia, quam tunc Hieronymus Natalis obibat, evocati primum socii benevolentia et amore nobilis insignisque collegii canonicorum : in primis, auctoritate pii ac nobilis viri Andreæ ab Oberstein, ecclesiæ cathedralis, ut vocant, decani *l*. Hic vir ad generis claritatem tanta est gravitate, pietate ac virtute, ut merito lumen et exemplum ecclesiasticæ disciplinæ dici possit. Cumque temporum ac locorum angustiis tam pio desiderio remora objiceretur, evicit tamen sententia, ut, quamvis pauci ac tenuiter, alerentur tamen nostri. Sed fundata societas piorum liberalitate nonnihil crevit, tuntumque sua opera domi forisque præstitit, quantum ab optimo quoque potuit exspectari.

Germanos,

158 Neque hic stetit honorati illius ac nobilis canonicorum collegii officium. Urbe enim pellendi socii cum essent eorum opera, qui
B depravatarum opinionum æstu abrepti in alia omnia discesserunt, intercessere illi, inprimisque honorandus ac nobilis, quem dixi, decanus, contraque nixi, Maximiliani cæsaris auctoritate pervicerunt. Quin et membris additis amplificare domum, quo major indies seges spiritalibus exercitationibus colligatur, student. Herbipoli, in ea ipsa provincia, anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Fredericus *m*, Herbipolitanus episcopus, accitis ex Italia sociis, vacuum monasterium beatæ Agnetis attribuit : qualia multa in Germania cœnobia, pro dolor, videas. In Turolensi comitatu biennio post, conditum collegium Halense auspiciis et pietate augustarum filiarum Ferdinandi cæsaris, Magdalenæ et Helenæ gente Austriaca : quæ se virgines Deo devoverant eoque se abdiderant, sociis, tanquam pietatis administris, usæ perhumaniter.

Pedemontanos, Venetosque conduntur.

159 Bona item cum venia Subalpini Reguli Augustæ Taurinorum, quæ metropolis Allobrogum est, vir locuples *n* collegium sociis ædificat : inchoatum quidem anno M. D. LXIV, antequam Franciscus præpositus Generalis crearetur ; sed triennio post profecti socii et in possessionem legibus missi. Brixiæ item, quæ Venetæ ditionis urbs est, e parvis principiis magnum brevi Societas sumpsit incrementum *o*. Sacerdos enim Brixiensis *p*, domi nobilis, sociis pridem usus familiariter (quibus etiam adscriptus, ut optabat, fuisset, nisi valetudine incommoda usus foret) communia cum sociis officia exercere : aures pœnitentibus dare, hortari ad pietatem, ægrotos invisere, cetera id genus exsequi. Asseclas, ut sit, mox reperit ad triginta, qui uni illi reverenter parebant, nullis tamen religiosorum hominum votis adstricti. Res item publica Brixiensis duo iis templa attribuit, D. Antonii alterum, alterum Calera nomine. Verum disciplinis non satis excultis, et idcirco de superiori loco concionari prohibitis, optimum visum omnibus, Societati se adjungere : bonis etiam fortunæ in commune collatis. Franciscus non invitus accepit ; quin et Deo gratias egit, quod tantam tamque brevi tempore messem iis in locis, quibus maxime opus esset, attulisset. In ea ipsa provincia tironum domus Societatis Novillariæ comitum ejus ditionis beneficio *q*, a fundamentis eo ipso nono et sexagesimo anno excitata *r*.

160 Nec vero collegiis duntaxat propagata Societas, nec Europæ finibus circumscripta ; in Indiam iterum profecta est, et loca illa solitudine vasta barbarie et immanitate inculta, fuso sanguine irrigavit. Ut enim recens planta agris infixa, aqua rigari solet ab agricolis, donec altas egerit radices, tum ventos contra atque tempestates immota consistit ; sic et nascentem Deus Ecclesiam martyrum sanguine admirandisque operibus fovit, dum adoleseeret, ut corroborata adversus tyrannorum vim hæreticorumque insidias duraret. Scitum illud Tertulliani, Martyrum sanguinem semen esse Christianorum. « Plures, » inquit, « efficimur, quo- « ties metimur a vobis. Semen est sanguis Chri- « stianorum *s*. » Eventus id verum esse nostra tempestate declaravit, cum socii in ultimas usque Indiarum terras Euangelium intulere. Accipite nunc brevi undequadraginta sociorum necem, dum in Brasiliam fidei propagandæ *, quæ Occidentis Indiæ pars est ampla et potens, proficiscuntur.

161 Miserat Franciscus Portu Calensi *t* eam in oram Ignatium Azevedum Lusitanum, ut genere, sic et pietate insignem : ut sociorum illic obiret collegia, quæque opus essent, amplificando regno Christi et Evangelicæ prædicationi diligenter inspiceret. Qua in re fidem industriamque facile omnibus probavit : cujus ut ratio Francisco, tamquam Societatis capiti, constaret, Romam versus proficiscitur. Hic segetem quidem magnam esse bene narrat, et ad messem albam, operarios vero paucos. Igitur Franciscus jubet provinciæ illius præfectum eo redire, et ex Hispania comites colligere ac trajicere in Indiam, qui se sponte offerrent. Permissum item tirones aliquot Societatis candidatos, qui ad eam se expeditionem ultro darent, in Societatem transcriberet, secumque duceret. Compertum enim adolescentes pietati addictos, linguis perdiscendis aptiores : cæli item solique genio et alimentis melius assuescere. Collectis igitur ad undeseptuaginta sociis, tribus eos navibus divisit, quod una omnes simul vehi incommodum videretur.

F

Azevedio duce, proficiscuntur,

162 Quattuor supra quadraginta secum Ignatius prætoriæ *u* imposuit, Alteram Petrus Diaz sacerdos cum aliquot sociis conscendit : tertiam item reliqui. Classi, septem onerariis navibus instructæ, præerat Ludovicus Vasconcelus, nobilis Lusitanus, manu promptus et strenuus, cum imperio in Brasiliam missus : lætus vehementer tot tantorumque sociorum contubernio. Illic enim quiete non secus atque in collegiis et amice agitabant. Domesticas pietatis exercitationes orandi, seipsos excutiendi et legendi religiose servabant : ad navales socios nautasque et milites is quoque fructus redundavit. Informati enim ad pietatem : sinistris verbis abstinere jussi sunt : libri item impudici et otiosæ fabulæ manibus excussæ ; pro his pii libelli repositi, et piaculares orbiculi et Agni cælestis effigies. Ventum tandem est in Materiam insulam. Hic prætoria navis, quam Ignatius conscenderat, ab aliis deflexit, Palmamque in insulam, unam e Fortunatis, cucurrit. Discessuros primum ad se Ignatius socios vocat, auguratusque, quod evenit, fore, ut in hæreticorum piratarum manus inciderent, optionem omnibus

D

q

r

CAP. X.

Propagandæ fidei causa in Indiam Occidentalem

s

* *supple* : causa

E

socii 69, *t*

A omnibus dedit, ut, si quis ex eo numero mortem pro Christo oppetere detrectaret, in Materia insula maneret. Qui constantes perdurarent, Sacramentis Ecclesiæ muniti sese morti compararent.

ex quibus, 163 Quattuor duntaxat cesserunt metu, non satis ad mortem parati. Quadraginta confessione rite expiati, sumptoque Pane cælesti pervigilio Principum Apostolorum, ministrante Ignatio, qui et Agni cereas imagines, Sanctorum reliquias, Roma allatas, divisit, hilares conscendunt : amplexi inter se alios, qui cum Petro Diaz altera navi vehebantur : quasi præsagientes fore, ut postremum inter se complecterentur. Fortunatis jam insulis digressis unus et frequens de martyrio sermo erat, ut eam mortem votis exoptasse viderentur : ut hoc tamquam celeumate provecti socii, non procul Palmensi portu conspecti quinque piratici myoparones, quos Jacobus Soria nobilis pirata ductabat : qui Calviniana labe aspersus, in Catholicos infestissimo odio incurrebat. Rostrata statim invectus accurrit, armata probe omni genere
B tormentorum æreorum. Ignatius vero, quod animo præsagisset, suggerente Deo, verum esse mortis periculum, comperit. Adhortatus itaque ad pugnam omnes, constantiamque vectores, victores fore pollicetur, sive morte occumberent ab hæreticis trucidati, sive vincerent hostes. Imaginem itaque B. Virginis Roma allatam ea forma, qua S. Lucas pinxisse creditur, manu tenens, ad sociosque conversus (qui Sanctorum Litanias cum lacrymis recitabant, opemque divinam, mortem oppetere parati, implorabant) sic forti animo postremum appellat : « Hodie « omnes, fratres dilectissimi, ita mihi cor salit, « vita migrabimus, divinisque in cælo epulis « perfruemur cum Christo et B. Virgine ceteris- « que cælitibus. Præclarius certe nobiscum age- « tur, cæli, quam Brasiliæ portum tenentibus. « Orationi itaque intenti, ad mortem nos com- « paremus, quando hunc nobis postremum illu- « xisse diem credo. »

capta a Calvinistis, qua vehebantur, navi in odium fidei
C 164 Interea prætoriam Lusitanam pirata oppugnatam, non tamen suorum sine sanguine, invadit : cognito Jesuitas (sic enim nostros plerique vocant) navi portari, ad unum omnes contrucidari jubet. « Pereant », inquit, « pereant « Papistæ, qui falsam Brasiliæ doctrinam im- « portant. » Quamvis paulo ante sacerdotibus et B. Francisci monachis captis vitam condonasset, (sic enim piratæ loquuntur, quoties a cæde temperant, quam per vim nefasque grassando inferre possent) sociis tamen minime pepercit, licet tironibus adhuc plerisque et adoleseentibus. Propius cum accessisset, vocem intendens : « Præcipitentur », inquit, « in mare omnes illi « Jesuitæ, Papistæ, hostes nostri acerrimi. » Nec mora : milites duci non dissimiles et hæretici socios invadunt, tritis vestibus exspoliant, vulnera pugionibus infligunt, iis primum, qui raso vertice sacerdotes agnoscerentur. Plerique in mare præcipites dati, brachiis manibusque, ne qua enatandi spes esset, truncatis.

primus Azevedius, dein vero 165 Ignatius, quod animum singulis adderet hortando et urgendo, in capite vulnus accepit, ut fissum dissiliret. Hic immotus mortem operiens, tribus confossus lanceis vociferando cadit. « Testes », appello mortales et angelos, « me pro fidei Catholicæ Romanæ professione « occumbere, a qua ne latum quidem unguem « resiliendum puto. » Sociosque respiens : « Fi- A. P. Ribadi-neira. « lioli », inquit, « mortem ne expavescite. » Imaginem Deiparæ manibus eripere hæretici frustra conati sunt. Benedictus Castrus, imaginem et ipse Christi de cruce pendentis dextra præferens, tribus glandibus ictus nondum concidit. Igitur ferro punctim, cæsimque confodiunt et semivivum navi deturbant. Emmanuëlem item Alvarum in facie vulnerant, tabulato affigunt, brachia cruraque confringunt, ossa collidunt : utque lentius et diuturnius mortis genus esset, exstinctum nolunt. Mox animam agens in maris fluctus præceps datus. Ceteris ad imaginem genibus flexis, in rabiem acti hæretici, gladiorum capulos capiti Blasii Riberæ illidunt. Quo ex vulnere consternatus periit. Petro vero Fonsecæ *x* miles os pugione confodit, maxillamque solvens interimit. Didacum Andradam presbyterum, qui Ignatio succenturiatus erat, confessionibus aures dantem, sociosque hortantem, pugionibus confossum in pelagus præcipitant : cum diceret : « Pugnemus, socii, fortiter, san- « guinis prodigi : Christi enim sanguine re- « dempti sumus. »

166 Hæc dum strages fieret, languebant ex *socii ejus* 38 morbo tædioque navigationis Gregorius Scribanus et Alvarus Mendez. Fallere itaque et latere potuissent ægroti, si animo libitum fuisset. At occasionem palmamque martyrii minime prætermittendam rati, in pedes ultro desiliunt injectaque veste seminudos se jugulumque offerunt. Simon a Costa, quod corporis dignitate, generis quandam nobilitatem præ se ferret, archipiratæ a militibus oblatus interrogatusque a Soria, Jesuitane esset? quamvis inficiando effugere et dilabi potuisset, mori tamen, licet nuper admodum Societati nomen dedisset, pro religione majorum maluit, quam desertor videri. Indignatus pirata in oculis jugulari et in mare projici præcepit. Novem igitur et triginta socii sic occubuere feliciter Idib. Quinct. anni M. D. LXX *y*.

occiduntur, servato duntaxat uno ;
167 Singulorum nomina recensebo. Ignatius Azevedus, provinciæ præfectus, Didacus Andrada, Antonius Suarez, Benedictus Castrus, Joannes Ferdinandus Olyssiponensis, Franciscus Alvarus Cavillius, Dominicus Ferdinandes, Emmanuël Alvarus, Joannes Mayorga Aragonius, Alfonsus Vaëna Toletanus, Gonzalus F Henricus Diaconus, Joannes Ferdinandus Bracarensis, Alexius Delgadus, Ludovicus Correa Eborensis, Emmanuël Rodericus Alcorchetius, Simon Lopez, Emmanuël Ferdinandes, Alvarus Mendez, Petrus Munnos, Franciscus Magalunius, Nicolaus Dinyus Brigantinus, Gaspar Alvarus, Blasius Ribera Bracarensis, Antonius Ferdinandus Montis-Majoris, Emmanuël Pachecus, Petrus Pontaureus *z*, Simon a Costa, *z* Andreas Gonsalvus Vianius, Amatus *aa* Vas- *aa* quius, Didacus Perez Misceus, Joannes Baëza, Marcus Coldera, Antonius Correa Portuensis, Ferdinandus Sanches Castellanus, Gregorius Scribanus Longrunensis, Franciscus Perez Godoi Torrichius, Joannes Zaureus Toletanus, Joannes S. Martini Illescanus, Stephanus Zuraire Cantaber : qui simplicitate morum et candore singulari cum esset, Placentia Hispaniæ digressurus, sacerdoti nostro, « Læto », inquit, « proficiscor animo, certus de marty- « rio. » Interrogatusque, unde tam constanter id assereret : a Deo, qui ipsa veritas est, revelatum sibi respondit. Unus Joannes Sanchius

periculum

A. P. Ribadineira.

periculum sic evasit. Dum vectores a sociis pirata separat, et manus cujusque, vestesque contemplatur, hunc et pannosum, manibusque callosis intuitus : « Tune », inquit, « coquus es » Jesuitarum ? » Affirmavit ille nihil perterritus : tamen, quod juvenis admodum esset, breviorique veste incederet, et sibi coquendo usui fore putarent, lanienæ eripitur : delatusque cum illis in Aquitaniam : mox in fugam se domum versus dedit : Deo nimirum ita jubente, ut majore fide, tamquam oculatus testis, rem gestam referret : quamquam non defuere et alii qui fuga elapsi eadem enarrarunt.

in cujus locum successit adolescens Societatis candidatus. * *supple :* accessit, *bb*

168 Verum ne integro quadraginta sociorum numero unus deesset, Dei benignitate, veluti Felici olim martyri Adauctus, quidam * qui, in Joannis Sanchii locum suffectus, ejusdem pæne nomen induit, Sanctus Joannes vulgo appellatus, classis Lusitaniæ præfecti *bb* cognatus. Hic sociis adscriptus non erat ab Ignatio : optabat tamen candidatus vehementer : quare ab illius latere nunquam discessit, socios B in omnibus piis exercitationibus imitatus, cum orando, tum meditando assidue. Hic ad cædem similiter destinatus, nihil tergiversatus, emori maluit, quam ut salutis æternæ opportunitatem amisisse videretur. Jugulatus itaque, et in mare deturbatus. Sic et quadraginta martyribus Sebaste sub imp. Licinio, quos Basilius, ejusque frater Nyssenus Gregorius, disertis sermonibus laudarunt, accessit unus satellitum, custodiæ adhibitus : ne quadraginta coronis in *cc* cælo spectatis una deesset *cc*. Vectores hic omnes Soria liberos abire permisit, exspoliasse contentus : in socios vero sæviit, non exspolians solum, verum etiam innocentes trucidans : quod a puero hæreticam immanitatem imbibisset. Ingenium enim sectatorum est, eorum præsertim, qui se Calvinianos et Puritanos jactant, ut in pios omnes Catholicos grassentur.

ANNOTATA.

a *De quo vide dicta cap.* IV, *num.* 77.

b *Anno* 1567.

C c *Anno* 1568.

d *Anno* 1569.

e *Nicolao Psalmæo, S. Pauli Virodunensis primum abbate, dein vero Virodunensi episcopo.*

f *Ribadineira scripsit* Benedictina ; *nescius, quantum apparet, abbatiam istam a familia Benedictina ad Præmonstratensem anno* 1136 *fuisse translatam.*

g *Bina ista collegia, ut habet Ribadineira, accepta fuerant, Layne adhuc superstite. Avenionensis initia jacta fuerunt anno* 1564.

h *Anno* 1566.

i *Prisienovii.*

k *Anno* 1567.

l *Tum scholastici, postea vero decani secundum Sacchinum part.* 3, *lib.* 3, *num.* 137, *ad annum proxime relatum. Ceterum de Spirensi collegio nihil hic Ribadineira.*

m *Wiespergius.*

n *Aleramus Becutius.*

o *Anno* 1567.

p *Angelus Paradisius.*

q *Camilli Gonzagæ et Barbaræ Borromææ.*

r *Sacchinus part.* 3, *lib.* 7, *num.* 27 *acceptatam mense Augusto anni* 1570 ; *Kalendis vero Novembribus anni sequentis incoli cœptam scribit.* D

s *Apologetico extremo.*

t *Lusitanis* Oporto.

u *S. Jacobi. Verum, quod addit Schottus de suo, prætoria non fuit ; qua vectus Petrus Diaz cum sociis, ut ipsemet testatur num.* 280 *Comment. prævii.*

x *Eo mortis genere Petrum Fontouram trucidatum refert Possinus lib.* 3 *de Vita et morte Azevedii num.* 72. *Hic itaque hic intelligendus est ; maxime cum* Petrus Fonseca *nec in Catalogis num.* 279 *Comment. prævii citatis, nec ab ipsomet Ribadineira aut Schotto memoretur paulo infra, ubi singulorum nomina recensentur.*

y *Contigisse id omne ait etiam Ribadineira lib.* 3, *cap.* 10, XV *Julii anni* 1570 ; *at Simon a Costa die* XVI *ejusdem mensis trucidatus fuit.*

z *Dictus fuit* Petrus Fontoura *vel* Fontaura, *de quo ad lit.* X.

aa *Lege* Amarus *seu* Maurus.

bb *Immo Navarchi navis Jacobææ cognatus ; non Ludovici Vasconcelli.* E

cc *Schotti additamentum. Coluntur hodie ii Martyres die* X *Martii, ad quem de iisdem in Opere nostro est actum : Felix autem et Adauctus, de quibus paulo supra, die* XXX *Augusti.*

CAPUT XI.

P. Petri Diaz et sociorum ejus martyrium : nova Societatis incrementa : muneri renuntiare Franciscus cupit Cardinali Alexandrino legato a Pio V comes adjungitur.

F

Nec ceteri hujus navigationis socii a cæde periculisque immunes fuerunt, qui Petrum Diaz sacerdotem secuti, Materia in insula *a* remanserant. Omitto tædia longæ navigationis quindecim amplius mensium atque pericula : de exitu agamus. Ad insulas maris Atlantici delati Badoventum *b*, hinc ad S. Dominicum *c*, mox Cubam *d* variis fœdisque jactati tempestatibus, ad Tertiam insulam *e* tandem appellunt. Hic, jactis anchoris, quatuordecim socii, qui Petro Diaz commissi fuerant, conscenderunt prætoriam Ludovici Vasconceli. Is ceteras naves exarmatas relinquere coactus, ut male compactas rimasque agentes, quod plerique aut fuga dilapsi essent vectores, aut morte obita desiderarentur, unam instruxit, oramque solvit Tercera, in Brasiliam versus, postridie Nonas Septemb. anno M. D. LXXI. Octiduum fere ventis ex voto spiritantibus longiusque provectis, apparent vela myoparonum quinque. Ex his quatuor Gallus ducebat Joannes Cadovilius, hæretica perfidia et animo in socios piosque omnes Jacobo Soria nihilo inferior. Una Britanni piratæ erant.

CAP. XI. *Calvinistæ,* *a* *b c* *d* *e*

170 Ludovicus,

A *expugnata Vasconcelli navi,*

170 Ludovicus, ut erat navigandi peritus, cognito id quod erat, periclitari omnes, ad pugnam hortatur: signoque dato classicum cani, arma expediri jubet et in verba sua sacramento adigit, ut se quisque, fidem, religionemque majorum armis ab hæreticorum incursu tueatur. Socii quoque blandis verbis suadent, si feliciter in hostem pugnare vellent, cum Deo prius in gratiam rite confessi redirent, a quo auxilium sperare juberentur. Primus Ludovicus paruit, mox navarchus ceterique ordine milites, datumque tempus sui colligendi. Nox enim et tenebræ pugnam impediebant. Postridie ejus diei vix dum illuxerat, prætoriam graviter myoparonibus oppugnant cinguntque obsidione. Obsistunt fortiter Lusitani, glandes mittunt; globos et lapides in hostem jaciunt, manus conserunt, vi geritur res: ut multo sanguine steterit victoria, interemptis aliquot piratis. Corvis tandem navem comprehensam conscendunt captamque invadunt. Ludovicus fortissimi ducis functus officio, qua hortando, qua pugnando, binis plumbeis glandibus ictus vulneribusque

B cominus confossus, concidit. Irrumpunt hostes magna vi: ignotum exuunt præcipitantque in mare. Reliqui vectores hostium potiti sunt *.

* *id est* ab hostibus capti. *Petrum Diaz ejusque*

171 Mox cellam ingressi Franciscum Castrium sacerdotem, qui navarcho e vulnere animam agenti aderat auresque confitenti dabat, repertum, multis ferri ictibus confodiunt, rabie agitati, quod Pœnitentiæ Sacramentum infesto animo excordes oderint. Petrum item Diaz iisdem occupatum officiis, qui ad Castrium collegam laborantem advolarat, cum Gaspare Goezio admodum adolescente, qui a senis latere non discedebat, immaniter jugulant. Undecim, qui restiterant, socii, inter se hortari, animosque addere ad fortiter pro Christi nomine et orthodoxa fide occumbendum. Rapti igitur pugnis, vulneribus et contumeliis affecti innumeris, tandem, vinctis post terga manibus, cellulæ inclusi, addita etiam militum custodia. Michaëlem Aragonium, quod, accepto secundum brachium vulnere, dum vincula nectuntur arctius, ingemuisset, apprehensum, una cum Francisco Paulo, qui latus claudebat, in

C altum deturbant. Novem superstites noctem in vinculis agunt, eorumque aures flagellant interim contumeliis blasphemiisque in Deum ejusque sponsam Ecclesiam. Lucescebat jam, primæque preces hæreticorum in aurora fusæ, ut morti socios addicerent, tanquam suos, ut pleno ore prenunciabant, hostes Jesuitas.

socios, exceptis duobus, omnes morti dedunt,

172 Igitur, indicta caussa, lataque mortis sententia, antennis primum suspendere constituerant: post, avaritia ducti, quod magnam auri vim e Lusitania portari, templis in Brasilia ædificandis, putarent, cunctandum rati; ubi nihil repertum, hiantes ac prædæ spe decepti, immani et plusquam barbara crudelitate innoxios pulsant, calcibus petunt, pedibus humi conculcant: canes adhæc, latrones, Papistas Deique hostes nominant. Socii vero, sicut oves ad lanienam ducti, ne verbum quidem contra hiscere, sed patienter ferre. In altum tandem præcipitantur. Duo, natandi ignari, fluctibus ilico merguntur; quinque, natandi periti, invicem adhortantes juvantesque, aliquamdiu durarunt. Illa tandem oratione ad Deum fusa, „ Tibi soli peccavi, „ tres fundum petierunt. Didacus vero Ferdinandus, scapha piscatoria adnatando exceptus, naufragium evasit. Sebastianus Lopez et ipse, conspecto in obscura nocte lumine, navigium accessit, sed frustra fuit: verbis contumeliosis ab hæreticis acceptus, et in malam rem abire jussus; ut sunt hæreticorum ingenia: receptus alia tandem navicula hominis paullo humanioris, et angulo vesteque tectus. Hi rem, uti gesta est, oculis inspectam narrarunt, periculis defuncti.

A. P. Ribadineira.

173 Nomina vero duodecim sociorum ex Annalibus recensebo. Sacerdotes quidem duo gregem ducebant: Petrus Diaz et Franciscus Castrus. Fratres vero, Alfonsus Ferdinandus, Gaspar Goes, Andreas Pais, Joannes Alvarus, Petrus Diaz alter, Ferdinandus Alvarus, Michaël Aragonius, Franciscus Paulus, Petrus Ferdinandus et Didacus Gondisalvus. Neque hic furor substitit atque immanitas. Nam et in Deum Divosque impii, non contenti socios seris objecisse, monstrisque marinis, reliquias etiam omnes Sanctorum, et imagines cereasque Agni cælestis effigies, et piaculares orbiculos in fluctus spargunt atque disseminant: quibus adminiculis socii barbaras et incultas Brasiliæ E gentes delinire et ad Christum allicere cupiebant. Quorum excessum idcirco retuli copiosius, cum ut consolationi mors sit piorum et exemplum superstitibus exstet, tum ut fidem majorum hodieque etiam sanguine, qui clamat ad Deum, ut sanguis Abel, stabiliri, quisquis hæc leget vel audiet, intelligat. Interim Franciscus, ut, unde digressi sumus, eodem revertamur, accepto hoc tristi nuncio, mortem sociorum gratulatus, qui fortiter constanterque occubuissent, Indorum vicem miseratus est, qui talibus Verbi ministris hæreticorum opera ac beneficio privati essent. Sanguinem itaque fusum Deo acceptum libens referre, veneransque precati, eundem sibi ceterisque sociis animum mentemque daret. Felices etiam sæpenumero appellavit, qui bona, caput, omnia denique Christo impendentes, hinc emigrassent, vitæque miseræ calamitates effugissent feliciter.

ac in supellectilem sacram furorem exercent.

174 Et hi quidem socii sanguine viam sibi ad immortalitatem munierunt: eorum cædes adeo alios non deterruit, ut plures etiam indies socii id ipsum votis expeterent. Nec sociorum F duntaxat numerus crevit, sed et collegiorum magna eo ipso tempore facta accessio est. Nos ordine pleraque locorum et temporum, quoad ejus fieri potest, habita ratione referemus. Igitur apud Lusitanos, ut ab ultimis terræ finibus auspicemur, reges illi singulari in Societatem studio et benevolentia (quam et recens ortam munifice complexi sunt, et e patrio solo Indiarum in remotas regiones transtulerunt) insulis Materiæ et Tertiæ collegia sociorum magno insulanorum commodo excitarunt. Optabant enim pii reges non tam suum, quam Christi regnum proferre: suosque, depulsis jam errorum tenebris, Christianæ religionis præceptis imbui, unaque cum nutricis lacte imbibere pietatem. Anno itaque, opinor, M. D. LXX in Materiam rector cum sociis aliquot conscendit Emmanuel Segueyra. Angram vero, quæ metropolis est unius insularum Tertiæ, primus proficiscitur Ludovicus Vasconcelus. Rex e publico stipendium alendis sociis, quod satis esset, assignavit.

CAP. XII. *Dum sociorum*

175 Eo ipso tempore in Bætica collegium Baëzanum his ortum principiis. Elvira Avila, matrona

magnoque simul

A. P. Ribadineira

matrona nobilis, testamento sua legavit alendis sociis *f*. His accessit collegii S. Jacobi, a Compostellano diversi, reditus, quod, a Didaco Carillo Carvajalio non satis fundatum, non habitabatur. Patronorum itaque voluntate, ut ultima testatoris rata voluntas esset, Pontifex supplici libello rogatus, Societati attribuit. In Toletana provincia per idem tempus Huetense collegium habitari cœptum *g*, triennio quidem ante inchoatum: quo anno Stephanus Ortisius, sacerdos dives patriique commodi in primis studiosus, moriens sua sociorum alimento, incolarum beneficio, reliquerat. Apud Siculos item Calataieronæ (id oppidum insulæ umbilicum tenet, opulentia clarum et frugum messe) socii acciti domicilium habere cœperunt *h*, et ex ærario ali, fructum animarum tamquam manipulos relaturi.

176 Redeo in Hispaniam; in Castellana provincia, Legionense collegium instituit *i* dotavitque Joannes, Sancti Æmiliani cognomento, ejus urbis episcopus, singulari vir et castimonia et vitæ austeritate. Propositum enim præsuli innocentissimo, ex Tridentinæ synodi jussu, egenos alumnos ad sacerdotii dignitatem informare, qui, jam natu grandiores, in Domini vinea colenda laboris in partem venirent. Quæ spes eum non fefellit. Dici enim vix potest, quanto studio sopita illis locis ingenia exstinctosque igniculos socii docendo et concionando excitarint. Malacitanum collegium Bæticæ provinciæ, eo ipso anno cœptum, liberalitate Francisci Blanci episcopi. Hic olim Oritanus *k* episcopus Montis-regalis collegium sociorum provinciæ Castellanæ alimentis auxerat: nec his contentus fuit. Archiepiscopus enim creatus Compostellanus, sociis ibidem domum sua pecunia exædificavit: sociosque, qui Salmanticæ in sacra studia incumberent, liberaliter fovit. Vetus nimirum sociorum patronus, ex quo Tridentino e concilio in Hispaniam episcopus revertit.

177 Villagarziensis domus tirones socios informat, perficit veteranos. Hanc nobilis vereque generosa matrona, Magdalena Ulloa, a fundamentis ingenti sumptu ædificandam curavit *l*: partim auctoritatem secuta conjugis morientis, Ludovici Quixadæ, qui præses Indici senatus, dum vixit, fuit, et a consiliis intimis Philippo regi Catholico, ejusque oppidi dominus: partim ut incolarum liberos optimis disciplinis, sociorum opera, moribusque imbueret. Id quidem ultimum collegium Franciscus in Hispanica profectione, qua de infra dicetur commodius, admisit probavitque. Illa vero matrona summo pietatis studio alterum Ovetense collegium sociis extrui jussit *m*: eo solum consilio, quod omnem illam Asturum regionem cultura litterisque indigere audivisset.

178 Franciscus in ea ipsa Hispanica legatione anno, qui fuit ei ultimus, M. D. et LXXII in Gallia Burdigalense collegium civitatis sumptibus exstrui permisit, sociosque missurum se recepit. Alterum item Nivernense, beneficio cœptum Ludovici Gonzagæ, ejus ditionis reguli. Ea tempestate in Lotharingia collegium Mussipontanum institutum liberalitate Caroli Lotharingi, Cardinalis amplissimi, hominis summa prudentia, antiqua fide, egregia doctrina, prope singulari eloquentia excellentis: quibus artibus egregie Catholicam fidem semper defendit, omnique adeo familiæ Lotharingicæ et Guisiæ laus ea propria ac pæne singularis (sanguinis enim prodigi semper exstiterunt) ut orbi testatum reliquerunt. Multum sane viderat prudens ille vir, gymnasium hoc, tanquam molem, murumque objici oportere, hæreticorum audaciæ atque tumultibus *n*.

179 In Germania, Rhenana in provincia, Fuldense in choatum collegium *o* Societati abbatis principisque imperii Balthasaris *p* sumptu ædificatum. In Polonia quoque tum Posnaniense ab urbis antistite *q* institutum *r*. In Austria provincia Brunæ, quæ in Moravia sita urbs est, tironibus sociis e publico domus data *s*. In Italia vero, in provincia Insubrum, altera tironum domus Aronæ attributa *t* a Carolo Barromæo, Cardinali sanctissimæ vitæ, qui et Mediolanensis collegii auctor exstitit: quod quidem domicilium, cum ad sancti Fidelis ædem sacram esset, vertit in domum Professorum sociorum *u*, collegiumque inde Breranum in templum transiit. Humiliatorum olim ea sedes fuerat; quam religionem Pius V ea fere tempestate exstinxerat, sociorumque usui attribuit, hodieque possidetur magna civium voluntate simul et fructu. Et hæc quidem triennio condita a Francisco collegia memoria repeto, nisi forte, ut sunt res humanæ, quædam nos fugerunt *x*.

180 His fere occupatus, magno Ecclesiæ commodo et Societatis Franciscus tenebatur: tamen, qua erat animi demissione atque modestia, cum ceteris satisfaceret omnibus, sibi ipsi nunquam: magistratu abire, seque abdicare decrevit: sperans fore, ut, si eadem alter potestate polleret, majores sociis fructus adferret. Tum se annis fessum, labore fractum et morbis variis obnoxium. Onus sibi ad hæc gravius indies magis magisque impendere, et in tanta collegiorum Societatis accessione auctum iri laborem. Molestum et illud, negociis se quasi immersum quotidie emergere non posse, ac veluti euripi æstu abripi, variasque in partes distrahi: quo fieret, ut orationi sacræ, in his temporis angustiis operam dare commode non posset: qua una mentis exercitatione divinoque alloquio nihil esset illi aut antiquius aut jucundius. Memoria repetebat, qui eundem magistratum antea gessissent, Ignatium atque Laynem, idem olim tentasse. Ignatium etiam opinionem alterius Præpositi Generalis creandi sociis dedisse. „ Illi, „ inquit, „ præstantissimi viri, tot tantisque dotibus a Deo ornati, vitæ innocentia et sanctitate præstantes, „ cum levius adhuc munus hoc esset administrandæ Societatis (quorum tamen ne umbram „ quidem consequi, etsi maxime coner, possum) idem tentarunt: itaque et mihi longe „ illis inferiori, hoc præsertim tempore, quo „ nimium quantum hic labor excrevit, forsitan „ ex voto succedet, quod opto. „

181 His fere rationibus in eam sententiam ingressus Franciscus, re diu multumque deliberata, Deoque sacrificiis et orationibus consulto, Patres, qui assistere in deliberationibus solerent, convocat: quid cogitasset fixumque haberet, aperit. „ Propositum est, „ inquit, „ Societatis conventum indicere, de novo Generali Præposito deligendo: senex enim jam „ fessaque ætate et infirmo corpore, laboribus „ item fractus, rebus gerendis publicis non satis idoneus videor: neque puto, hoc a me „ diutius ferri onus posse, magnum sane et „ grave.

f

g

h

domiciliorum

i

B

k

apud varias gentes

l

C

m

numero

D

n

augetur Societas,

o

p

q r

s

t

u

E

x

cap. XIII. magistratu cedere

F

Franciscus cupit:

A „ grave. Vel Romana negocia sint, quibus „ obeundis succumbam. Quod si sanctissimis „ viris, Ignatio et Layni, quibuscum ego nullo „ modo conferendus, idipsum attentare licuit; „ quanto æquius mihi concedi, quem corporis „ jam animique vires deficiunt. Rem igitur ar- „ duam, æqua lance expensam, Deoque Au- „ thori commendatam, quod vertat bene, nunc „ etiam vobis, Patres, proponere libuit. Qua in „ re ut auctores sitis, etiam atque etiam oro. „ Quo fiet, ut jam defessis nobis integer succe- „ dat, qui et velit et possit communem Societa- „ tis rem tractare. Erit sane id e re sociorum „ omnium, et per mihi gratum, ad Deique „ majorem gloriam. Equidem tempus colli- „ gendi mei, affecta hac ætate, jure postulo, „ ut morti, quæ vestigiis imminet nostris, „ liber a curis atque negociis rectius com- „ parem. „

sed ab eo proposito illum deterrent socii:

182 Sic ille. Patres contra sermonem refutare: hac dere, quæ Societati fraudi esset, silere jubent: studium quidem laudant colligendi sui, re tamen exequi velle, id damnant, nec Deo, homnibusque volentibus futurum, quibus ille auctoritatem dedisset, quosque juvisset plurimum, magno Societatis incremento. Hi vero administrandi etiam formam rationemque illius, quem elegissent Præpositum, vehementer ad eam diem probarent, in oculis ferrent et observarent. De orationis studio et ad mortem preparatione sic haberet, plus illi meriti accessorum, si Deum orans plurimorum etiam commodis invigilaret, quam si in unam precationem privatus incumberet. Mortem ad hæc recte factis plurimisque bene de aliis merendo officiis tutius exspectari. Et vero imperatoris injussu, militi de statione decedere non licere: Deo itaque pareret. Ad exempla quod attinet, Ignatium quidem et Laynem optasse idem potius, quam sperasse. Neutrum itaque conventum sociis publicum ea causa indixisse. Persuasum enim illis, damno id Societati fore et sumptui: denique, quod peterent, non impetraturos. Idem denunciare nunc sese illi: animo itaque securo esse jubent, nunquam ipsum effecturum, ut, quorum in illum unum tot vota conspirarunt, iidem magistratu eundem abire C sinant: pergeret porro constanter, ut adhuc, rectum, clavum tenere. His rationibus, quod frustra obniti se animadverteret, in præsens acquievit.

CAP. XIV. *Pius vero V, exitium Europæ minitantibus Turcis,*

183 Dum curis solvi petit Franciscus, non modo excutere jugum non potuit, sed etiam pondus suscepit nihilo levius, certe gravissimum. Jussus enim est a Pio V comitem se dare Alexandrino Cardinali agnato *y* in Hispaniam Galliamque ad reges legationem obeunti. Selimus enim Turcarum imp. Venetis ea tempestate bello indicto, Cypri regnum arcta classium obsidione cinxerat; expugnataque vi metropoli Famaugusta et Nicosia, quarum illa Salamine vel Tamassus veterum putatur, Venetorum *z* duces *z* contra fidem datam, usitata ei genti barbarie, contrucidarat: quod fortiter se, remque publicam armis defendissent. His victoriis hostis, ut fit, elatus, Europæ inhiare, jugulisque omnium imminere videbatur. Terror sane omnes pervaserat. Pontifex, ut vere parens, et advigilans gregi pastor, Venetorum precibus adductus, ad opem laboranti reipub. Christianæ ferendam animum appulit.

184 Quare in fœdera concordiæ reges atque dynastas Europæ vocandos censuit, ne quid respub. detrimenti caperet. Legatum itaque Alexandrinum Cardinalem, una cum Francisco Borgia, qui consiliorum particeps esset, quod et prudentia polleret, regesque affari animosque tractare nosset, quam maturrime misit in Hispaniam, ut Philippum regem Catholicum, Gallorum regem Carolum nonum, Venetæ Pontificæque classi, belli fœdere sociarent: quo conjunctis copiis, perpetuum immanemque Christiani nominis hostem Turcam arcere atque repellere, et a vi prohibere possent. Omnes enim servituti Christianos addixisse insolens victor dicebatur. Fœdus (ut paullulum via deflectam) non ita multo post ictum, conductæ copiæ et instructa classis est. Imperator dictus Joannes Austriacus, qui et regiæ tum classi in Italia præerat. Pugnatum est Non. Octobris ad Echinadas insulas et Naupactum, ad sinus Corinthiaci fauces, non procul ab Actio promontorio; ubi Antonium cum Cleopatra Augustus superavit. Turca ad internecionem cæsus, paucis fuga dilapsis triremibus, ut mare etiam sanguine tinctum ruberet.

A. P. Ribadineira. *Cardinalem Alexandrinum ad Hispaniæ Galliæque reges legatum,*

E

comitari jubet.

185 In hanc ipsam belli navalis expeditionem socios complures Pontifex misit, quibus præfuit Christophorus Rodericus, doctor theologus. Hi præclaram in tempore navalibus sociis militibusque operam navarunt, qua hortando, qua ægrotos consolando. Collectis jam et iter ingressurus, illud admirandum accidit. Cum Pii pedes osculantes benedictionem postularent, sic appellavit: „ Ite et redite, felices. Joanni Au- „ striaco, summo classis imperatori, lætum hunc „ meis verbis portate nuncium. Macte animi, „ magne juvenis, et fortiter in hostem pugnare „ manusque conserere ne dubites, neve cun- „ ctando ductes bellum, et bene gerendæ rei „ occasionem omittas. Cavere volo, absit libido „ a classiariis et in aleam ludendi cupiditas. Pu- „ gnandum est, duce atque auspice Christo. Sic „ te victorem videam Dei exercituum benigni- „ tate. „ Respondit optimi Pontificis vaticinationi eventus. Parta non sine sanguine victoria est victrixque classis ovans rediit, hostium spoliis, in ipso hostilis maris sinu detractis, ditior. Signa adempta domum relata, templorum tholis appensa hodieque spectantur. Sed F hactenus digressi ad nostrum institutum revertamur.

ANNOTATA.

a *Seu* Madera, *Oceani Atlantici in Africa insula.*

b *Hispanis* Barlovento: *sitæ sunt in America Septentrionali ac sæpe nuncupantur* Antillæ. Insulæ ad ventum *vocantur a Baudrando.*

c *Americæ Septemtrionalis insulam.*

d *Americæ item Septemtrionalis insulam.*

e *Oceani Atlantici,* la Tercera.

f *Anno* 1569.

g *Anno* 1570.

h *Anno* 1571.

i *Anno* 1572.

k *Seu Auriensis in Gallæcia.*

l *Anno* 1572.

m *Ovetense in Asturiis collegium, anno* 1579 *conditum, alteri Magdalenæ, sed cognomini, adscribit Sacchinus part.* 3, *lib.* 8, *num.* 273.

n *Collegium Mussipontanum receptum fuit*

A. P. Ribadeneira,

anno 1572 : *academia sub Societatis disciplina ibidem instituta anno* 1574.

o *Anno* 1571.

p *A Dernbach.*

q *Adamo Konarscio.*

r *Fundatorem habuit Joannem Grodecium, Præpositum Brunensem, Olomucensem dein episcopum. Fundationem confirmavit Gregorius XII sub anni* 1572 *exitum, teste Sacchino part.* 3, *lib.* 8, *num.* 215.

t *Anno* 1572.

u *Eodem anno.*

x *Consule* §§ XIX *et* XX *Comment. prævii.*

y *Michaëli Bonello, Pii V ex sorore pronepoti.*

z *Balleonum , Bragadenum , Teupolum aliosque Famagustæ : Nicosiæ vero Dandulum, Priolum etc, de quibus Petrum Justinianum Hist. Venetæ lib.* 16 *consule.*

CAPUT XII.

B

Postremum Francisci iter , Ecclesiæ commodo susceptum; Romam reditus et pia mors ; corporis forma , mores , lucubrationes.

Profectus in Hispaniam

Franciscum Pius accitum, amice compellat ; se opera illius uti Reip. commodo velle. Possetne integra valetudine in Hispaniam iter habere ? Unum illum comitem Alexandrino Cardinali destinasse, ut legatum re consilioque juvaret. Dein, quæ cum regibus Galliæ, Hispaniæ et Lusitaniæ agi cupiat, ordine exponit , beneque proficiscenti voce crucisque signo precatus, ex A. D. quinct. Kalend. Quinctil. dimittit. Sextil. vero exeunte Hispaniam salvi attigerunt anno M. D. LXXI. Ad legatum in Gothalania regis Philippi nomine salutandi gratia missus Ferdinandus Borgia, Francisci filius,

C regiasque Patri hasce litteras obtulit : « Ferdi- « nandum Borgiam ad legatum Pontificis mis- « surus, faciendum putavi, ut ad te quoque lit- « teras darem, quibus certior fieres, tuas mihi « redditas, postridie Kal. Quinctiles datas. De « duodecim sociis in Novam Indiarum Hispa- « niam ad disseminandum Euangelium mitten- « dis, per mihi gratum fuit, et habeo gratiam. « Lætus et ille mihi nuncius accidit, qui salvum « te venisse in Hispaniam attulit, et videbo li- « bens. Cetera Ferdinandus tuus a me referet, « quem ad te etiam allegavi cum salute, quam « et abs te exspecto. Ex D. Laurentii æde A. D. « IX Kal. Septemb. M. D. LXXII. »

honorice passim

187 Eodem fere argumento, paulo tamen copiosius, alteras *a* dedit Didacus Spinosa, episcopus Seguntinus, consilii regii præses et quæsitorum fidei princeps, regi tum Catholico in paucis carus acceptusque. Barcinone *b* Valentiam profectis occurrit Carolus Borgia, Gandiæ dux, filius natu maximus , magna clientum manu. Hunc proxime secutus Franciscus Borgia nepos, Valentinæ nobilitatis flore stipatus. Genibus uterque accidens, ad legatum a Parente missus est; a quo solemni more benedictionem accepere. Veteres ad hæc familiæ clientes, D Domini memores, incredibili gaudio post tot annos aspiciebant. Ille vero paucis sociis, quos itineris comites habuit, salutantium turba digressus et pompam declinans, furtim se subduxit, Valentiamque clam ingressus, in collegium sociorum se recepit.

a

b

excipitur,

188 Patriarcha mox Joannes Ribera, archiepiscopus Valentinus, honoris gratia Franciscum invisit, et, licet quatriduum tantum ibi morari per negocia liceret, templi tamen suggestum ut ascenderet ad populumque verba faceret, rogat. Mos gerendus erat honesta petenti quamvis colligendi sui tempus non haberet. Huc tantus hominum concursus fuit, tanquam ad panegyrim, et ad inusitatum spectaculum, Ducem Verbi Dei Ecclesiasten agere. Ægre sane ad pulpitum perrumpere potuit : et incredibile, quanto studio in patrio solo auditus fuerit, ut Gandia ad illum audiendum videndumque frequentes confluxerint. Madritum versus profectus, paululum via deflectens, Villaregiense Societatis tirocinium adiit. Hic læte expectateque acceptus a sociis, a collegii item E auctoribus, Joanne Silva, ditionis domino, et Hieronyma Mendoza conjuge, utrosque alloquiis piisque sermonibus delectavit. Madritum Carpetanorum ubi ventum est, legato rex honorifice obviam de more processit : Franciscum etiam humaniter complexus, et ut consiliorum socium legato additum libenter audivit omnibusque deliberationibus adhibuit, re tota mox facile ex animi sententia gesta : regi enim vere Catholico, rem per se necessariam, ut illa tempora erant, persuadere difficile non fuit.

abiensque Philippum regem

189 Priusquam Lusitaniam versus discederet Franciscus, regi Catholico per marchionem Dianii, generum suum , dono misit Crucis Christi fragmentum, addita hac epistola : « Mit- « to ad te, magne rex, muneri particulam illius « Crucis, de qua Dei Filius redimendo generi « humano pependit. Reliquiarum hæc præcipua « augustissimo templo digna visa, quod nunc « ædificandum curas Deo Opt. Max. ejusque « martyri fortissimo Laurentio. Deinde ad su- « blevandos Crucis labores, quos fers quotidie « tot regnis administrandis. Equidem peccator « magni loco beneficii duxero, si me sacerdo- F « tum ministrorumque tuorum aliquo esse in « numero patiaris, deprecantem quotidie Deum « pro tua incolumitate. Sic ille quam diutissi- « me superesse te velit Reip. Christianæ, ut « tandem cæli beatudine, vita laboribusque de- « functus perfruaris. »

S. Crucis particula donat,

190 Mirifica rex lætitia perfusus et cum osculo Crucem veneratus, sua manu gratias Francisco egit. « Reddidit mihi gener tuus, marchio « Dianii, Crucis Dominicæ particulam. Quam « vero libenter acceperim, noli quærere : cum « per se : quid enim ligno illo preciosius ? tum « quia ipse, si quis mortalium; maxime indigeo « Crucis præsidio, ut recte mones. Denique « quia abs te profectum munus est, cujus in « manibus majores fructus referret; in meis « haud scio quid futurum sit. Faxit ille Deus, « Crucis ut meritis non indignus videar. Tametsi « non dubito, te cum sociis omnibus pro salute « regia quotidie, ut scribis, sacris operatum, « deprecari eum, qui Crucí affixus nos redemit « a tyrrannide mortis æternæ, tamen ut idem « constanter agas, iterum atque iterum ro- « go : idque eo frequentius, quo magis ne-

cessarias

A " cessarias mihi Reip. administrandæ piorum
" preces cognoris. Salve et vale. "

socios vero ad virtutem constantiamque hortatus,

191 Tabulis vero actuariorum et tabellionum testificatione ostensum erat, verum id esse Crucis Dominicæ lignum : rex tamen Franciscum subscribere jussit, idem sibi videri : cujus testimonium instar esset omnium testium. In aula regi tot tamque frequentes principum salutationes fuere, ut ne respirare quidem integrum esset. Provinciarum item Societatis præfecti quamprimum advolarunt : ut in commune consulerent et de re Societatis publica agerent : quos, dum temporis angustiæ patiebantur, audivit hilaresque dimisit. Collegia vero, qua iter haberet, libenter invisit, ut socios præsens consolareter animosque divinis sermonibus reficeret ; hortareturque ad vitæ curriculum conficiendum, donec e carceribus ad calcem perventum esset, feliciter.

CAP. XV. *in Lusitaniam tendit, expeditisque illic negotiis,*

192 Hinc in Lusitaniam magnis itineribus rei gerendæ gratia legatus contendit. Occurrit in finibus, a rege missus, Theodosii ducis Brigantini frater Constantinus, qui in Orientis
B Indiæ regnis regia auctoritate prætor fuerat, nobilis juxta ac pius, singularique in socios, quæ propria ejus familiæ laus est, benevolentia. Sebastianus rex ad Oceani litus legato obviam processit, dynastis omnibus stipatus et equitibus, quo nimirum studio Pontificis legatos accipere majores soliti erant. Franciscum quoque comite habuit ; Catharina item avia illius, et Henricus regni princeps Cardinalis. Hic exposita legatione publica, privata quædam Franciscus negocia Pontificis et Philippi regis mandato gessit, ad exitumque perduxit.

reversus Matritum, inde

193 Madritum mox revertuntur : paucosque dies ibi morati, in Galliam per Pyrenæos properant *c*, stipante regis jussu Ferdinando Borgia, Franci filio, ut, qui gratulatum adventum regia voce venerant, item etiam discedentes
d prosequeretur. In regni limite *d* vale postremum dicturus, parentis manibus, facta re divina, Panem Angelorum edit : quod enim donum a Patre majus mortali in vita accipere filius potuit ? Verbis deinde lacrymisque appellat. " Deum, fili mi, time et ama, in quo sunt
" omnia : virtutem amplectere, et vitia, ut co-
C " lubri faciem, fugito. Divino honori potissi-
" mum consulito : cedant huic inanes mundi
" spes atque deliciæ. "

in Galliam tendens,

194 Galliam mox ingressis non perinde tutum quietumque iter oblatum. Militaribus copiis plena Aquitania factionibus hæreticorum, qui arma regem contra ferrent. Cernebant hic inviti, ut lacrymas non tenerent, templa diruta, altaria profanata, cœnobia solo æquata, faciem denique Reipub. deformatam. Catholicos ab hæreticis vi oppressos vel patrio solo exactos audiebant. Ut uno verbo dicam, ardebat regnum olim florentissimum flamma bellorum civilium. Spectanti hæc Francisco animoque quotidie versanti, eo majori indies dolori erant quo magis zelo domus Domini ardebat. Et quia, ut a sapientissimis hominibus traditum accepimus, animus æger corpus quoque, et contra corpus animum afficere solet, morbo tentari cœpit Franciscus, cui incommodo accessit et alterum : re enim divina facta in templo semiruto, ventus languidem corpus urgebat, cetera debilitatum longinqui itineris tædio, cum non satis firma pridem valetudine uteretur.

195 Delati tandem aliquando, ineunte vere no jujuniorum tempore, Blesum *e*, ubi Carolum ejus nominis nonum, regem Gallorum, legatus reperit ; et matrem Catharinam Mediceam. Uterque etiam Franciscum humaniter accepit libenterque audivit, hortantem summa animi contentione, ut, si regnum, olim florentissimum, cum esset idem et Christianissimum, salvum vellent, pro Catholica religione omni ope ac viribus niterentur : cujus comes esset pietas in Deum, et regum obedientia. Recens itaque exortas opiniones, tanquam incendium, statim exstinguerent. Alia id genus addidit, quæ eodem tamen reciderent. Illi gratias agere, facturos se pro virili polliciti : orare interim, Deum precetur Franciscus, ut intestinum bellum, cælestis iræ signum, a regno depellat.

A. P. RIBADINEIRA. *cum Carolo IX Blesis agit:* *e*

196 Rebus gestis, in Italiam reditum adornant. Mox in pagum incidunt postridie Kal. Februar. festo Purificationis die, qui B. Virgini sacer est, et a Græcis Hipopante appellatur. Sacris itaque procurandis templum ingressus, parietibus tectoque nudum apparet, et aram duntaxat lapideam superesse. Missæ vero sacrificio carere Franciscus nolebat. Hic, grassante vento, læsum est infirmum per se cor- E
pus : utque tempestas frigida erat, frigore corripitur. Mox ardenti febri ad languorem datus *f* *f*
et animus assiduo mœrore est victus, moleste ferens Dei cultum Sponsamque Ecclesiam neglectam jacere. Secum enim identidem regii illud Vatis repetebat : " Deus, venerunt gentes
" in hæreditatem tuam : polluerunt templum *g*
" sanctum tuum *g*. " Et cum Elia propheta querimoniam instituit, " Domine, reliquerunt pa-
" ctum tuum filii Israël : altaria tua destruxe-
" runt, et Prophetas tuos occiderunt gladio *h*. " *h*
Hanc ipsam avitæ fidei calamitatem decennio ante prædixerat Franciscus, datis litteris *i* ad *i*
Petrum Ribadineyram, Societatis presbyterum, de Gallis jam turbantibus resque novas molientibus.

febri correptus

CAP. XVI. *reluctantibus frustra Sabaudiæ*

197 Morbo correptus, cum pedibus insistere Franciscus non posset, in Allobrogum fines propere delatus, in Joannis Morani oppido *k*, vi morbi oppressus, hæsit diutius. Regulus Allobrogum *l* medicum statim cum aulicis *k*
allegavit, qui laboranti adessent, Augustamque Torinorum ægrotum deportarent. Diffi- *l*
cile id eo anni tempore fuit, quod Cottiarum F
Alpium asperitas, vulgo MONS CENISIUS, superanda esset ; effectum tamen. Hic omni pietatis officio habitus, ut præ verecundia impetrare a se ipse non posset, qui, nulla habita ægritudinis ratione, quamprimum evolare vellet. Missionem itaque flagitavit extorsitque ab invitis et repugnantibus.

et Ferrariæ ducibus,

198 Vectus secundo Padi flumine, navigio ducis sumptibus instructo. Lectulo affixus, rem divinam quotidie audiebat, Paneque cælesti pascebatur. Octavus jam dies abierat, eodem flumine Ferrariensium fines attigit. Hic Alfonsus Estensis, Ferrariensium dux, e vestigio omnia, quæ opus viderentur, submisit. In urbem hinc delatus, vi morbi coactus, qui nihil remitteret, cresceret etiam magis magisque, substitit invitus : diesque plures moratus, omni officiorum comitatisque genere acceptus domi est, ut parentis loco ducere Franciscum viderentur. Nec tantum pharmaca undique conquisita, publice ad omnia Divorum templa etiam vota concipi dux jubet, supplicationesque pro salute Francisci indicit. Pie hæc omnia et officiose ; cum

quia

A. P. RIBADINEIRA. *m*

quia sanguinis vinculo conjunctus erat *m*, tum opinione sanctitatis. Evolare et hinc quamprimum, tanti impatiens officii, satagebat, constanterque Romam portari postulabat: cessit tamen ducis precibus, et medicorum sociorumque consiliis.

Romam petit,

199 Mortem animo præsagiens, ducem sociosque obnixius rogat iterum, Romam quamprimum deferendum curarent, ut in Urbe sancta Professorumque sociorum domo, ubi majores suos, Ignatium atque Laynem, expirasse sciret, vita decederet. Victi tandem Francisci precibus et ipsi cesserunt, præsertim cum et de salute medici desperarent. Igitur lectulo impositum, lectica Romam versus gestant. Illinc Lauretanam in ædem sacram infertur: sic enim moribundus postularat, ut Virgini Deiparæ abeuntem animam commendaret, cujus visceribus Dei Filius carnem induens in hanc vitam prodiisset. Mox crebra agitatione Romam festinans, noctes diesque lecticæ inclusus; tandem ubi urbem se Romam ingressum cognovit, tendens in cælum manus et oculos, lætus exclamat:

B „ Nunc dimittis servum tuum, Domine. „ Lætus, vitam sibi in Apostolicæ Sedis obsequio et legatione amissam.

CAP. XVII. *eoque translatus, biduo post* *n*

200 Pius V Pont., legationis auctor et fœderis, vita prius abierat *n*, quam domum Franciscus revertisset, Sedemque Apostolicam vacuam alteri reliquerat, qui Hugo Boncompagnius, post Gregorius XIII, est dictus. Quo factum, ut multo Pii consilia, de quibus cum rege Catholico regisque ministris convenerat, infecta permanserint. Accessit et illud incommodi, Franciscum, ad desperationem medicorum laborantem, Romam venisse, pæne depositum animamque agentem. Vix enim biduum Romæ fuerat, cum animam exhalavit. Optabat ille quidem rei gestæ in legatione rationem Gregorio reddere; sed is Tiburi erat duodevicesimo ab Urbe lapide. Ludovicum itaque Mendozium, Societatis presbyterum, ad Pontificem Franciscus mittit, qui benedictionem moribundo, peccatorumque anteactæ vitæ veniam supplex postularet. Ille vero ac libenter indulsit, et ex thesauris Ecclesiæ liberaliter, hoc addito elogio, miserari se Ecclesiæ Catho-

C licæ vicem. Magnam enim morte Francisci jacturam facere, quæ tali tantoque Ministro orbaretur.

sancte moritur

201 Cardinales aliquot et regum principumque legati salutatum officii gratia gratulatumque de adventu accesserant. At modeste ille, intempestivum nunc videri. Darent itaque hanc veniam. Uni enim Deo, vitæ mortisque arbitro, dandam esse operam. Sacramentis Ecclesiæ omnibus rite munitus, dum oleo sacro, de more, migraturus inungitur, litaniæque recitantur, ad singula ipse respondit pietate singulari. Patres a consiliis assistere soliti, illud postremum rogare, unum e corpore Societatis, qui vices interregni tempore digne sustineret, ex animi sententia pronunciaret. Is renuit, quod neutrum eorum, qui antecesserant, Ignatium et Laynem, morti vicinum nominare voluisse meminisset. Mox quietis avidus, orationi se dedit ac meditationi: ductisque imo e pectore suspiriis, spiritum Deo reddidit pridie Kal. Octob., qui dies B. Hieronymo annniversario ritu sacer est, anno M. D. LXXII paullo ante tertiam noctis vigiliam *o*, annos natus cum esset duos fere et sexaginta. Conditus est in æde sacra veteri domus Prosessorum, compositus cum D Patribus, qui eadem dignitate antecesserant.

meritis in Ecclesiam et Societatem plenus.

202 Magna sane multaque exstant merita Francisci in Societatem, sive privatus adhuc, sive cum imperio ageret. In Hispania enim, patrio solo, simulatque, abdicatis bonis omnibus et honoribus, Societati sese addixit, incredibile dictu est, quem de se virtutis odorem pietatisque solide effuderit aliisque afflarit. Exinde enim Societas ibi cognosci magis cœpit, adeoque amari, ut certatim principes Societatis sacerdotes evocandos, excitandaque collegia curarint. Septem vero annis, quibus commisæ illi ab Ignatio Hispaniæ provinciæ omnes et Orientis Indiarum, plurima collegia illi accepta referenda. Hic enim fundus auctorque exstitit. Cum vero Generalis familiam duxit in Atlantici maris remotas insulas, Materiam Tertiamque; in Peru item, Novamque Hispaniam Indiarum socios primus tamquam in coloniam misit. Ex his etiam, magno post addito collegiorum numero, locis adeo vastis duæ provinciæ factæ. Hinc igitur apparet, si recte rationem subducas, Ignatium, ad Superos migrantem, duodecim E Societatis provincias constitutas reliquisse: qui magistratum proxime excepit, Laynem quinque adjectas stabilivisse: duas denique Franciscum addidisse: ut undeviginti in universum provincias viderit.

CAP. XVIII. *Corporis ejus forma,*

203 Elegans in eo forma, corporisque dignitas imperio digna. Statura procerus erat, facie oblonga, candore simul et rubore temperata. Membrorum ei decens habitudo, corpusque compactum. Frons ampla majestatem addebat: nasus item aquilinus et longus: oculorum orbes grandiores, colore glauco: genæ et labia rubicunda. Adolescens obeso admodum et crasso fuit corpore; verum post assiduis jejuniis ciborumque abstinentia a cœna temperans, adeo se ipse maceravit, ut ventris cutem duplicaret *p*, *p* et togæ instar pellem, quo vellet, referret; utrem esse dixisses inanem. Ceterum etsi integris viribus firmoque corpore esset et sanguine abundaret, ea ipsa inedia, qua macilentior factus, ventriculum etiam debilitarat valetudinemque læserat. Quod humi prostratus horas aliquot plerumque oraret, humore hausto e terra, dentes illi vacillantes exiderunt, osque F læsum. Inedia etiam cacostomachos vixit, dum sæpe rejiceret cibos et cruditate laboraret, ructus ederet assiduos non sine dolore stomachi et medicorum admiratione, qui morbi genus insolitum ignorarent. Et vero quamvis corporis vires afflixerat nimia ciborum abstinentia, morum tamen facilitatem, candorem animique hilaritatem auxerat.

mores,

204 Ingenium vividum quidem illi, sed maturum quietumque: mens perspicax propere, quæ vellet, suggerebat. Judicium temperatum, memoria, thesauri instar, tenax. Honestis jam inde a puero castisque moribus, ut leves homines fugeret facile, vitaretque parasitos et assentatores. Sermo illi modicus et brevis de necessariis tantum. Oderat officiosa verba eorum, qui aliud pectore clausum, aliud ore promptum gerunt. Si quis illum coram laudaret, sermonem mature abrumpere, sed prudenter solitus, quasi aliud agens. Tametsi vero bene de omnibus sentiret prædicaretque, paucis tamen arcana credidit: paucioribus divinitus visa, sensusque animi extra eum, qui a confessionibus erat, detegebat. Quorum autem fidem longo usu experimentisque

A perimentisque probasset, his suetus et multa indulgere. Falli, quam male de aliis et inique suspicari; accipere item injuriam, quam facere malebat. Ingenii bonitate supra mediocritatem litteras est adeptus, præsertim sacras, quibus, ut par est, delectabatur impensius; partim studio diligentiaque, partim oratione pia meditationeque rerum æternarum.

CAP. XIX. *et lucubrationes.*

205 Scripsit, ducis munus etiamnum sustinens, libellos sex ad pietatem excolendam : non infrugiferos iis, qui ad perfectæ vitæ metam contenderent, qui Latine in vulgus editi, Alfonso Deca, Compluti Societatis theologo, interprete, circunferuntur. Singula nunc recensebo. Primum concio est habita in illud Lucæ cap. XIX : Ut appropinquavit Jesus, videns ci- « vitatem, flevit super illam. » Speculum item operum Christiani hominis. Collyrium spirituale, quo docet, se quemque nosse oportere. Dehinc est Præparatio ad Eucharistiam digne sumendam : item Spiritus exercitationes ad sui cognitionem. Sextus est Hymni illius decantati

B Explanatio : « Benedicite omnia opera Domini Domino. » Hæc tantum edita pro legitimis scriptor agnovit. Commentatus tamen est, non inficior, et alia quædam; sed rudia et impolita cum essent, lucem nondum aspexerunt *q* : excepto libello de Euangelica prædicatione seu de Ec- « clesiastæ officio. » In his erant de perfectionibus animæ Christi a conceptu ad ultimum usque in Cruce spiritum. Threnorum Hieremiæ Explanatio, quam in Pintiana et Complutensi academia dictavit. Meditationes item de morte Christi Salvatoris, in horas diurnas ac nocturnas distributæ. Denique meditationes in Euangelia Adventus, Quadragenarii jejunii, Dominicorum festorumque dierum; profectæ ab oratione potius ad Deum fusa, quam ex libris acute et subtiliter haustæ. Quibus, tanquam jaculis divinis, auditorum mentes ad bonam frugem revocando suaviter vulnerabat, ut ad virtutis studium inflammaret, a vitiis deterreret.

ANNOTATA.

a *Quas exhibet Ribadineira lib.* 3, *cap.* 14.

C b *Quo* IV *Kal. Septembris venerant.*

c *Sub anni* 1572 *principium.*

d *Fontarabiæ.*

e *Galliæ urbem ad Ligerim fluvium, agri cognominis caput. Eo legatus, ut scribit Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 16, § 3. *die* VI; *vel, ut scribit Sacchinus lib.* 8, *num.* 6, *die* VII *Februarii venit.* Franciscus *vero biduo post.*

f *Redeuntem e Gallia* Franciscum *in febrim incidisse testatur etiam Sacchinus lib.* 8, *num.* 26 : *at cum, eodem teste num.* 8 *libri mox citati, Blesis egressus sit* V *Kal. Martias, postridie Kal. Februarii seu Purificatæ Virginis festo id contigisse non potuit.*

g *Psal.* 78, ℣. 1.

h 3 *Regum cap.* 19, ℣. 10 *et* 14.

i *Litteras illas partim exhibet Ribadineira lib.* 3, *cap.* 15.

k *Vulgo* S. Jean de Maurienne.

l *Emmanuël Philibertus, Sabaudiæ dux.*

m *Vide num.* 100 *Comment. prævii.*

n *Anno* 1572 *Kal. Maii.*

o Biduo post, quam Romam attigerat, noctem sub mediam, ac potius aliquantum jam inclinatam (quo fit, ut ipsas magis Kalendas Octobris, qui fuit dies Mercurii, quam pridie consignandus sit obitus (altero et sexagesimo suæ ætatis anno e vita sublatus est, *inquit Sacchinus part.* 3, *lib.* 8, *num.* 31. *Beatis adscriptus est ab Urbano VIII anno* 1624 : *Sanctis vero a Clemente X anno* 1671.

A. P. RIBADINEIRA.

p *Demortui pellem, ut scribit Cienfuegos lib.* 5, *cap.* 18, § 4, *inspicere volenti Thomæ, ejus fratri, dum telam, qua cadaver tegebatur, tollere conabatur, ter obriguit brachium.*

q *Edita deinde sunt Bruxellis anno* 1675 *typis Francisci Foppens, opera vero ac labore D. doctoris Francisci Borgiæ, e Borgiana stirpe pronepotis.*

CAPUT XIII.

S. Francisci animi demissio ac paupertatis amor.

E

LIB. IV. PROL.

Libet, Francisci Vita ad exitum adducta, virtutum exempla et scite dicta adjungere : quod, ut sapiens ille Stoicus ait, longum sit iter præceptis mores informare; breve vero et efficax per exempla. Cetera vero dicta factaque præclare, quæ per historiam sparsa sunt, quod ad hæc capita revocari queant, minime iteranda duxi *a*.

CAP. I. *Præ animi demissione Franciscus.*

Ab humilitate, quæ parens ceterarum custosque virtutum est, initium ducam : quod virtus ea Christi propria sit et Christianorum. Philosophi enim veteres mundique sapientes ejus ne nomen quidem, nedum rem sunt consecuti : qui tamen in veritatis virtutumque investigatione studii multum operæque posuerunt, ut magnum aliquid naturæ vi adepti videantur. Quorum fastum Dei Filius aversatus eam virtutem summam verbo atque exemplo docuit. « Di- « scite, » inquit, « a me, quia mitis sum et hu- « milis corde. » Ea sane virtus, ut Augustinus ait, homines angelis adjungit, ut contra elationis * ex angelis dæmones effecit. Non fugiebant hæc Franciscum, quando studiose in animi submissionem incubuit; et quoniam ad humilitatem viam munire humiliationem Bernardus aiebat, curabat sedulo, ut rerum omnium conditarum puderet, pigeretque, ubi se ipse perfecte nosse cœpit. Hinc precationum omnium exordia ducebat : hæc fere materia de rebus piis officiisque disserentis fuit. In hac assidue occupatus, incredibiles brevi progressus fecit.

b

supple : vitium

F

207 Itaque, simulatque se ducis titulis sponte abdicavit, subscribere sua manu litteris cœpit : Franciscus PECCATOR : testatus, credo, quod de se ipse sentiebat; imitatusque Isidorum aliosque, innocentia vitæ claros, quos sic subscribere solitos accepimus *c*. Ignatius tamen, ne sermonem aliis daret- neve in re inusitata secius loquendi ansam præberet, abstinere jussit, ut Franciscus præterea nihil subscriberet. Pintiæ *d* sociorum collegio rei gerendæ * egressus, Bustamantio comite, solito tristior incedere visus, et caussam interrogatus, ab inferni meditatione se tum surrexisse, affirmabat, omnesque videri in se, tamquam ab inferis exsistentem, intueri, circumfusosque irridere, jactis his vocibus : « Hunc ab inferis reducem petamus. »

se peccatorem inferno excepto

c

d

* *supple :* caussa

Ex

A. P. Ribadineira.

Ex qua quidem pœnarum apud inferos meditatione illud se commodi accipere aiebat, ut Christi amore flagraret ardentius, cujus morte mortis chirographum deletum est. In qua, dum vita suppetit, acquiescendum cogitatione judicabat; ne mortui, iis addicti pœnis, uramur; Vatis illud regii usurpans: « Descendant in infernum « viventes *e*. »

e quovis loco indignum, beluam, ipsoque dæmone

208 Quo die hebdomadis sanctioris Christum discipulorum pedes lavantem Ecclesia recolit, ad tirones verba faciens: « Nullum, « inquit, « hodie in mundo locum reperi. Sextum enim « jam annum ad Judæ pedes illum mihi finge- « bam, nunc, dum Christum attente considero, « iis advolutum lavare, tergere et osculari, nul- « lum mihi, inde expulso, relictum video lo- « cum. « Pintiam primum ingressus, abdicatis jam Ognati in Cantabria titulis bonisque omnibus, accurrentibus vicatim visendi gratia, tamquam ad novæ rei spectaculum, civibus, Bustamantio comiti ait: « Feram, credo e cavea « emissam, belluamque spectatum venerunt *f*. « Equidem quavis bellua immanior essem sine « ope Dei, qui me in religiosam familiam suam « accivit. « Precibus intentus duas minimum horas quotidie impendebat sui cognitioni: quæque legeret, audiret, videret, eo omnia referebat, ut erudirent, demissionem pudoremque sibi incuterent; Deo frequenter gratias agens, quod sane delinquenti sibi, ad eam diem pepercisset; neve desereret, aut, in quæ vulgus, impingere se crimina pateretur. orabat. Occupato de more in hac suæ vilitatis meditatione, dum se rebus a Deo conditis indignum reputat, ea vox est audita: « Pudeat te mei. « Quam ubi dæmonis esse comperit: « Recte « inquit, « mones: unius superbiæ cogitatæ vitio ardes, « ardebisque æternis ignibus; ego vero toties « Deum offendi, non tamen flammis addictus « crucior. «

nihilo meliorem reputabat,

209 Oraturus sensit dæmonis opera turbari cubiculum; quem his dictis abegit: « Nil mi- « rum, te a me ne latum quidem unguem di- « scedere aut fugere: pridem enim communi « usi mensa ciboque sumus. « In xenodochio versans, visum ab illo ferunt humana specie cacodæmonem superbe sic appellantem: « Quid « tibi hic negocii? Tantus cum sis, in homi- « num fæce versari qui potes? « Retudit fastum Franciscus: « Equidem miror magis, te tam « superbo præditum ingenio, miserum me at- « que peccatorem appellare dignatum. « Sic ille fumi instar evanuit. Oblatus ei energumenus, a quo dæmonem alii exorcismo pellere frustra tentarant; rogatusque, ut pro illo Deum precari et Marci Euangelium recitare ne recusaret, cum ad ea verba, « In nomine meo dæmonia « ejicient *g*, « manus imposuisset, cessit subito fugitque dæmon, et lætus ille dimissus est. Qui aderant spectatores, orationi illius acceptum retulerunt. Ille vero, qua erat modestia, verecundia ductus: « Quid mirum, « inquit, « si « dæmon me fugit? Nam et veteri verbo dici- « tur, figulus figulum. Cumque aliis ego olim « offendiculo fuerim, nil mirum, si me ille ode- « rit. Solent enim iisdem artibus dediti, æmu- « latione quadam inter se odisse. « Post Methymnæ-Campi *h*, dum præsente ille forte res gesta referretur, pudore erubuit, illud addens: « Demus verum esse, quod narratis: ecquid « mirum, cum ego sæpenumero dæmoni morem « gesserim, semel illum mihi paruisse. « Et quamquam depellere fastum et invidiæ fascinum arcere posset, si sacri Euangelii verbis eam vim merito tribuisset, hic tamen rubore suffundi maluit. Nihil ferebat audiebatque molestius, quam se coram laudari Sanctumque appellari. Rogatus caussam, cur ea re adeo angeretur, subjecit: « Equidem rationem extremi judicii, « morte obita, valde formido: quæ nimium, « quantum a præposteris hominum judiciis di- « screpat. «

ambitiosi obsequii honoriisque fugiens submisse de se sentiebat,

210 Manus abluenti frater illius Thomas Borgia officiosius et ambitu aulico linteum porrigebat. Ille vultu iram præ se tulit, vetera illa aulica officia, quibus nuncium pridem remisisset, odisse se testatus. Montellano in collegio locum illi editiorem imprudenter collocarant: ille quasi dæmonem cerneret, Crucis sese signo muniebat. Defugiebat itaque libenter intempestivas honorum occasiones; negligi et ignorari malebat; ut vel eo nomine sæpe via decesserit, ad aliud diversorium, incommodo et valetudinis et itineris, ne honos illi putide, ut fit, haberetur. De se demisse abjecteque et sentire et prædicare semper solitus. Facilitate idcirco usus est singulari: aliquem e plebe diceres. Porro invitus præteriti temporis memoriam, quod tamen senum est vitium, recolebat. Sin necessitas extorqueret, ita sermonem temperare, ut quivis non omnino rubis facile intelligeret, nihil sibi eo nomine placere. Numquam auditum vel excidisse illi hæc passim obvia. « Cum « marchio, dux vel prorex essem. « Nobiles viros ita comiter appellabat, ut se illis inferiorem superiorem nemine, facile declararet. Hanc enim virtutem didicerat esse piorum hominum propriam, ut, quo major quisque sit, eo se submissius gerat. Olyssiponem ingresso Francisco Joannes III rex miserat e domesticis nobilem, qui eum salutaret. Qui cum, « Fessusne de via « esset, « interrogasset, iteraretque identidem Domini nomen: Franciscus lepide illi respondit: « Fessus quidem de via accessi, sed magis Do- « mini, qua me oneras potius, quam honoras, « appellatione. «

paucis in rebus profuisse sibi Ducis titulum profitebatur,

211 Tribus potissimum de caussis Ducis titulum utilem sibi fuisse prædicabat. Primo, quod mortuorum jam in numero haberetur, ut religiosi viri solent; et Gandiensi in ditione, defunctis ducibus, anniversaria Sacra quotidie peragantur. Deinde cum candidatos ægre in Societatem adoptari animadverteret, dicere solitum accepimus: « Hoc mihi commodi Ducis « titulus attulit: statim enim sociis adscriptus « sum. Ceteroquin, ecquæ (amabo) in me ingenii doctrinæque dotes, quæ Societate dignum « redderent? Deo itaque Pontificique summo « gratiam habeo, qui hunc mihi pontem fecit, « viamque munivit in suam familiam domum- « que migrandi. « Denique cum iter faciens aliquo divertisset, remque divinam, ut solebat, quotidie facere vellet, detrectarentque parochi, licet Societatis tabulas proferret, socio urbane in aurem insusurrat: * « Nunc per me licet, pri- « stinos titulos nomines. Civili hic jure agen- « dum est. «

* insusurrabat

quanto magis a dignitatibus abhorrebat, tanto villiæ quæque

212 Ex hoc ipso fonte mœstitia fluxit, qua incredibiliter angebatur, cum in Cardinalium collegium adsciscere invitum vellent, ut libro secundo narrare memini. Certe majori nemo umquam ambitionis studio honores expetivit, quam

A quam Franciscus repudiavit, ratus indignum se honoribus esse et inopiam religioni utilissimam. Philippum regem, jam tum Hispanicæ juventutis principem, litteris supplex rogavit, daret hoc amicitiæ, ut, si qua exstarent officia, ne Sacris jam initiatum, ecclesiastica umquam dignitate oneraret. Privatum se vivere malle atque inglorium, et eo se consilio titulis abdicasse. Nec defugisse titulos satis habebat, sui etiam vilitatem contemptumque studiose, ut ante dixi, quærebat. Demissionis exempla eodem ipso libro attulimus. Vicatim, sacculo humeris imposito, eleëmosynam stipemque corrogasse. Pueros, tintinabulo accitos, catechismo erudire solitum. Coquo domi operam dedisse, mensis ministrasse : pedes singulorum et frequenter osculari consuevisse.

officialibentius obibat, i

213 Conimbricense gymnasium *i* ingressus, commissa jam illi ab Ignatio universa Hispaniæ provincia Societatis, e præfecto studiorum viam rationemque studiose quæsivit, pueros docendi prima Latinæ linguæ rudimenta, quod hoc mu-

B nus, ut minus honorificum et valde laboriosum, ita meriti majoris, obire serio vellet. Effectum *k* id Cordubæ *k* dedisset, ni socii valde repugnassent, qui hac sola arte dissiduadere poterant, quod dicerent, non satis eum quidem vel ad hoc munus obeundum idoneum videri et Societati dedecus allaturum. Destitit itaque, ratus *l* vera dicere, alioque animum convertit. Eboræ *l* sexta feria aggregatis sociis, ut more Patrum antiquorum collationes de rebus divinis haberent, dicturus Franciscus sententiam, hoc tantum, „ Opera, „ inquit, „ verbis præstant. „ Assurgens itaque omnium ordine pedes humi exosculatus, socios ad lacrymas et admirationem excitavit. Calensi in collegio Lusitaniæ, quod oppidum vulgo Portum appellant, ostiarii officio, arreptis clavibus, perfunctus, cum porcum jugulatum eleëmosynæ vice obtulissent, humeris sublatum tacitus in superiorem domus partem per gradus non sine labore portavit : mirantibus sociis, facti commendationem sic elusit : „ Quid mirum „, inquit, „ si porcum „ porcus commode tulerit? „ Non dissimile nimirum, quod de Carlomanno Casini montis Annales referunt. Hic, imperio abdicato, regno Pi-

C pino fratri relicto, Romam, Zacharia Pontifice maximo clavum tenente, veniens, in Casino monte Benedicti sodalibus se adjunxerat. Oves abbatis jussu forte pascens, claudicantem unam quod gregem consequi non posset, humeris *m* sustulit summa cum animi voluptate *m*. Et vero id genus officia, quibus antea despicatui ducerentur, religiosis viris perhonorifica sunt; eoque illustriora, quo majore olim dignitate ceteris præstiterunt.

aliaque summæ demissionis n

214 In eo ipso collegio, dum claves ostii gestat, quidam Societatis candidatus Hispali *n* advenerat cum bona spe fore, ut a Francisco ceteris adscriberetur, cui tum commissa provincia erat. Videt Franciscus cubiculum proximum plenum sordibus : „ Age „, inquit, „ ne otie-„ mur, purgemus hoc conclave. „ Sumptisque impigre scopis, cum illo pariter cubiculum verrit, sordes extulit : adeo se vincere atque submittere studuit. Religiosos viros, quoties occurreret, salutare et iisdem assurgere solebat : honorifice etiam de illis sentire, prædicare. Honorare autem se in monachorum habitu ajebat obsequium, quod Christo ejusque Ecclesiæ præstarent : et tamquam diversorum quidem signorum milites, unius tamen legionis omnes colebat. Acceperat impostorem quendam triremibus addictum, quod Franciscum Borgiam simulasset jactassetque. Mirari se dicebat, exstitisse adeo excordem, qui peccatoris summi personam induisset. „ Si ille „, inquit, „ trire-„ mibus officium navat, quod nomen meum sibi „ vindicarit; quid me fieri par est, qui non ina-„ ne nomen porto peccatoris, sed et criminibus „ refertus sum, quæ æternam pœnam mereantur. „

A. P. Ribadineira.

exempla edere solebat.

215 Occurrenti forte nobilissimo dynastæ Hispaniæ querentique vicem illius, quod inops attrita veste ambularet, seque ipse et valetudinem negligeret, acute respondit : „ In me reci-„ pio, fore ut mihi caveam. Iter enim dum „ facio, prodromos duos præmittere soleo, tan-„ quam exploratores et structores, qui hospi-„ tium mensamque adornent. „ Interrogatus iterum, quinam essent, quod nusquam apparerent : „ Mei „, inquit, „ cognitio et pœnarum „ apud inferos, quas merui, contemplatio. Quo „ fit, ut, quod tandemcumque in diversorium E „ deferar, tametsi desint omnia, in lucro de-„ putem, et tanquam in immerentem collata „ beneficia interpreter. „ Septimancæ *o* (oppi- *o* dum id hodie Simancas incolæ nominant) appositum illi edulium intestinis vervecinis semicrudum maleque conditum. Gustatum reposuit: adhæc in aurem Bustamantius insusurravit. „ Si bene coctus cibus esset, non rejiceres. Bene „ habet „, respondit. Bustamantius vero, cum item gustasset, edi posse negabat. Cui Franciscus : „ Quid si, Pater, inferorum cibum, quod „ Deus avertat, gustares? „

cap. II.

Quantus illu

216 Demissi animi socius comesque paupertatus amor est : quam virtutem, incredibile dictu est, quo studio coluerit Franciscus. Instar enim boni negociatoris, „ Inventa hac pretiosa „ margarita, dedit omnia sua et comparavit „ eam *p*. „ Didicerat persuasumque habebat, *p* verum esse Christi illud oraculum, pauperes spiritu beatos fore. B. Franciscum puer, ut nomine, sic et moribus referre cœpit. Propriam familiæ illius inopiam admirabundus adamavit: et simulatque se Societati votis astrinxit, pecuniam exinde non contrectavit, quodque mirere F magis in homine adeo opulento, argenti aurique pretium ignorabat. Enituit isthæc rebus in omnibus virtus, in victu cultuque corporis, lecto, cubiculo ceterisque : ut in papyro, qua conciones suas excipiebat : in foco denique, dum frigus urgeret, instruendo. Calceos novos induere detrectabat, biennio vix atterens, Caligas item, licet pannosas ruptasque haberet, non mutabat. Montellano in collegio *q* versanti fe- *q* moralia nova muneri oblata, quæ furtim noctu apposuit lectulo socius, subductis laceris. At Pater experrectus, dolo comperto, vetera repetiit novaque reddi domino jussit.

paupertatis

217 Stipem cum vicatim mendicus cogeret, panis frustula oblata libentius, quam appositos panes integros gustabat. Tot itinera ingressus, adduci numquam potuit, ut vel sindonem mundam valetudinis gratia circumferre comitem pateretur, ne in paupertatis jura peccasse videretur. Narrant socii, se vidisse super stramine sæpenumero cubantem sub dio aut tenui tecto, ventis hac illac spirantibus, et frigescente maxime cælo : ille tamen eam præ se hilaritatem tulit,

A. P. Ribadineira.

lit, suis ut admirationi esset pudoremque incuteret. Sago in itinere, aut chlamyde non alia usus, sive hyberni sive æstivi temporis hora esset, quam pallio quotidiano; quod invertere duplicareque solebat, ne luto inquinatum deterius fieret. Ocreas pedibus ut induceret, impetrari ab eo non poterat. Petasum unum satis esse aiebat, arcendis cæli injuriis, sive sol arderet, sive imber decideret, ventique flarent. Fessus fractusque de via, et largis imbribus perfusus, tum demum incredibiliter gaudebat, si in hospitium delatus esset, cui deessent, quibus refocillari viatores solent, ignis victusque corporis.

fuerit amor.

218 De lectulo et conclavi nihil laborabat. Nullum ibi velum appendi, nedum peripetasmata patiebatur; quin et stoream seu tegetem parieti ad cervical affigi moleste ferebat: id genus commoda fugienda prædicans, quod mortis germanus somnus appellaretur: sitos vero in sepulcro brevis urna minimeque sumptuosa caperet. Scilicet factum ab illo diligenter, ut Christum duabus his potissimum artibus, dimi-
B sionis atque inopiæ, quoad posset, imitaretur: qui, ut Apostolus ait, „ Propter nos egenus fa-
„ ctus est, cum esset dives, ut inopia illius nos
r „ divites essemus *r*. „ Quod ejus exemplum æmulati non pauci Societati se addixerunt. Quin et in ipsis Societatis exordiis eodem inopiæ studio imbutus enituit. Anguste enim habitare exoptabat, qui amplas prius et magnificas ædes occupasset. Ejus etiamnum hodie vestigia apparent in Ognatensi ædicula, ab illo fabricata, et tirocinii domo Septimancensi. Quæ quidem virtus eo magis clara, quo plura ille fortunæ bona libens volensque abjecerat: quæque in aliis avaritiæ sordiumque nomine reprehendi queant, ea laudi Francisco vertebant: cognito, paupertatis fuisse semper studiosum: ut in Christi adeo inopis, ut, quo in loco caput reclinaret, non habuerit, vestigiis pedem vivus moriensque poneret. Prandenti Romæ apud Catholici regis legatum mimus quidam aretalogus injecit: „ O miserum te et inopem Franciscum,
„ qui tantis te bonis abdicaris, nisi, morte
„ obita, cælo potiaris? „ Ad oratorem Franciscus conversus, „ Vera „, inquit, „ narrat: sed
C „ majora jam tum, quam reliqui, bona sum
„ consecutus. „ Animi tranquillitatem significans et illud Christi dictum respiciens: „ Cen-
s „ tuplum accipietis etc. *f*. „

ANNOTATA.

a *Prologus hic Schotti est.*
b *Matth.* xi, ỳ. 29.
c *Baronii in Martyrologium Romanum Annotata consule ad diëm* iv *Aprilis, ubi de S. Isidoro, Hispalensi episcopo. Sic et S. Braulius, Cæsaraugustanus episcopus, Isidori discipulus se* pessimum peccatorem et servum inutilem *vocat in suis ad Isidorum litteris tom.* i *Aprilis pag.* 343.
d *Seu Vallisoleti.*
e *Psalm.* 54, ỳ. 16.
f *Idem fere dixit, cum Romanos obvios sibi habuit in habitu ducis.*
g *Marci* 15, ỳ. 17.
h *In Legionensi Hispaniæ regno.*
i *In Lusitania.*
k *In Hispania Bætica.*
l *In Lusitania.*
m *Vide Leonem Card. Ostiensem lib.* i, *cap.* D
7, *Chronici Casinensis.*
n *Primaria Hispaniæ Bæticæ civitate.*
o *In Hispania Tarraconensi.*
p *Matth.* 13, ỳ. 46.
q *In Hispania Bætica.*
r 2 *Cor.* 8, ỳ. 9.
s *Matth.* 19, ỳ. 29.

CAPUT XIV.

Obedientia, orationis studium, Vaticinia.

Ex ea ipsa humilitatis radice nata in Fran- cap. iii. *Singularis ejus*
cisco virtus est obediendi Deo et homini, quem ille sibi præfecisset. Obedientiam itaque tutum appellabat navigium, quo, tamquam per vitæ procellas, portum religiosi viri capiant, rideantque tempestates, et dies noctesque se- E
curi navigent. Cum igitur in omnibus Christum sibi ad imitandum proposuisset in conspectuque ejus ambularet, ubi expressa illius vestigia cerneret: tum vero præcipue obedientiæ virtutem in eo mirabatur: qui, cæli terræque cum esset Dominus, subditus tamen parentibus fuit: quam virtutem ne omitteret, inquit Bernardus, mori maluit: „ Factus obediens usque ad mortem,
„ mortem autem crucis *a*. „ a

220 Præfectos Societatis usque eo vereri so- *erga S. Ignatium superioresque.*
lebat, ut, licet potestate jam abiissent, eodem, quo antea, habito respectu coleret. Litteræ ab Ignatio datæ cum redditæ illi in Hispania essent, flexis genibus precabatur Deum, ut parendi facultatem largiretur iis, quæ mandarentur, et veluti missam cælo vocem interpretabatur servabatque religiose. Nec fugit Ignatium, quam prompte et alacriter jussa exsequeretur. Non itaque sic imperabat: „ Hæc ita curabis. „ Sed modeste: „ Nobis hæc ita visa, tu pro tua
„ prudentia reique opportunitate, quando abes
„ propius, arbitratu tuo rem gere. „ Nihilominus, ne latum quidem unguem ab Ignatii jussis discedebat, sed accuratissime exhauriebat, quæ F
mandasset; nisi, si quid esset, quod absentem fugisset Ignatium. Recreatus a lento morbo, cum liberalem animi honestamque relaxationem valetudini corroborandæ adhiberet, a sacerdote audivit: „ Ignatium ejusmodi relaxa-
„ tionibus minus delectari. „ E vestigio igitur abstinuit, nefas ducens ab illo, quem in oculis ferret ad eam diem, moribus sententiaque discedere.

221 Si quæ Superiorum jussa asperiora vide- *F. Marcum.*
rentur, quam, ut æquo animo alii ferrent, ita temperabat, ne quis esset querimoniæ relictus locus. Priusquam comissæ illi Hispanicæ provinciæ essent, collegium de via ingressus, concionandi, qua uti poterat, auctoritatem sibi vindicare noluit, nisi si rectori æquum bonum videretur, juberetve. Imperari enim sibi, quam rogari, qua erat animi demissione atque obedientia, malebat. Valetudinis tuendæ gratia comitem illi Ignatius addiderat, cui Michaëli Marco nomen. In se enim severus plus æquo et rigidus; in alios blandus juxta ac benignus: nihil remisse magno valetudinis incommodo agebat. Huic socio Franciscus paruit, non secus

ac

A ac si impositus cum auctoritate esset: nec in victus tantum ratione, sed in omni tuenda corporis valetudine consulebat eum, quid facto opus esset. Cibo itaque apposito, interrogare solebat, Marcusne edi jussisset. Qui frater, si domo negotii causa diutius abesset, alteri negocium dabat. « Hæc illi, « inquit, « meis verbis « impera. « Securus nimirum, fore ut religiose pareret. Olyssipone Catharina regina negociorum causa in aula acciverat Franciscum. Ille Marcum consuluit, quid facto esset opus. Huic visum non satis firmum corpore valentemque esse. Postridie itaque venturum se esse respondit. Quo nuncio mox aulicus domum revertit.

coquum, 222 Non dissimili studio coquo domi operam dabat. Evocato iterum Pintiæ a Joanna, Lusitaniæ principe, schedulam ostiarius attulit, cui ille: « A coquo, « inquit, « veniam poscas, « licet, cui nunc pareo. « Adhæc ille: « Vade, « Pater, at reditum matura: opus enim mihi « adhuc opera tua. Principi ita narra, te coquo « domi operam dare, quo facilius missionem B « impetres. « Eadem animi simplicitate dicto audiens fuit retulitque imperium. Princeps quoque libenter assensa missum fecit: admirantibus laudantibusque cunctis, promptam in Francisco parendi vel coquo voluntatem. Coquus item lebetes æneos duos adferre eum jusserat, hausta e cisterna aqua. Ex corporis imbecillitate et lassitudine quievit nonnihil. Occurrit forte socius, qui sponte operam obtulit. At ille recusare: id enim sibi negocii coquum, cui tum pareret, dedisse. Cumque ille rogando instaret, alterum saltem ferre pateretur; ne hoc quidem permisit. Simul enim ferre coquus duos lebetes jusserat.

Pontifices, 223 Dicere solitum accepimus, sperare se fore, ut Societas, Deo bene juvante, vigeret, immo cresceret in majus tribus potissimum de causis. Orationis in primis studio frequentique usu Sacramentorum. Dehinc, si a multis Societatis innocentia oppugnaretur. Obedientiæ denique bono. Causam rogatus: « In promptu, « inquit, « est, oratio enim Deo nos conciliat atque « conjungit: alterum a sæculi amore abducit; « nec enim salus fidesque in hominibus est. « Tertium vero nos arctissimo fraterni amoris C « vinculo colligatos, ut membra capiti, ad- « nectit. » Cum omnibus sese libenter subjiceret, tum vero maxime Pontifici summo, ut Christi in terris vices gerenti. Morti enim jam vicinus, illud sibi animam agenti lætitiam adferre incredibilem solatiumque prædicabat, quod Sedi Apostolicæ, suscepta cum valetudinis incommodo in Hispaniam legatione, quod bene verteret, ad extremum usque spiritum paruisset.

principesque obedientia. 224 Quin et principibus libenter obsecundabat, Deum in illis contemplatus, pro incolumitate eorum quotidie precari solitus. Idem et liberos affinesque suos tanquam per manus traditum docuit, præsto ut regibus essent, proque eorum principumque salute assidue vota et nuncuparent et persolverent, precati Deum, in *b* cujus manu cor regum esset *b*: unde et potestas omnis manaret: cui qui resistat, Dei haud *c* dubie ordinationi resistere *c*. Illud demum incertum, obedientiæne an patientiæ, vel utrique potius tribuam, constanter illum in Ogna- *d* tensi secessu *d* potuisse superiori parere, qui in se ipse rigidus cum esset ac laboriosus, talis etiam Francisco exstitit. Frœna itaque in tirocinio versanti non modo non reduxit, (ne, ut fit initio in spiritus fervore, nimium in se ipse sæviret) sed etiam habenas laxavit et calcaria subjecit: lapides, calcem lignaque ædi construendæ ferre eum jubens. Paruit ille libenter et expedite, quasi angeli vocem exaudiret. Hac enim via ad pietatem a Deo est informatus, singulare ut nobis obedientiæ exemplum exsisteret: Bernardum credo imitatus, qui morosi hominis atque difficilis se imperiis eo cupidius subdidit, quo majora valetudinis incommodo mandabat.

A. P. Ribadeneira.

CAP. IV.

Confiteri quotidie solitus,

225 Cum esset inops atque obediens, quid mirum, si et precandi eum studio Deus exornarit? Quæ una virtus radix et quasi fons est uberrimus ceterarum. Prima Francisco cura in cordis puritate paranda, quo divinæ cognitionis radios purius acciperet. Mundos enim corde Beatos *e* pronunciari Deumque visuros. Quotidie itaque, et quidem crebrius, singulis horis diurnis se ipse ad unguem excutiens exploransque memoria repetebat dicta, facta ac prætermissa: inquirens in se graviter. Bisque in die rite confessus Sacris in aurora operaturus et E vesperi quieti se comparans, nullum diem abire patiebatur, quo non suo se pede metiretur, actique temporis rationem subduceret, si forte reddenda summo Judici esset: neve mors, ut solet, ante diem et imparatum opprimeret. Vix, qui illi aures confitenti dabant, quod reprehenderent expiandumque putarent, reperiebant. At ille cælesti lumine acutius videbat, semperque pavidus vixit: omnia metuens ac pæne trepidans. Judicia enim Dei viventis ac videntis omnia longe a mortalium judicio discrepare aiebat: timeret itaque, quisquis saperet, Deum.

e

multisque implicitus negotiis, diu

226 Orandi assiduitate hoc commodi acceperat, ut Deum ubique præsentem circumferret. Quo fiebat, ut vel frequens locus atque negocium templi solitudinisque vicem ei præberet, materiamque adeo suppeditaret, ac segetem precandi. Primam S. Thomæ Aquinatis summæ partem dum evolvit, veluti litaniam ex singulis articulorum capitibus, doctrinæ memoriæque simul et pietatis gratia concinnarat *f*. Iter ingressо, etsi corporis lassitudine incommoda ceperat, animo tamen illud præclare evenire dicebat, liberum sibi in via ab interpellatoribus vacuumque tempus precandi dari. Montes enim, F silvas, flumina et apricos campos, herbis, vitibus et arboribus vestitos, ad orandum invitare præconisque vocem emittere: Deum ut mortalis agnoscat, agnitum amet, amatum rerum conditarum gratia laudet assidue, et laudato, tandem aliquando morte obita feliciter perfruatur. Si colloquium invito esset cum exteris hominibus, quibus non saperet Christus, sermonem illis tacitus relinquebat: ipse colligere sese, ut in secessu versari locoque abdito videretur: animo Deum præsentem appellabat rogabatque. Discedentes vero interrogabat, « Num quid vellent? « cum tamen multa jam ab illo postulassent, quæ divinis cogitationibus intus * minus intellexisset.

f

227 Cum ita interdiu assidue ferme Deum precaretur, tum vero tranquille maxime et libere precari post mediam noctis horam solitus: quo tempore extra se rapi videbatur, ut quinque sexve horas momenti instar judicaret, surgeretque ignibus quasi inflammatus. Michaëli Marco, ut retuli, dicto audiens vixit: pre-

* *l.* intentus

noctuque mentem Deo intentam habet; sæpe etiam extra se raptus.

A. P. Ribadeneira.

cationi tamen intentus, cum diutius æquo moraretur, interpellaretque ille, valetudinis gratia finem orandi faceret: „ Plusculum, „ inquit, „ temporis da, Marce frater, mox adero. „ Tantam orando voluptatem capere solitus, ut cum Deo luctari, velut alter Jacob, nec sine benedictione dimitti velle videretur. Extra se non raro positus videbatur, ut corpore quidem præsens, animo vero in cælis versaretur. Si qui altiore voce contenderent, nihil movebatur: atque adeo a re, qua de ageretur, alienas interdum ingerebat, præsertim si profanus sermo deque nihili re injectus esset. Admonitus itaque a socio, præter rem respondere nonnumquam solitum: „ Malo, „ inquit, „ rudis et hebes vi- „ deri, quam garrulus et temporis jacturam fe- „ cisse. „ Omne enim perire tempus existimabat, quod non aut Deo aut rebus ad Deum pertinentibus transigeretur. Placentinus episcopus salutandi gratia Franciscum inviserat. Hic in medio sermonis cursu assurrexit, et quasi honoris gratia deduceret, descendebat. Episcopus vero cum Antonio Araoz, qui tum forte aderat, B relictus, facile, quod res erat, mente divina agitari Franciscum, observabat.

Quotidie item Missam,

228 Orandi et in se inquirendi studiosos amabat, et consuetudine illorum diu delectatus, collegiorum his curam Societatis mandabat, ut eam ipsam socios, fidei suæ creditos, virtutem docerent. Negociis diurnis, quoad ejus fieri poterat, subducere se solitus, ut in orationis montem secederet. Eucharistiæ Sacramentum assidue cupideque coram adorabat: domoque egressus, templa hoc nomine libentius intrabat, nictantibus assidue oculis spectans, sive luminis ingenti splendore præstingueretur, sive attendere animum reverenterque adesse ea ratione juberet. Hujus quidem Panis cælestis usque eo deliciis capiebatur, ut nemo unquam gulæ deditus cupediis magis. Quo fiebat, ut, dum vita excederet, nullum abire diem sineret, ut alibi monui, quin rem divinam faceret. Immo et ipso Parasceves die et Sabbato insequenti cum alias canendo Sacris operari soleret, ne iis ipsis diebus divino illo careret bono, liturgiam peragebat. Iter faciens, quo Sacrificium Missæ facere liceret, C vel ad duo milliaria via decedere non dubitabat: et diversorii incommoda libenter ferre, dum Sacris operari postridie liceret.

longa orationi præmissa, celebrat,

229 Eboræ in Lusitania graviter ægrotans, et lethargico morbo captus, evigilare per vim medicorum jussu cogebatur. At allata Eucharistia, tanquam somno, ut erat, gravi et veterno experrectus, agilis alacerque apparuit, ut, licet infirmum corpus haberet, spiritus tamen promptus bonique summi appetens esset. Sacris vero operaturus horas aliquot precationi impendere seque probe excutere solebat. Quotidie item, ut jam retuli, rite confessus rem divinam faciebat. In media liturgiæ parte lacrymas illi ubertim fluere solitas observatum. Post, gratias diutius agere, quod velut in Zachæi domum divertisset: ut non nisi ægre ad prandium et cum suspiriis Jobi atque Bernardi exemplo duceretur. Altari summo in Professorum æde Romæ imminentem cellulam frequenter adibat, quoties a negociis se publicis eripere partemque demere posset. Ceteris item in collegiis Societatis orationis sedem vicinam aræ summæ exstruendam curavit. Cubitu surgens terram, communem omnium parentem, hoc consilio ter quotidie osculari solebat. Primo, ut se ex humo conditum recensque natum, eam contigisse D meminisset. Deinde ut Christo, qui in terram e cælo genus humanum liberaturus descendit, gratias ageret. Denique ut a terris abductum, in cælum, tanquam ab exilio, transcriberet Deus, precabatur.

SS. reliquias religiose colit,

230 Sanctorum reliquias imaginesque religiose venerabatur, splendideque adornari curabat: nusquam affirmans gemmas, aurum argentumque dignius impendi vertique, quam in Auctoris Dei Divorumque cultum. Cum manibus eas tractaret, summa animi voluptate in has voces erumpebat. „ Salvete pignora, nobis „ in hoc exsilio lacrymarumque valle degenti- „ bus a Deo relicta atque deposita: salvete sa- „ lutis nostræ spes atque solatium. Erit, erit „ dies illa, cum decorem induti cineres, ho- „ spites nunc beati, æterna illa luce perfruemi- „ ni: et animæ sole candidiores thronusque ve- „ ster supra firmamentum clarescent. „ Ex hoc ipso fonte manavit pia solemnisque Societatis consuetudo, ut singulis mensibus Sanctorum nomina sorte e situla educantur, distribuanturque singulatim. Quo die, votis conceptis reli- E gioseque persolutis, opem sui quique Divi implorant. Didicerat id in gentilitia Borgiæ familia Franciscus: in qua illum olim morem viguisse docui *g*. Ognati quoque idem servavit; *g* multa sociis indulgens, quo die Divi nomen sorte illis obtigisset: ipse ad hæc precationi plus etiam temporis tribuere solitus.

eorumque cultum sedulo promovet.

231 Divorum cultum ut excitaret augeretque, (contra atque hæretici solent, qui in Sanctorum imagines, ut olim iconomachi, grassantur) Romæ Franciscus in æs graphice incisas et affabre sculptas imagines in omnes provincias misit. Quin et archetypa donavit sociis atque distribuit. Visitur Romæ in æde sacra B. Mariæ Majoris illius effigies a Luca Evangelista, ut pie creditur, depicta; religiose etiam a piis frequentatur. Hanc imaginem, cum per se, tum ob antiquitatem pietatemque, tum ob pingentis fidem venerabatur Franciscus. Laborandum itaque sibi existimavit, ut ad archetypum depingere alteram bona cum Caroli Borromæi, Cardinalis innocentissimi, venia liceret. Obtinuit tandem, quamvis ægre, et evicit singulare pietatis in illo studium: humique F in ara collocavit, suoque arbitratu exemplaria eduxit, misitque ad Hispaniæ dynastas aliquot, Societatisque collegia, ut Virginis cultus merito cresceret, quia mortalium patrocinium gerit.

Orans interdum turbatur a dæmone,

232 Interpellare orantem dæmoni studium sæpe fuit, nunc simii specie subsannando, nunc gigantis instar, forma supra humanam majore, spectrisque territando. Pintiæ cubiculo digressus, Crucis se signo muniens: „ Videsne, „ inquit, Marce frater, nigrum et anspectu formi- „ dandum cacodæmonem, passim obambulan- „ tem? „ Quo dicto, acquievit Franciscus animoque nonnihil sedato, erubuit: quod metum ejus præ se tulisset spiritus, qui ne capillo quidem capitis detracto, nocere homini, nisi Deo concedente, queat. Interrogatus aliquando a socio, num metuisset, ambulare viso dæmone noctu per conclave membrumque domus: demissis ille oculis modeste respondit: „ Illud, „ frater, certe constat, Deo permittente, appa- „ rere interdum dæmones: improbis quidem, ut „ a flagitiis territi abstineant, vel puniantur; „ bonis vero ut ad pietatem exerceantur et me- „ rita meritis cumulent. „ Precanti summo animi ardore

A ardore ad Eucharistiæ aram, incidit forte lignea columella e gradibus. Nihil ille territus orare perrexit, quoad eam, qui aderant, sustulerunt. Ea erat vultus hilaritas, decus atque maturitas, ut socii, etiam auctoritate summa præditi, cum pietatis calorem refrixisse sentirent, vel aspectu illius ad pristinum ardorem redirent.

interdum cælesti luce perfunditur.

233 Methymnæ-Campi *h* oranti conclave ingressus Hieronymus Ruisius Portillius collegii rector, qui post primus Peruanæ Indiarum provinciæ præfectus fuit, Franciscum lumine splendere faciemque solis instar radios emittere deprehendit. Idem in Berlangæ *i* vico Ayalæ doctori Societatis usu venisse comperi. Hic intempesta nocte cubiculum Francisci consilii gratia ingressus, summis in tenebris splendere omnia, non secus atque si faces arderent, vidit : vultu item oculos præstingui observavit. Templa de more ingressus, incredibili sagacitate noverat, essetne, et in quo altari servaretur Eucharistiæ Panis ille cælestis : ut raro aberrarit, aiens vel negans : licet lampas incensa

B aræ appenderetur.

Vaticinia

234 Ognati versanti anno M. D. LII litteras a Carolo Gandiæ duce datas reddidit vetus et domesticus familiæ cliens Sampson. Nunciabant læte, avum esse factum, natumque primogenitum sibi Franciscum nomine, qui post Gandiæ dux. Nondum resignatis litteris Franciscus vaticinans, sic tabellarium appellavit : « Expectate « advenis, Sampson : valetne Franciscus recens « natus? » Obstupuit ille miratusque, quis se cursor veredarius antevertisset, qui nullum currendi finem fecisset, « Mercedem equidem, » ait, « læti nuncii abs te exigere cogitabam. » Ad hæc ille : « Ea te privare nolo : ter tibi « angelicam Salutationem recitabo litterisque « negocium duci filio dabo, tui ut rationem ha- « beat quæque donaverit, mihi expensum ferat. » Ægrotabat graviter Franciscus Briones e Societate nondum Sacris initiatus, comes aliquot annos peregrinationum Francisci. Jam depositum pæne ac deploratum invisit : animumque addens confidere jubet : « Non hic, » inquit, « ad « mortem te morbus dabit, sed brevi convale- « sces. » Idem rursum in itinere laboranti sibi

k

C accidisse narravit Briones. Segobiæ *k* ad eundem modum Ferdinandus Soler, doctor theologus, tertiana laborans, dum noxium diem morbumque imminere sensit, interrogatus a Francisco : « Satin salvæ res? ut vales? Quomodo « visum est Deo, » respondit ille : « Febrim expe- « cto. » « Cur exspectas? » ait. « Tu, Pater, » inquit ille, « impera, ne accedat, ne exspectare cogar. » Fecit, ut rogatus erat, imperavitque morbo. Lectulo inde lætus valensque se subduxit.

aliquod edit, patrem filio conciliat ;

235 Ex Hispania cum Alexandrino Cardinale Romam per Gallias revertens comitem Joannem Suarez habuit Mirandam usque, qui ad Iberum est Aragoniæ vicus. Hic, discessione facta, Joanni de se prædixit, ut Romam vix salvus rediret : illum vero Castellanæ provinciæ præfectum iterum creatum iri : certe utramque veram prædictionem fuisse, res ipsa declaravit. Morti vicinus, cum fere cygneam vocem emitti sapientes homines affirmant, Marco fratri prædixit fore, ut in Indiam adnavigaret; itaque evenit, cum ne Marco quidem tum id venisset in mentem. Regulus quidam Hispaniæ, a filio dissentiens graviter, segregaret se, ut ne aspectum quidem ejus æquo animo ferret. Franciscus, qua erat pietate, ad concordiam revocare alloquiis studens, hortatur, parentem se esse meminisset. Filium ad se recipiendo, quod se dignum esset, facturum. Ille indignabundus vultu terrebat, missum faceret illum sermonem. Igitur verbis Franciscus repulsus, ad summum Parentem Deum confugiendum ratus, pacem venerans precatur. Venatum ille mox abiit, et ardente correptus febri, lectulo affixus jacuit. Post in mentem venit, morbo se juste puniri, quod sana pii Hominis consilia repulisset. Franciscum e vestigio arcessit, veniam obtestatur; illiusque se fidei committit et cum filio quamprimum in gratiam redit.

A. P. RIBADINEIRA.

animas piaculari igne suis precibus liberat.

236 Summa illi animarum cura, quæ corporibus solutæ purgante igne crimina expiant; ut etiam tum dux Gandiæ assidue pro illis orarit et liturgias remque divinam fieri curarit. Cujus officii nomine sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse narrant : promisisse etiam pro illo in Beatorum sedibus Deum precaturas. Hæc candide ille, ut omnia, Hieronymo Natali, sacerdoti optimo, narrare solitus : quem bis in Hispaniam ab Ignatio missum commissasque illi Societatis provincias diximus *l*. Plura equidem, fateor, commemorare prædictionum visorumque genera poteram, testesque omni exceptione majores laudare, quorum plerique etiam superstites : verum hæc satis esse duxi; eo consilio a me allata, ut precationis effecta in Francisco cognoscantur : cum præsertim propositum sit virtutes potius, quam id genus signa laudare. Admiranda enim opera, quæ sancti homines patrarunt, miranda quidem : at solida incorruptaque virtus, imitanda etiam est. Illa immensam Dei erga mortales bonitatem ostendunt : hæc etiam ad imitationem exstimulant.

E

l

ANNOTATA.

a *Ad Philip.* 2, ℣. 8.
b *Proverb.* 21, ℣. 1.
c *Ita fere ad Rom.* 13, ℣. 2.
d *In Biscaia, Hispaniæ provincia.*
e *Apud Matth.* 5, ℣. 8.
f *Consule ejus pronepotem pag.* 397 *et seqq.* F
g *Supra lib.* 1, *cap.* 1, *num.* 2.
h *In regno Legionensi.*
i *In Castella Veteri.*
k *In eadem Castella Veteri.*
l *Supra lib.* 2. *cap.* 7, *num.* 86. *Ribaneira habet :* Ab Ignatio et Layne.

CAPUT XV.

Pœnitentia, suique victoria.

CAP. V. *Corpus,*

Recte in asceticis judicant homines pii, suspectum videri orandi studium, nisi et sui victoria comes accedat. Sic enim appello, quam vulgo MORTIFICATIONEM : quæ domandas esse animi perturbationes affectionesque doceat. Sic Plato philosophiam, mortis meditatione, animum a corpore abducendo, definiisse videtur. Non fugit cælestis hæc philosophia Franciscum, diu multumque

A. P. RIBADINEIRA.

multumque in ea exercitatum; cujus et multa passim exempla retuli et nunc pauca colligam. Audito se præsente laudari quempiam de vitæ sanctitate atque innocentia, respondere solitus erat: « Talis erit, si se ipse vincere norit. » Corpus carnemque hostem capitalem appellabat. Quicum pacisci induciasque facere perpetuo recusavit, quin et domare magis indies magisque studuit. Qua in re, quæcumque opem ferre solerent, amicos sociosque appellabat. In solis ardoribus summoque aut æstu aut frigore et imbribus iter faciens, dicere solitus: « Quam belle « me juvant amici! »

etiam æger, domat;

238 In morbis, summa semper adhibita patientia, dolores constanter ferebat, quin et augere illos studebat, quo meriti uberior seges colligeretur. Pharmaca ægrotans, quamvis amara, sorbendo hauriebat, ut amaritie diutius cruciaretur. Catapotia quoque dentibus eadem de caussa mandere solitus, ut, qui ministri voluptatis olim fuerant, iidem pœna torquerent. Causam aliquando rogatus, modeste respondit: B Belluam istam » (sic enim corpus nominabat) « plorare jubeo: ut, quam deliciis voluptatem « cepit palatum, eandem abstinendo amittat ex- « pietque. Meminerim et ego, Christum Salva- « torem fel in cruce gustasse. » Septimancæ *a* Societatis tiro coqui officio functus, Francisco condire cibos gustatui jucundos studebat. Collectis itaque in viridario herbis, absynthium amaram herbam ignarus decerptam collegit, et jusculum patri apponens, « Ede, » inquit, « Pa- « ter, jus mea manu conditum. » Edit, et vero libenter, tametsi amarum. Rogatus vero, ecquid placuisset: « nihil unquam edi in vita me dignus respondit. Gustarunt, quod reliquum erat, socii, ruboremque, re comperta, eoque incutiunt. Ille genibus mox accidens, veniam precatur imprudentiæ. At ille: « Dominus tibi be- « nedicat faciatque benigne. Unus tu de tot « fratribus sensum meum nosti, quaque potis- « simum re indigeam, percalles. »

a

conspui in faciem sustinet, quotidianis de se victoriis

239 De via fessus diverterat in hospitium, humilemque casam cum Bustamantio; pro lecto in stramine diversi accubant. Tussi hic laborans C tota nocte conspuit imprudens Franciscum, faciem etiam non raro fœdans. At ille nihil turbatus tacitusque transegit noctem, sputo deformatus, vix ut agnosci posset. Ubi diluxit, comperto quod res erat, veniam Bustamantius precatur. Ad hæc ille: « Non est, Pater, quod « ea re labores: nec enim usquam me dignior « locus in cubiculo sputo aspergi debuit. » In Hispaniam cum Alexandrino Cardinale reversus germanæ sorori Joannæ Crucis, quæ sacris divæ Claræ virginibus Madriti præerat, dicere solebat. « Nostrum est, qui religiosæ nos vitæ « consecravimus, quater et vicies quotidie « morti nos comparare; ut ex eorum, de quibus « Apostolus ait, MORTUI ESTIS, numero simus « *b*. De me quidem affirmare liquet, quotidie « morior. » De purgantis ignis pœnis aiebat, non tam pœnarum nomine metuere se, quam quod nullus ibi, ut in mortali hac vita, meritis, operibus bonis, ac pœnitentiæ relictus locus sit. « Alioqui, » inquit, pridem a Deo poposcis- « sem. »

b

ad mortem se præparat; flagellis, ciliciis,

240 Mœstitiæ sibi fore affirmabat, si quando forte imparatum se, nullaque sui sensuumque victoria mors opprimeret. Advigilabat itaque sedulo perpetuumque cum corpore bellum gerebat. Quod ut maxime tegeret, celatumque cuperet, manebat tamen foras. Capillos enim D ipsum sibi vellisse deprehensum. Scrupulos lapillosque et arenam calceis injiciebat, ut ponderem ambulanti asperitateque molestiam adferrent. In diversoriis, ne noctu in se flagellis sævire audiretur, ad artes confugit, quibus sanguinem sibi excuteret, vellicaretque se, ac pungeret. Sole ardente pedetentim ambulare: nives item hyeme lente calcare, et id genus alia adhibere, quo se ipse vinceret. Gothalaniam dum prorex teneret, et Societatis post Generalis Præpositus, cilicia atque flagella clavibus occlusa, pannosque, quibus sanguinem detergeret, habebat. Cilicia etiam usque eo camelorum pilis horrida erant, ut vel spectanti terrorem incuterent. Deum orans humum ore diu contingebat, ex quo molares dentes amisit atque igni labia succensa: ut propius factum sit nihil, quam ut eo morbo periclitatus vita decederet, ni tempori cavisset.

etiam ultra modum, in se sævit,

241 Flagellis humeros lumbosque discideE rat, ut putrescere viderentur: quæ res religionem illi injecit. Fidere tamen se aiebat beneque sperare, fore, ut Deus sui misertus ignosceret, si quando modum excessisset, quod pio id studio factum esset, meminissetque idem aliis prius usu venisse. Dicere solitum ferunt, pœnitentia viam in cælum muniri. Urgebant Ognati *c* sacerdotes aliquot Societatis, longe illi ca- c rissimi, de sui victoria ne eos perpetuo celaret. « Equidem quando ita vultis, » inquit, « acer- « bam mihi vitam cibumque amarum duxe- « ro, quo die non me ipse flagellis cecidero. » Qua in re nihil remisce agere: ut socii interdum octingentos ictus verberaque numerarint. Nec satis erat poppysmo seu complosis vola manibus, ut solet, signum datum, ut a cædendo temperaret. Dicebat et illud, ne se deliciis delinitum lautius acciperent, donec a Deo, quæ vellet, impetravisset. Poscebat enim assiduis precibus, ut deliciæ in cruciatum verterent, dolores contra voluptati essent. Filiam itaque, Lermæ comitem *d*, cum mœstam ægram- d que videret et quiritantem, his alloquiis solatur: « Dolores nolenti Deus immittit, postu- « lanti negat. » Cum in principum aulas divertere invitus cogeretur, ea duntaxat edulia, quæ domi in triclinio, frugali in mensa, edebat. F Si mollis, ut fit, lectulus stratus esset, sine arbitris culcitram unam, fulcris subductam, humi collocabat; hic somnum capiebat, mane vero reponebat.

morbisque afflictari a Deo petit,

242 Pœnitentiæ quantum in Francisco studium fuerit, vel illud argumento est. Rogatus aliquando Septimancæ a Bustamantio, ut ea illi a Deo postularet, quæ sibi ipse exoscere soleret. Ternæ vix horæ abierant, ecce tibi ardentissima correptus febri Bustamantius cum capitis dolore, ut in rabiem agi videretur. Didicit nimirum illud esse, quod Franciscum rogarat, majoresque se spiritus, quam vires gerere, neque cum Francisco esse comparandum. Optatis itaque liberari tanquam voto cupiebat. Precaretur itaque rursum Deum, ut morbum depelleret. Franciscus vero bono esse animo imperat: nec enim pati Deum, tentari nos supra id, quod possumus. Precibus iterum fusis, abiit continuo morbus: remque deinceps non sine rubore narrare Bustamantius consuevit: audaciam, suique confidentiam aversatus, majoresque gigantis esse, quam pumilionis vires fatebatur.

243 Abstinentiæ

jejunii leges vel cum vitæ periculo servat:

A 243 Abstinentiæ immodicæ causa dolorumque ventriculi imbecillioris, morbique cardiaci viginti fere annos a piscium esu abstinere medici eum jubebant quadragenarii jejunii tempore, nisi si in discrimen caput vitamque adducere vellet. Quibus quidem non parere durum videbatur atque incommodum : evicit tamen precatione animique celsitudine. Audito enim Pium Quinctam Pont. Max., ætate majorem, annua jejunia religiose servare, nulla ætatis fessæ atque decrepitæ habita ratione; idem sibi vel capitis discrimine tentandum putavit. Quod cum bene feliciterque evenisset absque valetudinis detrimento diuturna illa verni temporis jejunia et quattuor anni partium atque Adventus servare perrexit : mirantibus, qui corpusculi imbecillitatem nossent; sed a Deo vires, quod res erat, celso animo suppeditari existimabant. E morbo decumbentem consolaturi qui accesserant, in cubitum erigi solitum observarunt, dum divinis de rebus verba facerent, sive cupiditate sacra audiendi sive discendi studio. Quin et identidem tunc in hæc Hie-

B remiæ verba erumpere solitum " : Desolatione " desolata est terra, quia nullus est, qui reco-

c " gitet corde *c*. "

cap. vi. propinquorum vero amorem

244 Vicerat se ipse Franciscus, non pœnitentiis duntaxat corpus spiritui; verum etiam animi perturbationes subigendo. Ex his qui æquo majorem erga propinquos affectionem vicerit, næ ille alias animi perturbationes motusque, non perinde violentos, superabit. " Sunt " enim plerique ", inquit Gregorius, " qui non " solum aliena non appetunt, verum etiam " cuncta, quæ possederant, in mundo derelin- " quunt, semetipsos despiciunt, nullam præsentis " vitæ gloriam requirunt, ab hujus mundi " se actibus separant et pæne quicquid pro- " speritatis arriserit, calcant; sed tamen adhuc " vinculo carnalis cognationis alligati, dum " amori propinquitatis indiscrete serviunt, ad ea " sæpe per affectum cognationum redeunt, quæ

f " jam et cum proprio despectu subegerunt *f*. "

exstinxerat adeo,

245 At Franciscus, postquam vocatus a Deo est, nihil habuit antiquius, quam " oblivisci

g " populum suum et domum patris sui *g* " : ut

C jam inde a puero in religionis secessu educatus videretur. Immo ne in sermone quidem deprehendi cognatorum affiniumque ullum amorem passus est. Mirabantur id alii, agnati etiam indignabatur; utrique tamen, quod domi discerent, habebant. Franciscum tam felici memoria præditum, oblitum tamen propinquorum fuisse, ut ne minimum quidem de illis cogitaret. At qui recta rem ratione expendere soliti, facile animadvertere, eum cognatorum amorem cælesti mutasse : et conditorem opificemque universi, rebus conditis jure optimo prætulisse. Litteris itaque Antonii Araosii, Roma ea de

h re missis *h*, constanter respondit : " Meos equi- " dem amare non desii, Deumque quotidie ve- " nerans precor, salvos incolumesque esse ju- " beat. Et forsitan gratior Deo precatio, quæ " quam minimum carnis et sanguinis habeat " admistum. Pereat ille amor, ut vivat, quem " quæro, cælestis. "

ut neque

i

246 In oppido, quod Reginæ-casam *i* appelari diximus, agenti, Dorotheam filiam obiisse divinitus nuntiatum, eo ipso, quo migravit, horæ momento ad divæ Claræ Gandiæ : sed nihil mutatus animoque turbatus, quasi ad se nihil attineret. Verum non perinde miran-

A. P. Ribadineira.

dum, in filiæ morte mœstum non fuisse, quæ jam inde a pueritia virginitatem Deo consecrarat; propterea quod exsilii sui terminum, ut pridem optarat, nacta esset : illud plerique magis mirabantur, Isabellam filiam, Lermæ comitem, singulari matronam virtute dotibusque naturæ præditam, non luxisse. Pintiæ enim aulam principis ingressurus obvium habuit, qui tristem subitumque filiæ interitum nunciaret. Paululum itaque clausis oculis, aperta vero ad Deum mente orans beneque mortuæ precatus, perrexit. Rebus in aula gestis, discessurus principi dominæ *k* dixit : " Ora, quæso, pro ani- *k*

" ma famulæ tuæ Isabellæ, quam nunc morbo " minime lento, sed repentino extinctam au- " divi. "

filiarum obitu,

247 Adhæc illa : " Itane tam tristem nun- " cium obiter a discedente nuntiari mihi opor- " tuit? nihilne parentem talis filiæ mors movet " amplius? Depositum ", inquit, " accepe- " ram : repetiit Dominus. Reddamus itaque, ut " par est, alacriter : quodque tam diu usuram " ejus dederit, grati testificationem animi de- E " mus. Igitur non lugendum, præsertim cum " his vitæ miseriis et corporis vinculis soluta " emerserit, in Beatorumque sedes Dei clemen- " tia, ut spero et opto, commigrarit. " Domum ubi revertit, sacris pro illa operatus, aliam luctus significationem nullam dedit. Eo ipso die allaturus consolationem alloquiis accessit comes stabilis *l* : cumque nihil mœstum in vultu ani- *l*

madvertisset, indignabundus : " Tene ", inquit, " tali filia amissa, nihil moveri? Modeste ", " subjecit ille : Ex quo me tempore Deo dedi- " cavi, sic cor illi meum libens volensque ob- " tuli, nihil ut in rebus humanis turbare illud " posset. " Cum itaque acerba incidissent, duo fere dicere solitum ferunt : Res humanas, ut " quæ nihil ad nos attinent, in minimis pono. " Et illud : " An abbreviata est manus Domini *m*, *m*

" ut salvare nequeat? quid igitur timeamus? " si Deus pro nobis, quis contra nos *n*? " *n*

neque oblata conjugis moveretur imagine neque filiorum

248 Rem divinam faciebat in ædibus filiæ, Lermæ comitis. Gener aræ imposuit effigiem conjugis ejus Leonoræ, sed B. Catharinæ nomine insignitam. Ille nihil mutatus, sed obfirmato animo fuit : peracto demum sacrificio, F rogatus a socio, cujus ea imago esset : " Leono- " ræ ", inquit. " Verum nihil nos movit, nisi " ut Deum pro ea precarer ardentius. " Addidit ei illud : " Comiti meis verbis manda, effigiem " in cubiculo habeat, licet : altari posthac ne " imponat, etsi ex Leonora Catharinam fecerit. " Cæsar Carolus, cum secundo in suum ad Justi secessum evocasset Franciscum, periculum facere voluit, verane essent, quæ inaudierat, liberos jam ex se natos nihil curare. Injecta itaque de filiis mentione, de natu maximo Carolo, Gandiæ duce, conquestum apud se narrat Sanctium Cardonam, ammirantium, ut nominant, Aragoniæ, quod ditionem illius in Gandiensi agro, regiam nomine, contra jus teneret. Quid hic facto opus judicas? et uter causa cadet? Adhæc Franciscus : " A quo stat " ratio, jusque non habeo dicere. Illud tantum " majorem in modum peto abs te, cæsar, ut " Sanctio Cardonæ non jus duntaxat sartum te- " ctum reddatur, verum etiam ille gratificeris " potius, quam filio meo. " " Itane ", inquit cæsar, " tuorum liberorum caussam agis? non- " ne præstat eam liberis tuis gratiam tribuere? " Rursum Franciscus : Cardona fortassis ea ma-

" gis

A. P. Ribadineira.

» gis gratia, quam filius meus, indiget. » Mirifice cæsar Hominis constantia delectatus, collaudavit : nec temere esse, quod vulgo jactarent, illum carnis se et sanguinis amore omnino spoliasse.

cum facile posset, promovere

249 Miratus et Pontifex Pius quartus eamdem in Francisco virtutem. Romæ enim illo versante, filius Alvarus Borgia bona Pontificis venia atque indulto ducere domum Joannam Aragoniam *o*, sororis suæ filiam, optabat, quæ jam marchionatus Alcanisii hereditatem adierat. Cognito Pontifex Francisci filium Alvarum esse, miratur, cur nona se beneficii loco postulasset Franciscus ; de quo bene merendi occasionem undique captaret. Accitum itaque illum nihilque cogitantem, quidam vellet Pontifex, interrogat, » Alvarumne filium haberet. » Annuit ille. Ad hæc Pius : » Cur ne verbum » quidem adhuc ea de re apud me fecisti ? gna- » rus quantum tua tuorumque causa cupiam. » Subjecit Franciscus : » Multis equidem, beatis- » sime Pater, undique arietibus, ex Hispania » oppugnabar, urgebarque precibus, ut Alvaro B » filio id beneficium abs te impetrarem : verum, » ut, quod res est, dicam, ut ad hanc diem id » abs te postularem, imperare mihi non potui. » Nam si jus æquumque postulat filius, me ni- » hil opus apud te deprecatore : sin petit iniquum, rogare meum est, ne secundum illum » sententiam pronunties, neve indulgenter cum » illo agas ; ut et in præsens etiam atque etiam » rogo. Si enim is sum, qui esse debeo, majorem rationem religionis tuæque dignitatis » habeam, necesse est, hujusque adeo Apostolicæ Sedis existimationis, quam privati emo- » lumenti : quod quidem publico cedat, communique bono oportet. »

negotia velles,

250 Recreatus incredibiliter Pius prudente Francisci responso, judicium mentemque laudavit. » Quid igitur faciendum censens ? » inquit. Hic Franciscus : » Duo eandem ambiunt spon- » sam, eodem cognationis vinculo astricti : alter » matris, patris alter frater : uterque a Sede Pon- » tificia gratiam supplex postulat. Et quoniam » judicium requiris meum, equidem in ea sum » sententia ; e re sponsæ fore, liberam illi opti- » onem relinqui, ut utri nubere malit, pace C » tua, nubar in Domino. Quo fiet, ut utrique » facias satis, et illa, quem elegerit, conjugem » nanciscantur. » Obstupuit ad hæc Pontifex, hominis prudentiam prædicans : dissensit hic tamen ab illo, secundum Alvarum ex æquo et bono pronuncians, uti bona cum venia sororis filiam in matrimonio haberet, hoc addito elogio : Sede Pontificia dignum videri, ut, qui preclaram ei operam adhuc navasset, ejus ratio haberetur : quique Dei amore titulis sese omnibus liberorumque adeo amore et cura abdicasset, ejus tutelam Pontifex susciperet. Profuit itaque durus is Parentis animus Alvaro amplius, Deo ita jubente, quam si Parens supplex id postulasset. Nobis item, qui in eadem familia sumus, domesticum reliquit exemplum, oportere nos, a rerum humanarum sollicitudine liberos, in Deum, cui cura est eritque de nobis, amorem traducere.

ANNOTATA.

a *Hispanis* Simancas, *in regno Legionensi.*
b *Ad Coloss.* 3, ỿ. 3.
c *In Biscaia.*
d Isabellam *nomine.* D
e *Jerem.* 12, ỿ. XI.
f *Lib.* 7 *in Job, cap,* 14.
g *Psalm.* 44, ỿ. XI.
h *Anno* 1556.
i *In Rioia. Hispaniæ provincia.*
k *Joannæ, Lusitaniæ principi, Caroli vero V filiæ.*
l *Ferdinandus Velascus.*
m *Isaiæ* 50, ỿ. 12, *et* 59, ỿ. 1.
n *Ad Rom.* 8, ỿ. 31.
o *Alvari soror dicta fuit* Joanna Aragonia : *ejus filiæ, quam sibi uxorem expetebat Alvarus, nomen non expressit Ribadineira : apud Inhovium autem in Tabulis genealogicis Hispaniæ pag.* 23 *dictam fuisse reperio* Elviram. *Malim itaque legere,* Joannæ Aragoniæ, sororius suæ, filiam.

CAPUT XVI.

Facilitas morum, prudentia, candor, ceteræque virtutes. E

Recte laudat D. Hieronymus *a* Exuperium, Tolosæ Tectosagum episcopum *b*, quod jejunaret ipse, ciboque * demenso suo, suum defraudans genium unciatim parceret, ut alios famelicos aleret ; cruciareturque aliorum potius, quam sua inedia. Item Francisco usu venit, qui in se regidus erat et severus, in alios blandus et facilis : nihil ut sibi ignosceret, aliis omnia. Parentum caritatem, ut diximus, non extinxerat ; sed carnis et sanguinis amorem, divino illo et cælesti permutarat. Minus quidem erga affines blanditiis utebatur, tamen si quid salva religione postularent, qua consolando, qua re consilioque juvando benignum parentem experti sunt : uti frustra nunquam ejus operam desiderarint. Eximia vero illius in ægrotos pietas exstitit, nihil ut deesse illis eorum, quæ medici requirerent, pateretur. Socii omnes probe norant, tuto in illius aures et sinum deponi omnia, que cruciarent : mœstitiamque detergere libenter solere, sive corporis morbis sive animi laborarent. Neque importunos se futuros aut molestos metuebant. Nec, ut plerique solent, de temporis angustiis expostulaturum.

cap. VII. *Franciscus in se severus,* *a* *b* * *supple :* de F

252 Ex hac morum facilitate mos illi natus, uti nihil aspere imperaret, « Hoc facito » : vel « Illud cura » : sed hisce blandiciis delinitos sic appelabat : « Fac, quæso, illud Dei caussa et » amore adductus. Auderesne illo, valetudine » salva, proficisci ? Valesne, ut in missionem » Evangelicam pergere queas ? Commodumne » tibi erit doctoris titulum tueri, hujus vel il- » lius artis ? » Vel sic : « In mentem mihi ve- » nit, hoc tibi munus imponere : sed animi tui » sensum explorare prius libuit. » Id genus officiis promptos alacresque expertus est magis. Si quem angi animo cruciarique comperisset, omnes ingenii nervos intendere, qua re potissimum in partem laborum veniret, onus sublevaret consolationemque posset pius Parens adferre.

ceteris,

253 Si quis humanitus lapsus impegisset in re levi, nihil acerbius eloqui solitus ; hoc tantum, « Ignoscat tibi Deus, sic te sanctum vi- » deam,

vel delinquentibus, blandus,

A „ deam, frater: quomodo dictum factumve il-
„ lud abs te est? „ Sin gravius deliquisset, ad se arcessitum blande compellare, nihil tamen impunitum relinquere: parentis optimi simul et medici functus officio. Crimen itaque referre, petere ut pœnitentia ductus resipiscat. Paratum sese in pœnæ partem, licet culpæ affinis non esset, venire, ut libro secundo demonstratum
c est *c*. Hoc caritatis signo pietatisque, quod sibi propositum erat, facile consequabatur, ut ad meliorem frugem suos ab erratis revocaret, illud identidem usurpans: „ Facilitate nihil esse
„ homini melius, atque clementia. Et, Omnia
„ prius consilio experiri, quam armis, sapien-
„ tem oportere. „ Postea vero si mores ingeniumque mutasset in melius, qui deliquerat, summa præteritorum erratorum oblivio erat. Qua etiam virtute Ignatium ceteris præstitisse accepimus.

alienæ calamitati condolens,

254 Dicere solebat, qui Deum ducem sequeretur, eum oportere non unum sibi caput, binos oculos manusque attribuere, sed plurima membra cum ceteris habere communia. „ Amico-
B „ rum enim communia, „ aiunt, „ esse omnia „ Quo fieret, ut in communi calamitate sensum doloris ad se quoque pertinere exis timaret. Sic fore, ut unius omnes corporis membra essent; et, quod de se Apostolus ait: „ Quis infirmatur, et,
d „ ego non infirmor *d*? Quis scandalizatur, et
„ ego non uror? „ Iter ingressurus, comiti negocium dabat, ut de tenui viatico, quemvis mendicum obvium, idonatum abire ne sineret: ea tamen moderatione adhibita, ut a mendico etiam profectam eleëmosynam appareret: nisi si quæ gravior incideret necessitas, quæ lege circumscribi non deberet. Si nihil, quod aliis largiretur, suppeteret, animo lætus, quod sponte inopiam esset amplexus, mente hæc agitabat ferebatque: „ Si esset, quam libenter tibi dona-
„ rem? „ Hæc vero gratior Deo, qui corda scrutans hominum, donantis animo munera metitur, eleëmosyna est: cum quis in inops a rebus animo tamen hilari ac benefico, dare paratus est amplissima, quam si dives donum, frigide tamen offerat.

aqua omnes, etiam sibi iniquos,

255 Cum singulari omnes caritate complecteretur, tum eos potissimum, qui de fama illius calumniando detraherent. Illos enim bene de se
C mereri affirmabat, quod, ne quid prudens admitteret reprehensione dignum, redderent cautiorem. Sic enim sapientes olim homines judicarunt, magnas ex inimicis utilitates capi et posse et debere. De his ipsis nunquam minus honorifice loqui auditus est; immo honorifice de ipsis sentire et prædicare solitus. Quin et detrahi de illorum existimatione præsens, si adesset, nunquam sinebat: illa fere familiariter adhibens: „ Recte ille a se factum existimat. Zelus non est improbandus. „ Vel sic: „ Majora debentur peccatis meis supplicia. „ Si quid errant, veniam illis a Deo precor. „ Incredibile vero memoratu est, fronte quam serena appareret, cum male aliorum, non suo vitio, audiret, ut quasi media in tempestate portum tenere videretur. Nec verbis tantum erga inimicos officiosus erat, sed et beneficiis, cum res daret, illos frequenter obstrinxit. Ejus rei exempla colligere plura queam, sed ne quem lædere prudens videar, neve nominare cogar eos, qui hostiliter in eum incurrerunt calumniisque vexarunt, supersedebo *e*.
e

256 Lis illi erat, non de tribus capellis, Ducis titulum etiamnum gestanti, cum Francisca noverca *f*: quam litem persequi salva religione, ne bonis heredes fraudasse ignavia videretur, et jure experiri coactus, lite tandem cadens, tantum abfuit, ut moleste Franciscus tulerit, rem sibi abjudicatam, ut etiam hilari fronte summam animi constantiam atque adeo lætitiam ostenderit, et, ut amitæ *g* narrabat, gratiam judicibus habuerit. Novercæ enim consultum potius, quod eam coleret, quam sibi cupiebat. Tali tantaque judicii præstantia juvenis adhuc, nullis sacris initiatus, fuit, ut caritatem tranquillitatemque animi fortunæ bonis omnibus anteferret.

A. P. Ribadineira.

et adversantes complexus fuit caritate,

f

257 Laynes, Præpositus Generalis, ad omnes Hispaniæ provincias literas dederat, nomina perscriberent, quibus eam Deus mentem daret, ut vel apud Indos vitam in Evangellii prædicatione profundere parati essent, vel in Europa prima Latinæ linguæ elementa pueros docere non erubescerent. Franciscus, cui tum commissa Hispania, etsi legibus istis solutus esset, sua E
tamen manu Layni scripsit hanc animi testificationem, tabulis consignatam, optare sese pro Christi nomine apud Indos sanguinem fundere caputque periculis objicere. Orare itaque bona illius venia liceret in eam expeditionem proficisci, precibusque ad Deum fusis, hanc illi voluntatem promoveret.

ex qua missi etiam in Indias petiit.

258 Divinæ non humanæ prudentiæ unum instar omnium argumentum hoc est: excelso Franciscum animo bonis fortunæ titulisque omnibus nuncio remisso, sponte Christianam inopiam esse sectatum. Prudenter nimirum judicabat, caduca hæc atque inania, quæ sub aspectum cadunt, pro nihilo ducenda libenterque æternis permutanda. Quam quidem cælestem sapientiam mens hominis, caligine hebetata et tenebris obducta, nisi fidei lumen Dei munere concessum accedat, perspicere minime potest. Si qui Societati nomen dare vellent, minimisque rebus, ut fit initio, urgerentur, quo minus se totos addicerent, largiri illis minuta funemque concedere, salva tamen religione, et commodi spe majoris, solebat: gnarus futurum, ut tempore ipso exilia illa et parva (quæ, tanquam moles immensas, objicere dæmon mentibus soleat, ut salutis res minus procedat) veluti ne- F
bulæ sole, dissiparentur. Hujus rei documenta hæc habeo. Nobilis illustri loco in Hispania natus, a Deo quidem vocatum se, ut Societati aggregaretur, ad Franciscum retulit; una tamen re impediri ac deterreri, quod sine famulo, qui vestibus calceisque eum spoliaret indueretque, se commode vivere posse negaret. Ad hæc Franciscus: Si nihil moratur aliud, recipio daturum unum e sociis, qui serviat, et quidem promptius, quam mercede conducti. Vix octavum jam diem opera illius usus, facti pœnitens, erubuit: sociis ministrare ipse cœpit, pedes osculari et veniam precari, servum se omnium appellans.

CAP. VIII.
Qua usus in regendis

259 Alter item domi nobilis, unam sibi rem in Societate arduam ratus, recens, ut consueverat, quotidie indusium non mutare. Annuit Franciscus. „ Indusium, „ inquit, „ cum vo-
„ les, accipies, ne ea te res a perfectæ vitæ
„ cursu impediat. „ Nec longius factum est, erubuit et ipse, factique puduit, quod inania illa in deleciis habuisset. Mox molle indusium cilicii

tironibus,

A. P. Ribadineira.

cilicii asperitate mutavit, et ad extremum usque duravit diem. Sacerdos item, non vulgari eruditione, cum belle domi suæ agitaret, ampleque habitaret, Septimancæ sociorum numero adscriptus, angustas tironum cellulas contemplatus, animo angi ac debilitari cœpit. Cognito Franciscus, quod res erat, amplissimum collegii domicilium illi attribuit : hoc amplius, domestica supellectile uti eum passus est : sic brevi angustum hominis animum superavit. Consilii enim post non diu puduit, piguitque, cubiculoque disgressus, cellam occupavit angustam ; paupertatemque præcipue religiose servavit.

in deligendis missionariis, artium professoribus, concionatoribus

260 Illud in primis studiose cavit Franciscus, ne missiones susciperent Evangelicæ prædicationis collegiique fundamenta jacerent, nisi quorum singularis esset probataque pietas. Ut enim ædium fundamenta, ita et rerum omnium principia, in quibus sint reliqua, permagni interesse aiebat, a quibus jacerentur. Dicere itaque solitum ferunt, eas demum missiones sibi placere, quæ mœrorem adferrent ; quod familiaritate tum privaretur optimorum sociorum. B Utrisque vero illud in primis negocii dabat, ut quot quantaque negocia urgerent, orandi tamen studio nunquam abstinerent : neve precationem, animi pastum, scientes prudentes omitterent. Ad studia quod attinet, commune hoc illi cum Ignatio judicium fuit, nemini sociorum fas esse, novas peregrinasque sententias tueri. Neque id in Theologia, optimarum artium regina, duntaxat cavendum, ubi majore animorum periculo peccatur, sed etiam in philosophandi ratione tenendum existimabat. Qui enim hic auderent inaudita præterque omnium opinionem defendere, eos in gravioribus disciplinis idem ausuros aiebat. Concionatoribus sociis auctor idem exstitit, scriptoque consilium mandavit, spiritum in concionando adhiberent, dicendique vim et audientium corda permoverent. Non ad inanem pompam ingeniique ostentationem orationem componerent. Sacrorum antistites et principes caute prudenterque tangerent. Si quid reprehendere necesse haberent, dolore se id facere coactos, non ira aut odio adductos ostenderent : illo enim vel ferreum animum molliri ; his etiam irritari auditores. C Suo id exemplo confirmabat. « Cum enim acri- « ter vitia reprehenderem, « inquit, « me ipse « objurgare videbar. Quo fiebat, ut majori im- « petu dicerem et ad misericordiam alios inci- « tarem. »

et pestis tempore prudentia fuerit :

261 Pestilentia grassante in aliquot Italiæ atque Hispaniæ provinciis, consultus a Societatis patribus Franciscus, quid, tanto in communi discrimine, facto opus videretur, ut et caritatis ratio haberetur, nec funditus morte collegia exhaurirentur. Hanc ipse rationem iniit excogitavitque salutarem. Nomina ad rectores singulos referrent ii, qui communi se reipub. commodo devoverent. Ex his, delectu habito, ii tanquam in statione milites præsidio relinquerentur, qui et vitæ sanctitate præstarent firmaque essent valetudine, animoque celsiore præditi : minore ad hæc Societatis jactura periculis objicerentur. Hos a ceteris segregatos, proximorum saluti incumbere voluit. Quo factum, ut multi perdurarint operamque navarint gnaviter in Hesperiæ utriusque provinciis, ubi pestis urbes tum populabatur, magna laboris patientia, civium etiam admiratione, et sociorum, qui interierunt, non exiguo præmio. Martyrum enim in numero etiam habitos, qui D caritatis hoc munus recte obirent, in Romanis Martyrum Fastis et Eusebio legimus *h*.

h nonnulla ejus

262 Fratres, quos Coadjutores vulgo appellamus, Dei Sapientes Franciscus appellare consueverat, qui morum simplicitate humilique obedientia et pie orarent et domestica officia probe obirent. Gnarus Deum precantibus illis ea suggerere plerumque solere, quæ mundi sapientes e libris haurire non possent. Qui ceteris præessent, dicebat, non una omnes, qui parerent, regula metiri oportere : sed bonos milites imitari, qui pro fistulæ captu machinam illam bellicam sulphureo pulvere implent, ne dissiliat. Cum humanitus lapsum aliquem narrarent, de quo minimum metuebatur, se ipse tacite explorans, et imbecillitatis humanæ conscius, vulgatum illud in ore habebat : « Homo « sum, humani a me nihil alienum puto. « Consultus a patribus collegii, qui etiam eleëmosynis alerentur, a divite quidem illo, sed qui male audiret, rectene acciperent. Ad hæc ille : Eliam Prophetam *i* et Paulum Anachoretam a *i* corvo quotidie alimentum accepisse : ne dubitarent igitur sese a Deo pasci, corvi opera. His E enim eleëmosynis et precibus, ut solet a Deo bonam illi ad resipiscendum mentem datum iri: ut e corvo, carnivoraque ave, columba tandem evaderet.

variis de rebus

263 Mirabatur eos, qui, quantum aliis de honore in salutando detraxerint, tantum sibi arrogent vindicentque : eaque re magni videri velint, cum jejune alios appellarint, quibuscum certare officiis oporteret. Hinc odia rixæque existunt, detractio oritur, violatur amicitia. Modum itaque titulis statuendum, ne tot odia nascerentur, ut mercibus precium in bene constitutis rebus publicis solet, judicavit. Ipse vero minime restrictus in titulis dandis fuit, immo perliberalis et benignus, si quem his palatii fumis delectari intelligeret. « Si peccandum, « inquit, « alterutram in partem est, in exsupe- « rantia, quam si quid detraham, offendere « malo. « Socius quidam imprudenter triclinium nudus ingressus erat, ut in se ipse flagellis sæviret, beati Francisci exemplum *k*, credo, *k* imitari studens. Noster, non injuria, moleste tulit, pœnamque irrogavit, Cassiani illud repetens : « Sanctorum quædam miranda esse facta, F « non imitanda. «

judicia, ex eadem virtute profecta,

264 Dicere solebat, religiosorum hominum vitam crucem esse perpetuam atque martyrium: quod vincere quotidie se ipse necesse habeat, et perpetuo obtemperare ex voto debeat. Viderent itaque majores, onera temperarent sublevarentque : neve nova excogitarent, pro viribus cujusque onus imponerent. Sacerdoti administrandi collegii ad tempus negocium dederat. Qui cum remisse ageret, ratus breve id tempus fore : non admodum itaque laborandum. Indignatus Franciscus acriter reprehendit. « Sic, « inquit « vel paucis diebus Societatis res geri « debet, quasi perpetuum munus esset. Nocet « enim, qui frigide res administrat, ut vel tem- « poris momento per negligentiam amittatur, « quod multis retro annis sudoribusque partum « est. « Vel militia verum id esse docet, amissis brevi urbibus, quæ longa obsidione captæ, in potestatem venerunt.

cap. ix.

265 Jure Ambrosius pro funere laudavit in Satyro fratre prudentiam, sed ingenii candore morumque simplicitate eximiam *l* : qui de aliis nihil

quam cum Evangelica l

A nihil sinistrum suspicaretur. Eadem Francisci laus propria, qui serpentis prudentiæ, columbæ
m simplicitatem ex Christi præcepto *m* adjecit: facilitatemque gravitate temperavit. Non illum fugiebat, aliter mundi sapientes judicare solitos: calliditate nimirum prudentiam constare. Præstantior tamen ea virtus atque perfectior, quæ candore simul et simplicitate conditur. Ne quid igitur secius de aliis suspicaretur, animo suo imperarat impetraratque. Irrepere itaque falsum de quoquam judicium non sinebat. Abditos esse hominis recessus atque latentes: proinde difficile animum cujusque cognosci et temere plerumque damnari. Quare non facile de aliis judicium ferendum. Falli enim nos sæpe, errare ac decipi judicando. Tutissimum videri, bene de omnibus existimare ac loqui: errata vero aliorum in bonam partem accipere et, quoad liceat, excusare.

simplicitate, 266 Affirmabat, falli se aliorum opera malle, quam temere suspicari: quo fiebat, ut fallerent
B eum non raro, qui fictam pietatis speciem præ se ferrent. Quæ quidem virtus eo magis in Francisco admiranda: cum, quod in aula, ubi callide omnia geruntur compositeque dicuntur, a puero educatus fuerit; tum, quod magistratus gesserit, et prorex judicia tractarit, probeque nosset filiorum sæculi hujus dolos. Candorem tamen usque eo retinuit, ut vera placerent omnia, falsa displicerent. Dicere solebat et illud Tragici: « Veritatis simplicem esse « orationem; « non fucatam, non ad gratiam compositam, artisque idcirco expertem: fallere nolle, sed ex suo animo virum bonum candide omnia metiri. Francisci talis erat oratio, ut cum re ipsa aiens negansque consentiret; et ficum, ut veteri verbo dici solet, ficum appellaret.

ceterarumque virtutum generibus arcte conjunxit. 267 Longum esset tædiique plenum, ire per singula virtutum genera. Nam de castitate quid attinet dicere? cum adolescens etiamnum, matronas nobiles officii gratia invisurus, cilicii lorica corpus munire consueverit, et illibatum virginitatis florem ad matrimonium, ut libro primo *n* demonstratum est, attulerit. Post Societati jam adscriptus, nunquam se a mulieribus, ne a filia *o* quidem Lermæ comite, cum
n
o
C forte in ejus ædibus articulari morbo decumberet, tumentes pedes contrectari passus est. Severitatem facilitatemque ita temperavit, ut severitas facilis, et contra, facilitas severa, cum res posceret, videretur. Taceo in consiliis dandis maturitatem et prudentiam: tolerantiam in adversis: in negotiis susceptis constantiam: animi denique in contemptu rerum humanarum magnitudinem: ceterasque virtutes plane heroicas. Unum hoc addam, gratum memoremque divini beneficii semper vixisse, quod in Societatis familiam aggregatus esset, cujus nomine quotidie gratias agebat: illud etiam interdum usurpans: « Si, ut vina gustatu, ita et religio- « sorum status probari posset, quivis dynasta, « dulcedine liquoris divini ebrius, religiosorum « se in familias cupide daret; sed quia gustari « suavitas non nisi longo tempore queat, eo fit, « ut plerique, asperitate territi, refugia nt. « Atque hæc de Francisci Borgiæ vita dicenda existimavi. Faxit ille animorum Parens, ut hoc vitæ virtutumque exemplar, nobis ad imitandum propositum, moribus constanter exprimamus.

A. P. Ribaldineira.

ANNOTATA.

a *Epist.* 4 *ad Rusticum monachum; apud Martianay vero* 95. *Vide tom.* 4 *Operum S. Hieronymi col.* 777 *et seq. Inscribitur S. Exuperius Martyrologio Romano ad diem* XXVIII *Septembris.*

b Tectosages *Galliæ Narbonensis populi fuerunt.*

c *Lib.* 2, *cap.* XI *apud Ribadineiram.* E

d 2 *ad Cor.* XI, ℣ 29.

e *Vide Comment. prævium num.* 226 *et seq.*

f *Francisca de Castro et Pinos.*

g *Isabellæ, abbatissæ Gandiensi.*

h *Martyrologii Romani ad diem* XXVIII *Februarii verba sunt:* Ibidem *(Alexandriæ)* commemoratio sanctorum presbyterorum, diaconorum, et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani imperatoris, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere, quos velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit. *Eusebius vero apud Valesium Hist. Eccles. lib.* 7, *cap.* 22 *Dionysii archiepiscopi Alexandrini litteras recitat, in quibus de generosa hujusmodi morte ita loquitur:* Adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius martyrio censeatur. *Sitne stricti nominis martyrium, theologi disputant.*

i 3 *Reg. cap.* 17, ℣. 6.

k *Verosimile non est, S. Franciscum Assisiatem umquam in se admisisse, quod honestatis legibus repugnaret. Similia et alias de S. Francisco dicta fuerunt, de quibus consule Comment. prævium in Vitam illius* § 6, *num.* F 131 *et seqq. Item* § XXVIII, *num.* 644, *tom.* 2 *Octobris.*

l *Lib. de Excessu S. Fratris sui: colitur S. Satyrus* XVII *Septembris.*

m *Matth.* 10, ℣. 16.

n *Cap.* 3.

o *Isabella, Sandovalio, Dianii marchioni et comiti Lermensi, nupta.*

AUCTORE C. S.

D

DE S. LUDOVICO BERTRANDO C.

ORDINIS PRÆDICATORUM

VALENTIÆ IN HISPANIA TARRACONENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Variæ S. Ludovici Vitæ, quarum binæ ex Italicis Latinæ edentur, aliaque pro Commentario scribendo adhibenda recensentur.

ANNO MDLXXXI. *E Sancti Vitis a senatu Valentino*

B *Dum Societas nostra in Catholici regis ditionibus etiam salva consistebat, excellentissimus civitatis Valentiæ, quæ Valentini regni in Hispania caput est, senatus anno* 1763, *die* XVI *Martii perhonorificas ad nos litteras dedit, ab ejusdem urbis prætore, quatuor rectoribus perpetuis ac secretario subscriptas, solitoque sigillo publico obsignatas, per quas illi pro sua laudabili pietate nobis commendare dignati sunt, ut* S. Ludovici Bertrandi, *olim civis, nunc dudum in cælis patroni sui gesta diligenter illustraremus. Commendationi suæ, quam maximi facimus, addiderunt iidem excellentissimi viri quædam ad ejusdem sancti Confessoris gloriam posthumam spectantia, nobis usui futura, fontesque, e quibus gesta ejus petenda sint, assignarunt, ac suam denique ad hæc operam benignissime addixerunt.*

pro sua erga Civem suum sollicita pietate suggestis

2 *Ac de fontibus quidem hæc aiunt :* Feretis, nos revocare in memoriam vestram, Vincentium Justinianum Antistium, S. Ludovici fuisse coævum et sacræ militiæ in eodem conventu contubernalem. Nam, cum sanctus ille Vir esset novitiorum magister, Religiosum habitum induit Antistius, et Dominicani sodalitii

C vota concepit anno MDLX, atque per annos viginti tres cum illo vixit ejus sanctimoniæ testis ad annum usque MDLXXXI, quo S. Ludovicus mortalem hanc vitam cum æviterna commutavit; et ipsomet anno Antistius ejus Vitam scripsit hoc titulo : VERDADERA RELACION DE LA VIDA I MUERTE DEL PADRE FRAI LUIS BERTRAN *(quæ ex Hispanis sic reddo Latina :* « Vera « Relatio de vita et morte Patris Fratris Ludo- « vici Bertrandi ») eamque edidit Valentiæ apud viduam Petri de Huette anno MDLXXXII, et iterum anno MDLXXXIII octuplicata charta ; eodemque hoc anno vulgata fuit Barcinone per Paullum Menescal; et Genuæ Ligusticæ per Jacobum Poggio in Etruscam linguam conversa a Fratre Timotheo Bottonio ejusdem sodalitii, etiam octuplicata charta.

non habemus primigeniam sermone Hispano

3 Præterea ipse Antistius in lucem publicam emisit ADDICIONES A LA HISTORIA DE SANCTO FRAI LUIS BERTRAN (*id est :* « Additiones ad « Historiam sancti Fratris Ludovici Bertran- « di ») easque edidit Valentiæ per Patricium Mey anno MDXCIII in 8 : qui omnes libri extant in bibliotheca sodalitii Prædicatorum hujus nostræ urbis. *In fine denique earumdem litterarum pro singulari sua erga nos benevolentia addere dignati sunt :* Quæcumque autem officia a nobis proficisci poterunt, existimate, vobis nullo umquam tempore defutura. *Accepimus has litteras (quibus nullæ jucundiores nobis poterant accidere) prædicti anni* 1763 *mense Augusto die* XXIV ; *nec mora, bibliothecas nostras cœpimus scrutari, an bina ista Antistii Opuscula apud nos exstarent.*

E

a Justiniano Antistio scriptam ;

4 *Producta hæc inquisitio est usque ad diem* IX *Septembris ejusdem anni, quando abjecta omni eadem reperiundi spe, quamque nobis acceptæ litteræ fecerant, fiducia animati, ad laudatum excellentissimum senatum responsorias dedimus, in quibus post actas pro tam eximia erga nos benevolentia gratias, conditamque debitam operam nostram, bina ista Opuscula flagitavimus, ac nonnulla insuper dubia nostra proposuimus. Nec dubitare nos sinit summa istorum illustrium virorum humanitas, quin postulata fuissemus obtenturi, nisi toti orbi nota rerum nostrarum humana vicissitudo intervenisset. Juverit interim hæc ad nostri grati animi testificationem, ac laudatorum illustrium virorum religiosum pietatem commendandam hic memorasse. Non desunt tamen alia, quæ hanc inopiam pensent.*

sed eamdem tamden Italice per Bottonium versam editamque,

5 *Nam in primis inter varias ejusdem Sancti Vitas in bibliotheca nostra exstat una Italico sermone Panormi anno* 1612 *apud Joannem Antonium de Franceschi typis edita cum hoc titulo, sed verbis Italicis :* Relatio vitæ et mortis gloriosi patris S. Ludovici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, collecta per R. P. M. F. Vincentium Justinianum Antist, Valentinum Ordinis S. Dominici, Hispanice, versaque Italice a quodam patre ejusdem Religionis. Ac denuo typis excusa per Fratrem Vincentium de Montalbano, ejusdem Ordinis Conversum. *Primum istum Hispanicæ Vitæ interpretem Italum fuisse Timotheum Bottonium, colligo ex litteris excellentissimi senatus Valentini supra num.* 2; *quod Echardum latuisse videtur, cum hic tom.* 2 *Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Prædicatorum, pag.* 326 *in Antistio, num.* 8 *nomen interpretis sileat, pag. vero* 304 *inter Opera ab eodem Timotheo Botonio tam scripta, quam in alium sermonem versa de hac Vita non meminerit.*

et Vincentii Montalbani opera recusam,

6 *Porro si hanc Italicam ipsammet expendamus, nihil in ea deprehendemus, unde suspicari possimus, eamdem aliunde, quam ex primigenia*

A *primigenia Hispanica Italicam factam, diversamve esse ab illa, quam Bottonius Italice anno* 1583 *vulgasse supra dicitur. Nam primo quidem, tametsi exemplar nostrum anno* 1612 *excusum sit, nihil tamen omnino narrat posterius anno* 1582, *quo suam* S. Ludovici *primam Hispanicam Antistius vulgavit; atque altum etiam silet de ejusdem beatificatione, anno* 1608 *a Paulo V summo Pontifice facta; unde colligas, et interpretationem hanc Italicam dicto anno* 1608 *priorem esse, et eidem nihil a Vincentio Montalbano in iterata anni* 1612 *editione fuisse adjectum. Secundo adjectæ ad calcem Opusculi trium censorum approbationes (quamquam et hæ, æque ac cetera, Italice versæ sint) Valentiæ anno* 1582 *(quo scilicet primam Vitam Antistius Hispanice edidit) datæ signantur, neque de alio Vitæ auctore, quam de eodem Antistio meminerunt. Habemus igitur, nisi ego vehementer fallar, primigeniæ per Antistium Hispanice scriptæ Vitæ interpretationem Ita-*
B *licam per Timotheum Bottonium, ut Valentini senatus litteræ asserunt, anno* 1583 *Genuæ primo editam, atque, ut nostrum præfert exemplar, anno* 1612, *curante Vincentio de Montalbano, Panormi recusam.*

sola præfixa eidem Epistola dedicatoria.

7 *De postremo hoc editore Echardus tom.* 2 *Bibliothecæ Prædicatorum pag* 412 *sic loquitur :* F. Vincentius de Montalvan Siculus, etsi ex eorum, quos Conversos, operibus manualibus solum, non litteris addictos, vocamus, ordine, inter scriptores tamen sibi nomen fecit. Circa hunc annum MDCXVIII floruit; teste Fernandez Historia del Rosario lib. 9, pag. 17 scripsit « Vite de' Santi dell'Ordino de'Predica- « tori. » Hujus auctoris, ejusque Operis nulla est memoria apud Antoninum Mongitore altera parte Bibl. suæ Siculæ. *Echardo asserenti credo, hunc Vincentium aliquas Sanctorum sui Ordinis Vitas scripsisse; verum hisce minime accensenda hæc est, qua de agimus, cum in hac ille non aliam partem habuerit, quam quod ab Antistio primo Hispanice compositam, et a Timotheo Bottonio Italice versam iteratis typis excudi curaverit, eidemque brevem epistolam dedicatoriam ad admodum reverendum patrem magistrum, fratrem Vin-*
C *centium Candidum, Prædicatorum in Sicilia Provincialem, præfixerit.*

Ex Bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum

8 *Interpretationem itaque Italicam Hispanici Opusculi Antistii habemus, quem penes cum sit istius Vitæ auctoritatis, ejusdem viri elogium ex Echardi Bibliotheca Prædicatorum tom.* 2, *pag.* 325 *hic transcribo. Sic habet:* F. Vincentius Justinianus Antist Hispanus, Valentiæ Aragonum ortus, ibidemque ad Ordinem adscitus, cujus etiam sui conventus nativi præfectus fuit aliquando Prior, seculo XVI claruit artium sacræque Theologiæ magister, ac, uti vir ingenii, non scholasticis tantum concertationibus assuetus, sed et antiquitatis curiosus indigator, qui veteribus eruendis gestorum monumentis sedulam navavit operam; uti utriusque generis Opera ab eo edita testantur, quibus non modo vivens singularem sibi peperit gloriam, sed et sui memoriam nominis posteris spectabilem reliquit, e vita mortali discedens in patria et conventu suo orginali Valentino anno MDXCIX, sepultus in odeo juxta gentilem et symmystam suum F. Joannem Vidal S. T. magistrum.

9 Ejus funus cohonestarunt Joannes de Ribera, archiepiscopus Valentinus et patriarcha Antiochenus, Missam seu Sacrum peregit episcopus Gratiæ, eique funebri oratione parentavit F. Augustinus Davila Padilla Ordinis Prædicatorum, Philippi III regis Catholici concionator ac electus insulæ S. Dominici archiepiscopus; quæ, quanta clareret apud omnes fama demonstrant. Sic Diagus noster. Hist. prov. Arag. fol. 251 d. Fernandez, illustri procreatum stirpe, asserit. Oldoinus Athen Ligust., etsi Valentiæ natum fateatur, e clara Justinianorum Genuensium gente oriundum, contendit, proptereaque inter scriptores Ligures recenset; quod nostri Valentini discutiant curiosius. Ego vero sub cognomine ANTIST, quod familiæ censeo, hic exhibeo; in quo graviter allucinatus est editor. Bibl. Barber, qui ANTIST antistitem interpretatus, archiepiscopum Valentinum Vincentium hunc nostrum putavit. *Post hæc Echardus inter Antistii Opera recenset Vitam* S. Ludovici Bertrandi *Hispanicam, quam anno* 1582 *Cæsaraugustæ ac Valentiæ typis editam ait, et Italice a quodam patre* E *ejusdem Ordinis Prædicatorum (cujus nomen silet, sed qui ex dictis fuerit Timotheus Bottonius) versam anno* 1583 *Genuæ apud Jacobum del Poggio recusam; sed de aliis editionibus, vulgatisque ab eodem Antistio Additionibus, quas sæpe laudatæ Valentinæ litteræ memorant, altum tacet.*

Sancto contubernalis, ejusque causæ beatificationis procuratoris

10 *Ut vero hactenus adducta omnia, ita etiam cetera, quæ de Antistio novimus, ejusdem in hac Vita scribenda auctoritatem fidemque haud parum commendant. Ipsemet Vitæ primo loco edendæ cap.* 3, *secundum meam autem partitionem cap.* 7 *testatur, se, non quidem (uti in laudatis litteris legitur)* S. Ludovico Bertrando *magistro novitiorum Dominicanum habitum induisse, aut professum esse, sed post professionem suam pro more in Ordine Prædicatorum observato eidem velut novitiorum magistro paruisse uno anno cum dimidio ab anno* 1560, *quo Sanctus ad istud munus obeundum e conventu Albaidæ Valentiam revocatus fuit. Ex aliis quoque ejudem Vitæ locis constat, eumdem biographum non paucis annis in eodem conventu cum illo habitasse ad hujus mortem usque; non* F *tamen semper, cum* Ludovicus *interea aliquot annis in America egerit, atque alibi quoque suis Prior præfuerit. Hisce addo, eumdem Antistium a conventu suo procuratorem causæ beatificationis ejusdem* Ludovici *constitutum fuisse in processibus Valentiæ formatis, ut* *docti, pii ac sincerí, ut vel ipsamet* *suo loco ostensuri sumus.*

11 *Potuit itaque, imo debuit, Antistius de rebus ab illo in Hispania gestis optime fuisse instructus, tum ex diuturno suo cum ipso contubernio, tum ab aliis, qui utroque familiariter usi fuerunt, tum denique ex processibus ad quos conficiendos ipsemet operam suam velut procurator contulerat; nec quis in historico cetero quoque ac pio quidquam præterea jure requirat, nisi in inquirendo diligentiam et in scribendo sinceritatem, quas ipsi etiam minime defuisse, tota Vita clamitat. Lubet hic aliqua prælibasse. Hanc ille sibi (ut profitetur in Prologo) in eadem conscribenda legem præfixit, ut solum comperta et utilia, ac sine ullius offensa litteris consignaret; quæ quam accurate observaverit, lector Vitæ facile advertet. Quod autem ad primum*

AUCTORE C. S. *recitamus hic elogium laudati Antist*

AUCTORE C. S.

mum attinet, in eodem Prologo recte monuit, non fuisse sibi integrum sine sua certa infamia quidquam fingere aut sine præsentissimo sui nominis discrimine non satis comperta tradere eo loco ac tempore, quo a mille oculatis auritisque testibus errores sui detegi poterant ac redargui. Ea de causa cap. 23, *apud me num.* 308 *rursum profitetur, se multa miracula, etiam majora, quam quæ retulit, ex metu erroris omisisse, quod hæc nondum satis discussa compertaque haberet; vide infra in hoc Commentario prævio num.* 14.

probat Vita, quam ex Italica Latinam faciemus,

12 *De ejusdem autem Sancti gesti in America (seu, ut ipse, more aliis etiam non inusitato, loquitur,* in Indiis, *Occidentalibus scilicet) quæ non nisi ex ipsiusmet aliorumque relationibus discere potuit, multo parcius egit, nominatis personis, a quibus ea acceperat, questusque suorum indiligentiam in relationibus rerum, quæ a sui Ordinis viris in iis orbis partibus præclare gerebantur, in Europam transmittendis. Adi Vitam primo loco edendam num* 82. *Hanc igitur Vitam, velut*

B *a scriptore pio, docto, diligenti, sincero, nec tantum synchrono, verum etiam ipsiusmet* S. Ludovici *longo tempore contubernali. ejusdemque beatificationis in processu Valentino procuratore, compositam, ex laudata versione Italica, anno* 1612, *curante Fratre Vincentio Montalbano, Panormi recusa, Latine dandam censui. Ignoscet, ut spero, æquus lector, quod in ea vertenda sermonis Latini leporem minus curaverim, ut litterali sensui pressius inhærerem.*

refectis aliquibus huc non pertinentibus.

13 *Sunt et alia, quæ lectorem hic monere necesse est. Cum Antistius in hoc Opusculo non pauca etiam de aliquot aliis sui Ordinis insignibus viris prolixe narret, quæ non alia ratione ad* Ludovicum *pertinent, quam quod hic vel eorumdem aliquos religiose erudierit, vel alia qualiscumque ipsi cum illis necessitudo intercesserit, ea omnia, veluti ab argumento hoc aliena, prætermisi, monito suis locis in Annotatis lectore. Simili consilio prætermisi totum caput ultimum,* in quo *(ut habet præfixus capiti titulus)* respondetur ad quædam dubia de honore huic Servo Dei post mortem suam exhibito. *Prætermisi, inquam, quia*

C *biographus in eodem nihil de* S. Ludovico *docet, solumque prolixe probat,* Sancti *ac* Beati *titulos etiam pluribus aliis, a sancta Sede Apostolica non canonizatis, concessos fuisse, atque ampliores, quam huic* Ludovico, *impensos honores; quod extra dubium quidem est ante celebria Urbani decreta, ante quæ scripsit Antistius; verum nunc nihil his opus rationibus est, postquam* Ludovicus Bertrandus *ab eadem sancta Sede primo Beatorum ac deinde etiam Sanctorum catalogo adscriptus fuit.*

Additiones ab ipsomet Antistio factæ præluxerunt

14 *Modo ad ejusdem Anstistii Additiones, anno* 1593 *vulgatas, veniamus. Voluisse ipsum aliqua primæ Vitæ adjicere, ipsemet indicavit in Vita edenda num.* 308 *his verbis:* Licet potiora *(miracula)* jam relatis supersint, ea tamen præteribo ex metu errandi, vel in substantia, vel in adjunctis. Utinam intra breve tempus liceat mihi hoc Opus iterato edere, multis aliis auctum; maxime si Deus annuat, ut ad nos perferantur aliquot bonæ notæ relationes de rebus, quæ ab hoc benedicto Patre in Indiis gestæ fuere. *Hasce quidem Additiones non habemus, sed ad manum sunt alia, quorum auctoribus eædem, atque aliquæ etiam* D *ex Indiis, id est, ex America missæ relationes præluxerunt. Ut alios præterea, R. P. Balthasar Joannes Roca, Ordinis Prædicatorum in conventu Valentino, occasione beatificationis* Ludovici *per Paulum V summum Pontificem factæ, ejusdem Vitam Hispanice vulgavit Valentiæ anno* 1608, *in cujus Prologo ad lectorem expresse asserit, Antistium in Additionibus suis, anno* 1593 *editis, nova miracula retulisse.*

Joanni Rocæ, et Bartholomæo Avignone,

15 *Deinde ibidem sic prosequitur, sed sermone Hispano:* Cumque ab eo tempore *(ab anno* 1593*)* usque modo multa insuper mirabilia, quæ Sanctus tam in novo mundo, quam in hisce terris, operatus est, comperta fuerint, statui ex his omnibus continuam Historiam scribere *etc. Recensetur hæc Vita in ejusdem Rocæ elogio apud Echardum in Bibliothecæ tom.* 2, *pag.* 365. *Rursus alteram habeo ejusdem Sancti Vitam, anno* 1623 *Romanis typis editam, cujus ita meminit laudatus Echardus tom.* 2, *pag.* 431: F. Bartholomæus Avignone Aragonus sacræ Theologiæ magister anno E MDCXXIII Romæ legatus, seu, ut vocant, procurator aderat pro canonizatione servi Dei, Ludovici Bertran, prosequenda, cujus Vitam ex jam editis a Vincentio Justiano Antist, Valentino Aragono, et Baltazare Joanne Roca, item Valentino, et ex Actis Processus inquisitionis de vita et moribus ejusdem Servi Dei juridice factæ, scripsit Hispana lingua luculentissimam, omniumque quam accuratissimam, eademque Italice reddi curavit hoc titulo: *quem scilicet ex Italico Latinum subjicio.*

a quo scriptam Vitam ex Italica Latinam subjiciam.

16 Vita, virtutes et miracula B. Ludovici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, divisa in quatuor libros, composita sermone Hispano a multum R. P. M. F. Bartholomæo Avignone, ejusdem Ordinis procuratore canonizationis ejusdem Beati. In Italicum versa a domino Julio cæsare Cavalier Boltifango *(exemplar nostrum habet:* Bottifango*)* Romæ Alfonsi Ciaconi MDCXXIII. *Porro in hac Vita scribenda, quæ reliquis prolixior est, usus ille fuit Opusculis Antistii et Rocæ, additilque, quæ de eodem argumento præterea repererat in Processu canonizationis, quæque pro ejusdem* Ludovici F *beatificatione ac canonizatione Romæ acta fuere usque ad annum* 1623, *quo Gregorii XV Papæ importunus obitus spem ejusdem canonizationis propediem peragendæ abrupit. Ut vero Avignone majorem dictis suis fidem faceret, in margine Vitæ perpetuo annotavit, unde singula hauserit. Quam ob rem non dubitavi, quin hæc quoque Vita in sermonem Latinum convertenda edendaque esset, nec tamen ommittendam esse censui eam, quæ Antistium auctorem habet, tum quod hæc reliquarum omnium quasi fundamentum sit, tum quod multo magis juvet biographum Sancto contubernalem, quam alium quemcumque audire. Alia est de Roca ratio, cujus Opusculo, quod Avignono pariter præluxit, supersedebo.*

Alia, in Commentario prævio usui futura.

17 *Præter alias ejusdem Sancti vitas, quas in bibliotheca nostra habemus, nec recensere necesse est, unam mox a canonizatione illius Italice edidit Odoardus Cellernus, mihi cetera ignotus, cum hoc titulo sermone, quo dixi, Italico.* Vita S. Ludovici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, collecta ex Processibus pro ejus canonizatione factis per Odoardum Cellernum, dedicata

dedicata Sanctissimo Domino nostro Clementi X. Romæ per Nicolaum-Angelum Tinassi MDCLXXI. *Hæc quoque usui esse posset, nisi supra dictas haberemus, aut, si de Sancti canonizatione, quam brevissime memoravit, paulo latius egisset. Utilior nobis erit trium sacræ Romanæ Auditorum, Joannis Baptistæ Coccini Rotæ decani, Alphonsi Manzanedi de Quinones, et Jacobi Cavalerii, Ms. Relatio ad Gregorium XV Papam de sanctitate vitæ et miraculis, tunc Beati, nunc* S. Ludovici Bertrandi, *quam cum multis aliis id generis Relationibus dono Benedicti XIV felicis recordationis summi Pontificis accepimus; hæc enim ad illustranda confirmandaque biographorum dicta non parum ponderis addent.*

§ II. S. Ludovici patria, parentes, nativitas, pueritia, adolescentia, ingressus in Ordinem Prædicatorum, susceptum ab eo sacerdotium, munia in Religione obita, profectio in Americam, chronologice perstricta.

Natus est Sanctus Valentiæ in Hispania

Ambæ, quas editurus sum, Vitæ accuratius scriptæ sunt, quam ut necesse sit, longum in eas Commentarium elaborare; sunt tamen in iisdem nonnulla pro more nostro paululum illustranda inque ordinem chronologicum redigenda, ac denique quædam insuper de ejusdem Sancti gloria posthuma, Antistio Avignonoque posteriora, ceteris addenda. Valentia, quæ tanti Viri natalibus merito gloriatur, Hispaniæ Citerioris, seu Tarraconensis, ampla et magnifica civitas est, regnique Valentini caput, in amœna fertilique planitie tribus passuum millibus a mari Mediterraneo condita ad fluvium Turiam seu Duriam, Hispanis Guadalaviar *dictum, et archiepiscopatu et academia insignita, atque aliquot magnorum sanctorum virorum parens.*

anno 1526 ex Joanne Ludovico Bertran.

19 *In ea natum esse* S. Ludovicum, *cognomento* Bertrandum *seu* Bertran, *insigne suæ patriæ Ordinisque Prædicatorum decus, consentiunt omnes, qui de eo scripserunt, annumque Christi* 1526, *ac diem* 1 *Januarii seu Circumcisionis Domini, ejusdem nativitati assignant. Quæ ex suprema ejus ætate moveri hic potest difficultas, eam infra, ubi de tempore obitus illius, tollemus. Par est omnium de ejusdem genitoribus consensus, quamquam unus atque alter de nomine ac cognomine matris, et de hoc quidem ex suo vernacule loquendi modo parum varient. Auditores Rotæ in sua Relatione, num.* 17 *laudata sæpeque laudanda, sic habent*: Natus est B. Ludovicus Bertrandus ex piis, Catholicis purisque parentibus, Joanne Ludovico Bertrando et Joanne Angela de los Exarches, ut constat ex ejus Vita; et deponunt testes remissoriales, sextus, decimus tertius, et centesimus sextus super 2 art.; in civitate Valentiæ, quæ in Tarraconensi Hispania ad ostia Turiæ amnis in plano sita est.

auctore C. S.

20 *In nostro, quod Latinum feci, Vitæ, per Antistium Hispanice scriptæ et Italice versæ, exemplari pro* los Exarches *legitur* Essarca, *atque ita etiam habent duæ aliæ Vitæ Italicæ; Cellernus vero* Escarch, *Diagus in Historia Prædicatorum provinciæ Aragoniæ* Exach, *Roca* Exarch. *In Bulla quoque Canonizationis* Exarch *scribitur, et pro* Joanna Angela, *ut habent ceteri,* Johanna Anna *legere est; atque hinc Bremondus, qui eamdem Bullam in sui Ordinis Bullario recensuit, Jacobum Lafonum in Anno Dominicano emendandum notavit, quod eam* Johannam Angelicam *dixerit; mihi majoris ponderis sunt, qui eamdem* Johannam Angelam, *vel* Angelicam *nominarunt, quam ut suspicari nequeam,* Annam *pro alterutro nomine ex oscitantia in Bullam irrepsisse.*

hujusque secunda conjuge Maria Angela vel Anna Exsarch,

21 *Porro ex consensu omnium fuit laudatus* S. Ludovici *pater notarius publicus, dicta vero Joanna Augela, vel, si mavis, Joanna Anna, secunda ejus uxor, quam ille post prioris obitum, cum a SS. Vincentio Ferrerio ac Brunone ipsi apparentibus dissuasum ei esset, ne Religiosum habitum (quod apud Cartusianos in Porta-cæli prope Valentiam facere constituerat) indueret, feliciter sibi copulavit. Amborum laudes ceteraque huc spectantia cum Vitæ edendæ referant, sciens hic prætereo. An et quos ex prima uxore liberos susceperit, non legi, ex secunda vero præter Sanctum, de quo agimus, etiam alios ei natos esse, non uno in loco docet Antistius, quorum omnium natu maximum eumdem Sanctum, ut ceteri biographi, agnoscit. Avignonus post Rocam octo simul enumerat, quatuor scilicet filios, totidemque filias, eorumdemque nomina et notitiam tradit.*

atque aliquot fratres sororesque habuit,

22 *Præterea observat Antistius, aliique post eum, illorum, ut diximus, primo genitum Valentiæ in eadem ecclesia S. Stephani, atque in eodem sacro fonte, in quo olim S. Vincentius Ferrerius ablutus fuerat, baptizatum fuisse. Consonant Auditores Rotæ in Relatione superius laudata, et Clemens X Papa in Bulla canonizationis, cujus verba accipe:* Et ibidem *(Valentiæ)* in parochiali S. Stephani ecclesia, eodemque fonte, quo olim S. Vincentius Ferrerius in Christo renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum, cui Ludovicus carnali prosapia junctus erat, communi * etiam regenerationis propinquitate attingeret. *Quod ad impositum ei nomen attinet, ibidem solum* Ludovicus *nominatur, uti et in Relatione Auditorum Rotæ, qui sic habent:* Et Ludovicus ex nomine patris dictus est.

et in eodem, in quo olim S. Vincentius Ferrerius, fonte baptizatus,

* an communis?

23 *Sed supplendum hic aliquid est ex Antistio in Vita cap.* 1; *num.* 1, *ubi hæc ait:* Appellatus fuit Joannes Ludovicus *(nomine scilicet patris sui, quem* Joannem Ludovicum *pariter dictum fuisse, vidimus)* sed postea, *prætermisso* Joannes *vocabulo, solum* Ludovicus dictus; vulgo autem *(postquam Ordinem Prædicatorum amplexus fuit)* non aliter appellatur, quam Frater Bertrandus, quod cognomen ejus familiæ erat. *Ita Antistius; atque hinc factum est (quod juverit meminisse) ut in Vitis edendis modo* Ludovicus, *modo* Bertrandus *nominetur. Piam Sancti pueritiam gestaque usque*

Joannes Ludovicus appellatus: pueritiam

AUCTORE C. S.

usque ad susceptum S. Dominici Religiosum habitum abunde exponunt ambæ Vitæ edendæ; quare hic solum recitabo, quæ Auditores Rotæ Romanæ in sua ad Gregorium XV Pontificem relatione, a probatis asserta testibus, de hoc argumento compendiose memorarunt.

et adolescentiam pie utiliterque exigens

24 Si enim (*inquiunt illi*) ejus primam infantiam spectemus, præbuit se religiosum, et aliqua edidit signa, ex quibus dignosci facile poterat, qualis esset futurus. Cessabat a fletu, fi aliqua ei imago (*sacra scilicet*) tradebatur, aut ad ecclesiam ducebatur : quæ res licet videatur pueris esse communis, aliquid tamen peculiare habet in eo, quia maxima lætitia afficiebatur, cum ad metropolitanam ecclesiam deferebatur. Postquam excessit e pueris, libenter litteris operam navabat, et in eis proficiebat, ut supra dictum est; et ne otio temporis aliquod spatium tereretur, aut studio aut orationi vacabat. Si quos forte jurantes sine necessitate audiebat, aut inania loquentes, maxima lenitate coërcebat, memor verbi Domini
B Matthæi cap. v : «Nolite jurare; sit sermo ve» ster : Est, est : Non, non. » Frequentabat pœnitentiæ Sacramentum, per quod nobis cæli aditus reseratur Matt. cap. iv : « Pœnitentiam » agite, appropinquavit enim regnum cælo» rum. » Sacrosanctam Eucharistiam, cibum animæ et pignus futuræ gloriæ, devote sumebat. Includens se in cubiculo pernoctabat in oratione, quæ omnia bona confert, ut ait S. Chrysostomus lib. i de orando Deum; et hoc ab aliis per januæ rimas videbatur.....

futuræ sanctitatis suæ indicia dedit.

25 Verba inania fructuque carentia in sermonibus, etiam familiaribus et ad animi relaxationem destinatis, non proferebat. Parentibus fuit semper obediens; nam : « Qui timet Deum, » honorat parentes, et quasi dominis servit his, » qui se genuerunt. » Ecclesiast. cap. iii. Ut plurimum cum Religiosis, et præsertim sacri Ordinis Prædicatorum, versabatur; improborum societatem, tamquam animæ pestem et morum corruptelam vitabat; nisi forte in melioris vitæ semitam eos reducere tentaret; quia boni fugere debent malos, nisi causa conversionis cum ipsis agant, teste S. Augustino in Psalm. cxviii, concione i. Itaque adhuc puer eumdem
C vitæ tenorem retinens, usque quo sacrum Ordinis Prædicatorum habitum suscepit, illustris signa præbuit sanctitatis *Sub titulo quoque* De charitate proximum *præmiserant ista* : Quantum attinet ad charitatem ad temporalia, adhuc puer hospitalia frequentabat, et pauperibus serviebat. *Hæc laudati Rotæ Auditores, quibus simillima legere est in Bulla canonizationis, pluribusque exponunt Vitæ edendæ.*

Prædicatorum habitu die 26 Augusti anni 1544

26 *Sacrum Ordinis Prædicatorum habitum, quem, obsistente propter illius infirmam valetudinem genitore, a R. P. Jacobo Ferran in conventu Valentino frustra flagitaverat, ab ejusdem in prioratum successore, venerabili viro Joanne Micone, insciis parentibus suscepit, iisdemque primo quidem, eadem, qua prius, de causa reclamantibus, tandemque consentientibus, ad mortem usque gestavit. Tempus suscepti habitus Antistius in Vita num.* i *assignat diem* xxvi Augusti *anni* mdxliv, dum is ætatis esset annorum octodecim et mensium septem. *Avignonus de die mensis Augusti annoque Christi consentiens, lib.* i *Vitæ cap.* 2, *num.* 18 *Sanctum tunc fuisse* ætatis suæ anno xviii, mense vii, ac die xxvi; *qui calculi, si annus decimus octavus pro annis octodecim completis sumatur, mensesque septem apud Antistium pro completis pariter habeantur, satis cum hisce cohærent, et apprime conveniunt cum supra assignato Sancti tempore natali : nam a Kalendis Januariis anni* 1526 *usque in diem* xxvi *Augusti anni* 1544 *numerantur anni octodecim, menses septem, omnes completi, ac dies* 26. *Annum itaque ætatis suæ decimum nonum octavo mense inchoatum agebat* S. Ludovicus, *dum Religioso Ordinis Prædicatorum habitu in horum conventu Valentino indutus fuit.* D

in conventu Valentino a venerabili Joanne Micone indutus,

27 *Romanæ Rotæ Auditores Antistio consonantes,* Cum esset, *inquiunt,* annorum decem et octo, et mensium septem, eligens sibi vitam angelicam (talis est enim vita monachorum, ut dicebat abbas Hiperchius) Valentiæ in clarissimam Prædicatorum religionem die xxvi Augusti anni Domini mdxliv a venerabili Fratre Joanne Michone admissus est. *Post alia autem de vita ab eo in tirocinio instituta subdunt* : Qualis vero ejus vita fuerit in anno probationis, colligi facile potest ex his, quæ supra E dicta sunt, et infra dicentur; nam sanctissimam semper vitam egit. *Atque hæc quam vere ab iis asserta fuerint, probabunt ambæ Vitæ, quæ virtutes ab eo temporis exercitas docebunt. Pergo eorumdem Auditorum Rotæ verba describere, qui post narratum, ut vidimus,* Ludovici *in Prædicatorum Ordinis tirocinii ingressum hæc subdunt.*

solemnem professionem anno seq., die 27 Augusti emisit;

28 Anno sequenti, die xxvii Augusti mdxlv solemnia vota obedientiæ, castitatis et paupertatis emisit in manibus ejusdem venerabilis Michonis, Prioris monasterii, viri sanctitate, miraculis et doctrina præclari. *Eosdem annum mensemque ac diem pariter signant Roca et Avignonus in Vitis, Diagus in Historia, aliique, nec nisi manifesto errore, sine dubio typographico, apud Antistium in Vita edenda pro die* xxvii Augusti *legitur die* xvii Augusti; *quo scilicet tempore deerant dies novem integro tirocinii anno, qui professioni præmittendus est, complendo. Numerabat tunc Sanctus annum ætatis suæ vigesimum, a Kalendis Januariis dicti anni Christi* 1545 *inchoatum.* F

anno 1547 sacerdos consecratus anno vitæ suæ 22.

29 *Biennio post, anno scilicet* 1547, *ætatis vero suæ vigesimo secundo octo circiter mensibus inchoato, ad presbyteratus Ordinem promotus, mense Octobri primam Missam suam Valentiæ solemniter cum cantu celebravit, uti habent iidem biographi, de anno consentientibus Rotæ Auditoribus, quorum verba adjicio* : Sacros Ordines, peracto novitiatu, suscepit, et ad presbyteratus Ordinem anno mdxlvii promotus est. *Porro, ne quis ex ætate, in qua sacris Ordinibus initiatus fuisse dicitur, errorem fortasse in calculis suspicetur, annotasse juverit, sessionem* 23 *Concilii Tridentini, in cujus decreto Reformationis cap.* 12 *vetitum est, ne quis* in posterum ad subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur, *anno* 1547 *longe posteriorem esse, celebratam scilicet anno* 1563. *Pergamus ad alia.*

30 *Anno, ut habet Avignonus,* 1548 *laudatus venerabilis Joannes Mico novo S. Crucis conventui in Lombay primus Prior præfectus* S. Ludovicum *ceteris ad virtutem stimulos*

Anno 1548 habitavit in Lombay, moxque Valentiæ, ubi anno 1549,

stimulos exemplo suo additurum, ad se mittendum obtinuit. Non tamen diuturna fuit Sancti eo in loco commoratio; redeundum enim Valentiam ei fuit ob morbum patris sui, qui ejusdem anni mense Novembri diem suum obiit. Dum igitur Valentiæ denuo habitaret, non longe post *(a suscepto sacerdotio)* scilicet anno MDXLIX, magister novitiorum in conventu Valentino creatus est. *Ita rursus laudati Auditores Rotæ, quibus præiverat Antistius in Vita cap. 2, num. 20. Diem* XXI *Septembris addunt Roca et Avignonus, sed iidem annum signant* 1551. *Hinc anceps hæreo, apud quos in anno Christi error hic cubet. Antistii quidem alias mihi potior auctoritas est, utque annum* 1649 *ab ipsomet notatum, non ex interpretis Itali, vel typothetæ vitio irrepsisse, verisimile credam, suadet Auditorum Rotæ in eumdem consensus.*

seu potius 1551 novitiis magister præfectus est

31 *Contra vero Roca lib.* I *Vitæ cap. 6 sic loquitur, quasi commissum ab alio hac in re errorem corrigendum moneret verbis, quæ ex*
B *Hispanicis Latina subnecto.* Prima vice creatus est *(magister novitiorum)* anno MDLI, die XXI Septembris: neque ullus hic esse potest error, cum sic propria Sancti *(Ludovici)* manu scriptum sit in libro, in quo inscribuntur omnes, qui nostri sacri Ordinis habitum recipiunt. *Magna utrimque hinc stat auctoritas: ambo enim Valentiæ scripserunt, laudatumque librum consulere potuerunt; sed consultum a se esse, non obscure indicat Roca, non Antistius, quam ob rem non possum, quin in annum* 1551 *propendeam, vehementerque suspicer, annum in Opusculo Antistii, sive hujus, sive interpretis, sive denique editoris oscitantia vitiosum esse. Dubium hoc facile tollere poterunt reverendi Patres Prædicatores Valentini, si codex iste Ms. in illorum conventu Valentiæ hactenus supersit.*

anno ætatis suæ 24 vel 26;

32 *Si, servato die* XXI *Septembris, annus Christi* 1549 *cum Antistii interprete retinendus sit,* Ludovicus *solum vitæ suæ annum vigesimum quartum a novem circiter mensibus inchoatum egerit, quando tironum magisterio fungi jussus est; si vero etiam annus apud Rocam recte signatus sit, octo circiter mensi-*
C *bus annum ætatis suæ vigesimum sextum inchoaverit. Utut sit, parum matura videri poterat ea ætas tanto muneri, quod, ut observant biographi, non nisi gravioribus provectiorisque ætatis Patribus solebat committi in Ordine Prædicatorum, maxime quod in eo non soli novitii, verum etiam professi, donec presbyteratus Ordine initiati fuerint, tirocinii magistris parere jubeantur. At scilicet, quod annis deerat, cumulatissime pensabant illius mentis morumque maturitas, spectataque sancti Viri virtus certam spem omnibus fecerat de felicissimo regimine, quam eventus etiam superavit, ut ex Vitis edendis manifestum fiet.*

anno 1557 affligente Valentiam peste, conventui Albaidæ vicarius præfectus est,

33 *Pestilentia, quæ ab anno* 1557 *usque ad annum* 1560 *civitatem Valentiam afflixit, ingravescente, multi Patrum Prædicatorum, ne periclitarentur omnes, per varios regni conventus distributi fuere, eaque in partitione* Ludovico *obtigit conventus S. Annæ in Albaida, quem locum Roca marchionatus titulo insignitum affirmat. Nec solum eo in conventu morari jussus est, verum etiam eidem præesse cum titulo ac potestate Vicarii; nondum enim conventus hic erectus fuerat in prioratum. Annum, quo hujus loci regimen auspicatus fuerit, haud alium possum designare, quam Christi* 1557, *alterumve e prioribus, qui hunc inter annumque* 1560 *intercesserunt. Quæ vero sanctus Vir ibidem præclare egerit, quantoque cum ejusdem conventus temporali æque ac spirituali emolumento, et incolarum Albaidæ atque circumjecti agri bono, quia Vitæ edendæ satis exponunt, dicere prætermitto.*

AUCTORE C. S.

annoque 1560 iterum tirocinio Valentino, unde ad prædicandum Indis

34 Cessante *(inquit Antistius in Vita num. 53)* pestilentia, anno MDLX revocatus *(ex Albaida)* Valentiam est, ut novitiis magister præesset, tuncque ego cœpi illius subditus esse, in eoque cognovi multas virtutum, quas retuli et narraturus sum. Infinitas Deo gratias ago, quod, licet non acceperim ab illo habitum, nec sub ipso professionem emiserim, eum tamen magistrum habuerim jam professus, sub ejusque cura vixerim uno anno cum dimidio. *Dum hoc munus ibidem, ut antea, strenue obiret, Indus quidam Occidentalis, seu Americanus, impostor illuc advenit, qui se Ordinis Prædicatorum Religiosum fingens, productis quibusdam commentitiis litteris, hospitium in*
E *eodem conventu integro anno obtinuit. Hoc narrante labores persecutionesque, quas viri Apostolici in Novo regno Granatensi tolerabant, Vir sanctus accensus est, ut vehementer cuperet eodem proficisci, divinæ gloriæ amplificandæ gratia, et spe martyrii inter barbaras illas gentes obtinendi.*

anno 1562 in Americam navigavit.

35 *Accesserunt deinde duo ejusdem sacri Ordinis Religiosi Patres, e Novo regno in Hispaniam appulsi, cum potestate alios, qui vellent, Evangelicos operarios in partem laborum adsciscendi; quorum sermonibus sic ille pie exarsit, ut, frustra dissuadentibus, et infirmas ejus corporis vires causantibus, tam cognatis, quam sui Ordinis Fratribus, tandem in Americam navigaverit. Profectio hæc ex dictis dicendisque anno* 1562 *innectenda est. Gesta ejus ibidem Vitæ edendæ exponent, interim lubet hic ex Bulla Canonizationis illius hæc generatim annotare:* Dei et proximi amoris ardoribus incensus in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit,
F ut Indorum animas Deo lucraretur, a quo nec amicorum, nec fratrum aut sororum artibus, precibus vel lacrymis dimoveri potuit..... Appulit ad Cathagenæ portum, ibique in conventu S. Josephi sui Ordinis habitavit, et inde ad diversos Indorum populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Turbaram, Cipacoam, Paluatum, Monpoix, Serram, Sanctæ Marthæ, Tuncarum, Tenerifem, et aliis, ibique plura et mirabilia perpetravit.

§ III.

AUCTORE C. S.

§ III. Sancti post septennium reditus in Hispaniam, muniaque in suo Ordine gesta, chronologice relata : supremus morbus ac beata mors, miraculis illustrata : ejusdem vera effigies et in Bibliotheca Prædicatorum memoria.

Ex America in Europam rediens

Post septem annorum (testibus Roca et Avignono) sive hi completi, seu potius, ut apparet, incompleti accipiendi sint, præclaram in adducendis ad Christi fidem barbaris in America impensam operam sanctus Vir in Hispaniam cum superiorum bona venia reversus est. Revertendi causam eamdem, quam biographi, docet Bulla canonizationis, quam ex hac juverit hic memorasse. Sic habet : Videns, nec impedire, nec ferre valens angustias, quibus ut plurimum violenter a præfectis quibusdam, etiam vulneribus e cæde Indi opprimebantur; obedientia obtenta, in Hispanias rediit. *Quam inique et atrociter multi illius temporis Hispani militares præfecti in subactos Occidentales Indos, seu Americanos, ex sacra auri siti, invitis Catholicis regibus, edictisque suis nequicquam caventibus, sævierint, nemo non novit, qui Historiam occupatæ seculis* XV *et* XVI *per Hispanos Americæ legerit; ut mirari non debeamus, si* Ludovicus, *vir mitis ac piissimus, cum tanto malo, quod non minus Evangelii promulgationi, quam bono publico vehementer adversabatur, mederi non posset, maluerit in Europam navigare, quam tantæ perversitatis perpetuus spectator adesse.*

anno 1569 Valentiæ habitat; sequenti fit Prior S. Onuphrii

37 *Inde illum anno* 1560 *die S. Lucæ Evangelistæ sacra, quæ* XVIII *Octobris est, Hispalim appulisse, tradunt Antistius, Roca et Avignonus, quorum ultimi, ut diximus, septennium ejusdem in America commorationi adscripserant. Hispali sine mora sese Valentiam ad suum, in quo professus fuerat, conventum contulit, novoque fervore spiritus accensus, velut novitiatum suum tunc ordiretur, cœpit ceteris cum aliarum virtutum, tum profundissimæ humilitatis exempla præbere. Non admodum tamen diu ei licuit privatam vitam ducere : nam anno sequenti, ut habent omnes biographi* (mense Octobri *addunt Roca et Avignonus*) *electus Prior est a patribus conventus S. Onuphrii, duobus milliaribus Hispanicis Valentia dissiti, qui cum rerum temporalium inopia æreque alieno premeretur, opus ei erat Priore, non solum pio ac religioso, sed etiam rerum agendarum perito. Neque is eorum spem fefellit; quippe qui, licet uberiores quam decessores ejus fecerant, largiretur eleemosynas nihilo minus non modo debita conventus extinxit, verum etiam eumdem, ædificiis, arboribusque ac vineis consitis auxit, exple-*

toque sui Prioratus triennio omnibus rebus necessariis abunde instructum reliquit. D

anno 1573 rursum tirocinio, annoque 1575 conventui Prior Valentiæ præficitur ;

38 *Ea prælatura perfunctus, anno* 1573 *vergente ad finem reversus Valentiam est, et novitiis jam tertio magister datus, id munus, ut alia prius, ita gessit, ut interim aliis quoque in locis aliquoties ad populum sermones haberet. Præerat tum temporis Valentino conventui Prior Onuphrius Clemens, a moribus et facundia plurimum laudatus, cui post exactum triennium a Prioratu decedenti* S. Ludovicus *suffectus fuit anno* 1575, *die* XV *Maii, quos annum, mensem diemque omnes tres signant biographi. De hoc quoque munere, uti et de vicariatu conventus Albaidæ, et prioratu S. Onuphrii ab eo gestis cum laude meminerunt sæpe dicti Romanæ Rotæ Auditores, quorum verba accipe.* Postmodum *(id est, post primum tirocinii magisterium)* vicarius *(creatus fuit)* conventus de Albayda, et Prior S. Onufrii, et tandem conventui Prædicatorum Valentiæ præfuit, in quibus muneribus, si quid erat agendum, Fratribus exemplo præibat.

suas partes semper præclare explens.

39 *Præmiserant iidem :* Dum vero Prioris officio fungebatur, pugiles in Dei castris adolescentes, aliosque militaribus Religionis armis assuetos hortabatur, ut Deo totis viribus inservirent, suis unusquisque rebus incumberet, et dum animi tantisper, ut fit, ab assiduis curis relaxabatur*, dicere solitus erat : Fratres, nonne diligamus Deum? Quæ verba sæpe repetebat; quia bene norat, quod nemo repente fit summus; sed in bona conversatione animi unusquisque inchoat, ut ad magna perveniat, ut super XII deponunt testes centesimus quinquagesimus sextus, et centesimus nonagesimus quartus. *Hactenus illi, qui peculiaria quoque ab eo in regimine Fratrum suorum præclare gesta, data occasione, sparsim memorant, velut a probatis testibus asserta; sed hisce etiam plura biographi, quorum dicta inter Annotanda poterunt confirmari.*

* an relaxabantur ?

Anno 1578 Prioratu brevique tironum magisterio functus privatam vitam ducit :

40 *Anno* 1578, *mense Maio*, expleto Prioratu, confestim visus fuit instar minimi Fratrum conventus, nec regimini se ullo modo amplius immiscuit, præterquam quod per unum mensem commissa ei fuerit solita novitiorum ac juniorum cura; et in hac simplicitate perseveravit usque ad mortem; quo tamen interim tempore Deo placuit magna per ipsum mirabilia operari. *Hæc Antistius, quæ apud eum legi possunt in Vita edenda a cap.* 8. *Porro, quamquam Vir sanctus afflicta semper usus fuerit valetudine, postremo tamen, quo in vivis superfuit, triennio infirmitates ejus, et numero et acerbitate creverunt, nec permisere, ut, quod ante soluerat, frequentes conciones haberet.*

anno 1580 per Quadragesimam Xativæ, et sequenti Valentiæ bis concionatus fuit,

41 *Anno* 1580, *qui fuit vitæ ipsius penultimus, e magistratu Xativæ, quæ civitas novem circiter milliaribus Hispanicis Valentia distat, rogatus, ut eodem anno sermones Quadragesimalis jejunii ad cives suos haberet, negavit, sibi satis virium esse, ut vel tertio dicere posset; sed, instantibus illis, sibi satisfactum iri, si saltem semel in ecclesiæ suæ suggesto comparuisset; paruit eo cum successu, ut toto illo Quadragesimali tempore singulis diebus, ac nonnumquam etiam bis, Deo vires sustentante, concionatus fuerit. Anno* 1581 *festo Epiphaniæ Domini rursum concionatus est*

A *est Valentiæ in ecclesia metropolitana, rursumque Dominica subsecuta in ecclesia olim Templariorum, sollemne festum in ea celebrantibus equitibus Ordinis Montesæ, a quorum Magistro ejusdemque conjuge, ipsi admodum addictis, rogatus fuerat.*

sed per ejusdem anni Quadragesimam vices ejus Antistius subire debuit;

42 *Verum post hæc vires suas tantum diminutas sensit, ut omnino impar esset sermonibus Quadragesimalibus, quos condixerat eodem anno in ecclesia S. Stephani Valentiæ habendis. Rogavit igitur Justinianum Antistium, primæ Vitæ, quam dabimus, scriptorem, ut vices suas subiret; qui, cum non diu ante ex Italica navigatione redux afflicta valetudine esset, nec unquam per totam Quadragesimam prædicasset, nec denique ejusmodi sermones haberet, ac propterea etiam alii, ne id oneris susciperet, suaderent, modeste recusavit. At dominica Sexagesimæ Sanctus illum ad cellam suam vocavit dixitque, ut susciperet, Deum enim opitulaturum: quo audito, jam de divina ope certus sine mora annuit, eamque sic expertus est, ut præter*

B *solitum facile concionatus fuerit, et in fine Quadragesimæ etiam vegetiorem se quam antea, expertus sit.*

interea Sanctus graviter infirmus, primo ad nosocomium, deinde ad archiepiscopi villam defertur;

43 *Interea vero* Ludovicus, *ingravescentibus morbis, sacro Viatico munitus fuit; cumque deinde se paulo melius haberet, non prætermisit, dum potuit, quotidie Missam celebrare, licet nonnunquam ea finita in animi deliquia incideret; monentibus autem, ut inposterum in lecto suo se contineret, ne de vita periclitaretur, solitus erat reponere, Sacramenta Ecclesiæ nemini mortem afferre, sed prodesse non solum animabus, sed etiam, si sic expediat, corporibus. Ejusdem anni* 1581 *mense Maio, cum illius morbus ingravesceret, ejusdem germanus frater, Jacobus presbyter, impetravit, ut ille ad Valentinum clericorum nosocomium, quod confraternitatis B. Mariæ Virginis erat, et cui ipse Jacobus præerat, transferretur, commodius convalescendi gratia. Cum autem hic aliquanto tempore hospitatus esset, pronuntiantibus medicis, opus ægro esse, liberioris aeris captandi gratia ante caniculares dies extra civitatem commigrare: illustrissimus dominus Joannes Ribera,*

C *patriarcha Antiochenus et archiepicopus Valentinus, pro veteri sua cum ipso amicitia curavit eum ad villam suam, in qua ipsemet rusticabatur, perduci, ibique, non secus ac filius patris, ejus curam gessit.*

inde ad nosocomium, et hinc ad conventum suum revectus, obiit eodem anno 1581, *die* 9 *Octobris.*

44 *Cum tamen morbus invalesceret, revectus Valentiam est ad supra dictum, in quo ante hospitatus fuerat, clericorum nosocomium, atque hinc in suum Prædicatorum conventum, ita studiose curante ejusdem loci Priore, ne tantus Vir apud alienos moriens sacras suas exuvias inter horum manus deponeret. Huc igitur relatus, unico mense supervixit, lecto semper affixus; quo interim tempore et miraculis a Deo illustratus fuit, et ipse per eximias virtutes ac sacrosanctæ Eucharistiæ, præmissa indies sacramentali confessione, quotidianam communionem, a qua viginti septem diebus, qui postremum vitæ diem proxime præcesserunt, nunquam abstinuit, ad mortem sanctissime, ut vixerat, obeundam se præparavit; obiitque, uti prædixerat, anno* 1581, *die S. Dionysio, Parisiensi martyri, sacra, seu* IX *mensis Octobris.*

Hos calculos, de quibus convedit inter omnes, etiam confirmat, quam aliqui cum Antistio addunt, dies Lunæ, *seu Feria secunda: nam dicti anni* 1581 *die* IX *Octobris cum Feria secunda concurrit, ut liquet ex ejusdem anni littera Dominicali* A. AUCTORE C. S.

anno ætatis suæ 56, *novem mensibus inchoato.*

45 Roca *et Avignonus præterea addunt, Sanctum tunc fuisse* annorum quinquaginta quinque; *in Bulla vero canonizationis* ætatis suæ quinquagesimo quinto; *quæ cum anno nativitatis illius ab iisdem asserto collata difficultatem aliquam, ut supra innui, pariunt. Si enim* Ludovicus *Kalendis Januarii anno* 1526 *natus est, ut iidem aliique omnes affirmant, debuit die* IX *Octobris anni* 1581 *annum ætatis suæ quinquagesimum sextum egisse, jam a novem scilicet mensibus et aliquot diebus inchoatum, nimirum ab ejusdem anni* 1581 *die* I *Januarii. Quam ob rem, cum nulla sit de tempore natali ac emortuali vel levissima ambigendi ratio; quinquaginta quinque anni a prioribus assignati pro totidem ultra novem menses completis habendi sunt, et in Bulla canonizationis pro anno* quinquagesimo quinto, *ut correcti sint calculi,* quinquagesimo sexto E *reponendum.*

Auditorum Rotæ Romanæ relatio de splendore.

46 *Mirabilia, quibus Deus supremam inter mortales Servi sui commorationem illustrare dignatus est, docebunt Antistius et Avignonus in Vitis edendis; juverit tamen qualuor, quæ in ipsa morte contigerunt, eamdemque proxime subsecuta fuere, ex Relatione Auditorum Rotæ prælibasse. Sub titulo* De splendore viso in obitu *hæc aiunt:* Voluit insuper divina Providentia servum suum Bertrandum, quem præclarissimis virtutum laudibus viventem ornaverat, illustribus etiam prærogativis morientem insignire; cum enim venerabilis Viri anima a corpore separaretur, luculenta quædam lux, seu splendor instar lucidissimi radii, ex ore morientis exire visus est, qui mirifice totum cubiculum illustrans, adstantes omnes, qui frequentes undique convenerent, non mediocri stupore et gaudio affecit.

qui ex ore exspirantis prodire visus est.

47 Factum hoc probant duo testes contestes de visu, scilicet septimus et octavus, qui lucem hanc, seu splendorem, ex ore B. Bertrandi, animam suo Creatori reddentis, procedere viderunt; et per testem quadragesimum nonum, qui vidit F quidem eodem tempore lucem magnam per cubile diffusam, sed propter adstantium multitudinem non vidit illam ex ore prodeuntem. Quod hæc lux, seu splendor, aut claritas, non esset ex aliquo lumine naturali, patet tum quia exibat ex ore B. Bertrandi, dum animam exhalabat, tum quia claritas naturalis maxime, quando excellens est, corrumpit sensum; ut patet in sole et igne; hæc vero claritas, seu splendor, mira quadam dulcedine, qui præsentes erant, alliciebat, et oculos demulcebat.

eorumdemque ea de re

48 Dubitari tamen potest, an hæc claritas fuerit similis illi, quæ visa a Judæis in vultu Moysis Exodi cap. XXXIV; vel illi, quam aliqui affirmant fuisse visam in vultu beatæ Virginis a conceptu usque ad partum, et in aliis sanctis viris; an vero fuerit claritas gloriosa, sicut illa Beatorum. Quoad secundum, probabile est, fuisse claritatem animæ gloriosæ, ad cœlum ascendentis; cum anima tunc esset a corpore separata, et lux illa ex ore prodiens in altum versus fenestram ascenderit: et notum est, animas Beatorum luce circumdatas in cœlum deduci, etc. *Adjiciunt hic duorum*

AUCTORE C. S.

Sanctorum exempla, quorum animæ simili luce fulgentes ad cœlum visæ efferri sunt, ac mox ita pergunt : Nec obstat, quod claritas gloriosa non possit percipi ab oculo non glorificato, quia, sicut claritas naturalis ab oculo naturali percipitur, ita claritas gloriosa ab oculo glorificato : qui a claritas Beatorum est vere claritas sensibilis ; et, licet non sit naturalis, potest sentiri ab oculo non glorificato, sicut naturalis. Abulensis in Matthæi caput XVII, q. XXXI ad IV argumentum.

sententia : ejusdem miraculi in Bulla canonizationis mentio.

49 Et comprobatur, quia Apostoli fuerunt præsentes, quando Christus transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus, sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix ; et tamen splendor ille Christi se transfigurantis, quem viderunt Apostoli, erat qualitas, qualis est illa, qua glorificantur corpora Beatorum, ut eodem capite XXXIII* affirmat Abulensis. Quod si hæc opinio alicui non probatur, discendum est claritatem illam fuisse similem claritati Moysis, et beatæ Virginis, de claritate naturalis conditionis, et habuisse aliquam similitudinem cum claritate gloriæ, sed æquivocam, sicut fides habet quamdam similitudinem cum visione patriæ, sed non ejusdem generis, ut docet Abulensis in Matthæi cap. XVII, q. XXXIII et XXXV de claritate seu splendore Moysis, et beatæ Virginis. *Hactenus de splendore, qui ex ore beatam animam exspirantis brodire conspectus est, de qua etiam meminit Bulla canonizationis his verbis :* Eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris recta in cœlum evibrata totam cellam illuminare.

** an recte?*

B

Splendor sacri cadaveris ab iisdem Auditoribus Rotæ assertus ;

** adde ac*

50 *Alterum, quod ejusdem beatam mortem illustravit, miraculum laudati Auditores Rotæ sub titulo* De splendore cadaveris *sic exponunt :* Tanto insuper tamque mirando splendore beati Viri cadaver coruscavit, ut circumstantes, haud secus* in limpidissimo speculo proprias effigies in lucentibus ejusdem carnibus intuerentur, et non mediocri animorum lætitia perfusi gratias Creatori, in Sanctis suis mirabili, haberent, ut bene deponunt et probant testes trigesimus sextus, trigesimus septimus, nonagesimus primus et ducentesimus quadragesimus quartus, qui omnes supra dictum splendorem viderunt. Et ad eamdem claritatis naturam referendus est ille splendor, qui visus est in facie ejus, postquam strumas exsuxerat, ut in secundo miraculo ; de quo splendore concludenter deponunt testes de visu quadragesimus et quinquagesimus primus. *De splendore vultus ejus, postquam strumarum pus cuidam exsuxerat, iidem Auditores ac biographi et bulla canonizationis inter miracula ab eodem, dum viveret, patrata etiam meminerunt ; de prædicto autem sacri cadaveris instar crystalli perlucidi splendore in eadem Bulla sic legitur :* Cadaver ipsius quadam veluti chrystallina puritate sic nituit, ut adstantes in ejus virginea carne, velut in limpidissimo speculo, suosmet vultus fuerint conspicati.

C

uti et cœlestis harmonia post mortem ejus

51 *Tertium, quod laudati biographi pariter annotarunt, ab iisdem Auditoribus sub titulo* De cœlesti armonia, priusquam cadaver ejus sepeliretur, audita, *refertur hoc modo :* Accessit prædictis suavissima cœlestis armonia, quæ, dum Bertrandi corpus in ecclesia, ut assolet, inhumatum paulisper asservaretur, a compluribus, tam in ecclesia, quam in monasterio ei contiguo, existensibus mira animorum oblectatione audita est, ut probant septimus, nonagesimus primus, centesimus quadragesimus nonus et centesimus quinquagesimus octavus testes de auditu ex certa scientia, qui etiam bene probant, suavissimum hunc concentum neque in ecclesia, neque in vicino, imo in nullo civitatis loco fuisse factum ea die ; et quod ipsi testes diligenter inspexerunt, an ex aliqua ecclesiæ parte prodierit musicorum arte concentus ; et re tota bene perspecta, concluserunt, cœlestem fuisse armoniam ad declarandam B. Ludovici sanctitatem.

D

a multis audita,

52 Nec mirum ; cum plurinis consueverit Deus omnipotens signis demonstrare, quanti sit aliquis apud se meriti, musico præsertim angelorum consentu, ut de S. Othmaro in ejus Vita lib. 2, cap. I legitur apud Surium tom. VI, sub die XVI Novembris, et de S. Willibrordo idem Surius narrat in ejus Vita cap. XXIV, sub die VII Novembris, consona canontium laude ab angelicis exercitibus in beatarum mentium domicilium fuisse asportatum ; et de sancto episcopo *(Ceadda)* qui ante obitum cœlestem ormoniam ab Australi parte ad oratorium, ubi aderat, provenientem audivit, in Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum lib. IV, cap. III venerabilis Beda testatur.

E

percepta que ex eodem cadavere mira fragrantia

53 *Quartum denique* De fragrantia cadaveris, *a biographis quoque minime prætermissum, eadem Auditorum Rotæ Relatio sic narrat :* Aderat præterea fragrantissimus odor, qui e toto cadavere exhalans gratissimo adstantium oblectamento per vicina quæque loca diffundebatur, cognoscique minime poterat, cujus rei fragrantiam imitaretur, prorsus ut cœlesti potentia productus videretur, sicut testes octavus, quadragesimus nonus, centesimus sextus, et ducentesimus quadragesimus quartus affirmant. Itaque cum ex corpore corruptioni exposito hujusmodi odoris fragrantia proveniret, nullumque intra vel extra corpus appositum fuerit odoris condimentum, miraculo adscribendum est ; quia, ut inquit divus Gregorius Homilia XXXVIII, ipsa corporis mortui fragrantia et odoris suavitas ostendit, in illo corpore Auctorem suavitatis existere cum pertineat ad repræsentandum effectum gratiæ S. Thomas in 3 Parte, q. 83, art. 5 ad 2 ; et diximus in Relatione B. Theresiæ, etc.

F

Sancti effigies

54 *Cum hactenus sanctissimi viri* Ludovici Bertrandi *vitam ad obitum usque chronologice percurrerim, priusquam ad alia progrediar, ejusdem effigiem habitumque corporis hic exhibeo, qualem eam chalcographus noster satis feliciter expressit secundum exemplar nigro colore pereleganter depictum, quod a sæpe laudato excellentissimo Valentinæ civitatis magistratu (quod cum grati animi sensu dico) accepimus unacum memoratis memorandisque humanissimis litteris, in quibus de eodem hæc legere est :* Ad vos etiam mittimus veram ejusdem Sancti effigiem simillimam illi, quam immortalis memoriæ vir Johannes Ribera, archiepiscopus Valentinus et patriarcha Antiochenus, beatissimique Viri amantissimus, pingi jussit, collocavitque in sacello divæ Mariæ (vulgo DE LA ANTIGUA) collegii sui, sacro Jesu Christi Corpori dicati.

55 *Quam*



VERA EFFIGIES S. LUDOVICI BERTRANDI

§ IV. Ludovicus a Paulo V inter Beatos, et a Clemente X, summis Pontificibus, inter Sanctos solemniter relatus: ejus festum annuum in Europa et America, et in Martyrologio Romano memoria: corporis incorrupti miraculum urnaque pretiosa: separatæ ab eodem sacræ reliquiæ.

AUCTORE C. S.

E

Post factam beatificationem causa canonizationis

Tametsi, *quæ pro* Ludovici Bertrandi *beatificatione ac magnam etiam partem pro ejusdem solemni canonizatione gesta fuere, in Vita, per Avignonum scripta, satis exposita et ad sua tempora reducta sint, ut adeo id hic fieri non debeat; quædam tamen, quæ ad primam attinent, proderit generatim delibas; quæ vero ad secundam, nonulla addenda, quod Avignoni tempori posteriora sint Jam sæpius memini Relationis Ms. Rotæ Romanæ Auditorum de eadem causa, postquam Paulus V summus Pontifex eumdem* Ludovicum *anno* 1608 *Beatis adscripserat. Hujus Relationis hic tutulus est:* Ad Sanctissimum Dominum Nostrum, Gregorium XV. De sanctitate vitæ et miraculis beati Ludovici Bertrandi. Ordinis Prædicatorum, Relatio trium Rotæ Auditorum, Joanis Baptistæ Coccini Rotæ decani, Alphonsi Manzanedi de Quinonis, et Jacobi Cavalerii, Rotæ Auditorum.

a Paulo V et Gregorio XV committitur examinanda Auditoribus Rotæ,

58 *In ea de Sanctorum ac* Ludovici *virtutibus et miraculis, pauca generaliter præfati, Gregorium sic alloquuntur:* Unde merito sanctæ memoriæ Paulus V, Sanctitatis vestræ prædecessor *(obiit hic anno* 1621) censuit, B. Ludovicum Bertrandum in tota ecclesia particulari clarissimi Ordinis Prædicatorum, ac in civitate Valentiæ, tanquam Sanctum esse colendum, et commisit illustrissimo Cardinali Sacrato, dum in nostro ordine esset, quem postea Sanctitas Vestra ob ejus virtutum merita ad Cardinalatum evexit, et nobis Joanni Baptistæ Coccino Rotæ decano, et Alphonso Manzanedo de Quinones Rotæ Auditori, an hoc idem expediat declarari in Ecclesia universali; quod mandatum Sanctitas Vestra confirmavit, et me Jacobum Cavalerium in locum prædicti Cardinalis subrogavit; et negotio mature discusso, censuimus, expedire, quoties Sanctitati Vestræ videbitur: cum constet de perfecta puritate, ab omni scelere libera, ac ex omni parte incontaminata, ac generaliter de omnium virtutum actibus, quos in divinum bonum ordinavit; ex quibus resultat sanctitas etc.

qui validitatem processus Valentini,

59 *Tum* S. Ludovici *virtutes ac miracula a probis testibus probata exponunt, ac deinde sub titulo* De validitate Processus *sic pergunt:* Supradicta omnia, Beatissime Pater, desumpta sunt ex Processu duobus voluminibus composito

et corporis habitus

55 *Quam in manibus gestat Crucem, inferiori sua parte parum incurvatam, ea memoriam refricat insignis illius miraculi, quo nitrato pulvere fœtus tubus bellicus* (sclopetus *vulgo appellatus) dum laxata rotula a nefario quodam in sanctissimum Virum exploditur, in Crucem subito mutatus fuit, ut in Vitis aliisque instrumentis probatæ fidei legitur. Cæterum* erat Beatus *(teste Avignono)* procerus statura, macilenta facie, maxillis nonnihil elevatis, naso acuto aquilino, carne vultus rugosa, crinibus coronæ clericalis albis nigrisque mixtis, oculis admodum lucidis.

Ejusdem Sancti in Bibliotheca Prædicatorum memoria.

56 *Adde etiam, quæ de ejusdem ingenii lucubracionibus habet Echardus tom. 2. Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum pag.* 263, Plura Sanctum scripsisse, *inquiens*, ferunt, servarique per Hispanias, ac Valentiæ latere etiamnum inedita, quæ Viri sanctitatem et in rebus spiritualibus scientiam exhibent: at cum nos lateant, suorum gentilium diligentiæ producenda posteritatique commendanda permittimus. Unica nobis non est omittenda « De Moriscorum « Valentini regni perfidia e ejectione, ad ejusdem « regni proregem, ducem de Najera scripta transmissaque sententia et epistola. » Hanc Jacobus Bleda Defensionis fidei tractatu tertio, p. 457 Latine edidit, at Damianus a Fonseca libro « De la « justa expulsione de los Moriscos de Espana » pag. 134 vernacula Hispanorum lingua, et ipsis Sancti verbis repræsentat.

AUCTORE C. S.

to fol. 2545, fabricato de anno MDXCVI auctoritate Apostolica, vigore Remissorialium et compulsorialium a Sacra Rituum Congregatione rexalatarum. Nos autem in hujus beati Viri sanctitate discutienda dictis testium usi sumus vigore Remissorialium receptorum, quo rite et valide fuisse examinatos, censuimus, Processumque esse in forma probanti ; cum fuerit bene recognitus, ut apparet ex nostro Registro ; et quo * ad validitatem examinis attinet, prædicta Sacra Congregatio commisit examen reverendissimis DD. patriarchæ Antiocheno, qui tunc erat archiepiscopus Valentinus, et episcopis Marochitano, Segobriensi et Oriolensi, cum clausula : QUATENUS VOS, SALTEM DUO EX VOBIS etc.

* *quod*

de quo in Relatione sua ad Gregorium XV varia memorant,

60 Has litteras P. Vincentius Justinianus Antist, legitimus Religionis Procurator, ut constat ex ejus mandato fol. 14 et seq., præsentavit dictis judicibus, qui illas acceptarunt, et in notarium actuarium Gasparem Joannem Micon, notarium et scribam curiarum Valentiæ, et in Cursorem Joannem Ferrer nuntium curiæ ecclesiasticæ Valentiæ, nominarunt, qui jurarunt in forma de fideliter serviendo, ut videre est fol. 4 a tergo. Pro executione vero dictarum litterarum Remissorialium deputarunt palatium archiepiscopale Valentinum, et pro loco loci illius aulam, et pro diebus examinis dies Lunæ, Mercurii et Veneris, ut apparet fol. 5.

B

probantes, ad canonizationem procedi posse

61 Et cum Sacræ Congregationi visum fuerit ex abundanti, quod Procurator fiscalis, tunc Jacobus Nerottus, citaretur, cum hic substituisset bonæ memoriæ Martinum Andream, tunc Præpositum Valentinum, postmodum Rotæ auditorem, modo defunctum, ut de dicta substitutione apparet in eodem Processu fol. 11, prædicti domini judices decreverunt Monitorium contra bonæ memoriæ Martinum Andream, ut in processu fol. 5, quod fuit executum, ut apparet fol. 20, et reproductum per patrem Ludovicum Primum, ut in eodem Processu fol. 20, qui pater Ludovicus fuit substitutus a patre Vincentio Justiniano, ut in Processu fol. 19 ; et assistente eodem bonæ memoriæ Martino Andrea, prædicti judices examinarunt, prævio legitimo juramento, ducentos nonaginta et unum testes in loco et diebus assignatis ; et primo super Interrogatoriis productis, ut videre est fol. 20 ; deinde super articulis, qui fuerunt dati, ut fol. 22 et seq. ; de quo examine constat a fol. 30 usque ad fol. 2245.

C

censuerunt anno 1621 ; quod tunc etiam censuit sacra Rituum Congregatio.

62 Ex qua serie facti cum appareat, Processum fuisse legitime fabricatum, et testes in eo positos valide examinatos, et ex iis constet de sanctitate vitæ B. Ludovici Bertrandi, a Deo comprobata miraculis, qua secundum præsentem justitiam satis ostendunt, aliquem esse descriptum in Libro Vitæ, ut per Doctores in cap. 1 de Reliquiis et veneratione Sanctorum ; censuimus si ita Sanctitati Vestræ videbitur, posse procedere ad beati Ludovici Bertrandi canonizationem. *Hujus Relationis etiam meminit Avignonus in Vita edenda, addens, eamdem a laudatis Rotæ Auditoribus Gregorio XV oblatam fuisse anno* 1621, *die* XIII *Augusti, eamdemque causam ab eodem summo Pontifice eodem anno, mense Septembri, commissam fuisse sacræ Rituum Congregationi denuo examinandam, et ab hac denique ejusdem anni die* XXII *Decembris editum Decretum, quod ibidem recitat, quo censetur, ad ejusdem* B. Ludovici *canonizationem posse procedi, quando eidem Pontifici visum fuerit.*

D

Gregorius XV, re infecta, mortua, deinde ob novos Urbani VIII decreta

63 *Nec sic tamen ea causa optatum finem habuit : dum enim canonizatio differtur, Gregorius XV anno* 1623 *die* VIII *Julii excessit e vivis, cum cujus morte Avignonus Opusculum suum terminavit. Gregorio XV eodem anno successit Urbanus VIII, atque huic Innocentius X, in quorum Pontificatu an et quid in eadem actum fuerit, non comperi. Utut sit, saltem sub Alexandro VII, Innocentii X successore, qui ab anno* 1655 *usque in* 1667 *summum Pontificatum tenuit, eam resumptam fuisse, liquet ex Bulla Canonizationis jam sæpe laudata ; nam in hac dicitur* B. Ludovici *corpus* anno MDCLXI a judicibus auctoritate Apostolica deligatis *visum, et* adhuc integrum, illæsum atque tractabile *inventum esse. Porro cum post* B. Ludovici *beatificationem, a Paulo V anno* 1608, *ut diximus, perfectam, Decreta Urbani VIII et Clementis IX prodiissent, in quibus, ut a beatificatione ad canonizationem procedatur, præcipitur, ut miracula post beatificationem patrata examinentur probenturque, id quoque in hac causa præstandum fuit ; ut docet Benedictus XIV in præclaro suo Opere de Servorum Dei beatificatione etc. lib.* I, *cap.* 25 et 33.

E

novus institutus processus fuis

64 *Verba ejus ex posterioris loci num :* 13 *hic transcribo.* Si vero *(inquit)* quæstio respiciat causas procedentes per viam casus excepti *(qualis hæc fuit)* et in quibus ante Decreta Urbani VIII, nedum virtutes, verum etiam miracula fuerunt approbata ; de hice quidem causis sermonem instituendo, aut judicium Rotale super miraculis confirmationis robur obtinuit ex sacrorum rituum Congregatione, aut minime obtinuit. Si minime obtinuit ; causa resumpta, atque approbato casu excepto, de miraculis ipsis agendum est in sacrorum rituum Congregatione, eademque debent approbari, ut fiat transitus ad solemnem canonizationem. Si vero obtinuit ; poterit de illis haberi ratio pro extremo canonizationis judicio, dummodo tamen secuta sint ab indulta veneratione ; cum in Decreto Clementis IX præscriptum sit, ut habeatur formalis discussio eorum, quæ indultam venerationem sunt subsecuta.

et miraculis post beatificationem factis, quibus approbatis.

65 Exemplum desumi protest ex causis S. Thomæ de Villanova, S. Ludovici Bertrandi et S. Pascalis Baylon : in his enim causis ante Decreta Urbani VIII fuera facta discussio et approbatio, tum virtutum, tum miraculorum, in Rotæ Auditorio, atque in sacra Congregatione, quæ etiam censuerat, tuto procedi posse ad canonizationem ; uti, quad causam S. Thomæ colligitur ex serie Actorum Romæ impressa anno 1658, pag. 4 ; quoad causam S. Ludovici, ex Summario Privilegiorum Ordinis Prædicatorum collecto ab Antonio Gonzalez pag. 164 ; et quoad S. Paschalis, ex Regestis sacræ Congregationis. Supervenerunt enim Decreta Urbani VIII, ac tum, resumptis causis, ratoque habito casu excepto, dum Postulatores progredi vellent ad formalem canonizationem, animadverso, quod miracula approbata patrata fuerant ante, non post indultam venerationem, opus fuit, novas reportare litteras Remissoriales pro construendo Processu super miraculis secutis ab indulta veneratione, quibus quidem approbatis, tandem ad solemnem prædictorum Beatorum canonizationem ventum est.

Clemens IX decrevit, procedi posse ad canonizationem.

66 *De novo isto Processu super miraculis post beatificationem patratis confecto diserte etiam meminit Clemens X in Bulla canonizationis his verbis :* Deinde aliis Processibus rite confectis, approbata insuper fuere miracula, quæ subsequuntur. *Tum quatuor ex iis enarral,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN



Lith. du Senat Barousse. Paris.

APOGRAPHUM URNÆ ARGENTEÆ, UBI CORPUS S. LUDOVICI BERTRANDI QUIESCIT

A *rat, quorum unum est ejusdem Sancti corporis incorrupti integritas* post annos fere octuaginta *perseverans, de qua num.* 63 *memini; post quæ ita pergit:* His et aliis deductis approbatisque miraculis, emanavit Decretum a piæ memoriæ Clemente IX, etiam Prædecessore nostro, posse tuto deveniri ad solemnem prædicti Beati canonizationem. *Restabat igitur tunc ultimus actus seu solemnis canonizatio, quam laudatus Clemens IX haud dubie perfecturus fuisset, nisi ejusdem obstitisset, quam die* IX *Decembris anni* 1669, *anno tertio Pontificatus sui obiit.*

quam, illo mortuo, Clemens X peregit anno 1671, annuumque Sancti festum.

67 *Clementi IX die* XXIX *Aprilis anni* 1670 *suffectus Clemens X, cum pro eodem canonizatione obtinenda præter Prædicatorem Ordinem etiam Leopoldus I imperator, et Carolus II Hispaniarum rex, apud ipsius decessores Pontifices supplicassent, et apud ipsum supplicare pergerent, cumque* jam nihil *(ut ipsemet in Bulla sua loquitur)* deesset eorum, quæ ad hanc sacrosanctam functionem necessario ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum Canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda et servanda requirebantur, *tandem anno* 1671. *die* XII

B *Aprilis* Ludovicum Bertrandum *in basilica Vaticana in Sanctorum numerum solemniter retulit, edita Bulla, quam post Vitas dabimus.*

x Octob. afficit, quo etiam Officium ejus in ditionibus regis Catholici

68 *Quam ob rem hic solum ex ea observo, annuam ipsius Sancti memoriam non die* IX *Octobris, quo ille felicissime obiit, sed postridie, seu die* X *mensis recolendam statuisse, propositis etiam septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiis omnibus Christi fidelibus, qui vere pœnitentes et confessi quotannis eodem die sepulcrum illius visitaturi essent. Hinc Alexander VII, qui post Innocentium XI laudato Clementi in Pontificatum successit, ejus festum eodem die* X *in omnibus Hispaniarum regis ditionibus a clero sæculari jussit celebrari. Hoc proinde die ab illo tempore in Belgio quoque nostro recolitur Officio ecclesiastico, in cujus Lectione* VI *ea de re sic dicitur:* Ejus festum Alexander VIII. instante rege Catholico *(Carolo II)* ab universo ditionis ipsius clero sæculari sub ritu duplici celebrandum decrevit.

recitandum decrevit Alexander VIII. qui eumdem novi regni Granatensis patronum declaravit.

69 *At in novo regno Granatensi, quod Sanctus suis Apostolis laboribus excoluit, idem Pontifex Alexander jussit ejusdem festum ritu duplici primæ classis, et a populo quoque sub præcepto singulis annis coli, quod ipsum ejusdem regni patronum constituisset, decreto anno* 1690, *die* III *Septembris edito, teste Lafono in Anno Dominicali die* X *Octobris in* S. Ludovico Bertrando. *De patronatu novi regni Granatensis a laudato Alexandro ipsi delato etiam sic meminit, quam supra dixi, Officii proprii Lectio* VI*:* Sanctumque Confessorem novi regni Granatensis Patronum Apostolica auctoritate declaravit.

Valentiæ colitur die XX, *Romano Mrl, die* IX *Octob. inscriptus est.*

70 *Valentiæ tamen, quam eidem Sancto patriam obtigisse, vidimus, festum ejus (nescio, ex quo tempore) a die* X *Octobris usque in diem* XX *ejusdem mensis perpetuo translatum esse ac solemniter quotannis recoli, didici ex sæpe laudatis litteris excellentissimi senatus ejusdem civitatis Valentinæ, cujus verba infra aptius recitabo. Verumtamen in Mrl. Romano, quo utimur, non alio, quam, qui ipsi emortualis fuit, die* IX *Octobris (quo ne ejusdem gesta pro more nostro illustraremus, nimia præcedentis tomi moles vetuit) cum sequenti elogio inscriptus legitur:* Valentiæ in Hispania Tarraconensi sancti Ludovici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, qui apostolico spiritu clarus, Evangelium, quod Americanis prædicaverat, vitæ innocentia, multisque editis miraculis confirmavit.

AUCTORE C. S.

Sancti corpus annis 1562, 1647 *et* 1661 *incorruptum inventum*

71 *Jam aliquoties mentionem fecimus de sacri corporis illius incorrupti miraculo, quod etiam diserte asseruerunt in Vitis edendis Antistius et Avignonus, non tamen ultra annum* 1582, *post quem illud a nemine prætereа visum fuisse, horum posterior anno* 1622 *scribens asseruit. Ast geminam longe posteriorem illius corporis inspectionem, unde de ejusdem miraculi per annos ferme octoginta continuatione constitit, discimus ex crebro laudata canonizationis Bulla, anno* 1671 *a Clemente X edita. Hujus verba accipe:* Primum *(miraculum, quod post* S. Ludovici *beatificationem contigisse, probatum fuit)* incorrupti sacri corporis post annos fere octuaginta ab ejus sepultura, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum, aut ullis adversus corruptionem condimentis imbutum: nihilominus, dum anno MDCXLVII transferebatur in pretiosius monumentum, et anno MDCLXI, dum judicibus, auctoritate Apostolica delegatis, visebatur, adhuc integrum, illæsum atque tractabile inveniebatur.

E

bisque in honorificentiori monumento depositum.

72 *Octoginta isti fere anni numerandi sunt ab anno* 1582, *cujus mense Martio, sacrum illud cadaver e primo suo sub choro ecclesiæ sepulcro, loco humido, in quem anno præcedenti mox ab obitu illatum fuerat, eductum fuit plane incorruptum, putrefacta tamen vermibusque scatente, qua indutum erat, veste, et in alio sepulcro locoque decentiori, ut fidelium pietati fieret satis, depositum, uti in Vitis edendis legere est. Longe itaque prima hæc corporis inspectio et translatio diversa est ab ea, quæ anno* 1647 *facta in Bulla canonizationis dicitur. Et pro prima quidem facienda, tradit Avignonus, tumulum e saxo in modum parvi sacelli ab ipsiusmet Sancti germano fratre, Jacobo Bertrando, exstructum fuisse; sed quale fuerit* pretiosius monumentum, *ad quod secunda translatio anno* 1647 *peracta in eadem Bulla dicitur, non comperi; nec enim scio, an magnificum sacellum, in quo apud RR. PP. Prædicatores conventus Valentini sacrum corpus quiescere, ex sæpe dictis excellentissimi senatus, pariter Valentini, litteris mox dicam, pro ea translatione exstructum ornatumve, an eadem recentius sit.*

F

anno 1744 *argenteæ thecæ, quæ hic exhibetur, inclusum fuit.*

73 *Modum, quo venerabile illud pignus hisce nostris temporibus ibidem digne servatur, docent mox laudatæ litteræ et hic apposita icon, quam secundum transmissum ad nos una cum iisdem litteris apographum, ad Dei sanctique* Ludovici *gloriam ejusdemque senatus piæ pro sancto Cive suo sollicitudinis memoriam, a chalcographo nostro laminæ æreæ incidendam curavi. Sic aiunt:* Sinite igitur..... ut ad vos mittamus apographa quædam, quæ cum de sanctissimi Viri reliquiis tractabitis, vobis usui esse possunt. Sunt autem hæc. Primum est pretiosæ urnæ argenteæ, ubi sanctissimi Ludovici Bertrandi quiescit corpus, quod mirifice incorruptum et integrum conservatur in regii cœnobii sodolicii Prædicatorum hujus urbis magnifico sacello, quam anno MDCCXLIV suis impensis fieri curavit excellentissima Maria de Bracamonte, marchionissa Trocifal, vidua illustrissimi viri Balthasaris Escriva de Hisar et Monpalau, comitis Alcudial, olim prorogis insularum Balearium.

47 *De*

AUCTORE C. S.

Exhibetur etiam statua argentea, cum incluso brachii osse.

74 *De separato ab eodem corpore, pretiosæque statuæ incluso osse, sic pergunt:* Secundum apographum est ejusdem Sancti imaginis argenteæ, cum suo ferculo, scite elaborato ex eodem metallo, quæ illustrissima hujus regni Deputatio fieri jussit, et dono dedit, ut in imaginis pectore collocaretur sanctissimi Viri os, quod Radius appellatur, qui olim inventus fuit prope separatus a brachio: quique per crystallum inaurata lamella circumdatum conspicitur. Hæc imago ornata sacro illo osse quotannis per urbem circumfertur in generali et publico sacrorum Ordinum processu die vigesimo Octobris, in quem sanctissimi Viri festum perpetuo translatum est a die decimo ejusdem mensis, quo ejus anima in cœlum migravit, *imo quo Clemens X ejus festum fixerat: obiit enim die* IX *Octobris, ut supra probatum est. Pergo ex ipsis.*

quotannis in festo ejus solemniter Valentiæ circumferri solita,

75 In illa publica supplicatione imago gestatur ad ecclesiam cœnobii Prædicatorum, beato Dominico dicatam, ubi statim atque collocatur juxta gradus presbyterii, a presbytero ejusque ministris Deo preces concipiuntur; atque inde
B transfetur ad ejusdem ecclesiæ sacellum, ubi quiescit ipsum beatissimi Viri corpus omnibus conspiciendum; ibique posteaquam presbyter e jusque ministri sacras preces fundunt, imago prosequitur sacram pompam, et transitum facit per ecclesiam Christianæ viciniæ protomartyris Stephani, in qua sanctus Ludovicus sacrum lavacrum suscepit; unde transit in domum e regione positam, ubi natus fuit, atque ideo ejus venerationi dicata est; ibique paulam facit. *Hactenus laudatissimi viri in litteris suis, a quibus missum nobis dictæ sacræ statuæ argenteæ cum suo ex eodem pretioso metallo feretro apographum chalcographus noster imitatus est, quale pio lectori hic exhibeo.*

et ad ista quædam annotantur.

76 *Quo tempore illustrissima Valentini regni Deputatio istud suæ in Sanctum, olim civem suum, piæ observantiæ monumentum fieri curaverit, in litteris non indicatur, uti nec ejusdem pondus, nec altitudo, quæ aliaque nonnulla ad eumdem Sanctum spectantia per supra memoratas Societatis nostræ in Catholici regis ditionibus vicissitudines non licuit*
C *mihi cognoscere. Hinc etiam inter alia doceri non potui, quando, quave occasione sacrum os, seu radius brachii, statuæ insertus, carne destitutus, a reliquo corpore, sua incorrupta carne vestito, separatus fuerit, vel ab eodem separatus repertus; quam quidem separationem eo magis miror, quod idem illud corpus in præmissa sacræ urnæ argenteæ urna ambas manus sua carne instructas, ac veluti reliquo corpori adhærentes exhibeat. Celerum calix cum imposito serpente sinistræ manui insertus indicat, venenum* S. Ludovico *in America ab idolatris propinatum, ab eoque, salva Vita sua, haustum fuisse, ut in Vitis legere est.*

Tres manus digiti et unus pedis a reliquo corpore separati,

77 *Præter jam dictum os, seu radium brachii, quatuor alias minores reliquias tempore primæ translationis a sacro corpore divisas fuisse, docet Avignonus in Vita; tres scilicet alterius manuum digitos, digitumque minimum alterius pedum. Subdit e tribus illis manus digitis unum thecæ argenteæ inclusum, et in sacristia depositum, multis miraculis claruisse. De hoc digito consentit Antistius, qui auricularem fuisse notat, et a semet ex mandato Prioris sui a manu resectum, cui jam ante pene avulsus adhærebat. E duobus reliquis separatis digitis alterum, eodem Avi-* D
gnono teste, Prædicatorum Provincialis Cardinali Alexandrini Michaeli Bonello donavit; alterius vero unum articulum patri Priori, reliquos autem ejusdem duos articulos Vincentio Justiniano, Antistio scilicet biographo; qui eorumdem partem serenissimæ Hispaniarum Infanti Isabellæ Claræ Eugeniæ, anno 1586, *patremque alteram illustrissimæ dominæ Guimar de Moncada dono dedit. Minimus denique pedis digitus domino Petro Zurate Inquisitori, et ab hoc cuidam monachæ nepoti suæ donatus fuit.*

nostraque de iisdem observatio.

78 *Porro, licet neuter biographorum dicat, dextræne, an sinistræ manus pedisque hi digiti sint, e sacro corpore tamen, quale hoc in apographo nostro Valentino, quod chalcographus noster imitatus est, exhibetur, manifestum est, eosdem manus dexteræ ac pedis sinistri esse, nisi tamen auricularis fortasse sinistræ sit. Ex dictis etiam collige, dum in Bulla canonizationis idem illud corpus anno* 1661 adhuc integrum *et* illæsum *a judicibus auctoritate Apostolica delegatis inventum fu-* E
isse asseritur, ea verba accipienda esse de integritate immunitateque læsionis naturalis, corruptionis scilicet, quæ cadaverum carnes membraque dissolvit. Major minorque difficultas pendet a tempore, quo os, seu radius brachii, qui sua carne destitutus statuæ argenteæ insertus per crystallum conspicitur, olim inventus fuit prope separatus a brachio, *ut docent crebro laudatæ litteræ senatus Valentini, verum hæ de tempore inventionis altum silent, nec ego hac tempestate ibidem habeo, quem tuto consulam. Ignoscet igitur (confido) æquus lector, si tam in hujus, quam in aliorum Hispaniæ Sanctorum Actis illustrandis breviores, quam alias, esse cogamur.*



Lith. du Sénat, Barousse, Paris.

APOGRAPHUM IMAGINIS ARGENTEÆ S. LUDOVICI BERTRANDI, CUM SUO FERCULO

A

VITA PRIMA

Auctore Vincentio Justiniano Antistio, Sancto contubernali

Hispanice scripta, deinde Italice versa, at nunc demum ex editione Panormitana anni 1612 Latinitate donata.

VETUS CAPITUM PARTITIO.

B

PROLOGUS ad Christianum lectorem, in quo mentio fit de multis viris illustribus, qui in Valentino conventu prædicatorum floruerunt.

CAPUT I. De nativitate, infantia et pueritia hujus Servi Dei.

II. Quomodo susceperit habitum S. Dominici, et de vita ejusdem usque ad presbyteratum.

III. De iis, quæ ipsi post susceptum presbyteratum acciderunt.

IV. De iis, quæ fecit, dum esset magister novitiorum.

V. De iis, quæ ipsi acciderunt in conventu S. Annæ d Aibaida, ac speciatim, dum esset vicarius ejusdem conventus.

VI. De eodem argumento.

VII. De iis, quæ egit in Indiis.

VIII. De eodem argumento.

IX. De ipsius reditu ex Indiis.

X. De iis, quæ gessit post suum in Hispaniam reditum, dum fuit Prior in conventu S. Onuphrii.

XI. De iis, quæ fecit post Prioratum conventus S. Onuphrii usque ad Prioratum conventus Valentini.

XII. De iis, quæ egit, dum erat Prior in conventu Valentino.

XIII. De iis, quæ gressit post finem Prioratus usque ad finem vitæ suæ.

XIV. De eodem argumento.

XV. De multis aliis, rebus, quas toto vitæ suæ tempore gessit.

XVI. De virtutibus hujus Servi Dei.

XVII. De infirmitatibus Servi Dei.

XVIII. De morte Servi Dei.

XIX. De honore ipsi in exsequiis et sepultura exhibito.

XX. Quemodo Deus salutem Servi sui ante ejusdem obitum manifestaverit.

XXI Quomodo Deus gloriam hujus Servi sui post mortem manifestaverit.

XXII. De aliquot miraculis post mortem ejus factis.

XXIII. De translatione corporis illius, aliisque miraculis per ipsum patratis.

PROLOGUS.

Auctor probi historici regulam servandam

Communis omnium et a bonis Theologis admissa sententia est, juramentum, licet, servatis his tribus, quæ Deus per Jeremiam requirit, adjunctis, nimirum veritate, justitia et judicio *a*, id est, ne falso, ne ex iniquo fine, nec sine justa causa juretur, laudabile vitæque æternæ meritorium esse : raro tamen evenire, ut tale sit, raroque concurrere istas conditiones, hominibus parum curantibus, ut verum dicant, et ne maligne loquantur, nec res frivolas vanasque tractent. Quamvis autem historia, quæ sine jurejurando scribitur, non tam rigorose easdem tres conditiones exigat, requirit tamen eas, ut sit bona ac laude digna historia, qualis sine illis difficulter reputari poterit, nec eo nomine digna haberi. Multi enim historiographi sæpe nimium creduli, parumque in veritate rerum, quas scribunt, inquirenda diligentes ; præterquam quod etiam nonnunquam leviter referant, quæ eis in cerebrum cadunt ; atque alias quoque, etsi sincere scribant vera, minime curant, ne ea in alterius infamiam vergant ; multi porro narrationes suas tot vanis ineptisque rebus onerant, ut alio non tendant, quam ad male perdendum tempus, alias tam breve, tamque necessarium ad discenda, quæ oportet.

a

E

vitiaque, maxime synchrono, vitanda exponens,

2 Quam ob rem inter hæc discrimina, velut inter charybdes scillasque navigant omnes hi storiographi, ut adeo felicem se dicere possit, qui alterum fugiens, non incidat in alterum ; quia nonnunquam aliqui, ne unum lædant, factum pro suo libitu fingunt cum jactura veritatis ; nonnunquam, ut verum sincere proferant, honorem alterius injuste violant ; neque desunt, qui verum quidem sine alterius damno dicunt, sed inutiliter, ac sine ullo lectoris profectu. Sed præ ceteris omnibus in hoc versantur periculo, qui scribendam suscipiunt Vitam alicujus, qui paulo ante floruit eodem tempore, eodemque in loco, ubi scribunt. Hosce vero oportet accurate attendere ad verum et justum, ac denique ad utile ; quia, præterquam quod ita jubeat Deus, etiam ex ratione humana loquendo in similibus historiis ipsorum plurimum interest, ut res, sicut sunt, accurate referant ; dum minime difficile est, si quos hac in parte commiserint, errores detegi ; nec ad eos convincendos necesse est navigari in Indias, multosve legi libros, quando etiam vivunt adsuntque, qui cum ipsis conversati fuerunt, quique, si chronologam vel leviter a vero descivisse deprehenderint, illum velut hominem ineptum, levem garrulumque plenis buccis traducent. Possem hic in hanc rem insignia proferre exempla, atque specialiter hujus temporis scriptores, qui ea in parte sic errarunt, ut fidem suam penitus amiserint ; at nolim ego hic aliorum revelare defectus.

F

obseransque, se nec sine sua infamia,

3 Quod ad justitiam attinet, manifestum est, quantum intersit, utrum historiæ antiquæ, an nostri temporis, scribantur, quia, ut recte ait sacra Scriptura : Multo plus potest canis vivus, leone

A. V. J. ANTISTIO. *b*

leone mortuo *b*. Qui modo male, etiamsi falso, de Alexandro Magno aut Cæsare scripserit, nihil habet hinc timendum, cum hi tanto tempore mortui sint, eorumque pariter extincta familia; qui vero scribit de iis, qui nostris temporibus vixere, non potest, quin eorum aliquos superstites nominet, de quibus si forte quid mali dictum fuerit, licet vera scripserit, non deerunt ipsi multi adversarii, proindeque nec multi maledici. Denique scribere Vitas aliquorum nostri temporis, quæ nec doctrina sua nostro prosunt intellectui, nec bonis exemplis movent affectum, mihi multa reprehensione dignum apparet, quia id tam ample præstiterunt veteres, ut nihil opus sit, a nostri temporis fieri scriptoribus.

nec sine offensa Dei in hoc Opusculo posse mentiri, profitetur,

4. Porro cum ego scribendam mihi sumpserim Vitam sancti Religiosi, non integro abhinc anno in hac civitate defuncti *c*, viventibus adhuc multis, qui cum ipso conversati fuerunt, quis dubitat, quin diligenter attendendum mihi sit, et considerandum, quid faciam, tam ne Deum offendam, quam ne proximum contristem; tum etiam ne famæ meæ noceam, cujus magnam curam habendam esse, sacra monet Scriptura. Proinde ego, quanium ad veritatem spectat, multum cavi; nam cum scribendæ mihi essent Vitæ Sanctorum, ad
B honorem Dei, summæ simplicisque Veritatis, nefas erat hisce immisceri mendacia, a quibus tantopere Deus ipse abhorret, ut S. Paulus scribens ad Corinthios dicat, Si Deus Christum non suscitaverit a morte, nos asserentes, Christum a morte, resuscitatum esse, falsum testati adversus
d Deum fuissemus *d*, quibus verbis (uti S. Anselmus aliique ea exponunt) docuit S. Paulus, Deum tantum odisse mendacium, ut, quantumvis honorificum esset, ferre nequeat. Quam ob rem cavi, ne vel pilo a vero recederem, non modo quidquam fingendo, verum etiam vel minimum leviter credendo aliis.

se non nisi, quæ vel suis sensibus, vel ex Processu,

5 Hinc præter ea, quæ oculis meis videndo, manibusque palpando comperi, præcipue usus sum Processu, quem vigilantissimus pastor noster illustrissimus dominus Joannes de Ribera, archiepiscopus Valentinus et patriarcha Antiochenus *e*, cum insigni zelo divini honoris, ejusdemque ovium emolumento, ad preces magistratus hujus Servi Dei; qui quidem Processus,
C quanquam solum aliquot mensibus post illius obitum cœptus, jam nunc complectitur examen centum et tredecim testium; et nisi summum hujus anni frigus, aliaque gravia negotia impedimento fuissent, jam ad ducentos pertigisset. At, favente Christo, quam primum continuabitur, ut integer offeratur Sanctissimo Patri Gregorio XIII *f*, proprio judici de gestis, morte et gloria omnium Sanctorum, quibus peculiaris cultus in Ecclesia Dei debeatur.

vel ex personis gravibus, vel ex ipsomet Sancto,

6 Præterea consului personas graves, variis in locis cum patre Bertrando conversatas, quæ tum coram verbis, tum datis litteris multa relatu digna docuerunt, quæ inter ipsas dictumque Patrem evenerant; tuncque, dum certiora testimonia non habeo (nec enim aut antiquos aut hujus temporis scriptores laudare possum, qui ipse primus scribo) studui passim propria annotare nomina eorum, qui rebus gestis adfuerunt, aut eas retulere, additis etiam tempore et loco, quibus eædem contigerint. Fateor, me in apparitionibus illi oblatis non tam ex illorum verbis, quam quæ ex illiusmet, dum viveret, ore, aliarumque piarum personarum, quæ eas ab eodem pariter audierant, referendis scripsisse. D
Nec miretur quispiam, hunc benedictum Patrem alteri, qnæ a Deo acceperat, revelasse; neque id novum, dignumque reprehensione est. Si legerimus Vitas multorum Sanctorum, ab excellentibus scriptas auctoribus, deindeque ab illustrissimo domino Lipomanno, Veronensi episcopo, et a Surio Cartusiano monacho, collectas, agnoscemus, id etiam ab aliis, passim omnibus, Sanctis factum esse.

certo comperta habebat, scripsisse.

7 Imo etiam deprehendemus, eorum aliquot ipsosmet aut litteris consignasse, aut dictasse, quæ sibi e cœlo revelata fuerant. Ita S. Cyrillus aliique veteres Sancti fecerunt; atque inter nostros patres ille ipse Robertus Avenionensis *g*, *g*
cujus Opera in lucem dedit Jacobus Faber Stapolanse, et Henricus Suso, cujus revelationes totamque Vitam, miraculis plenam, Serius in peculiari libro vulgavit *h*; sed, quod mirabi- *h*
lius est, id ipsum etiam aliquot sanctæ mulieres fecere. S. Radegundis *i* revelationes suas man- *i*
dante Eugenio III, publicas fecit, quasque S. Cunegundis et S. Gerindis *k* habuerunt, per to- *k*
tum terrarum orbem dispersæ sunt. Sancta quoque Brigitta Sueca *l* octo magnos libros mirabilium revelationum suarum reliquid, quæ jussu E
concilii Basileensis (priusquam a Papa Eugenio IV dissolutum fuit) in judicio contradictorio approbatæ fuerunt a patre Turrecremata, tunc temporis sacri Palatii Magistro, ac deinde S. R. E. Cardinali: ex nostris vero sanctis mulieribus legitur S. Catharina *m* aliquos libros scripsisse *m*
De Providentia Dei, quam ob rem creditur multis insignibus revelationibus a Christo Domino, a Deipara, a SS. Francisco et Dominico, aliisque Sanctis honorata fuisse. Sic pariter fecit S. Osanna Mantuana *n*; ut adeo hic Servus Dei nihil *n*
novi, aut quidquam in Ecclesia insolens fecerit, si revelationes sibi factas cum addicto sibi amico communicaverit; neque ego quidquam novi facere contendo, easdem in hac Historia referendo.

Quamque sincere et accurate id fecerit,

8 Novit Deus, quantum laboraverim, ut pura vera, sine admixto falso dicerem, maxime, ne hoc etiam peccato tot alia delicta mea cumulando divinam in me iram provocarem, atque eo etiam magis, quod in hoc Opere meo minime intendere debeam, intendamve quidquam emolumenti, F
aliamve humanam gratiam aucupari, sed solum sanctam istam animam mihi devincire, ut pro me apud sanctissimam Trinitatem intercedat. Hinc quilibet statuat, quam cavere debeam, ne quippiam, quod ei displiceat, scribam: optime gnarus, omnes Beatos in cœlo per divinam visionem ejusdem perfectionum reddi participes, eoque maxime abhorrere a falsis confictisque laudibus, neque apud eos gratas ulliusve meriti adulationes esse.

et quam diligenter aliorum tamæ caverit, exponit;

9 Haud aliter, quantum ad justitiam pertinet, curavi multa cum cautela procedere. Etenim, quantumvis nonnunquam historiographo liceat verum dicere, nulla habita ratione de infamia alterius (ut Theologi asserunt in secunda secundæ S. Thomæ, ubi hic agit de detractione) nolui tamen hac facultate, qua poteram, hic uti; sed visum mihi potius est observandum S. Pauli dictum, non omne, quod licet, expedire *o*. Quapropter, *o*
quotquot huic Patri, dum viveret, aliquid injuriæ intulerunt, ab hoc meo labore securo sint animo; curent tamen dignam agere pœnitentiam, ne a divina Justitia puniantur; a me non habent, quod timeant.

A timeant; quia, sicut nolo adulari, quem laudo, ita nec ullo modo adversus quemquam satyram scribere volo.

aitque, se scripsisse, quod ita juberent superiores,

10 Verum fac, me, quod ad veritatem et justitiam attinet, curasse, ut meas partes explerem, ne ab hominibus merito arguar (utinam de hisce non reprehendar in conspectu Dei) quod tamen ad prudentiam et judicium spectat, multum vereor, ne graviter erraverim, quod scribenda mihi sumpserim heroica hujus gloriosi Patris gesta, quæ haud dubie doctiorem, eloquentiorem, ac religiosoris spectatiorisque vitæ requirunt, quam ego sim, qui vehementer metuo, ne meæ ignorantiæ tenebris, exigua facundia, totque defectibus magnum illum Solem obscuraverim, qui splendidissimis radiis Vitæ suæ, peritiori calamo conscriptæ, illuminare posset non solum omnia hæc regna, verum etiam totam Europam, imo et totum, quantus est, mundum. Quocirca, quemadmodum in juramento, ad probandum, illud considerate et cum maturo consilio fieri, nulla potior est ratio, quam si dicatur jussu B legitimi judicis fieri; ita nec ego potiori ratione possem me ab omni temeritate purgare, quam si dicam (ut vere est) hunc me laborem suscepisse ex expresso et peculiari meorum superiorum et prælatorum mandato. Et quia ita voluit archiepiscopus noster et patriarcha *p*, cujus Christianissimo zelo non potui resistere in tam sancto opere; quia, si ego hunc laborem detrectassem, fortasse nec alii patres voluissent aut potuissent suscipere, forte gravioribus occupati, quæ commode nequirent omittere.

p

tum ne præclara Sancti gesta ut multorum aliorum,

11 Ita vero facile sepulta mansisset hujus sancti Viri memoria, non secus atque multorum aliorum (quod non sine lacrymantibus oculis dico) qui in hoc ipso conventu floruerunt, et quorum tamen apud nos vix ulla superest memoria. Jacobus rex *q* in suis Commentariis, Petrus Marsilius, Petrus Antonius Beuter, Hieronymus Zurita, Annales scripti in civitate Majoricensi, et archidiaconus Gomez Miedes, cum aliis scriptoribus magnopere laudant sanctitatem et miracula beati F. Michaëlis de Fabra *r*; dum nos in hac domo non aliam de C illo memoriam habemus, quam quod illius ossa cum quadam veneratione serventur in sacristia; in ejusdem autem epitaphio non aliud legitur, nisi fuisse Hispanum, habitumque illi a S. Dominico donatum Tolosæ; fuisse regi Jacobo a sacris confessionibus, et ejusdem comitem in expeditionibus Majoricensi ac Valentina; fundasse conventum Majoricensem et hunc nostrum; ac propter illius insignia miracula, non solum in vita, verum etiam post obitum patrata, a congregatis hujus civitatis clero populoque corpus ejusdem ad ordinariam spectatissimorum Fratrum sepulturam translatum fuisse.

q

r

qui in eodem conventu floruerant

12 Paulo post obiit beatus F. Joannes de Pinguentos, qui, tametsi et ipse multis claruerit miraculis, in qua ecclesiæ parte sepultus fuerit, hactenus nullam habemus certam notitiam; sed solum testamentum quoddam ab illustri persona anno MCCCII factum, in quo illa suis heredibus mandat, ut certos reditus assignent ad perpetuam lampadem coram beati F. Joannis de Pinguentos sepulcro alendam. Scribit Sorio, hunc patrem usque ad S. Vincentii *f* canonizationem innumera miracula pa-

s

trasse; Robertus autem de Leccio, episcopus Aquinas, ex Ordine S. Francisci, in quodam sermone de S. Dominico, post honorabilem de aliquot Ordinis nostri sanctis mulieribus mentionem, singulariter nominavit octodecim beatos patres nostri Instituti, qui (præter Sanctos canonizatos et martyres) usque ad ejusdem Roberti tempora miraculis inclaruerunt, atque inter hos recensuit supra dictum, quem F. Joannem de Valentia appellavit : de quibus (uti et de aliis rebus ad hoc regnum pertinentibus, quas in aliis Operibus scripsit) oportuit illum recte instructum fuisse per summum Pontificem Callistum, patria Valentinum, cui erat admodum familiaris.

A. V. J. Antistio.

et quorum insigniores aliquot

13 Floruerunt præterea tempore S. Vincentii *t* una cum ipso in hoc conventu quidam alii patres magnæ sanctitatis, atque ipsis etiam temporibus, quibus observantia Religiosa in eodem multum corruerat, non prætermisit Deus illum aliquot clarissimis honorare luminaribus, quæ ibidem mirabiliter fulserunt. Dum vero ad aureum sanctæ Religiosæque observantiæ seculum ventum est, quis enarret favores gratiasque a Deo eidem collatas, dum electis E semper atque inter ceteros præstantioribus viris florentem servavit. In hoc conventu floruerunt obieruntque duo isti gloriosi martyres F. Dominicus Cordubensis de Monte majore *u*, propinquus consanguineus comitis de Alcandete, et pater magiter F. Amator Espi *x*, patria Valentinus, sed natus in Lucente. In eo floruit beatus F. Amatus, qui multa a dæmone pertulit, quod sacro Rosario valde esset addictus, multosque a gloriosissima cælorum Regina favores obtinuit. In eo habitum induerunt F. Michaël de S. Dominico, F. Laurentius Lopez, et F. Bartholomæus Pavia.

t

u

x

nominas,

14 Possem etiam hic mentionem facere de nonnullis aliis patribus, atque aliquot fratribus conversis, quorum virtutes narrare in domo tyrocinii soluerat magister noster pater Bertrandus *y*; verum, ut, quod mihi proposui, evidenter probem, suffecerit de sola insigni sanctitate patris Miconis *z* egisse, qui certe suis eximiis exemplis, et miraculorum fama in hac domo insigniter splenduit, et ad cujus obitum tota civitas accurrit, manus pedesque exosculans F tanta cum devotione, ut non par esset præsentia et auctoritas domini Bernardi de Cardenes, tunc temporis proregis Valentiæ, ipsiusque amicissimi, ad ejusdem corpus protegendum, sed oportuerit, illum suis satellitibus uti, illudque noctu sepelire. Usque adeo illius obitu hæc tota civitas commota fuit, et ipsi quoque Mauri per plateas publice dicentes : Sanctus Frater obiit! Sanctus Frater obiit!

y

z

lapsu temporis oblivioni darentur,

15 Nec sane immerito, quippe qui religiosam illius vitam recte observaverant, dum plurimis annis coram eis prædicavit, et Prioratu fungens in conventu sanctæ Crucis de Lombai, obtulit se ad resuscitandum mortuum pro veritate Christianæ fidei probanda, cum eo pacto, ut illi obstringerent sese ad fidem dicto homini a morte resuscitato adhibendam. Nihilominus hujus patris historiam non habemus præter brevissimam relationem, quam de illius gestis conscripsit Laurentius Palmiero octavo decimove die, postquam ille obierat. Qua re quamvis suum erga ipsum pium studium probaverit, non tamen, nisi pauca, scitu digna,

A. V. J. Antistio. ex iis, quæ tunc noscebantur, memoravit. Nunc omnium istorum præclarorum insigniumque virorum memoria velut penitus periit ex quadam innata et, ut ita dicam, fatali negligentia, qua Ordo noster in nostrorum patrum fratrumquo memoria ad posteros transmittenda usque laboravit.

Auctoris conclusio. 16 Desiderans itaque ego ordinariam istam incuriam quoquo modo compensare, jam a pluribus annis hunc suscepi laborem, ut, quanta possem cum diligentia, eruerem ac in publicam proferrem lucem, quidquid de istorum patrum gestis posset reperiri, ut, qui hactenus nescivi ipsemet sancte vivere, scirem saltem aliquo modo aliorum Sanctorum Vitas et Opera scribere. Interea dum huic suscepto Operi, ad quod me frequenter animabat benedictus pater Bertrandus, diligenter incumbo, placuit Deo, ut illemet moreretur, utque ego post scriptam S. Vincentii Ferrerii Vitam *aa* primus istius Gesta in lucem darem, insertis aliquot memoriis aliorum illustrium sanctitate patrum, qui ejusdem vel magistri vel discipuli fuere *bb*. Concedat B mihi Deus, ut hanc Historiam cum veritate, et justitia et prudentia conficiam; utque horum servorum Dei Vitæ sic a me exarentur in charta, ut virtutes eorumdem, quas describo, simul incipiant meo cordi inseri, ut, cum me non solo habitu, sed multo magis operibus, fratrem suum agnoverint, mihi gratiam impetrent, qua cum iisdem quoque particeps fiam hereditatis, quam nostrum omnium communis Pater Jesus Christus suo sanguine acquisivit, quamque gloriosa quoque Virgo perpetuis suis precibus procuravit. Amen. Itaque hunc in finem in nomine ejusdem Salvatoris nostri hanc Historiam ordiamur.

aa

bb

ANNOTATA.

a *Jeremiæ cap.* 4, ℣. 2 : Et jurabis : Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.

b *Eccles. cap.* 9. ℣. 4 : Melior est canis vivus leone mortuo.

c *Hinc disce locum et tempus, quo Antistius hanc Vitam scripsit; Valentiæ scilicet,* C *ubi* S. Ludovicus *natus, educatus et Prædicatorum Ordinem ingressus ac professus est, multisque annis vixit et obiit anno* 1581 *die* 9 *Octobris.*

d *Lege* 1 *ad Cor. cap.* 15, ℣. 14 *et seqq.*

e *Hujus præsulis, quo ipsemet* S. Ludovicus *ad mortem suam usque familiariter usus fuit, jam meminimus in Comment. prævio, ac frequens in hac Vita mentio recurret.*

f *Scripsit hæc Antistius anno* 1582, *quo tempore universæ Ecclesiæ Dei præerat Gregorius XIII, anno* 1585 *mense Aprili mortuus; a quo hac in causa nihil actum inveni.*

g *Alias* Robertus de Usetia *dictus, quo nomine eum in Bibliotheca Prædicatorum tom.* 1, *pag.* 449 *et seq. recensens Echardus, obiisse ait anno* 1296, *ejusdemque visionum librum a Jacobo Fabro editum memorat.*

h *Eamdem Vitam ex Surio apud nos recusam habes ad diem* 25 *Januarii.*

i *Nescio, quam* S. Radegundem *Eugenio III synchronam hic indicare voluerit; sed legendum puto,* S. Hildegardem *Bingiensem, cujus Revelationes editæ exstant, de quibus consule ejusdem Sanctæ gesta in Opere nostro illustrata ad diem* 17 *Septembris.* D

k *Per* S. Cunegundam *fortasse designat* S. Cunegundem, *alias* Kingam, *virginem, Poloniæ ducissam, et Ordinis S. Claræ, cujus Vitam dedimus die* 24 *Julii :* Gerindem *scriptam suspicor pro* Gertrude *Saxonica, de cujus Revelationibus meminit Eusebius Amort in Tractatu de Revelationibus etc.; quæque Romano Martyrologio inscripta est ad diem* 16 *Novembris.*

l *De hac sancta Vidua ejusque cœlestibus revelationibus egimus heri.*

m *Senensis scilicet, cujus gesta apud nos legere est ad diem* 30 *Aprilis.*

n *Vita* B. Osannæ Andreasiæ *Mantuanæ in Opere nostro illustrata exstat ad diem* 18 *Junii.*

o *Primæ ad Corinth. cap.* 6, ℣. 12 : Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

p *Scilicet Joannes Ribera, de quo supra ad litt.* e, *et infra sæpius.*

q Jacobum I, *Aragoniæ regem, indicat.*

r *Relatus hic apud nos inter Prætermissos est ad diem* 29 *Septembris. Reliquos subden-* E *dos insignes viros, nisi dum peculiaris quædam ratio aliter suadebit, inobservatos præteribo, ne Annotata parergis, a* S. Ludovici Bertrandi *Vita prorsus alienis, nimium excrescant.*

s S. Vincentii Ferrerii *scilicet, ejusdem Ordinis Prædicatorum, cujus gesta data in Opere nostro sunt ad diem* 5 *Aprilis. Canonizatus autem hic fuit anno* 1458.

t *Id est, seculo decimo quarto et initio sequentis.*

u *Hujus apud nos memoria exstat inter Prætermissos ad diem* 15 *Junii, rursumque ad* 10 *Julii.*

x *Hic quoque inter Prætermissos locum habet ad præcitatum* 10 *diem Julii.*

y *Scilicet* S. Ludovicus Bertrandus, *cujus Vitam hic scribit Antistius, Magistrum illum appellans, quod eidem magisterio novitiorum Valentiæ fungenti jam professus, sed nondum presbyter, pro more in Prædicatorum Ordine observato paruerit.*

z *Venerabilis* Joannes Mico *vel* Micon, *dum Priorem Valentini conventus ageret,* S. Ludo- F vicum Bertrandum *sacro Prædicatorum habitu induit ac semper maximi fecit : hinc crebra de ipso in Vitis edendis fiet mentio. Ejusdem elogium habes apud Echardum tom.* 2 *Bibliothecæ Prædicatorum pag.* 154 *et seqq.*

aa *Vita S. Vincentii Ferrerii, quam Majores mei ad diem* 5 *Aprilis dederunt, auctorem habet Petrum Ranzanem Ordinis Prædicatorum, postea episcopum Lucerinum; in Commentario tamen prævio ibidem* § 1, *pag.* 479 *de ejusdem Sancti Vita per Antistium scripta etiam meminerunt.*

bb *Horum prolixiorum elogia, quia ad* S. Ludovici Bertrandi *Vitam non pertinent, prætermittam, monito suis locis lectore, uti in Commentario prævio jam dixi.*

CAPUT

A

CAPUT I.

Sancti nativitas, vitaque ante susceptum habitum Dominicanum: tirocinium; religiosa professio, et presbyteratus.

CAP. I. *Nascitur Sanctus Valentiæ anno 1526*

Ineuntis anni MDXXVI ipso die Circumcisionis Redemptoris nostri Jesu Christi, in civitate Valentia in Hispania natus est puer, filius Joannis Ludovici Bertrandi, notarii, et Joannæ Angelæ Essarca, ejusdem secundæ uxoris, conjugum multum honoratorum bonæque conditionis, baptizatusque est in ecclesia S. Stephani et in eodem sacro fonte, in quo S. Vincentius Ferrerius, ejusdem Ordinis, baptizatus fuerat *a*. Appellatus fuit Joannes Ludovicus; sed po-

a

B stea, prætermisso Joannis vocabulo, solum Ludovicus dictus; vulgo autem non aliter appellabatur, quam Frater Bertrandus *b*, quod cognomen ejus familiæ erat, ex qua multi magni nominis et præ ceteris æstimati viri prodierunt, ac nominatim quidam Petrus Bertrandus, vir doctissimus, qui unus e novem deputatis fuit ad declarandum, ad quem successio in regna Aragoniæ pertineret post mortem regis Martini *c*.

b

c

ex honorato viro, gratiis a Deo acceptis

2 Hujus benedicti Filii pater officio olim functus fuit in obsequio sacræ inquisitionis, eratque vir pacificus, sincerus, benignus, omnisque simulationis ignarus; quapropter eum magni faciebant proceres ac præcipui barones regni Valentini, atque ob suam singularem benignitatem Patrem appellabant. Fuit etiam devotissimus S. Vincentio Ferrerio, maxime ob duas gratias a Deo per ejusdem Sancti merita acceptas. Prima fuit, quod, dum ipse adhuc puer festivos e pulvere pyrio *d* ignes pararet in Vesperam S. Dionysii, quæ Valentiæ solet

d

C festivissime celebrari, favilla ex accenso luminari in vas ejusdem pulveris nitrati delapsa, eoque incenso, ambusta facie, pene mortuus fuisset; et advocata illius avia, Ursula Ferrera, ad ecclesiam nostram festina cucurrisset, atque ante altare S. Vincentii (e cujus familia erat) flexis humi genibus, multisque cum lacrymis nepotis sui vitam sanitatemque flagitasset; domum reversa eumdem omni exemptum periculo repererit, licet tale fuisset incendium, ut eo ipse potuerit extemplo exanimari, aut saltem ipsius deformari facies, oculique, supercilia et nasus consumi, caputque velut hominis mortui reddi.

memorabili; et piissima Genitrice.

3 Altera vero gratia sic se habuit: Post multos annos in primo suo matrimonio exactos in gravem diuturnamque infirmitatem lapsus et ad extrema deductus fuerat, paulo post feria quarta hebdomadæ Sanctæ, dum sepeliendo corpori vestis funebris parata jam esset, oculos aperuit, suasque vestes poposcit; et dicentibus, quod suæ mentis impos deliraret, Non deliro, reposuit; sed vidi huc intrantes S. Vincentium

e

et S. Brunonem *c*, qui dixere mihi, me non moriturum, sed debere feria quarta hebdomadæ Sanctæ adire ecclesiam, ut divino intersim Officio; atque ita fecit: induit enim se suis vestibus, et in ecclesia Officio interfuit. Quo miraculo tantum fuit in divino servitio confirmatus, tantumque S. Brunoni devotus, ut, cum Leo Pontifex *f* permisisset, in ecclesiis Cartusianorum de eo fieri Officium, cœperit ejusdem festum in Cartusia de Porta Cæli quotannis celebrare *g*. Mortua deinde illius conjuge *h*, ad idem monasterium se contulit, ut ibidem habitum assumeret; sed in ea via iidem duo Sancti denuo apparuerunt dixeruntque, non esse Deo placitum, ut monachus fieret, sed ut in seculari vita persisteret. Qua de causa duxit alteram uxorem *i*, admodum Christianam, piam, probatissimæ vitæ morum, itaque secessus amantem, ut raro, nisi ad ecclesiam, e domo sua prodiret in publicum.

A. V. J. ANTISTIO.

f

g h

i

Puer planctui pisque operibus deditus est,

4 Modo ut ad nostrum beatum Puerulum revertamur, dico, illum vehementer propensum fuisse ad planctus; unde apparet, Deum cœpisse illum ad quemdam sanctum mœrorem comparare, ut, velut alter Jeremias, viveret semper afflictus dolensque de peccatis hominum. Qua de causa interdum ad ecclesiam portabatur, ut eum sacrarum imaginum conspectu E sedarent; idque erat promptissimum remedium, ut is a planctu cessaret; dumque non patebant ecclesiæ fores, monstrabantur ei Apostolorum aliæque saxeæ statuæ, circum portam locatæ; manifesto sane indicio futuræ illius singularis in Sanctorum cultum propensionis. Quamquam autem a tenera sua ætate cum magna pietate educatus fuerit, Missas Vesperasque frequentans, ac singulari devotione ergo Dei Genitricem affectus, et honestate præditus, orationique multum addictus, mundanis se rebus subducens, frequens adiret monasteria et ecclesias, maxime S. Dominici, in qua, non solum mane et vesperi, verum etiam nonnumquam a prandio crebro visebatur; dum tamen ad annum ætatis quintum decimum pervenit, frequenti Sacramentorum usu magis eluxit, specialiter (ut creditur) motus a P. F. Ambrosio, cognomento a Jesu, celebri Ordinis Minimorum concionatore, qui a sacris confessionibus ipsi erat.

F

e peregrinatione retrahitur; veste clericali indutus

5 Cum indies cresceret, atque in piis affectibus proficeret, statuit ad S. Jacobi tumulum in Gallæciam peregrinari, iterque ingressus est; sed a nonnullis, qui eum insecuti fuerant *k*, ut reducerent, ad quemdam fontem vicinum Bugnuolo (qui locus paulo plus quam viginti milliaribus *l* Valentia distat) interceptus fuit, qui ut reditum suaderent, dixere illi, matrem suam, quam discedens infirmam reliquerat, morti proximam esse præ dolore et sollicitudine, quam ex ipsius discessu conceperat: eoque errore captum reduxere. Interea pater exploratum jam habens, ratum illi fixumque esse numquam nubere, eum veste clericali induit, qua ipse aliquo tempore usus, in piis operibus se exercuit et nosocomia frequentavit, in iis sæpius pernoctans, ut adesset et serviret infirmis.

k

l

fulget virtutibus;

6 Nonnumquam etiam domi suæ, lecto non usus, integras noctes in oratione aliisque sanctis exercitationibus perdurabat, quod persensere illius matris famulæ, quia, dum Sabbatis vesperi, ut fieri solet., linteamina lecti mutabant, ea tam candida nitidaque invenerunt, quam præcedenti hebdoma fuerant. Proinde suspicatæ,

A. V. J. Antistio.

suspicatæ, quod res erat, leviter perforata ejusdem cubilis janua, conspexerunt illum moventem atque ex industria versantem sui lecti linteamina, ut in iisdem dormivisse videretur. Erat quoque patri suo matrique obedientissimus; res rara in pueris, nimis commode blandeque educatis. Numquam eos turbavit concitavitve in iram; imo dum mater ejus cum aliqua famula jurgaretur, aliterve commota esset, si forte hic Filius occurrisset, quemdam librum sumebat in manus, prælegebatque utilia et pia, ut iracundiam sedaret. Initio vitæ suæ spiritualis, ne quis adverteret, se frequentare Sacramenta, modo sanctissimam Eucharistiam sumebat in ecclesia S. Francisci, modo in Patrum Minimorum, quandoque in S. Dominici, et crebro in monasterio S. Mariæ de Jesu. Unum in eo ab ipsa sua pueritia fuit singulare, propter quod, credo, Deum ipsi tot contulisse gratias; nimirum, quod a juramentis semper abstinuerit.

B 7 Circa hoc tempus pene improvisa morte defunctus est F. Ambrosius, cognomento a Jesu (quem ei a sacris confessionibus fuisse, supra diximus) obiitque, dum in sanctæ Trinitatis, monacharum Ordinis S. Francisci, monasterio concionem haberet, uti ipsemet ante prædixerat. Quapropter bonus iste Juvenculus desiderans in via, quæ ducit ad cælum, progredi, confessarium sibi elegit patrem F. Laurentium Lopez, e regione Ocaniensi *m* ortum, Religiosum spectatæ virtutis vitæque admodum austeræ, qui hujus nostri conventus Priorem postea egit: quocum assidue sancte conversatus, tandem decrevit S. Dominici Instituta sectari. Proinde cum urgentibus precibus sacrum habitum petiit a patre magistro, F. Jacobo Ferrando *n*, tunc hujus loci Priore; viro certe in omnibus hisce nostris regionibus maximi nominis, quippe qui, licet patre Turca natus, eo pertigit, ut hanc provinciam bis rexerit; quippe Officium ecclesiasticum S. Raymundi de Pennafort composuit. Sed cum hæc illius genitor *o* audisset, eodem die, quo is sacro habitu induendus erat, accessit ad Priorem, tantumque de gravibus morbis, quibus iste suus Filius ab ipsa prima infantia laborasset, eidem locutus fuit, C ut persuaserit, ne sui prioratus tempore eum vestiret.

ab induendo Dominicano habitu impeditur.

m

n

o

Unde hactenus relata accepta sint.

8 Quæ de bonis sanctisque hujus Juvenis moribus hactenus narravimus, accepta sunt a nutrice, quæ ipsum ab incunabulis educavit, aliisque personis familiaribus, et in paternis ejusdem ædibus versari solitis, ac speciatim ex antiquis testimoniis Gasparis Mico, et Joannis Laurentii Perpignano, notariorum publicorum hujus civitatis, quos ejusdem Servi Dei genitor ad id officium instituit, quique ambo nunc ætatis sunt septuaginta annorum. De duobus quoque istis favoribus, quos ipsius pater a S. Vincentio recepit, ipsummet P. F. Bertrandum aliquoties audivi disserentem in ejusdem S. Vincentii commendationem. Narrabat ipse præterea solus in postremo sermone, quem in domo tirocinii habuit, se, dum etiamnum in sæculo degebat, aliquoties deambulandi gratia per portam, Regiam dictam, ex civitate versus mare progressum, versisque ad muros hujus conventus oculis, plangere cœpisse. Hoc ei etiam accidit, cum nostra æra campana pulsari audiret.

Dominicanum Ordinem ingreditur, insciis parentibus

p

q

9 Patri Ferrando in prioratum successit beatus pater ac magister F. Joannes Mico *p*, qui die XXVI Augusti anno MDXLIV Servum Dei habitu S. Dominici induit, dum is ætatis esset annorum octodecim et mensium septem *q*. Aiunt, dum hic habitum flagitabat, etiam aliquot alios petiisse, quorum aliquos pater Mico alio miserit, suadens, ut alteri Religioni nomen darent; hunc vero promptissime suscepit, nostroque Ordini adscriptum voluit. Memor porro pius Juvenis, quid sibi ante contigisset, jam sic omnia disposuit, ut nec patri, nec matri, quidquam hac de re innotuerit ante sequentem vesperam, cum domum non rediisset. Perpendentes enim, nihil sibi ab eo dictum fuisse, contra ac soluerat, dum ad nosocomium interdum se noctu reciperet, judicarunt, illum monachum induisse, qua de re vehementer dolebant, quod ipsum, velut omnium, qui supererant, filiorum natu maximum, peculiariter diligerent, præterquam quod admodum timerent, ne vel ratione infirmæ valetudinis suæ diu ne- E quiret eo in statu perseverare, vel intra breve tempus moreretur.

quorum adversa molimina superat;

r

10 Omni igitur studio conati sunt ipsum a religioso proposito revocare *r*; sed quanto magis id illi studebant, tanto ille magis in eo se confirmari experiebatur; et præsentiens, permisisse illis Priorem, ut eum convenirent, sine mora Deo vovit, se in S. Dominici Ordine ad mortem victurum. Cum autem genitor illi nihilominus etiam magis magisque molestus esset, Prior, ut patrem convinceret, penitusque placaret, evocato coram illo Tironi dixit: Ex auctoritate, quam a Deo accepi, præcipio tibi, ut candide edicas mihi, an Religioso statu contentus vivas, et vere te sat validum sentias, ut illum feras in eoque perseveres. At ille respondit, ita omnino esse, ac malle se mori, quam ab eo desciscere. Post hæc, colloquiumque a patre Micone cum illius matre, quam invisit, habitum, ambo parentes tanto solatio affecti fuerunt, ut ad hunc conventum accesserint, Deo Deiparæque acturi gratias, quod Filius tam bonum vitæ statum elegisset.

convictaque etiam falsa calumnia,

11 Non multo post, instigante dæmone, fuit a viro sæculari accusatus de naturali, nescio, quo defectu, qui, licet peccati reum F non faceret, parum tamen abfuit, quin ille propterea sacra exutus veste domum remitteretur, quod ipsum graviter afflixit. Sed dum quadam nocte post Matutinas preces in sacello sanctissimi Crucifixi de Rosario esset, accessit ad eum quidam pater, qui dixit: Fili, hic duo soli sumus, dic mihi sincere, an verum sit, quod de te dictum est. Responditque: Vere, pater mi, non ita est: ac mox pater iste reposuit: Confide igitur, Fili, te Religiosum futurum, neque me opinari, te cujuscumque rei mundanæ gratia mentiturum; posteaque manifestissime patuit, ipsum verum dixisse.

professionem emittit; dign moribus fulg

s

12 Anno MDXLV, die XVII Augusti *s* Religiosam professionem emisit, ab eoque tempore austerissime semper vixit, parcus in cibo, in potu sobrius, corporis flagellationibus, ciliciis, vigiliis continuisque precibus assidue addictus. In colloquiis suis semper loquebatur graviter, ita multa levia peccata vitans, quibus facile scatet, quisquis nugis ac scurrilibus, quæ viros religiosos dedecent, delectatur. Et vero,

A vero, qui gravitatem amat, jocosque fugitat, passim in divino servitio bene comparatus est; quia, cum nihil gravius solidiusque sit, quam salus, qui cum gravitate loquuntur, aptiores sunt ad cœlestia; quemadmodum contra, qui nugis fabulisque gaudent, semper pleni sunt peccatis venialibus, quæ ad perpetranda mortalia sensim disponunt. Non memini, illum umquam audisse vel minimum jocum proferentem, fabellamve narrantem, vel aliena deridentem.

Perfunctus morbo solita resumit exercitia,

13 Porro ex tam assidua oratione, jejuniis aliisque piis exercitationibus in gravem incidit morbum, cujus curandi causa missus est ad conventum S. Matthæi, locum salubrem et clementis aëris. Convalescens ad solita rediit exercitia; non enim erat ex illorum numero, qui, cum agendo pœnitentiam morbum contraxerunt, eam plus quam mortem fugitant. Ut autem, quæ in tirocinio comparantur, non solo isto brevi tempore, sed per totam vitam usui esse debent; ita bonus ille Dei Servus ad finem usque vitæ servavit, non tantum ad Re-

B ligionis substantiam pertinentia, quæ primo anno sibi comparaverat, puta charitatem, paupertatem, castitatem et obedientiam; verum etiam alios Ordinis ritus, utut minimos; ac speciatim eximius fuit in modestia externaque corporis compositione, sensibus nusquam alio distractis, sibi semper præsens; nec umquam repertus est tiro, qui præ illo oculos suos demissos et graves in choro, in triclinio, intraque et extra conventum servaverit. Quod de corporis compositione modo dixi, dici pariter potest de ejus modestia in loquendo, aliisque probis moribus, quæ vera et propria bonorum Religiosorum ornamenta sunt; sed hæc deinceps rectius dicentur per decursum hujus Historiæ, ac speciatim in capite, in quo de ejusdem sanctis moribus agemus.

tentationem dæmonis detegit superatque.

14 Dum adhuc juvenis erat, solebat ipsi tantum sapere orationis et contemplationis dulcedo, ut decreverit scientiarum studia abdicare, quod scholasticis studiis animus nimium distrahi videretur; at mox intellexit, hanc a dæmone tentationem esse, qui consuevit gravibus implicare erroribus eos, qui sine alis volare volunt, id est, sine scientia contemplari. Quare non solum sua studia resumpsit, verum etiam,

C quamdiu vixit, doctorum virorum amans fuit, nec ullus frater, qui aliqua polleret doctrina, in ipsius cellam ingressus fuit, cui non dixerit: Quid tibi videtur de eo, quod hodie legi? An hæc expositio tibi placet? aut aliquid simile. Ne vero in errorem laberetur, maximi semper fecit S. Thomæ Aquinatis, totius Ecclesiæ magni luminis, doctrinam.

m. *Sacerdotio initiatur: de instanti morte patris divinitus monitus,*

15 Anno MDXLVII, mense Octobri primam suam Missam cum cantu celebravit *t*, et aliquanto post missus est ad conventum Sanctæ Crucis de Lombai *u*, in quo anno subsecuto, mense Novembri quadam nocte apparuit ei pater suus, velut mortuus vel morti proximus; tamque certam eam putavit visionem, ut postero mane de eadem cum confessario suo diligenter contulerit. Ecce autem post paucas horas adest missus nuncius, qui dixit, patrem ejus jam ad extrema deductum esse, ejusdemque nomine precatus est, ut proinde sine mora rediret Valentiam. Cum huc pervenisset, pater illum intuitus, Fili, inquit, una e maximis, quas in mea vita passus sum, molestiis, fuit, quod te viderem Religiosum; sed quod hodie me maxime consolatur, est, quod te in hoc sancto videam habitu; quare tibi animam meam commendo.

t
u

A. V. J. ANTISTIO.

16 Post hæc ille obiit die IX dicti mensis; placuitque Deo revelare ei pœnas, quas pater ferebat in purgatorio, quæque erant hujusmodi: Visus ipsi semel est ex altissima turre præcipitatus omnia sua ossa rupisse; altera vice videbatur, velut vulneribus pugionumque ictibus plenus, suam opem implorare. Hæc ille vidit sæpius nocturnis diurnisque temporibus octo annorum spatio, quo interim tempore assiduo plurimum affligebatur, dolebatque, quod patrem suum in tam gravibus tormentis semper videret *x*. Quocirca non cessavit a jejuniis et asperis suis flagellationibus usque ad sanguinem ut infra videbimus. Exacto octennio, conspicatus est patrem suum, velut in horto amœnissimo, plenum lætitia *y*; quam visionem cum obortis lacrymis ipsemet narravit fratri suo Jacobo Bertrando, alterique, qui simul aderat, sui amicissimo, uno circiter anno ante obitum suum jam infirmus.

eidem assistit, ejusdemque animam in purgatorio videt:

x

y

E

17 Rogatus autem causam, ob quam pater hosce cruciatus tam diuturnos passus fuisset, respondit, existimare se, id factum esse, quod in obsequiis cujusdam horum regnorum procerum fuisset *z*. Quapropter, quod quidam doctor ait, nullam animam in purgatorio ultra septennium detineri, parum fundatum est, maxime cum videamus antiquam atque Universalem sanctæ matris Ecclesiæ consuetudinem celebrandi Missam Defunctorum pro nonnullis, qui jam ultra seculum obierunt, eademque Ecclesia soleat maximo numero annorum Indulgentias concedere; idque pariter aliquot vetustissimæ et maxime authenticæ historiæ, quas non vacat hic referre, confirment. Hac igitur, quæ in scholis tractari solet, quæstione dimissa, ad nostrum propositum redeamus.

qua de re auctor pauca notat.

z

18 Dum etiamnum juvenis esset, arctissimam consuetudinem cum aliquot Patribus multum religiosis contraxit, ac specialiter cum patre magistro F. Joanne Micone, F. Michaële Navarro, F. Laurentio Lopez et F. Raphaële Castelle, quod hunc sciret orationi admodum deditum, vitæque austerrimæ, eumdemque post Deum exstitisse auctorem reformationis hujus nostræ provinciæ, quippe qui diu noctuque

F valde laboravit, ut eam a liberiori ac velut sæcularium vivendi ratione, quæ in aliquot conventus inducta fuerat, revocaret; atque ipsemet ad invictissimum imperatorem Carolum V accesserat, ut aliquot Patres reformatos in eamdem provinciam adduceret. Pater F. Ludovicus aliquando post Matutinum orationi intentus vidit dictum P. F. Raphaëlem gutture tenus in aqua magno cum periculo submersionis. Cumque is pater tum deberet proficisci in Majoricam, ei hanc visionem narravit, quam eventus veram probavit.

Viri aliquot, quibus fuit familiaris, et quorum uni

futurum periculum insinuavit.

19 Etenim dum ex ea insula rediret navi, qua etiam pro-regina, vidua proregis, domini Philippi Cervellone vehebatur, Majoricam inter et Ebusum *aa* vehemens orta tempestas est, tuncque dictus pater Castelle sensit intro sibi dici, ut in scapham descenderet: descenditque, sola tunica et scapulari indutus: navis vero cum pro-regina aquis submersa fuit; scapha autem transverse Ebusum appulit. Tantaque erat maris furia, ut bonus iste pater faucium tenus immersus aquis diu steterit. Narravit Pater F. Bertrandus,

aa

A. V. J. Vantistio.

Bertrandus, hunc sanctum virum soluisse in orationibus suis, conformatis in formam crucis brachiis, non brevi tempore a terra elevatum persistere, multisque a Deo revelationibus donatum fuisse.

ANNOTATA.

a *De hisce omnibus consule Commentarium prævium* § 2, *ubi eadem etiam ex Relatione Auditorum Rotæ ad Gregorium XV Papam confirmata leges, observatumque, Sancti matrem, quæ hic* Joanna Angela *nominatur, ab aliis* Joannam Annam *appellari. Adde, domum, in qua ille natus est, nunc in veneratione haberi, qua de re vide dicta in eodem Commentario prævio num.* 75.

b *Vernacule* Bertran.

c *Fuit hic Martinus ultimus ex Barcinonensium comitum stirpe Aragoniæ rex, cui sine legitimo herede defuncto Ferdinandus Castellæ rex ex deputatorum judicum sen-*
B *tentia anno* 1412 *suffectus fuit. Vide Marianam Rerum Hispanicarum lib.* 20, *cap.* 2, *ubi inter præditos deputatos recensentur* ex Valentinis tres, Vincentius Ferrerius, cujus erat insignis opinio sanctitatis, ex Ordine Prædicatorum; ex Carthusiano ejus frater Bonifacius Ferrerius; et Petrus Bertrandus.

d *Seu* nitrato. *Ita pulverem illum bellicum, quem, in generis humani perniciem sequioribus seculis primo confectum, veteres salubrius ignoraverunt, liceat appellare.*

e *Sanctum scilicet, Cartusianorum institutorem indicat, cujus gesta die* 6 *hujus mensis, quo colitur, illustravimus.*

f *Hujus nominis X; qua de re vide Commentarium de S. Brunone* § 46 *ad mox citatum diem.*

g *Cartusianorum Portæ Cæli monasterium Avignonus in Vita auctiori subjungenda quatuor leucis Hispanicis a civitate Valentia distare, scribit, additque,* S. Ludovici *patrem ejusdem monasterii res multis annis curasse, et collata ab eo in illud beneficia aliquot memorat.*

C h *Prima scilicet, nam ex secunda natus est* S. Ludovicus; *de prima vero, susceptaque, si qua fuerit, ex hac prole, nihil quidquam præterea reperi.*

i *Alias, quæ post* S. Ludovicum *ex hisce secundis nuptiis natæ sunt, proles Avignonus in Vita auctiori lib.* 1, *cap.* 1, *num.* 5 *et* 6 *enumerat, earumque notitiam tradit.*

k *Avignonus lib.* 1, *cap.* 1 *ait, hos a Sancti patre, cui Filii discessus ex scripta, quam ibidem recitat, epistola innotuerat, missos fuisse.*

l *Avignonus istam locorum distantiam solum septem leucarum facit. Uter rectius?*

m Ocania *(incolis* Ocana) *Hispaniæ oppidum est in Castella Nova.*

n Jacobus Ferran *scribitur ab Echardo tom.* 2 *Bibliothecæ pag.* 178, *ubi hujus insignis viri, e parentibus infidelibus Tripoli in Africa nati, elogium datur.*

o *Genitor nimirum* S. Ludovici, *de quo sermo est.*

p *De eo cum laude jam memini supra; sed illum ut Beatum legitime coli, nondum comperi.*

q *Recte: natus enim est die* 1 *Januarii* D *anno* 1526, *ac proinde anno* 1544, *die* 26 *Augusti numeravit annos ætatis suæ octodecim ac menses septem cum octavo inchoato a Kalendis Augusti ejusdem anni* 1544.

r *Avignonus ex Roca narrat, patrem Filio suo scriptis litteris suadere conatum, ut a cœptis resiliret, hujusque responsorias recitat, quas in auctiori Vita legere licebit.*

s *Lege* XXVII Augusti *secundum dicta in Commentario prævio num.* 28.

t *Anno ætatis suæ vigesimo secundo, octo circiter mensibus inchoato. Vide observationem nostram in Commentario prævio num.* 29.

u *Vide de hoc Ordinis S. Dominici conventu plura in auctiori Vita lib.* 1, *cap.* 3, *num.* 31.

x *Mirabilem de pœnis purgatorii visionem lege apud venerabilem Bedam lib.* 5 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap.* 13.

y *Apud laudatum Bedam loco citato etiam exstat mentio de campo florigero, viso lætabundis animabus pleno.*

z *Nempe, quod illius gratia ejusve obsequii* E *occasione Deum offendisset.*

aa Ebusus, *nunc* Iviça *dicta, Hispaniæ Tarraconensis insula est in mari Balearico, inter Majoricam ad ortum, et oram regni Valentini ad Occasum, sita.*

CAPUT II.

Novitiis semel atque iterum præfectus, eos optime regit: succurrit mortuo amico suo: ingravescente peste, ad conventum Albaidæ mittitur: gesta ejus ibidem.

CAP. IV. *Novitiis præfectus, eos a*

Perspecta hujus sancti Religiosi insigni virtute, patres nostri ipsum anno MDXLIX *a* magistrum tironibus in hoc conventu præfecerunt; quod quidem officium in Religiosis familiis magni ponderis est, at maxime in nostra, in qua magistri est eos curare, donec ad presbyteratum fuerint promoti. Hoc autem munere religiose sancteque, non solum hac, verum etiam sex aliis vicibus, quibus illud gessit, functus est, novellos illos rigide aspereque educans, ne novæ insolitæque eis postea apparerent Ordinis observantiæ, quæ certe graves sunt: et si septem mensium jejunium pœna dictu facilis sit, non minus tamen illud, quam septem mensibus, observandum est; idemque dico de ceteris sui afflictionibus in Ordine præscriptis, quæ tacitæ limæ ad instar corpora nostra sensim destruunt.

in semet ipsum asperrimus.

21 Consueverat sæpissime se flagellare in certis locis hunc in finem a se selectis; nocturnis temporibus id faciebat in uno e nostræ ecclesiæ sacellis obscuriori; nonnumquam in sacristia minori, dedicata Deiparæ titulo Misericordiæ in claustro conventus, quem locum aiebat hanc ad rem esse accommodatissimum, quia terrorem incutiens et tenebricosus erat, magnoque

A magnoque animo accedendus. Eo quadam nocte accedens reperit ibidem carum amicum suum F. Raphaëlem Castelle, humi extensum ac semimortuum, qui sui flagellandi gratia ante ipsum intraverat, quemque deinde duo ingressi fuerant dæmones, qui eum fuste male mulctaverant, ut olim S. Antonium. Flagellabat se præterea hic Pater noster terribiliter in domo tyrocinii, adeo ut ipsius cellæ parietes tingerentur sanguine, qui inter cædendum ex ejusdem carne spargebatur; nonnumquam etiam
b tirones conspersum cruore pavimentum *b* viderunt; quorum unus cum diceret, velle se id Priori indicare, reposuit ille : Per amorem Dei tace, fili; emendabo me. Sed emendatio ea erat (sicut ipsemet cuidam familiari amico suo, multum religioso, secreto indicavit) ut imposterum flagellaturus linteo se cingeret, ut hoc defluum e scapulis sanguinem imbiberet, ne is in solum posset decidere.

rigidissime regit ac paterne fovet :

22 Ut autem flagellis multum utebatur in se ipsum, ita et in novitios, ne luere deberent in purgatorio. Illo capitulum feriis sextis media
B nocte habente, videre erat faciem extremi judicii, tanto cum rigore castigabat arguebatque non observatum silentium, somnum paululum productiorem, errorem in choro, aliosve ejusmodi minimos defectus in officiis nostris obeundis occurrentes : sed, expleto capitulo, ipsemet in suam cellam regressus sese aspere verberabat. Contra vero, omnium novitiorum suorum necessitatibus et infirmorum valetudini optime prospiciebat; quamdiu enim vixit, nobili se generosoque animo exhibuit; utque procul omni dubio non oportet arcum semper esse tensum, sed nonnumquam remitti, ne rumpatur; ita recte ordinata Religiosa instituta solent interdum permittere, ut fratres quopiam honesto oblectamento religiose se recreent. Proinde ejusmodi temporibus consueverat novitiis suis plurimum blandiri, servatis in has occasiones et in commune repositis omnibus donis, quæ ab eorum parentibus frequenter accipiebat. Et quia mater illius ei bene volebat, optimeque erga novitios affecta erat, jubebat hæc interdum opiparas merendas parari, et ad eos hilariter ac benevole
C mitti.

divino timore mire afficitur

23 Ipse nihilominus, etiam inter recreandum, mentem ad Deum elevatam habebat; cumque aliquando se cum aliis recrearet, subito se subduxit et cellam suam gemebundus ingressus est : quod advertens P. F. Thomas Arenas bonæ memoriæ eum secutus est, veritus, ne quid mali accidisset; et plangentem inveniens, causam rogavit, hocque responsum tulit : Ego non alteram plangendi causam habeo, quam quod nesciam, an salvandus sim, nec ne. Hæ erant illius cogitationes et curæ, hic clavus ipsius animo semper infixus, dum se recrearet : ac propterea non solum ea unica vice, sed etiam sæpe postea ita fecit. Cuidam quoque amico suo secreto narravit, se noctu sæpe expergefactum, ac mox Dei ejusque divinæ præsentiæ recordatum, totis ossibus tremere cœpisse, sibique tunc contigisse, quod capite IV libri Job legitur
c *c*. Frequenter etiam versabat in ore istud Salomonis Proverbiorum cap. XXVIII : « Beatus ho-
« mo, qui semper est pavidus. »

Facile dimittebat ex Ordine inconstantes

24 Erat admodum facilis in reddendis vestimentis tironibus; ea ante professionem repetentibus, ut redirent ad sæculum, solitus tum etiam a nobis petere, an vellemus et nos abire; vestes enim in promptu esse. Nam quemadmodum sanctissimum est, libenter pieque in Religioso Ordine perseverare, ita plenum periculi, ex vi et timore illum ingredi, aut ex pudore solemnibus votis profiteri. Verissimam quoque agnoscens S. Augustini sententiam, dum in Epistola CXXXVII ad populum Bonæ ait, non reperisse se meliores, quam qui in sacra Religione profecerant, nec pejores, quam qui in eodem statu male vixerunt *d*; facile tollebat habitum novitiis, exutosque multo cum rigore remittebat domum, qui non recte incedebant Exhortabatur nos efficaciter ad orationem et contemplationem : at non, ut quidam alii magistri, qui devotionem tantopere inculcant, ut exiguam rationem studii litterarii habeant : quasi liberales litteræ sanctitati repugnarent, aut ignorantia augeret devotionem. *d*

A. V. J. Anristio.

malæque spei novitios : litterarum studia commendabat clericis, vetabat conversis.

25 Imo vero assidue nos monebat, ut litteris studeremus, dicens, suum non esse alterum excogitare religiosum Ordinem; sed desiderare se, ut in Dominicano omnes clerici essent docti; qua expertus erat, quod in eo doctiores passim essent etiam religiosiores, et magis Dei E timentes, cellæque ac solitudinis amantiores, atque in omni negotio cautiores. Proinde etiam multum favebat felicis ingenii novitiis, et, quamquam adolescentes, venerabatur : nec immerito, illos scilicet, qui vere docti sunt, non alios, qui se tales æstimant; nec sunt. Contra vero plurimum gaudebat, fratres Conversos in sancta simplicitate educari, et observari constitutionem, quæ vetat, ullum eis librum concedi. Soluerat dicere Coronam Marianam *e*, repetitamque Orationem Dominicam pulcherrimum ipsis et utilissimum ad eorum salutem librum esse. *e*

Studiorum causa Salmanticam mitti obtinet ;

26 Ipse porro tantum delectabatur lectione, ut usque ad postremam infirmitatem numquam visus fuerit sine libro in manu : atque ego quidem existimo, nullum esse in hac nostra provincia Aragoniæ Religiosum, qui plures libros a capite ad calcem perlegerit. Verum tamen est, lecta ab eo (cum esset infirmæ memoriæ) minus, quam optasset, ipsi profuisse, ac propterea minus doctum audivisse, quam alios, qui minus legerant, meliusque meminerant. Usque adeo denique erat amans studiorum, ut, F cum secundo præesset novitiis, a Patre Generali obtinuerit transmitti ad celebrem Salmanticensem *f* S. Stephani conventum, ex quo noverat, tantos tamque eximios prodiisse magistros. Sed Pater Micon conatus est ipsum ab hoc revocare proposito, asserens, eum non esse a Deo ad Religiosum Ordinem vocatum ad docendas litteras, sed ut virtutes bonis suis exemplis et salutaribus monitis aliis suaderet; nec debere esse magistrum studentium litteris, sed novitiorum. Nihilominus voluit ad destinatum pergere locum, et in Castellam *g* pro- *f*
fectus est. *g*

sed ex via Valentiam reduc novitiis denuo præficitur,

27 Adventanti autem in locum, qui Villa Escusa de Haro *h* vocatur dictum ei a quodam patre magnæ pietatis est, non hanc esse viam, ad quam illum Deus vocaverat; proinde rediret ad conventum suum, ibidemque opus sibi a superioribus injungendum expleret. Valentiam itaque reversus ab ejus temporis Priore magister novitiorum denuo constitutus fuit; a quo officio numquam deinde amotus est, nisi quando ipsemet quietis causa, permittentibus superioribus, ei sponte sua cessit; quamquam Patres *h*
eum

A. V. J. Antistio.

eum in commune bonum ad eamdem curam revocaverint. Hinc factum est, ut ille magno numero juvenes instituerit, et ex ejusdem tirocinio multi prodierint, tam litteris, quam religione, excellentes; quorum licet multi jam obierint, florent tamen etiam aliqui mirabiliter in variis conventibus et provinciis nostri Ordinis; atque ipso sancti Viri sepulturæ die quidam pius pater Ordinis S. Francisci *i* inter alia, quæ in illius laudem protulit, comparavit eum magno isti patri B. Jordano *k*, proximo S. Dominici in generalatum successori, qui suis ipse manibus sacrum habitum maximo juvenum numero concessit.

i

k

quos egregie instruit.

28 Inter alios habuit duos novitios in dicendo Officio ac similibus rebus scrupulosissimos. Quam ob rem cuidam novitio, nomine F. Christophoro Escriva, nunc baccalaureo, ait: En, ut duo isti filioli scrupulosi sint; noveris, ambos sacrum habitum exuturos. Itaque contigit, dum ambo pejores facti a Religione postea defecerunt. Quidam novitius, nunc vir, post
B aliquos dies tirocinii patrem F. Ludovicum, tunc temporis loci magistrum, accedens, insignem revelationem, quam sibi factam aiebat, enarravit. Respondit is: Jam nunc tibi revelatione fiunt? Agedum, etiam habitum exues. Pauci dies effluxerant, cum ad sæculum regressus est, vitam anachoreticam professurus, nec eam professus est. Non probabat ille hujusmodi revelationes in iis, qui Dei servitium nuper amplexi fuerant; imo contra dicebat, oportere eos prius diligenter exerceri in vita activa, domando suum corpus, ac multo etiam magis suam voluntatem, et diu noctuque chorum frequentando; quam velle alis contemplationis volare; maxime quod per istam semitam ordinarie transierint Sancti, itaque doceant sacri doctores, ac nominatim S. Gregorius in Moralibus in hæc Jobi verba: „ Ingredieris in „ abundantia sepulchrum. „ Alias secreto ad se vocavit quatuor novitios, quibus ait: Filioli mei, parate vos: unus e vobis hoc anno morietur; contigitque, ut unus eorumdem infra tres menses obierit, tribus aliis aliquot annos superstitibus.

C *Quanta fuerit ejus apud suos æstimatio.*

29 Eo tempore tanta erat illius apud Patres existimatio, ut, dum pater magister Natalis, qui tunc sua perficiebat studia, nunc rector in Torrente *l* est, interrogaret benedictum patrem magistrum F. Joannem Miconem, an expediret sibi Dominicanum, an presbyterum sæcularem fieri, eoque respondente: „ Bonum est „ viro, cum portaverit jugum Domini ab adole-
l „ scentia sua *m*: „ instaret, ut mentem suam clarius exponeret; pater Micon reposuerit: A me nihil aliud audies; sed consule vestrum fratrem Ludovicum, qui, licet adhuc juvenis sit, Valentiæ erit alter S. Vincentius, idque tu ipse videbis: qua ratione geminum simul protulit vaticinium: unum scilicet, F. Ludovicum alterum futurum S. Vincentium; alterum, supra dictum magistrum Natalem victurum, donec ipsum talem videret. Quæ dicto an vere impleta fuerint, nec ne, constabit ex hujus Historiæ progressu.

m

v. Mors Miconis, S. Thomæ de Villanova, et peste correpti Clementis Benet,

30 Anno MDLV *n*, ultimo Sabbato mensis Augusti supra dictus pater Micon cum magno virtutum odore et opinione sanctitatis in hoc conventu ad meliorem vitam migravit: qui paulo antequam exspiraret, fratres multum dolentes intuitus, Consolamini vos, inquit, Patres,
n

quia certo Sanctus in conventu superest. Pau- D
cis diebus post etiam obiit magnus iste hujus civitatis archiepiscopus Thomas de Villanova ex Ordine S. Augustini *o*, quorum mortem sub- *o*
secuta est ingens annonæ penuria, quæ tenuit usque in annum MDLVII, cujus verno tempore in hac civitate accessit etiam pestis, ex qua brevi mortuus est P. F. Clemens Benet, qui, dum tunc de totius vitæ suæ peccatis apud nostrum patrem Bertrandum confiteretur, pollicitus fuit, fore ut nova de se ex altero illo mundo eidem nunciaret.

cujus anima, Sancto procurante, e purgatorio liberatur

31 Proinde apparuit ei eadem nocte, nuncians, se in purgatorio detineri pro quibusdam suis defectibus, quamquam levibus, et specialiter, quia contra constitutiones nostras indusio lineo pauco tempore fuerat usus; petiitque, ut id significaret Priori, hicque fratribus preces pro se indiceret. Itaque pater Bertrandus, rem aliis celans, Priori indicavit; isque fratribus eorumque precibus animam F. Clementis in capitulo commendavit. Quo facto, post sex octove dies quædam persona simplex, horum inscia, mentem suam apud patrem Bertrandum E
sacra confessione eluens, asseruit, præcedenti nocte visam sibi esse aperiri terram, ex eaque prodeuntem animam fratris Clementis, instar stellæ fulgidam, et per aëra ascendentem ferri ad cælum.

Ad conventum Albaidæ missus

32 Ingravescente deinde etiam magis peste, illius temporis Prior, pater frater Michaël a S. Dominico, ex mandato patris magistri, fratris Petri Salmanticensis, tunc horum regnorum vicarii generalis, multos fratres ad varios conventus trnnsmisit; in qua partitione patri Bertrando obtigit conventus S. Annæ de Albaida *p*. Hic ille cum sodali suo tanto cum fervore *p*
divini verbi prædicationi incubuit, magnam interim egestatem, aliaque incommoda ferens, ac Deum in omnibus assidue laudans, ut tunc impletum sit, quod S. Vincentius illac olim transiens prædixerat, fore ut eo in loco Deus aliquando magnopere laudaretur; quamvis id temporis S. Annæ conventum nostri nondum incolerent. Primum sermonem suum habuit in Palombara *q* cum magna animi suavitate, quod *q*
is locus natalis esset patris Miconis sibi aman- F
tissimi.

prædicationi, expiandis per confessionem animis,

33 Prædicaturus in Albaida, ingressus in sacristiam Deum precabatur, indeque prodeuntis facies splendere visa fuit. Certe credo ego, quod multis piis personis visum fuit; splenduisse scilicet vultum illius; eumque splendorem eidem obtigisse ex devotione ac frequenti oratione, in qua soluerat totus ignescere: huic autem igni proprium est splendere. Cum quidam frater, Joannes Porez nomine, in conventu S. Annæ vellet peccata sua apud ipsum expiare, dum parabat se, audivit magnum planctum et singultum alterius patris, fratris Alphonsi Hodi, eidem tunc confitentis; qui deinde recedens cum obortis lacrymis dixit ei: O mi frater Joannes, unus carbo accendit alterum! Consueverat etiam idem frater Joannes dicere, se inter confitendum ipsi, vel ex unico illius verbo soluisse se sentire vehementer ad lacrymas et contritionem excitari.

piisque consiliis suggerendis incumbit:

34 Habitabat tunc Belgidæ duobus circiter milliaribus a S. Anna Hieronymus Abella, nunc unus e magistratu hujus civitatis Valentiæ, qui magni faciebat patrem Bertrandum, quod eum orationi magnopere deditum cerneret: propter-
ea

A ea tunc multa in hoc Patre observavit, quæ postea sæpius retulit. Solebat hic vir nobilis dicere, P. F. Ludovicum numquam sibi, dum soli simul essent, nisi de Deo rebusque spiritualibus locutum esse; cumque sæpius ad eum adiret de re quapiam ad conscientiam pertinente consulendi gratia, soluisse accipere ab eo responsum, priusquam interrogasset; muros vero cellæ illius totos sanguineis guttis respersos fuisse; eumdemque crebro ad quemdam collem, conventui adjacentem pergere, ibidemque orare consuevisse. Ibat pedes per hanc viciniam prædicaturus et post habitam concionem assumpta pera mendicabat pro conventu.

visitur a pio eremita: inter Sacrificium

35 Circa hoc tempus invisit ipsum quidam eremita, qui incedebat discalceatus, sola tunica tectus, semperque Breviarium aut Coronam Marianam in manu gestans, et erat pro Sancto habitus, quod jam multis annis pœnitentiam egisset in quadam spelunca, triginta circiter milliaribus ab isto monasterio dissita. Hic simul ac hunc benedictum Patrem conspexit ad osculandos illius pedes procidit altaque voce B dixit: Tu es angelus, frater Bertrande, tu es angelus! O qualem sedem, qualem gloriam tibi Dominus paravit! Mansit autem cum ipso tribus diebus de divinis rebus tractans, confessusque apud ipsum est, et sacra Eucharistia quotidie refectus. Narravit præterea supra laudatus vir nobilis, dum interdum cum uno pedissequo solus in ecclesia esset, hunc benedictum Patrem, Sacris operantem, quarta circiter horæ parte stetisse ante sacram communionem cum Sacramento in manu, multas interim spargentem lacrymas, quæ totidem margaretæ videbantur; faciem vero illius instar crystalli claram apparuisse, et circum sanctissimum Sacramentum atque a capite Patris velut circulum lucidissimi splendoris.

mire fulget: parturienti suis precibus succurrit:

36 Quodam die eidem viro nobili Belgidam redeunti ait pedissequus ejus: Domine, vidistine splendorem, qui circumdabat caput patris fratris Ludovici, dum plangeret, in manu habens sanctissimum Sacramentum? Testatus etiam idem est, sororem suam, dominam Isabellam de Beluis, parturientem, circumstantibus obstetricibus, post aliquot horas omnibus viri- C bus defecisse. Quam ob rem dictus vir nobilis, earum inductus precibus, unum e suis famulis mula vectum ad Servum Dei festinanter misit, obsecrans, ut sine mora accurreret. Is autem cum advenisse, neminem videre aut alloqui volens, viro nobili solum dixit, ut oratorium sibi aperiri juberet; quod ingressus coram Crucifixo in genua procubuit, et Matutinum Nativitatis Domini nostri recitavit; ac deinde etiam diu in oratione perstitit. Interea vir ille nobilis per rimam Januæ illum observabat, advertensque absolvisse, eam aperuit: at ille sic infit: Istæ obstetrices parum gnaræ sunt: vellent, illam præmature parere. Pariet tamen ante mediam noctem puellam incolumem victuram cum matre sua.

viro nobili arcanum quoddam, uxoris

37 Laudato viro nobili etiam prædixit quippiam, non exigui ejusdem animæ momenti, quod viginti post annis ei contigit. Alias post sumptam in ecclesia S. Annæ divinam Eucharistiam idem vir nobilis accessit ad cellam ejus, qui apprehensum amplexatus, Frater, inquit para te; statuit enim Deus tollere tibi, quod in hac vita præ ceteris amas. Triduo post iste vir nobilis ob quamdam festivitatem ad S. Annæ rediens in medio itinere Patrem obvium habuit, Belgidam euntem, qui ait: Frater, ego ad domum vestram pergo, dominas istas pie solaturus. Quare ambo Belgidam perrexerunt, ipseque post piam exhortationem illum ejusque conjugem, ac sororem, supra dictam dominam Isabellam, duasque consobrinas, ut alias facere soluerat, sanctissimo Sacramento refecit. Absoluto prandio, Deo gratias egit, dimissisque famulis domesticis, ipsi ejusdemque conjugi dixit: Quid si Deo placeret dissolvere nodum, qui vos ligat? Moxque sermone alio verso, cœpit de divino amore loqui, et ad S. Annæ conventum reversus est.

A. V. J. Annistio.

proximam mortem, et feliorem statum vaticinatur:

38 Triduo post, die Mercurii vesperi, istam bonam dominam acris febris corripuit: die Veneris eadem ad infelicem partum pervenit postridie post sumptum cibum tam subito exspiravit, ut vix potuerit nomen Jesu proferre. Subsecuta die Dominica adfuit pater frater Ludovicus, et in eodem cubiculo, in quo positum erat cadaver, post elevatos non parvo tempore in cælum oculos, eosdem dimittens, hæc ait: E Hæc defuncta fuit una e purioribus magisque simplicibus animabus, quibuscum, dum vixi, umquam conversatus fui: quinque tamen diebus in purgatorio detinebitur. Absolutis exsequiis, corporeque in ecclesia S. Annæ sepulto, eidem viro nobili prædixit,, suos filios, tunc parvulos, presbyteros Jesuitas futuros. Atque ita evenit: post aliquot elapsos annos eorum tres isti Religioni nomen dedere; quartum vero, qui nunc conjugatus est, prædixit, remansurum in sæculo.

sub illo crescit conventus personis et eleëmosynis

39 Antequam pater frater Ludovicus vicarius esset hujus conventus, in quo non nisi quatuor vel quinque fratres habitabant, vix habebant, unde viverent; sed postquam ejusdem regimen suscepit, accrevit numerus, fratrum, et tamen omnibus abunde provisum fuit. Advehebantur ipsi interdum bene onusta frumento plaustra, aliaque ei mittebantur in eleëmosynam, quod ante raro fiebat; in arcula autem oblationum, in qua olim vix quidquam inveniebatur, cœpit bona pecuniæ summa reperiri. Id pariter fiebat, quocumque in loco ille præerat, F ut, quamvis nec importunus nec molestus esset in petendo, nec singulari uteretur diligentia in spiritnalibus filiis sibi suisve fratribus procurandis; nec soleret blandiri aliis; imo homo exiguæ urbanitatis esse videretur; benedictus Deus, omnium eleëmosynarum supremus distributor, fidelium corda moveret, ut ei abunde largirentur.

cælesti lumine in Missæ honoratur:

40 Pedissequus, cujus paulo supra meminimus, jam annorum triginta, nomine Melchior Magnes in Processu testatus est, se, cum e servitio supra laudati viri nobilis dimissus fuisset, biennio famulatum patribus esse in conventu S. Annæ, eoque interim tempore, dum patri fratri Ludovico sacrificanti frequenter inserviret, creberrime vidisse, quando sanctissimum Sacramentum in manu sua tenebat, descendentem super eum candidissimam nubem cum aliquot gyris lucidissimis inter sanctissimum Sacramentum et caput Sacerdotis, unde tantus prodibat splendor, acsi duo luminaria arsissent. Affirmavit præterea, se, dum interdum vellet de quopiam suo negotio cum Servo Dei agere, a bono Patre manu humanissime apprehensum

A. V. J. Antistio. fuisse, et in cunctis quæstionibus suis ab eo sibi satisfactum esse.

docet procuratorem in Deo confidere : 41 Rupta campana conventus, procurator ejusdem collegerat pecuniam, ut fieret altera. Sed cum pater Bertrandus, tunc loci vicarius, ea alium in finem indigeret, procuratori mandavit, ut pecuniam, quam in novam campanam servaverat, ad se deferret. Hinc multum contristatus est pauper procurator, veritus, ut campanæ solvendæ par esset : cumque proinde stomachabundus in corde suo, atque etiam intra dentes (sic tamen, ut humano modo intelligi nequiret) murmuraret hæc verba : O benedictus sit Deus, quam terribilis hic homo est!, Pater Bertrandus subito ei inquit : Eja, age, pater, cum jam dixeris, o benedictus sit Deus, quam terribilis hic homo est! bene facies nunc mihi tradens illam pecuniam, ut Deus ceteris rebus provideat.

incendium signo crucis compescit. 42 Ortum aliquando in quodam monte incendium magna cum rerum omnium strage dilatabatur versus vineas Fratrum. Quod ubi Servo Dei nunciatum est, conventu egressus est, visaque per conspicilium magna ista flamma, quæ prædictis vineis jam appropinquabat, eam formato illuc versus signo Crucis extemplo extinxit, quamvis eo jam pertigisset, ubi magna erat ligni aridi strues. Qui vero postea iverunt tantum prodigium visuri, repererunt, incendio terminum velut ducto fine præstitutum fuisse, tamque directum, velut ibidem aliquod signum positum fuisset, ultra quod non poterat istud procedere *r*.

ANNOTATA.

a *Roca et Avignonus signant annum* 1551, *diemque* 21 *Septembris. Adi Commentarium prævium num.* 30 *et duobus seqq.*

b *Consonant Auditores Rotæ Romanæ in sua Relatione Ms. ad Gregorium XV Papam his verbis* : B. Ludovicus adeo flagellis cædebat corpus suum, ut non solum ejus disciplina, sed etiam parietes conspersi sanguine viderentur.

c *Haud dubie indicat ea verba Eliphæ* : In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt : et cum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis; et vocem quasi auræ lenis audivi. Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut Factore suo purior erit vir? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea *etc.*

d *Habet ista S. Augustinus in editione Operum illius per Benedictinos Congregationis S. Mauri in Epistola* 78 *ad clerum populumque Hipponensem.*

e *Communiter* sacrum Rosarium *beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatam, quod hic semel annotasse suffecerit.*

f Salmantica, *vernacule* Salamanca, *nota est Hispaniæ in regno Legionensi civitas, insigni veterique academia celebris.*

g *Nimirum in* Castellam Novam, *vulgo* Castilla la Neuva, *per quod Hispaniæ regnum eundum erat Salmanticam, in Legionensi regno sitam.*

h *In Blaeviana charta geographica regni Castellæ Novæ, istius nominis vicus visitur* 39 *communibus milliaribus Hispanicis a civitate Valentia dissitus.*

i *Roca in Vita Hispanica scribit, hunc fuisse B. Nicolaum Factorem, de cujus cum* S. Ludovico Bertrando *sancta amicitia inferius plura legentur.*

k *Hujus beati, Ordinis prædicatorum secundi Magistri Generalis, Acta in Opere nostro illustrata habes ad diem* 13 *Februarii.*

l *Martiniere in suo Lexico geographico hujus nominis locum, excellenti vino celebrem, uno milliari Valentia dissitum memorat.*

m *Threnorum cap.* 3, ℣. 27.

n *Ita correxi; nam in editione Panormitana, qua utor, legitur :* Anno MDLI, *manifesto, verisimillime typothetæ, vitio. Rationes accipe. Primo Avignonus, hoc ipsum Vincentii Justiniani Antistii caput laudans, signat annum* MDLV, *eumdemque habent Roca in Vita Hispanica, et Echardus in Bibliotheca in elogio Miconis. Secundo emortualem ejusdem Miconis diem, quem Antistius* ultimum Sabbatum mensis Augusti *fuisse, addidit, iidem mox laudati scriptores* diem ultimam *ejusdem mensis dixerunt : hæc autem dies anno* 1555 *vere Sabbatum erat; anno vero* 1551 *Feria secunda. Tertio adjecit Antistius, S. Thomam a Villanova, archiepiscopum Valentinum,* paucis diebus post *obiisse, quem anno* 1555, *die* 8 *Septembris mortuum esse, constat ex ejusdem gestis ad eumdem Septembris diem in Opere nostro illustratis. Mitto plura.*

o *Vide Annotata ad lit. præcedentem.*

p Albaidæ, *quæ regni Valentini vicus est, marchionatus titulo insignitus, conventus S. Annæ initia et progressus legi possunt apud Diagum in Historia provinciæ Aragoniæ Prædicatorum lib.* 2, *cap.* 101, *ex quo suffecerit hic annotasse, eumdem tempore, de quo scribimus, nondum Prioratus dignitate gavisum fuisse; sed solum Vicariatus, quod non posset duodecim Religiosos alere,*

q *Roca habet* Palomar; *quo modo legendum puto, eo quod locus, de quo hic agitur, mox dicatur natalis fuisse patri Miconi; hic autem in* Palomar *natus sit, teste Echardo tom.* 2 *Bibliothecæ pag.* 154, *ubi hic addit,* Palomar oppidulum *esse* vallis Albaidæ; *quod reliquæ narrationi Antistii apprime convenit.*

r *Libet hæc ex Ms. Relatione auditorum Rotæ confirmare. Sic habent sub titulo* Vastum incendium restinctum : Cum in regni Valentini pago villæ de Albayda pastores, quo uberius in sequenti anno herba proveniret, ignem stipulis de more injecissent, accidit, ut, flante validius vento, proxima quæque primum flamma corriperet, dein latissime evagata, horribili spectaculo et ingenti mortalium terrore, toto monte sæviret; jamque ad vineam monasterii, cui Bertrandus præerat, incendium properabat, cum Dei Servus certior factus in aperta, fratribus suis comitatus egreditur, flammaque conspecta, elevatis in cælum oculis, sanctæ Crucis signum, velut benedictionem igni impertiturus, dextera efformavit; et ecce, nulla penitus intercedente mora, flamma ignisque omnis

A omnis evanuit, mutatione tam repentina, ut ligna, quorum non parva copia comburi cœperat, dimidia sui parte ustulata, dimidia vero integra, intacta cernerentur, et eodem in trunco velut exactissima quædam linea, qua discriminarentur, prout ipso benedictionis tempore, quod ad sancti Viri fidem incendium divina Providentia restinxit, plus minusve jam flamma corroserat. Probatur hoc miraculum ex duobus testibus contestibus C. Quoniam 48 dist., C. Placuit 2 q. A, C. Licet de testibus, qui cum Bertrando profecti sunt, ubi incendium per omnes montis partes, jamjam vineam combusturum, decurrebat, et præsentes fuerunt, cum exasperata vento vis flammæ, facto statim per B. Bertrandum Crucis signo, extincta est. Quod autem hæc ignis extinctio fuerit super totius naturæ creatæ ordinem, clarum est; cum vires humanæ vastum ignem in monte, lignis semiustis, debaccantem, vento maxime spirante, non possint uno oculorum ictu depellere, quem tamen B. Bertrandus, divini amoris igne plenus, statim extinxit. *Hactenus Auditores Rotæ*
B *de stupendo miraculo, quod in Bulla Canonizationis etiam memoratur.*

CAPUT III.

Cetera Sancti gesta in conventu Albaidæ : remissus Valentiam, novitiis denuo præficitur : concionatur : prodigium patrat.

VI. *Eo orante, puerpera enititur.*

Interea vinginti et duo Fratres in hoc conventu nostro *a* ex peste obierunt, atque inter hos loci Prior, frater Michaël a S. Dominico, qui sibi numquam parcens, velut alter Tobias, assiduus erat in visendis peste infectis et sepeliendis mortuis. Cum itaque pater Bertrandus in conventu S. Annæ aliquando orationi vacaret, apparuit ei in gloria Prior mortuus, et
C amplexans ait, sese eodem momento excessisse ex hac vita et proficisci ad cælum *b*..... Modo ad historiam boni Patris nostri revertamur. Quadam nocte magno cum strepitu pulsatum est ad portam conventus S. Annæ, quia domina Blanca Columba, uxor nobilis viri Joannis Milano, qui nunc Albaidæ comes est, nequiens parere, in extremo vitæ periculo versabatur. Accessit eam benedictus Pater, impositaque illius collo Corona sua Mariana, in genua procidens oravit; moxque dicta domina peperit.

Pauperi prospicit: dæmonem sub peregrini habitu latitantem

44 Mandavit aliquando procuratori conventus, ut duos regales *c* lotrici daret, qui eos inter pannos sordidos ad eamden misit. Lotrix, his visis, mirabatur, propterea quod eo die magnopere egeret. Currit ergo ad conventum, Servoque Dei dixit : Pater, quid est hoc, quod in pannis reperi ? Cui ille respondit : Vade; quia indiges; unde illa attonita hæsit, cum necessitatem suam nulli hominum indicasset. Albaidæ habebat quædam mulier filiolum multum sibi dilectum; ad quam accedens peregrinus quidam ait : Ego pergo ad S. Jacobum; si mihi dare vis filium tuum, magnum illum efficiam dominum. Illa vero (quamquam non displiceret hujusmodi promissio) petiit, sibi unum diem ad deliberandum concedi; et consilii gratia bonum patrem adiit; qui respondit, ut, dum rediret peregrinus, eum juberet in malam rem facessere, quia demon erat. A. V. J, Austrio.

detegit, et mulierem simili errore liberat

45 Postero mane rediit peregrinus, eadem postulans, ad quem illa, Vade hinc, ait, in malam rem, quia dæmon es. Reposuit ille : Major dæmon est frater Bertrandus, qui id consilii tibi dedit : ut tamen scias, quantum possim, aspice hominem, qui asino huc advehitur; is ante has fores mortuus concidet : atque ita vere contigit; peregrinus autem interim ex oculis evanuit. Magister Honophrius Clemens, eloquentissimus hujus regni conciona-
tor *d*, qui ante Patrem Ludovicum conventus S. Annæ vicarius fuerat, hoc factum narravit, exponens primam Partem S. Thomæ, præsente patre fratre Bertrando, dixitque, peregrinum illum, cum dæmon esset, naturaliter E
scire potuisse, adventantem asino hominem ex quodam malo ad subitam mortem fuisse dispositum, adjunxitque, tam peregrinum, quam istum alterum, fortassis dæmones fuisse. Hic Valentiæ mulieri alteri similem errorem exemit, ac per totam vallem Albaidæ persuasum erat incolis, nullum sibi obventurum infortunium, quandiu dictus Pater eo in loco habitaret.

Varia alia ab eo gesta.

46 Hoc tempore patri Bertrando admodum familiaris erat pater frater Joannes Alarcon, hodieque superstes in Lucente in monasterio S. Mariæ de corpore Christi *e*, qui importunis precibus a me rogatus, ut insigniora quædam de hoc Patre me doceret, inter alia mihi scripsit sequentia. Quo tempore (ita ipse) ego conversatus fui cum patre fratre Ludovico Bertrando, eidemque etiam a sacris confessionibus
fui, cognovi illum singularem sancti patris Dominici imitatorem in devotione, oratione, observantia, vitæque austeritate. Priusquam sacerdotio initiatus esset, multum profecerat in oratione, et aliquoties quædam ecstasium initia sensit. Hinc aliquando pater Mico ab eo rogatus, ut sibi explicaret, quæ res esset, dum homo nonnumquam eo pertingit, ut nesciat, utrum in cælo, an in terra sit, reposuit bonus F
pater, Deo gratias ageret, non quemlibet hac in re potuisse eo pertingere, quo ipse. Fervor ejus inter orandum, ingensque spiritus calor nonnumquam redundabat in corpus : proinde cum quodam die, valde frigida tempestate, dicerem, me frigere, graviter dixit : Qui friget, oret, nec frigus sentiet. Idne tu nescis, id numquam expertus es ?

dum Albaidæ habitaret,

47 Missam celebrabat devotissime, dumque Christum in manu habebat ante communionem, hærebat notabili tempore, oportebatque, ut ab oculis sibi tergeret lacrymas, quas fundebat. Celebrabat Missam quotidie, tantoque æstuabat amore sanctissimi Sacramenti, ut cum quodam Sabbato Sancto non posset dicere Missam privatam, rogaverit me, ut sacram Communionem sibi porrigerem; quamquam et ab hac tum abstinuerit, intelligens, id superiori non placere *f*. Inter colloquendum multus ei f
erat sermo de Deo et rebus sanctis, ut prodesset auditoribus; ac de me ipso quidem possum affirmare, in frequentibus cum illo habitis sermonibus sensisse me novum aliquod ad servi-

endum

A. V. J. Antistio. endum Deo incitamentum. Quodam etiam die, colloquentibus nobis, quidam, qui auscultabat, juvenis exclamavit : O Pater, Deus tibi benedicat, tu sancto tuo sermone pravam mihi exemisti cogitationem ; præstolabar enim quemdam hac transiturum, quem multis fustium ictibus ferirem ; sed hoc ipso momento audiens, quæ dicis, mentem mutavi. Dumque ego subjicerem, Modo vides, Pater, quid sit de Deo piisque rebus bene loqui, respondit, aliquid simile sibi etiam antea evenisse.

ex testimoniis 48 Præter perpetuum de piis rebus colloquium erat huic Patri quædam in omni sermone suo certa suavitas, quæ omnes mire rapiebat : eo autem in semet ipsum utebatur rigore, ut illius calceorum soleæ semper tinctæ apparerent sanguine, dum se flagellis ceciderat, ex scapulis defluo, quas omnino laceras lividasque gerebat. Imposita semel mea in ipsius scapulam manu, manifestum doloris indicium dedit ; sed caute finxi, me non advertisse. Alias in cella illius absconditos reperi veteres
B centones, plenos cruore, qui per flagella ex humeris defluxerat, quos ego tunc abstuli, et ultra viginti annos pro sacris reliquiis servavi. Non placebat ei lectus mollis et delicatus. Cum nos ambo occasione cujusdam jubilæi confessionibus in urbana ecclesia excipiendis in tam seram vesperam occupati fuissemus, ut non possemus redire ad conventum, dominus Joannes Milano, qui nunc comes est, fecit ei lectum sterni, qui cum Patri nimis commodus videretur, noluit se exuere vestibus, sed persolutis suis precibus, ut erat vestitus, quievit. Nec solum ordinario indusio laneo utebatur, verum etiam, quantum ex multis indiciis colligi poterat etiam sæpe cilicio.

patrum Alarconis, 49 Tantum ipsum venerabatur is populis, ut concionanti Palumbaræ *g* frustum caputii illius pro reliquiis amputatum fuerit. Aderam ego, quando ille signum Crucis formavit versus ingens incendium, vineæ conventus appropinquans *h* ; postridie vero illuc accedens, ut incendii terminum viderem, vidi illud eo in loco stetisse, ubi erat lignorum et ramalium congeries propre vineam conventus.
C Hæc sunt, quæ supra dictus pater Joannes Alarcon, homo verax multaque fide dignus, mihi narravit, qui insuper dixit, vidisse se interdum per ipsius cellæ forium rimas quamdam claritatem translucentem, quæ lux minime naturalis esse videbatur : hæc eadem ego etiam ab aliis audivi. Quædam ex relatis in hoc capite confirmavit præterea pater frater Martinus Xoarez, qui eodem tempore habitabat in conventu Albaidæ ; ac speciatim retulit, se quodam die Dominico ab eo vocatum esse, ut irent Belgidam, et in via habuisse quemdam hominem obvium, cui pater Ludovicus ait : Scio, cur venias, redi modo, et dic, me venire. Cum vero Belgidam advenissent, repererunt mortuam conjugem domini Hieronymi Abella, superius laudati ; quod pater Bertrandus jam divinitus cognoverat.

Martini Xoarez, 50 Narravit præterea idem pater, abhinc annis circiter undecim patrem Bertrandum post suum ex Indiis reditum, dum a concione in loco Agres dicto, quatuor milliaribus Albaida dissito, habita rediret, obviasse cuidam, qui ei dixit : Pater, ubi nunc habitat quidam sanctus pater vestri Ordinis, qui ante habitabat Albaidæ, eratque ejusmodi conditionis ac morum, ea proferens, quæ Bertrandum ipsum indigitarent. Respondit ad hæc pater Martinus, istum Patrem profectum fuisse ad Indias ; sed jam inde reversum esse. Tum vero virum istum dixisse : Foveris, me in hoc, ubi modo sumus, loco vidisse miram ab eo rem fieri. Nimirum dum ipse a S. Maria de Agres rediret, viso pastore, gregem suum servante, procubuisse in genua, elevatisque ad cælum oculis, aliquantulum precatum, recta ad ipsum processisse, cum eoque nonnihil collocutum, reversum Albaidam. Tunc ego ab eodem petii, quid frater iste dixisset ; qui respondit : Revelavit mihi secreta cordis mei, dicens, quod jam biennium trienniumve esset, ex quo non fuissem confessus ; utque sine mora pergerem confessurus in Agres vel in S. Annæ Albaidæ ; quo pastor iste etiam perrexit, ibidemque confessus, post biduum triduumve sancte est mortuus. D

qui ei ibidem convixerunt, 51 Eodem supra dicto fratre Martino teste, pauperibus ad januam conventus mendicantibus multas largiebatur eleëmosynas : jejunii autem Quadragesimalis tempore, dum non potuerat quosdam eorum, qui apud ipsum confiteri volebant, matutino tempore audire, si pauperes essent, cibabat eos, ne jujuni repedarent domum, ac deinde eorumdem confessiones excipiebat. Non obstantibus tot eleëmosynis et liberalitate, erat conventui prospectum de omnibus. At, qui illi successit vicarius, non erat similis eleëmosynarius, isque volendo parcere in commodum conventus, eo redactus fuit, ut nec fratribus victum posset præbere. E

et Petri Miconis, 52 Alter pater, dictus Frater Petrus Micon, testatur, magistrum Jordanum (unum e melioris magisque probatæ vitæ presbyteris hujus regni) coram suis discipulis in schola aliquando asseruisse, patrem fratrem Ludovicum Bertrandum, fuisse magnum servum Dei, et contemplationi plurimum deditum, seque, cum ad ipsum visendum accessisset ad conventum S. Annæ invenisse eum in monte, et post salutationem et amplexus rogasse, qui se haberet ; sed non aliud a bono Patre responsum accepisse, nisi quod ille oculis in cælum sublatis, hilari facie solum dixerit, posse nos esse filios Dei. Ex quibus ille intellexit, eum tunc in quadam excelsa contemplatione fuisse, cum ad
F quæsitum nil responderet. Consueverat idem magister Jordanus discipulis suis de illo dicere : Jam in cælo Vir iste est.

Valentiæ iterum regit novitios : extra urbem concionatur : 53 Cessante pestilentia, anno MDLX revocatus Valentiam est, ut novitiis magister denuo præesset, tuncque ego cœpi illius subditus esse, in eoque cognovi multas virtutum, quas jam retuli et relaturus sum *l*. Infinitas Deo gratias ago, quod, licet non acceperim ab illo sacrum habitum, nec sub ipso professionem emiserim, eum tamen habuerim jam professus, sub ejusque cura vixerim uno anno eum dimidio *k* ; sed cum ea, quæ ad tironum regimen pertinent, dum illis præfuit, jam exposuerim cap. III *l*, nihil opus est eadem hic repetere. Subsecuti Quadragesimalis jejunii tempore conciones habuit in Alcoi *m*, ubi pro lectulo usus storea optimum exemplum præbuit. Aliquoties etiam haud procul inde concionaturus ivit ad gratificandum dominæ comitissæ Beatrici Mendozza, magnæ virtutis ac pietatis feminæ, quæ propter audita de eo ex multis maximeque ex isto pio presbytero, magistro Jordano, illum plurimi faciebat, aliquando etiam apud ipsum

i

k

l

m

A ipsum confitebatur de peccatis suis; feceratque illi parari lectum commodum; verum frater Petrus Micon, tunc vir sæcularis, qui jussu comitissæ patri Ludovico inserviebat, eidem dominæ dixit, eum nunquam dormire in lecto; nec tam mature umquam surgere potuit, quin hunc benedictum Patrem, positis humi genibus, deprehenderit orantem.

duas piraticas Maurorum biremes

54 Sequenti vere ad Valentinum littus appulerunt duæ biremes Maurorum cum ingenti præda, magnoque captivorum numero, quos ex ista ora abstulerant; de quibus redimendis parandaque pecunia dum ageretur, ecce biremium præfectus *n* quodam die festo, aliquot aliis comitatus Mauris, magno cum fastu obambulabat Valentiam; qua de re Pater noster, solitus a Deo petere spiritum Heliæ, vehementer indoluit. Proinde cum vespertino tempore novitii omnes essent in horto, postquam quilibet aliquid de ejus diei festo dixerat, ipse sancta succensus ira, versus nos ait: Qua ratione ferri potest, filii mei, ut hostes Christi post

n

B tantum illatum damnum hodie tanta cum pompa civitatem perambulaverint, atque etiam nunc eant jactabundi? Ad nos, ad nos, filii mei, ea spectant. Agite igitur, omnes hic procumbamus in genua, et, ad mare conversi, psalmum adversus istos Mauros devote recitemus.

suis precibus submergit.

55 Novitii extemplo paruerunt ea cum devotione, quam Deus eorum animis infuderat. Paulo post intellectum est, Mauris vela facientibus et aliquantulum a littore provectis, terribilissimam ortam esse tempestatem, quæ eos omnes in profundum demersit. Quapropter Pater pro sua solita sancta simplicitate deinde sibi scrupulos movit, an non peccasset, data occasione novitiis (quorum meritis mirabilem illum effectum adscribebat) vindictam de Mauris a Deo tam fervide petendi. Psalmus, quem tunc recitaverant, si recte memini, fuit centesimus octavus, qui incipit: DEUS, LAUDEM MEAM, vulgoque appellatur Psalmus maledictionis; vel fuit octogesimus secundus, cujus initium est: DEUS, QUIS SIMILIS ERIT TIBI? qui admodum aptus videtur adversus Mauros aliosque sanctæ Ecclesiæ hostes.

C

ANNOTATA.

a *Valentino scilicet, non Albaidæ.*

b *Sequitur hic insigne ejusdem patris Michaëlis elogium, quod, quia nonnihil prolixum est, et ad* S. Ludovicum *nullo modo pertinet, sciens prætermitto, uti similia me prætermissurum monui in Commentario prævio num.* 13: *mihi enim hic propositum est solius* S. Ludovici *gesta recensere; Antistio autem fuit etiam alios insignes viros, qui in suo Valentino conventu virtutibus eluxerunt, posteritati commendare.*

c *Moneta Hispanica est, vulgo* Reale *dicta, variique valoris.*

d *Elogium hujus viri, cui* S. Ludovicus *etiam in Prioratum conventus Valentini successit, habes apud Echardum tom.* 2 *Bibliothecæ pag.* 234.

e *Videtur is conventus regni Valentini esse, quem Diagus lib.* 2, *cap.* 96 *in* Luchente *situm ait, et cujus notitiam ibidem tradit.*

f *Huc pertinent, quæ in relatione Auditorum Rotæ leguntur his verbis:* Aliquando prohibitus a vicario conventus sanctissimam Synaxim sumere (quam ipse solitus erat sumere, si Missæ sacrificium celebrare non poterat, ut supra dictum est) tam patienter et benigne præceptum adimplevit, ut ne verbum quidem protulerit, sciens, mandatum superioris ita esse suscipiendum, acsi Deus ipse præciperet; nisi certum sit, Deo displicere, ut docet S. Bernardus.

A. V. J. Antistio.

g *Vide Annotata ad cap.* 3 *ad lit.* q: *fortasse hic diversus est locus ab illo.*

h *Redi ad caput* 2, *num.* 42, *et Annotata ibidem.*

i *Observa hæc pro majori fide Antistii, Sancto, cujus gesta scribit, synchroni et contubernalis.*

k *Nempe, quia in sacro Prædicatorum Ordine novitiorum magister etiam præest professis, donec hi fuerint sacerdotio initiati.*

l *Imo* quarto, *et in mea partitione* secundo.

m Alcoi *vel* Alcoy, *regni Valentini oppidulum est, duodecim circiter (si recte notent mappæ geographicæ Blaevianæ) leucis Hispanicis Valentia distans.* E

n *Ita verti vocem barbaram* Rais.

CAPUT IV.

Occasio, qua ad navigandum in Indias Occidentales accensus fuit: superatis difficultatibus, eo discedit: aliquot ejus gesta ibidem.

Ex auditis a quodam impostore Indo a

Circa hoc tempus Valentiam advenit quidam Indus *a* in habitu Religioso, falsisque litteris patentibus obtinuit, ut in conventu ultra annum hospitatus fuerit; qui cum numquam fuisset novitius, nec educatus in Ordine nostro, mihi, aliisque novitiis non parvo offendiculo fuit; et patri Ludovico, magistro nostro, aliquando magnam molestiam creavit. Quam ob F rem existimo, Deum istos defectus in hoc Indo solum permisisse, ut nostrum omnium, tam novitiorum quam Magistri, patientiam exerceret. Nihilominus cum advenisset Provincialis, velletque Indum severe castigare, Ludovicus ad illius pedes provolutus multis cum lacrymis precatus est, ut ei offensas remitteret, dicens: Si Indus male fecerit, omnis culpa mea est.

adire Indias statuit; sed a proposito

57 Porro per ea, quæ ex eodem Indo audierat de laboribus et molestiis, quas istis in partibus patientur Religiosi, Deus in Ludovico ardentissimum martyrii desiderium excitavit; huncque in finem ille statuit in Indias proficisci, ubi intexellerat, concionatores ab istis populis barbaris frequenter occidi, ac nonnumquam etiam comedi. Non poterat igitur hanc sibi eximere mentem, dum tandem a duobus patribus, ex Occidentali India appulsis, accepit, magnam in provincia novi regni Granatensis *b* ad convertendos infideles concionatorum penuriam esse. Per hæc ille magno divinæ gloriæ zelo accensus, sese obtulit his patribus, et ad id opus obstrinxit *c*. Quod quidem tantopere

b

c

A. V. J. Antistio.

pere ei cordi fuit, ut nec lacrymæ fratrum et sororum aliorumque cognatorum suorum, nec repititæ preces suffecerint ad ipsum ab hoc proposito revocandum; quamquam duo tresve alii patres, qui suam etiam operam condixerant, jam consentissent ibidem permanere, ne nos affligerent.

ægre revocatur: at facti pœnitens,

58 Fratres ejus, ut eum retinerent, diserte dixerunt, nullum se nummum ad istud iter ei largituros; ac pari modo pater prior, frater Jacobus Servano (qui eumdem a pueritia sua piis moribus instruxerat) aperte negavit, exspectandum a se esse viaticum, profecturis fratribus solitum concedi. Quibus de causis, quia erat afflictissimæ valetudinis, nec itineri pedibus conficiendo par, tandem statuit non discedere. Vocatum igitur socium, quocum se iturum condixerat, dimisit, isque solus profectus est Hispalim *d*. At vero subsequenti primo die Veneris jejunii Quadragesimalis Ludovicus, cum mane sermonem habuisset ad populum in ecclesia Conceptionis, anxiari cœpit, quod remansisset, alterumque illum abire solum sivisset; B adeo ut eadem vespera in novitiatu concionatus fuerit, tirones ad accuratam Ordinis observantiam exhortans, et, si quos offendisset, veniam precatus, suam omnibus benedictionem impertierit.

d

eodem proficiscitur: in via socium reperit.

59 Postero mane tam multis apud Priorem suum institit, tantumque illi molestus fuit, ut importunate sua benedictionem ab eo tandem obtinuerit, protestante tamen semper Priore, non facere se potestatem eo proficiscendi; et, quia ipsum vehementer amabat, plangente dolenteque quod talem amitteret subditum. At pater Ludovicus eodem mane recordans, se nondum Missam celebrasse, accessit ad conventum *e* Patrum de Jesu *e*, ibique eam celebravit tanta cum pietate ac spiritu, quanto quis potest æstimare, æterno Deo simul offerens omnes labores, quos erat subiturus. Post hæc recto itinere Sætabim *f* versus perrexit, bonumque sibi a Deo augurium dari ratus est, quod viam, quæ ad crucem Sætabis ducit, transversim permeans, offenderet istum suum socium, qui cum triduo ante ab eo recessisset, occasione cujusdam cognati sui, malæ vitæ *g* hominis, non C potuerat se expedire, ut ante id temporis Valentia excederet; divina utique ita disponente providentia, ne iste pauperculus Pater suo socio careret.

e

f

g

Sætabi [ab aliquo fratrum convenitur.

60 Interea nos in ipsius cellam ingressi, invenimus arcam instrumenta pœnitentiæ continentem, nimirum, cilicia, flagella, catenas ferreas, et laminas stanneas, radularum instar perforatas, quas carni suæ admovere solebat, aliaque id genus, æque ac ista, delicata et mollia, quorum bonam copiam toto vitæ suæ tempore habere curavit. Fratres, cognito illius discessu, decreverunt eum insequi, quorum unus insecutus, postquam in via aberrasset, Sætabi offendit, ibique illum omnibus rationibus, quæ ad dissuadendum cœptum opus valere videbantur, acriter aggressus est; sed cum in suo proposito perstare videret, pecuniam ei dedit, et quia ob infirmitates suas pedestre iter facere non poterat, asellum comparavit, ut vehi posset *h*.

h

Hispali solvit in Indias, præmisso quodam vaticinio.

61 Hispali classi primo Indias petituræ se commisit, ab omnibus vectoribus sociis, navium gubernatoribus, nautisque tanti habitus, ut, quotiescumque orta esset tempestas, ad eum recurrerent. Verum hic exciderat mihi quip- D piam scriptu dignum, quod aliqui ex patre Castiglione, Ordinis S. Francisci, intellexerunt. Hic, etiam sæcularis, patri Bertrando dixerat, velle se Ordini S. Dominici nomen dare, et ab eodem plurimum confirmatus fuerat, ad viam virtutis ac Religionis capessendam. Post aliquot annos, audito, Patrem Indias petiturum, rogavit eum, ut se socium acciperet: verum ille in extremum ecclesiæ perducto ait: Significas mihi, te futurum S. Dominici Religiosum; sed falleris; cogitas etiam mecum adire Indias; sed re ipsa remanebis hic, posteaque habitum indues alterius sacri Ordinis. Ad quæ attonito hærenti bono Castiglione, secumque reputanti, qua ratione res adeo suæ menti contraria posset sibi obtingere; ait bonus Pater: Ne dubita, quin omnia hæc, quæ dixi, tibi eventura sint. Factumque est, ut Valentiæ remanens Franciscanum deinde assumpserit habitum.

VII.

Ex multis illius apud Indos gestis pauca nota sunt.

62 Quæ noster pater Bertrandus fecit in Indiis, sunt (ut ita dicam) innumera; sed ex his novimus paucissima, quæ per aliquos ex illis oris huc advectis relata, vel per litteras missas accepimus; quædam etiam ipsemet Pater cuidam familiari suo enarravit, dum interdum incidisset sermo de magnis fallaciis, quibus dæmon in istis regnis utitur, ut populos ad adorandum idola inducat; aut dum vellet aliqua de prædestinatione vel reprobatione quorumdam Indorum disserere; aut denique ut proximi utilitati studeret. Id certo novimus, eum ibi semper magnæ sanctitatis odorem sparsisse, ingentemque hominum multudinem convertisse ad Christum et baptizasse *i*.

i

Divina in puero baptizando prædestinatio.

63 Dum quodam die, qui erat vigilia sanctorum Angelorum mense Septembri, erat in ecclesia cujusdam vici, ubi ex obedientia morabatur (hi vici iis in partibus Doctrinæ appellantur, quod in iisdem doctrina Christiana novis illis gentibus tradatur) accessit ad ipsum quidam Indus, puerulum in manibus gerens, et vehementer clamavit, ut ostenderet, se illius opem implorare; quem cum ille non intelligeret, advocavit interpretem, ex quo audivit, Indum petere, ut puerum baptizaret. Interrogavit ergo eum: Quare tu vis, eum bapti- F zari, qui idola adoras? Respondit Indus: Quia ille moritur, et ibi supra montem quidam spiritus dixit mihi, te adesse in Doctrina, et si tu aquam illius capiti infundas, puerum salvandum. Baptizavit ergo illum sine ulla mora, nomenque Michaëlis imposuit, ac paulo post puer obiit, agente multas Deo gratias patre Ludovico, quod primus, quem sacro abluerat fonte, volasset in cælum, et divinæ prædestinationis opus hac in re admirante.

Incommodæ Deus fructu pensas.

64 In eadem Doctrina, multisque aliis, non deerat multa patiendi materia. Incedendum erat pedibus cum magna paupertate et fame, inter vehementissimos calores sub zona torrida, duobus solum gradibus *k* a linea æquinoctiali, ubi per totum annum dies noctibus æquantur; sed quod ei erat molestius, cum provincia foret vastissima, paucosque haberet conventus, hosque etiam invicem longissime dissitos, Priores, ut his de doctrina Christiana prospicerent, solebant varie distribuere fratres, et ad diversas stationes mittere, ut adeo alii triginta milliaria a conventu, alii sexaginta, alii centum abessent, oporteretque, hosce invicem de peccatis confiteri

k

A confiteri; conventum inter eos erat, ut quilibet iisdem diebus ex propria doctrina abirent, sibique in medio itinere occurrentes, confiterentur. Cum vero bonus Pater usu Sacramenti pœnitentiæ plurimum delectaretur, soluissetque antea indies bis confiteri; non potuit non ea de re vehementer dolere; sed benedictus Deus ipsum mirabiliter solabatur ingenti fructu, quem ex istis infidelibus referebat. A. V. J. Antistio.

Propter sublata sacrificuli ossa veneno potatur, l

65 Dum apud Indos, qui ad radices montis S. Marthæ *l* degunt, prædicavit, multos convertit baptizavitque. Pervenit deinde ad quemdam vicum, ubi, postquam plures dies prædicasset, nihil profecit. Sed cum audisset, ossa cujusdam idolorum sacerdotis, eo loci a longo tempore mortui, a populo coli, quod persuasum illis esset, ruiturum in ipsos cælum, quoties ea ossa amisissent; ac propterea eadem in summa veneratione haberi, et in templo, in quo sepulta jacebant, festa ab eis certamina ludicra soluisse fieri; ipse in illud occulte ingressus, ea ossa abstulit et quinque aut sex miliaribus procul inde asportavit. Quod ubi cognoverunt vel suspicati fuere idololatræ, cum

B quodam pessimo sene sacrificulo convenerunt, ut illum veneno inficerent, feceruntque oblata ipsi potione, qua hausta, ille lethifera correptus febri, videbatur sibi ignem in visceribus gestare, et ad mortem sese comparans, die quinto (mirabile dictu!) serpentem evomuit, atque ita se paulo melius sensit: verum alius Religiosus Ordinis Montis Carmeli, cui similem potionem dederant, intra paucos dies, post expiatam apud patrem Bertrandum conscientiam, mortuus est, ac in defuncti corpore massa vermium reperta fuit.

magnoque versatur in discrimine vitæ;

66 Memini ex illo audire, nihil sibi in hoc periculo molestius fuisse, quam quod deesset presbyter, a quo Sacramenta pœnitentiæ sacræque Eucharistiæ reciperet. Nec aliud quidquam habebat solatii, quam ex duobus Mauris Christianis, qui ipsi aderant; proinde ipse semet egregie confortabat usu parvæ Crucis ligneæ, e corona sua Mariana dependentis, ad quam versus multis cum lacrymis animam suam Deo commendabat. Conspicati autem idololatræ,

C ipsum a veneno convalescere, convenerunt ultra trecentos, suis arcubus et spiculis armati, ut eum trucidarent; et quamquam alter e Mauris istis sclopetum bellicum ad ipsum defendendum mox oneraret, noluit is, sed advocatis illorum præcipuis cœpit ferventer prædicare; dolorem suum de eorum æterna damnatione professus, monensque, aperiendos tandem mentis oculos esse, agnoscendumque dæmonis mendacium, cum nec cælum corruisset, nec quidquam aliud evenisset mali, quale ipsis persuasum fuerit eventurum, si ossa ista eis umquam ablata fuissent. Verum cum illos pervicaces durosque ad convertendum adverteret, consideraretque, Deum nolle quemquam vi illuc adi-

m gi, permisit, ossa ista recipi *m*, eosque cum suo dæmone permanere.

sed utrique periculo subducitur, ut ei fuerat prædictum.

67 Qua de re isti miseri adeo exultaverunt, ut multas gallinas et pavones velut in pretium redemptionis ejusdem idoli ei donare voluerint; quos cum ille admittere recusasset, parum abfuit, quin occideretur: et occisus fuisset, nisi cacicus quidam, id est, aliquis ex Indorum magnatibus, ab illo antea conversus, illum ex eorum manibus liberasset; sicque prædicti duo Mauri cum aliis Indis pacis amantibus, ut ipsum periculo eximerent, postquam idololatræ abscesserant, in suos humeros sublatum quindecim milliaribus inde portaverunt, deindeque navi impositum vexerunt ad locum, ubi habitabat illius regionis præfectus Petrus de Salazar, qui ipsum in suam domum recepit, in qua multis mensibus febri laboravit. Hæ aliæque plures aliæ molestiæ ei prædictæ fuerant a quodam pauperculo admodum simplice, orationi multum addicto, sanctæque vitæ, qui quodam anno, priusquam Pater profectus ad Indias est, illum die S. Joannis Baptistæ in claustro conventus conspicatus, ad eum accurrit, hæcque verba, non valde dissimilia ab iis, quæ Agabus S. Paulo dixit: Spiritus dixit mihi, patrem fratrem Ludovicum magnas afflictiones passurum, magnoque versaturum in periculo; sed ex omnibus his liberabit ipsum Deus. De hoc sancto viro multa narrabat pater Bertrandus, quæ nihil opus est hic referre.

Hac occasione notantur pauci.

68 Soluit pater frater Ludovicus inter concionandum Valentiæ crebro dicere, dum ipse permisit, ea ossa auferri, sacerdotum, qui ea E recepturus venerat, coram iisdem magno cum tremore decussatisque ante pectus brachiis, procubuisse in genua, et rogatum ab ipso esse, si quod sciret propinato toxico remedium; sed miserum illum coram his ossibus tanta superstitione correptum fuisse, ut nec respondere nec verbum mutire auderet. Aiebatque bonus Pater, tunc sibi in mentem venisse, quanta cum reverentia oporteat nos gerere coram sanctissimo Sacramento; cum miser iste sacrificulus sic tremeret coram dæmone. Hoc nomine utor, non solum, quia David in Psalmo ait; „ Omnes „ dii gentium dæmonia *n* „; verum etiam, quia *n* ipsimet Indi in aliquot regionibus idola sua, quæ pro diis habent, consueverunt appellare Dæmonia; dumque dicere volunt, privatum idolum suum aliquid petere, aiunt, id petere diabolum.

de Indorum superstitionibus.

69 Præterea aiunt, se istis idolis non servire ex amore, sed ex timore. Pari modo docent, hunc errorem, nimirum, quemadmodum verus Deus in cælo omnibus facit bene, ac nemini male, ita suos diabolos, quam possunt pessime, eis facere, nec quemquam adjuvare; F ac proinde, sese iis offerre sacrificia, ne male mulctentur. Rogavit aliquando Pater unum ex cacicis *o*, cur non, ut ante soluerat, ad con- *o* ciones suas veniret; qui respondit hoc modo: Diabolus meus minatus mihi est, me meamque conjugem ac liberos occidere, si imposterum ad te auscultandum accessero: sed reposuit Pater: Ut porro videas, quanta sit illius potestas, eamus ad illum, ivitque et validum eidem idolo ictum inflixit, sine ullo in eodem sensus indicio. Eodem experimento usus fuerat alias et successerat feliciter; tum enim convertit cacicum illum, a quo eumdem morti ereptum fuisse diximus. *p*

ANNOTATA.

a *Quandoquidem tam in hac, quam in auctiori Vita frequens de Indiis facienda sit mentio, liceat hic lectorem semel monuisse,* Indias Occidentales *seu* Americam *semper indicari.*

b Novum regnum Granatense *Hispanis, ad quos*

A. V. J. Antistio.

quos illud pertinet, el Nuevo Reyno de Granada, *ampla Americæ Meridionalis regio est in Terra firma, cujus primaria et archiepiscopalis civitas est Fanum sanctæ fidei de Bogota, vulgo* S. Fé de Bogota *appellata.*

c *Ne hæc et sequentia cuiquam scrupulum moveant, observasse oportet, Religiosos illos missionarios (uti Roca et Avignonus expresse addunt) facultatem habuisse (utique a totius Ordinis Prædicatorum generali Magistro) sui Ordinis patres, qui vellent, in laborum suorum partem adsciscendi, ac propterea potuisse* S. Ludovicum, *salva, quam debebat, inferioris ordinis superioribus suis obedientia, hisce etiam invitis, sese iisdem missionariis ad id muneris obstringere, et in Americam navigare.*

d Hispalis, *indigenis* Sevilla, *perampla Hispaniæ civitas est, et Vandalitiæ propriæ seu Inferioris, alias Andaluziæ, caput, ad Bœtim fluvium, celeberrimumque emporium, et archiepiscopali sede insignita; unde frequens* B *est ad Indias Occidentales, seu Americam, navigatio.*

e *Roca et Avignonus hunc conventum* S. Mariæ de Jesu *nominant, et ordinis S. Francisci esse, atque extra Valentiæ civitatis muros situm aiunt.*

f Særabis *vetusta sub Romanis Hispaniæ civitas, deinde* Xativa *communius appellata, ac initio hujus seculi* 18 *destructa et instaurata, sita est in regno Valentino ad cognominem fluviolum, novem circiter leucis, teste Martiniero in Lexico geographico, a metropoli Valentia distans.*

g *Avignonus cum Roca, illum, non* malæ vitæ, *sed* malæ valetudinis *fuisse, ait. Fortasse erravit hoc loco interpres Italus, quem hic reddo Latine : nam famæ proximi melius cavit Antistius.*

h *Scilicet Hispalim usque, ubi erat mari se commissurus.*

i *Auditores Rotæ in sæpe laudata Relatione,* Fidem etiam, *inquiunt,* in exteris regionibus cum magno vitæ discrimine propagavit, ex quibus cum incolumis rediisset, inter alia retulit, se, cum ultra quindecim hominum mil- C lia ad veram fidem adduxisset, Crucem illis adorandam exhibuisse, ut fecerunt. *Verum multo etiam plures ab eo conversos baptizatosque fuisse, colligo ex Bulla canonizationis, in qua sic dicitur :* Sub monte Sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis prædicationibus ad fidem conversa, baptizavit. *Prædicavit autem etiam aliis in locis, ut visuri sumus, in quibus haud dubie multos Indorum pariter convertit.*

k *Mendumne hic cubat, an vero Sanctus eo usque progressus fuit?*

l *Indicat montes provinciæ S. Marthæ, in Americæ Meridionalis Terra firma, versus Orientem, inter provinciam Carthaginis Novæ ad Occasum, Novumque regnum Granatense ad Meridiem.*

m *Audi etiam de hisce Auditores Rotæ :* Quam *(arculam cum idolo, seu ossibus sacrificuli)* ipse Bertrandus accepit, et secum asportavit; qua de re commota infidelium turba necem inferre tentabant; sed fortes Christi pugiles, ad fidem paulo ante conversi, in unum convenerunt, et B. Ludovicum cum dicta archula extra civitatem progressi ab infidelibus defenderunt, et horum aliqui cum ipso Beato ad D oppidum quatuor leucis distans profecti sunt, ubi cum post aliquod temporis spatium constitissent, fuit B. Bertrando appositum in cyatho venenum, propter quod ex naribus et ore quosdam vermes, seu parvulos serpentes, ejecit : quare cum Beatus aliquantulum doloribus angeretur, quinque cohortes gentilium, elevatis vexillis, supervenerunt, et archula per vim iterum potiti sunt; quam sibi ablatam fuisse, B. Ludovicus Bertrandus acerrime tulit, ita ut, si ipse tunc temporis non fuisset veneno turbatus, passus potius fuisset, pro fidei defensione sibi necem inferri, quam archulam cum idolo per vim auferri. Ita de auditu a beato Viro, et de publica voce et fama super 9 et 10, testes 1, 155, 156, et alii testes etc. *Propter hoc haustum venenum solet eidem Sancto calix cum insidenti serpente appingi.*

n *Psalm.* 95, ℣. 5.

o Cacici, *ut supra jam annotavi, Americanorum principes appellantur.*

p *Mox supra num.* 68.

E

CAPUT V.

Cetera illius gesta in Indiis, et reditus in Hispaniam.

Quidam pater, appulsus ex Indiis, per viam hunc nostrum conventum adiit, ubi hunc bonum Dei Servum laborantem suprema infirmitate reperiens, narravit, se, dum in istis partibus degeret, ex relatione multorum accepisse, ab hoc sancto Viro quamdam puellulam, exiguæ ætatis, Indæ ad fidem conversæ filiam, in quodam vico a morte resuscitatam fuisse. Adjecit, nullum alterum tantos retulisse fructus in ista provincia, in eaque eum multa patrasse notatu dignissima, atque inter hæc, Hispanice loquentem ab istis populis interdum intellectum fuisse; cumque solitus esset per interpretem prædicare, dictum ei ab Indis fuisse, non opus esse interprete, quia ipsum intelligebant; ac proinde F pergeret ipsemet prædicare; quod non dicebant aliis concionatoribus. Interrogatus antem pater Bertrandus, an hoc verum esset; ita esse, respondit; at si de resuscitata puella quærebatur, nec asseruit nec negavit; unde ego quidem existimo, hanc ab eo vere resuscitatam fuisse; quia, habita illius virtutis ratione, si mendax fuisset narratio, sine mora factum negasset, quippe qui optime noverat, quantum in similibus rebus Deo displiceat mendacium.

CAP. VIII. *Puellam mortuam resuscitat : Hispanice loquens intelligitur ab Indis :*

71 Magis etiam certiorem me facit, quod ille devote præsens in presbyterorum confraternitate Deiparæ, ab aliquo viro nobili rogatus, si in Indiis puellam vere revocasset a morte, respondit his verbis : Quid, vos igitur putatis, id esset? Deus instar fabri est, qui serram facere meditans, ex multis, quas in manibus habet, virgulis ferreis, omnibus eum in usum aptis, unam, quam vult, eligit, relicta altera : hisque dictis, tacuit. Quibus videtur dicere voluisse : Non est, cur me præ aliis æstimes, quod me elegerit Deus ad hoc miraculum patrandum. Ratio vero, ob quam Deus illi concessit, ut Hispanice loquens intelligeretur, prout

cujus utriusque facti veritas probatur.

A prout ipsemet aliquibus familiaribus suis narravit, hæc fuit : Utebatur ille interprete, qui (sive ex malitia, sive ex ignorantia) non exponebat fideliter Indis, quæ ipse prædicabat; quod advertens bonus Pater (nescio, utrum ex revelatione, an aliter) Dominum Deum nostrum precatus est gratiam, ut ipsemet intelligeretur, et obtinuit *a*.

a

Ex mirabili eventu multos Indos instruit ac baptizat :

72 Eodem laudato patre testante, pater Ludovicus multos cacicos cum subditis suis ad Christiana sacra perduxit, ac speciatim, cum in quodam vico, ultra mille magna cum festinatione strepituque; et ex alio vico, ubi non nisi duas personas convertere potuerat, quingenti Indi illuc advenissent, de mysteriis fidei ab eo instrui expetentes; qui rogati, quid esset, quod baptismum tam avide cuperent, responderunt, quod, dum in aliquo festo simul essent convivantes, utque erant soliti, dæmonem invocarent, dæmon, præsentibus ibidem etiam illis duobus Christianis, qui baptizati fuerant, apparuerit illis in specie horridissima, palam dicens : Quare modo me invocatis coram duobus
B Christianis? Tollite eos hinc. Interim conspexerunt ad ejusdem dæmonis latus hominem Christianorum habitu indutum, qui dixit, se a fratre Ludovico Bertrando missum, ut doceret eos, quam fœde essent seducti; moxque cœpit cum idolo disputare et illud convincere falsitatis. Quapropter Indi, evanescentibus e conspectu tam dæmonio, quam dicto homine, quem angelum fuisse, oportet, omnes ad patrem Ludovicum concurrerunt; ut baptizarentur, quod et ille, postquam eos abunde instruxerat, perfecit.

toxicum bibit innoxie : lætatur pia morte Indi ;

73 Narrat insuper dominus Raphaël de Figheroa, rem esse publicam in Indiis, patrem Ludovicum, cacici convertendi gratia, intoxicatum cyathum hausisse innocue, ut veritatem Christianæ fidei, falsitatemque Indorum superstitionis hoc modo probaret *b*. Quod a se quoque auditum fuisse, confirmavit dominus Joannes Vives de Canamas. Convertit etiam quemdam Indum grandis ætatis, et post collatum baptismum gravissime laborantem ad bene moriendum comparare studuit; sed cum aliquo tempore ad illius habitaculum non accessisset,
b
C illuc rediens, invenit ibi alterum Indum infidelem, qui omni ope conabatur eumdem pervertere; quo expulso, pauperculum infirmum in fide confirmavit, recordatusque non allatæ crucis, misit ministrum suum, qui eam e vestigio ex ecclesia afferret : at infirmus, elevata manu digitoque in altum experrecto, cum magna lætitia ait : Non est necesse, Pater, aspice illam, quæ tam pulchra in aëre est! atque hæc proferens, Deo animam reddidit, magno patris Ludovici solatio. Hoc ipsemet retulit inter concionandum in ecclesia nostra in festo sanctæ Crucis mense Maio.

pueri a se baptizati savam necem docet :

74 Inter alios quoque puerum convertit, quem in sacro fonte suo nomine Ludovicum appellavit, piis moribus imbuit, secumque tenuit, ut suæ Missæ inserviret. Quod ægerrime ferens dæmon, Indis quodam die coram idolo suo se commendantibus, ut sibi Maize (quod Indorum frumentum est) concederet, respondit per idolum, non exauditurum se eos, nec ullum amplius daturum responsum, nisi parvulum Ludovicum sibi sacrificassent. Absente igitur patre Ludovico, Indi parvulum Ludovicum vi abreptum idolo suo immolarunt, reducique patri Bertrando parvulum quærenti dixerunt, eum a Caimanis (animalia sunt instar crocodilorum, quæ nonnumquam egressa magno flumine insiliunt in eos, quos in ripa reperiunt) devoratum fuisse; quo audito, ille vehementer doluit, at multo etiam vehementius, intellecta postmodum Indorum et idoli malitia. A. V. J. Aspristio.

75 Factus est Prior conventus Fani Sanctæ Fidei *c*, quæ civitas longe dissita est Carthagena *d*, ubi Dei Servus tunc habitabat. Quam ob rem conscendit navim cum quatuor vel quinque aliis, per magnum Magdalenæ flumen *e* navigaturus; sed exorta terribili tempestate, fluctus vehemens cymbam in aquam impulit, adeo ut jam inciperet submergi; verum fervida ad Deum facta prece, alter fluctus prodigiosus eam in alterum latus impegit, et, salvis omnibus, ad littus fluminis propulit, ubi arreptis cujusdam arboris ramis, prosilierunt in terram. *naufragium cum sociis suis evadit*

c

d

e

76 Quod ei de quadam belli ducis, vel gubernatoris, uxore contigit, ipsemet cuidam Religioso amico suo hac occasione narravit. Religiosus hic in illius cellam visendi gratia ingressus, eum plangentem reperit, quod, cur id faceret, miranti dixit pater Ludovicus : Fili, ora Deum pro me, quia magnus peccator sum! At ille : Sume animos, Pater; quia Deus est; verum ipse vehementer suspiravit, O fili, inquiens, quam male rependo gratias, quas Deus mihi concessit! Post hæc converso sermone, cœpit loqui de quodam viro nobili, qui cum uxore sua, pulcherrima femina, profectus in Indiam est, officio, nescio, quo, a rege donatus. Quo cum pervenisset, nihilominus adamavit alteram : quod ubi uxor rescivit, tulit ægerrime; quod isti ille omnia daret, ipsa vere haberetur male. Habebat porro hæc fratrem nostri Ordinis in istis oris, qui quodam die patrem Ludovicum ad eam consolandam secum duxit, isque ei dixit : Domina, confide in Deum, maritum tuum sese emendaturum, tibique satisfactum iri; sed dum illi aperientur oculi, tu tuos claudes. Paucis inde diebus vir iste nobilis, a Deo compunctus corde, amicam amovit, totusque uxori adhærens, eam benignissime coluit, et placidissime vixit cum ipsa
F usque ad hujus obitum, qui quindecim diebus post contigit; quando illa solatio plena defuncta est. *de pari conjugum vaticinatur*
E

morbum epidemicum curat : Cruce dæmonem coërcet :

77 Indias peragrans, in variis vicis multos invenit quodam malo, catarrho simili, pereuntes, quod usque adeo epidemicum erat, tamque lethale, ut pestis videretur. Propterea ipse singulas domos ingrediens benedicebat infirmis; nec unus quidem eorum, quibus benedixerat, ex eo morbo extinctus est. Quam ob rem, dum quisquam eorum infirmabatur, aiebant Indi : Cur non vadis ad sanctum Patrem, qui te sanabit? Cum quemdam idolorum sacrificulum baptizasset, eoque in loco arundineam Crucem fixisset, venit dæmon, qui eidem sacrificulo apparere et cum eo loqui consueverat, ad portam illius magnis ululatibus ac stridore clamitans, ut sibi aperiretur : respondenti autem Indo, portam patere, Imo, inquit dæmon, obserata cruce, quæ ibi fixa stat.

78 In illarum partium vico, qui, si recte memini, Tubara vocatur, ultra triennium præ-

A. V. J. Antistio. *per baptizatos multa idola comburit: sacrificulum*

dicavit, suisque manibus plures quam mille ac quingentos Indos baptizavit; qui deinde, eodem suadente, suis etiam manibus innumera idola publice combusserunt; quæ cum in variis istius deserti locis abscondita laterent, utebatur aliquorum simplicitate puerorum, quos per blanditias inducebat, ut loca proderent, ubi idola delitescerent. Conabatur etiam alterum idolorum sacrificulum, magni ingenii virum, convertere, ut hujus exemplo multos alios ad Christum adduceret; sed nihil in eo profecit. Recurrit igitur ad Deum, toto biennio gravibus sui corporis afflictationibus, frequenti Missarum oblatione, continuisque precibus instans; quo elapso tempore, dum minime exspectabat, idem Indus eum accersi jussit. Accedens graviter ægrotantem offendit rogavitque, quid vellet. Respondit Indus, se firmiter credere, omnipotentem Deum misisse in mundum Filium suum, ut homines viam cæli doceret; hunc que in cruce mortuum esse, ut eos a peccato et potestate dæmonis liberaret; ac propterea velle se Christianum fieri.

B *graviter decumbentem baptizat: signo Crucis*

79 Cum igitur ipsum in fide instruxisset, quantum tum quidem instrui potuit, baptizavit; moxque post cœpit Indus vehementer tremere; rogatusque a Patre, Cur trepidas? Quia, inquiebat, multi dæmones, instar turpissimorum animalium, circumstant; minantes scilicet illum in frusta discerpere, quod, postquam eum toto vitæ tempore tantopere honorarant, principemque ac majoris auctoritatis præ ceteris omnibus sacerdotibus fecerant, ab eodem desererentur. Quod ut audivit bonus Pater, priusquam inde recederet, e junco Crucem fecit, et ad caput lecti collocavit; dum vero illuc postea rediit, ex eodem sacrificulo audivit, semper ad portam adstitisse dæmonem, qui horribiliter ululabat, nec umquam ingredi ausus fuerat. Nescio, utrum in accessu ad Indias, an in reditu acciderit, ut in quodam portu quamdam puellam papulis laborantem solo Crucis signo sanaverit.

et Corona Mariana miracula patrat.

80 Multa quoque alia, sed nobis incognita, patravit in Indiis; ex certa tamen relatione scio, eum, cum quamdam Coronam Marianam

C daret cuidam hujus civitatis incolæ, dixisse, ut eam magna in veneratione haberet, quod Indias petenti eam sibi dedisset frater Thomas de Arenas, concionator excellentissimus, cui ipse donaverat suam, adjecitque: Hæc Corona in Indiis sanavit infirmos, convertit peccatores, ac puto, etiam resuscitasse mortuos; proinde reverenter serva. Quin et ipsemet tanti eam faciebat, ut interdum mitteret infirmorum capiti imponendam, et aliquoties una alterave hebdomada commodaret. Alteri piæ personæ etiam clarius dixit: Hanc mihi Deus præstitit gratiam, ut hæc Corona mortuos revocaverit ad vitam.

Deflet auctor suorum in scribendo incuriam.

81 Utinam multa alia, quæ hic Servus Dei fecit in Indiis, ad nostram notitiam pervenissent; sed hactenus non pervenerunt, nec perventura credo, nisi in cælo; maxime, quod nos fratres S. Dominici soleamus negligentes esse in aliis faciendis certioribus eorum, quæ in nostro Ordine contingunt. Quare sperare nequeo, fore ut istius provinciæ patres nos earum rerum faciant certiores. Vere ego, patrem fratrem Ludovicum aliquando audiens quædam mirabilia de nostris patribus, puta, de beato fratre Dominico Betanzi, aliisque narrantem, D admodum dolui, perpendens, nostros eadem negligentia, qua usi fuere in istis, etiam uti in his. Utque laudabat ille plurimum diligentiam patrum Jesuitarum, quod memoriæ prodiderunt labores, quos sui subierunt in Japonia, China, aliisque oris, in quibus Evangelium prædicarunt, ita improbabat negligentiam nostrorum, quod, cum sui in Indiis Occidentalibus et Orientalibus, Taprobano *f*, multisque aliis in regnis tantopere laboraverint hactenus a Pontificatu Alexandri VI *g*, ac in multis oris Guineæ *h* jam inde a temporibus Innocentii VIII, qui Alexandrum in Pontificatu præcessit (uti narrat Joannes de Beros, Lusitaniæ chronologus) vix ullus repertus fuerit, qui curaverit litteris consignare afflictiones ac martyrium nostrorum patrum; sed omnia prætermiserunt cognoscenda in vita altera; et si ego quidquam de iis audiverim, accepi vel a personis secularibus vel ab aliis Religiosis, non a nostris.

f *g* *h*

Gubernatorum in Indos sævitia et Bartholomæi de las Casas

82 Post aliquot annos statuit pater Ludovicus reverti in Hispaniam, quod ægerrime ferret quorumdam expugnatorum *i* ac gubernatorum Indiarum nimiam crudelitatem, qui non solum Indos sæpius levi de causa nullaque justa ratione occidebant, verum etiam impediebant divini verbi prædicationem. Interdum etiam, dum magno Indorum numero prædicabatur, accurrebat præfectus regius, ac fuste ejiciebat omnes ex ecclesia, Exite, inquiens, nebulones, ad opera vestra; cumque hi non modo inermes, sed etiam nudi essent (nam in aliquibus ejus regionis partibus semper nudis incedunt corporibus) necesse eis erat e vestigio abscedere, et concionator solus manebat in cathedra *k*. Sed quod ipsum (uti ex eodem sæpius audivi) ut inde recederet, plane permovit, fuit epistola domini fratris Bartholomæi Casai *l*, qui, non modo cum sæcularis presbyter esset, ex Hispania pluries in Indias, atque ex Indiis in Hispaniam, in earum commodum navigavit, sed etiam postquam nostrum habitum induerat, quinquaginta paulo minus annis, quibus illum tulit, eorumdem perpetuum patronum se exhibuit.

i *k* *l*

litteris motus statuit in Hispaniam revertı.

83 Denique, quo posset huic operi charitatis melius incumbere, abdicavit episcopatum, Ciapæ, rediitque in Hispaniam, ubi multum ei laborandum fuit cum Sepulveda *m*, et a domino nostro rege *n* multas gratias Indis obtinuit, uti etiam ante ab imperatore Carolo V æternæ memoriæ impetraverat. Quamvis autem videret, se ob tot labores ex amore gentium inique tractatarum susceptos, a nonnullis historicis, qui iisdem Indiarum tyrannis adulabantur, reprehendi; Christi tamen honorem semper præ oculis habens, nihil istud curabat, sed opportune et importune arguebat increpabatque quorumdam sævitiam, semper studens, ne eæ nationes privarentur jure, quod ipsis ex lege naturali regumque diplomatis competebat. Porro harum Chiapensis episcopi ad Bertrandum litterarum summa erat, ut in istarum gentium conversionem omni nisu incumberet; sed, quia ducum militarium *o* ac gubernatorum confessiones audire solebat, eos sedulo admoneret, si fixos a rege privilegiorum terminos transgressi gentem tyrannice tractassent. Cum vero pater Bertrandus dictum episcopum ob suas virtutes

m *n*

o

doctrinamque

A doctrinamque magni faceret, vehemens eum incessit desiderium revertendi in Hispaniam, ut hisce se scrupulis exoneraret.

Redeundi facultate accepta

84 Dabam ego tum temporis studiis operam in nostro conventu Salmanticensi, ibique ab illius fratribus rogatus supplicavi nostro patri generali magistro, Vincentio Justiniano (quem Pius V sanctæ memoriæ ob sua merita et virtutes S. R. E. Cardinalem postea creavit) ut permitteret ei redire in Hispaniam; qui, quamquam primo nonnihil difficilis esset, trinas, in quibus hanc facultatem faciebat, litteras Vallisoleto *p* ad me transmisit, quarum ego binas huc Valentiam misi; tertiam fortunæ committens, cuidam viatori tradidi. Accidit autem, ut Pater flumine Magdalenæ *q* navigans, vehementer tempestate coactus fuerit multis milliaribus invitus retrogredi. Verum ecce, cum in terram pervenisset, adfuit ei aliquis cum prædicta epistola, quam ei commiseram, petiitque, an patria Valentinus esset, et quo nomine appellatus. Ita esse, respondit Pater; B seque Ludovicum Bertrandum vocari. Tum iste epistolam ei tradidit, et pro portorii pretio undecim scuta *r* exegit; quæ Pater ex amore Dei libens persolvit, ac in genua procidens Deo grates rependit, quod liceret sibi sine scrupulo in Hispaniam reverti.

p

q

r

fœdam tempestatem signo Crucis compescit

85 Navi itaque sollicite commissus inter navigandum terribili deprehensus tempestate est; vidensque navim vi fluctuum summo in discrimine versari, ne rumperetur, in eum locum se contulit, ubi majus erat periculum, seque opponens violentiæ undarum, quæ terribili tumultu altorum montium instar advolvebantur, interdum extenso brachio signum Crucis versus eas formabat; ac veluti hæ divinum hoc signum agnovissent, dum ad navim propius accederent, sensim rumpebantur. Non exiguo temporis spatio hoc miraculum tenuit; sed bonus Pater vanam gloriam veritus ex eo loco recedens navem in summo periculo reliquit; fluctibus terribilius, quam ante, eam ad submersionem concutientibus. Extemplo ad illum recurrerunt nautæ, ejulatu ac lacrymis impellentes, ut, unde recesserat, rediret.

C

ac sedat, quod fidei attribuit:

86 Cumque ille eodem, quo prius usus fuerat, remedio uteretur, non solum mitigata est maris sævities, verum etiam omnino deferbuit, et omnimoda malacia subsecuta est. Dum hæc ipsemet cuidam familiari suo referebat, adjecit: Adverte, frater, hæc non a sanctitate, sed a fide provenisse; de hac enim ait Christus in Matthæo, quod, qui habuerit fidem Apostolorum, huic daturus sit potestatem patrandi miracula: quod intelligendum est, dum ita necesse fuerit propter eamdem fidem, aliisque de causis necessarium. In eamdem rem aiebat præterea: Deus majus lumen concessit Lucifero, quam mihi; ac nihilo minus fuit damnatus; majoris etiam auctoritatis fuit Judas, qui se postea suspendit: idem mihi quoque contingere poterit: cum scriptum sit, nullum in hac vita scire posse, utrum odio, an amore, dignus sit *s*.

s

ignotæ linguæ barbaris utiliter prædicat:

87 Postquam hæc scripseram, in quemdam rusticum incidi, Hieronymum Fernandez nomine, qui plus quam septem mensibus patris Bertrandi comes itinerum fuit. Hic mihi retulit, appulisse se aliquando cum ipso ad insulam cujus incolæ majorem partem Mauri erant, quamquam et aliqui albi, ibidemque cœpisse Patrem in foro prædicare quodam idiomate, quod dictus quidem Hieronymus ignorabat, nisi dum ille loquebatur de Christo et passione ejus, at ipsum intellectum fuisse ab ejusdem insulæ incolis, certo argumento esse, quod finito sermone eorum multi ad eum accesserint, precantes, ut se Christianos faceret. Instruxit ergo illos in fidei mysteriis, sacroque lavacro abluit, ac post quinque dierum moram reliquit illis libellum, in quo sua manu descripsit Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, salutationem Angelicam, antiphonam SALVE, aliaque ad doctrinam Christianam pertinentia; quem commisit aliquibus eorum, qui sanioris judicii videbantur. Contra alii eorumdem Indorum, eo viso, fugiebant.

A. V. J. VANTISTIO

88 Insuper narravit, patrem Ludovicum et socium illius aliquoties per viam secessisse ab ipso, eoque solo relicto, in obviam silvam se contulisse; quod quia ordinarie faciebant diebus Veneris, suspicatus, id eos facere se flagellandi gratia, semel a longe secutus, flagellantes conspexit. Referebat denique, sibi per E deserta, montesque ac silvas proficiscentibus aliquoties magnas tigres, aliaque ferocia animalia occurrisse; cumque ipse diceret: Quo me ducis, Pater; visne, me ab feris devorari? sanctus Vir, formato versus ista animalia signo Crucis, aiebat: Tace, fili, nec metue; quia Deus nobiscum est, neque illa nocebunt. Ut autem sciatis, quanto studio iste Pater curaverit celare mirabilia, quæ Deus per ipsum operatus in India est, dicam, quod Petrus Joannes Robles, rector Engueræ testatus est. Nimirum narravit hic, accepisse se epistolam a fratre suo, in qua is significabat, quod, dum a promontorio de la Vela versus Carthaginem Indiarum celoce navigaret, ea navis ex nautarum incuria in scopulum impacta dirupta fuit. In tam præsenti discrimine invocata S. Maria de Rosario, salvatus fuit uno die ac duabus noctibus nando; ac certe ingens fuit Dei beneficium quod non snbmersus fuerit, aut præ fame mortuus, vel devoratus a belluis, quæ in eo mari natant.

inter feras incedit innoxius: naufragum

littori adnatantem cibis mirabiliter reficit.

89 Significavit præterea, cum jam in terram pertigisset, invenisse ibidem patrem fratrem Ludovicum, qui exspectabat eum in littore cum aliquot cibis ad eum reficiendum, qua re maxime indigebat, quippe qui potius mortuus erat, quam vivus. Jam vero post aliquot annos, jam reverso ex Indiis patre Ludovico, prædictus rector cœpit de his cum illo loqui, eique gratias egit de beneficio, quod suo fratri contulerat; at Pater vetuit, ne cuiquam alteri indicaret; cum vero certissimum sit, non ita ipsum vetuisse, quod vellet celari miraculum, quantum hoc in honorem Deiparæ cedebat; necesse est, etiam aliquid intercessisse ipsimet honorificum, de quo istum loqui prohibebat. Ceterum cum jam huc pertigerimus, Deo reddamus gratias, quod aliqua scripserimus ex iis, quæ sanctus iste Vir patravit in Indiis. in quibus referendis, ne errarem, pedetentim processi, velut qui per silvam noctu incedit; verum nunc ad claritatem diurnam perveni.

ANNOTATA.

a *Confirmantur hæc ex Bulla canonizationis, quæ sic habet*: Orationibus a Deo obtinuit,

A. V. J. Anstitio.

nuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat, euangelizando, absque interprete intelligeretur ab Indis.

b *Huc facit, quod in Bulla canonizationis legitur :* Pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie, discrimen vitæ superavit.

c Fanum sanctæ Fidei, *de qua hic, Hispanis* Sancta Fe de Bogota, *Americæ Meridionalis civitas archiepiscopalis est in Novo regno Granatensi, cujus caput est.*

d Carthagena, *cognominata* Indiarum, *ejusdem Americæ Meridionalis civitas est in Terræ firmæ ora maritima Septemtrionali, ac cognominis provinciæ caput ; solentque ad eam Hispanæ naves appellere ; atque ipse quoque* S. Ludovicus *ex Hispania appulerat.*

e Flumen Magnum Magdalenæ, *Hispanis etiam* Rio-Grande *appellatum, Americæ Meridionalis est, quod in Novo regno Granatensi e duobus fontibus longe invicem dissitis, uti apud Martinierum in Lexico legitur, or-*
B *tum, geminoque flumine labens, post varias ejusdem regni irrigatas provincias, conjunctis apud Teneriffum oppidum aquis, alterove, quod alii* Flumen S. Marthæ *appellant, recepto, in mare Septentrionale se exonerat. Porro Fanum sanctæ Fidei de Bogota, quo pergebat Sanctus, situm est apud fluviolum* Pati, *qui prædicto flumini se miscet.*

f *Ampla Asiæ insula in mari Indico est, nunc* Ceylanum *appellata.*

g *Ecclesiæ præfuit Alexander VI ab anno* 1492 *usque in* 1503.

h Guinea *ampla Africæ regio est, varieque dividitur.*

i *Italice est :* Conquistatori, *quo nomine designantur belliduces, qui Hispaniarum regum nomine varias Americæ provincias subjugarunt, amplasque in iis ditiones sub iisdem regibus obtinuerunt.*

k *Quam indigne, frustra vetantibus Catholicis regibus, ejusmodi præfecti Americanos illos tractaverint, docent obvii earum regum scriptores.*

l *Alias* Bartholomæi de las Casas *appellati, ex Ordine Prædicatorum episcopi Chiapensis*
C *in Hispania Nova in America Septentrionali; cujus illustre elogium dedit Echardus tom.* 2 *Bibliothecæ Prædicatorum pag.* 192 *et sequentibus, in quo eximii viri pro Americanis adversus Hispanos oppressores insignia gesta, editorumque hunc in finem Opusculorum catalogum invenies.*

m *Joannes Genesius Sepulveda, celebris jurisconsultus, et* Hispanus Cicero *vulgo dictus, Hispanorum causam adversus Americanos, horumque patronum Bartholomæum de las Casas, in Catholici regis aula verbis scriptisque tutari conatus fuit, quibus sua feliciter opposuit laudatus episcopus. Vide Echardum mox citatum.*

n *Philippo II, Hispaniarum rege.*

o *Italice* Conquistatori ; *de qua voce vide Annotata superius ad lit.* i.

p Vallisoletum *Hispaniæ civitas est in Castella Veteri, incolis* Valladolid *dicta.*

q *Adi Annotata hic ad lit.* e.

r *Monetæ species* scutum *est.*

s *Eccles. cap.* 9, ℣. 1 : Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.

D

CAPUT VI.

Reditus in conventum Valentinum : Prioratus conventus S. Onuphrii ab eo gestus et acta ibidem : resumptum Valentiæ magisterium novitiorum et gesta.

Anno MDLXIX, die S. Lucæ sacra in Hispaniam appulit *a*, ac confestim nihil Hispali moratus Valentiam contendit, ad quam cum admodum sera vespera pervenisset, coactus fuit in horto fratris sui extra urbis muros prope monasterium S. Mariæ de Succursu *b* pernoctare. Postero mane perlato ad conventum E nostrum *c* illius adventus nuntio, vix potuit magister frater Laurentius Lopez, tum temporis ejusdem loci Prior, continere fratres, illuc accurrere gestientes. Tanta enim erat eorum de illius reditu lætitia, ut pene omnes facultatem peterent eum adeundi ; atque ipse in primis Prior vix sui erat compos præ spirituali gaudio, perpendens, Deum tempore suæ præfecturæ tantum beneficium huic conventui præstare. Simul ac autem ille conventum ingressus est, sponte omnia abdicavit, maxime pecuniam quam in Indiis in eleëmosynam a multis piis personis acceperat ; quamvis haud difficulter a Provinciali facultatem obtenturus fuisset, ut eam in multos libros coëmendos posset expendere. Id ipsum etiam fecerat, quando navigaturus in Indias, Hispali se navi commisit. Primo adventus sui in hunc locum die ait, se velle incipere Deo serio servire et novitium fieri ; vereque in summa vixit humilitate, aliisque in virtute præluxit.

CAP. X. *Primæ Sancti curæ*

a

b

c

91 Propterea anno MDLXX jussus fuit admittere prioratum S. Onuphrii *d*, in quo opus erat gnavo magistro, non modo in speculando, verum etiam in agendo. Et vero tam providum se præstitit, ut, cum conventum propter annonæ caritatem et expensas annis elapsis factas, plurium centenorum scutorum debito gravatum, omnique frumento, vino et oleo destitutum, fratresque male vestitos atque ad eam inopiam redactos accepisset, ut, dum prioratus litteras patentes ei porrigebant, simul peterent pecuniam, unde cadum olei emerent, ipse sic rexerit, ut non tantum de victu et vestitu fratribus abunde prospexerit, sed insuper eam Crucem coopertam *e*, quæ stat in meta Cupressorum, fieri curaverit. Dicentibus autem eum nimias in illam expensas facere, reponebat, etiam multo majores in frangendis crucibus a Lutheranis *f* fieri in Francia. Quidam etiam ipsius nomen, velut auctoris eidem inscripserunt, quod ipse inanis gloriæ fugitans, tolli mandavit.

in conventu Valentino : fit Prior conventus S. Onuphrii,

d

e

f

92 Cœpit etiam dormitorium ædificare, murumque aliquot ulnis produxit in altum : fecit furnum : sacristiam copiosa supellectili, quæ deerat, instruxit, plantavitque, nescio quas, vineas

cujus egestatem mirabiliter levat,

A vineas. Nihilo minus in fine prioratus sui conventum frumento, omnibusque aliis rebus necessariis instructissimum reliquit, uti et bonam pecuniæ summam depositam successori. Quod ut magis mireris, majorem fratrum numerum, quam ullus decessorum illius, aluit, ac præterea excipiebat generaliter omnium Religiosorum Ordinum hospites, maxime Franciscanos, ut in nostris sacris Constitutionibus mandatur; multique ex illis proficiebant et magna devotione qua in ipsum ferebantur. Hinc liquet, quam verum sit, quod ipse aliquando patri fratri Vincentio Vera asseruit, se vere nescire, qua ratione tanta pecunia in cellam suam inferretur, se inscio, a quo id fieret; præterquam quod Deus fidelium corda moveret ad offerenda ipsi Missarum stipendia, quarum tantus erat numerus, ut eleëmosynæ omnibus conventus presbyteris sufficerent.

nummis etiam divinitus obtentis.

93 Quod mox dixi de pecunia in illius cella reperta, testatur quidam bibliopola, Vincentius Garriga appellatus, a quo hic Vir sanctus B aliquando libros, sola data solutionis fide, sibi comparavit, eidemque, quotiescumque pro recipiendo eorum pretio accesserat, mox persolverat, contigisse semel, ut ingresso sibi in ejusdem cellam Pater diceret: Par amorem Dei ignosce mihi, quod oblitus fuerim pecuniam mittere. Sed bibliopolæ respondenti, se non ad petendam pecuniam, sed ad ipsum visendum advenisse, Hanc igitur, inquit, sedem occupa, et paululum colloquamur: Dominus providebit. In medio autem sermone extendit manum suam in vicinam mensam, dixitque: Cape nummos tuos, deditque ex amussim, quantum debebat: quæ res bibliopolam obstupefecit, qua in eadem mensa nullus fuerat nummus. Narravit hæc postea bibliopola cuidam egregio viro, amico suo, qui rogavit eum, ut sibi mediam partem istorum nummorum pro pari pecunia concederet; bibliopola autem alteram partem mediam retinuit et devote servavit.

In subditos suos invigilat: externis præluceat:

94 Prædicabat per omnia loca, in circuitu S. Onuphrii sita, sæpius pedes incedens, dumque Valentiam eundum esset, conabatur etiam C iter pedibus facere, licet magno cum dolore, quod alterum crurum ulcerosum haberet: sed velut bonus pastor tantopere amabat conventum suum, ut ordinarie eodem die adiret ad S. Onuphrium, usus aliquoties una e mulis fratrum suorum. Quam vellem ego, ut omnes nostri Ordinis prælati hoc probe notent: nam, si episcopi, aliique seculares, quibus commissa est cura animarum, teneantur lege naturali, et divina et humana in suis diœcesibus et parœciis residere; quo pacto a peccato mortali excusabimus prælatos religiosos, qui ambulandi gratia extra suos conventus vagantur, immemores, dum gallina mater abest a nido, omnia fere ova corrumpi. In vicis, ad quos prædicaturus excurrebat, insignia edebat exempla humilitatis, patientiæ ac devotionis, multosque ad pietatem excitabat. Observatum Leriæ *g* est, eum, dum in Vigilia Nativitatis Domini in domo rectoris hospitabatur, omnesque in ea æde dormire senserat, ex viva memoria Nativitatis Christi, quam volvebat in animo, noluisse somnum capere in lecto, sed lodice revoluta, ivisse ad stabulum, ibique super storea præsepi imposita dormivisse, seu (quod potius existimo) vigilasse cum puero Jesu, eadem nocte inter duo bruta animalia in stabulo nato.

A. V. J. Antistio.

panes multiplicat:

95 Cum aliquando antemeridiano tempore modicum panis superesset in conventu, ipseque mandasset patri fratri Josepho Gacetto subpriori, ut cymbalo fratres ad triclinium convocari curaret, respondit hic, ne tertiam quidem partem panis fratribus necessarii adesse, ac proinde potius exspectandum, donec recens panis eductus e furno esset. At Servus Dei videns jam sero esse, et pluere, nec panem sat cito posse afferri, jussit ipsum omnino sonare, ac denuo respondenti, Pater Prior, memento, deesse panem, iterum reposuit: Dico ac dixi, ut sonares; tandemque etiam quarta vice reponenti subpriori: quid isti patres comedent?; cum quodam impetu ait: Vade; non deerit panis. Itaque factum est: nam, cum non plures, quam decem panes valde exigui cum aliquot aliis frustis haberentur, hi per mensam distributi suffecerunt toti conventui, cui ordinarie non minus quam sexaginta opus erat *h*. Placuit *h* autem divinæ providentiæ, ut subprior non ad- E verterit miraculum, nisi dum post absolutum prandium et actas Deo gratias vidit panem e furno eductum afferri.

ægros sanat: secreta divinitus novit: i

96 Dominus Jacobus Centella, cum ejus filius, dominus Cotaldus, nunc Nuale *i* dominus, gravi febre laboraret, tantoque versaretur in discrimine, ut jam a medicis pro deplorato haberetur, citato equo ad S. Onuphrii conventum accurrit, ut cum hoc Servo Dei loqueretur; eoque domi non reperto, cucurrit ad ecclesiam B. Mariæ de Arbuchech *k*, *k* ubi ipsum eo die concionem habere, audierat. Dum huc pervenerat, descendit ex equo, et flexis ad illius pedes genibus præsentissimum periculum, in quo filium suum primogenitum reliquerat, lacrymabundus exposuit. Quo audito, ipse cum aliquot, qui aderant, Religiosis pro infirmo precatus est; deinde ad dominum Jacobum conversus ait: Domine, revertere, nam non morietur filius tuus. Hoc responso accepto, is dominus rediit Valentiam, ubi filium omni periculo defunctum invenit. Aliud huic simile beneficium bonus Pater eidem domino Jacobo præstitit, dum il- F lius uxor, domina Francisca Mercader, quæ hodieque vivit, graviter ægrotabat. Frater Antonius Catalanus asserit, se, dum novitius esset et coquus conventus, ipso S. Onuphrii festo die ex certo quodam eventu magis, quam umquam alias, conturbatum fuisse, graviterque tentatum, ut secreto ex Ordine recederet; sed dum hasce cogitationes in mente volveret, eodem illo die invisum esse a patre Ludovico, qui dixit: Probe novi, te hodie admodum fuisse turbatum. Quo pacto, Pater? respondit hic: at Pater reposuit: Non scio ego hoc? sed alias tibi dicam, quantum occurret.

Illustri domino de viro suo lætiora longe ante vaticinatur;

97 Anno MDLXXII quidam e præcipuis horum regnorum optimatibus implicatus erat summis difficultatibus, ac propterea illius uxor afflictissima. Bonus Pater ad eam consolandam accessit, cumque diceret, non adeo ei dolendum esse, dum non erat, cur id faceret; respondit domina: Quo pacto ais, non esse, cur ego doleam, dum maritum meum video periclitantem? Reposuit ille: Non est, quod doleas, cum Deus te *l* soletur, et visura sis maritum tuum vivum, suumque dominium gubernantem. Elapsis sex mensibus, existimabat *l* illa,

illa, tribulationem sui conjugis finiendam; at Pater jussit illam securam esse, sed, nondum advenisse tempus, affirmans. Tum illa: Quando ergo finietur? quamdiu durabit? Imo, imo, ait illa, durabit adhuc ultra tres annos, sed non explebit quartum. Ita autem re ipsa evenit, quod certe humana ratione nequibat præsciri.

A. V. J. Anistio.

de qua re cuidam Religiosæ oblata etiam fuerat visio:

98 Sed notatu dignissimum est, quod quædam femina admodum spiritualis et contemplationi dedita, dicta soror Tesseda, quæ in monasterio Incarnationis, Ordinis Montis Carmeli, habitabat, ante omnia jam dicta viderit eumdem dominum in periculo submergendi versantem (quod quidem obventuras ei adversitates significabat) ac deinde aliquo tempore post etiam viderit eumdem e periculo emergentem, adjuvantibus illum patre fratre Ludovico, et altero quodam e Societate Jesu; ac speciatim viderit patrem Ludovicum formando signo Crucis auxiliantem. Visionem hanc soror Tesseda cuidam personæ solitariæ narravit, additque, se maximo desiderio teneri benedictum
B istum Patrem videndi, si ita ipsi placeret. Convenit ergo hac de re persona ista Patrem, qui non nisi ægre et importunitate victus illam invisit. Postea ab eadem persona rogatus, quid soror Tesseda ei dixisset, post multas preces secreto retulit, quæ mox narravimus; adjunxitque: Si isti visioni responderit eventus, factum id est, quod prædicta domina multis lacrymis obtinuerit a me, ut, quotiescumque mariti sui recordatus essem, signum Crucis ipsi formarem; quare, ut promissis stem, benedictionem meam eidem in cella nostra quotidie impertior, si quando tamen ejus mihi obrepserit oblivio, simul atque recordor, ubicumque sim, solita Cruce ipsum signo.

docet sæcularium consortia Religiosis vitanda;

99 Ambulanti mihi aliquando cum ipso extra conventum S. Onuphrii aït, Religiosos oportere amantiores esse cellæ, quam colloquiorum cum sæcularibus, eaque occasione narravit mihi (quod numquam somniaverat) ausam fuisse mulierem aliquam ipsum ad impudica provocare; sed non exposuit, quo modo Deus illum ex isto periculo liberaverit; addidit tamen: Atqui si, qualis ego sum, pauperculus,
C surdus, cæcus, debilis, infirmæ valetudinis et senex, non potuerim effugere ejusmodi occursus quid de juvenibus arbitrabimur? Toto, quo prioratum gessit, tempore multum gaudebat, si sui fratres raro prodirent foras, nec permittebat prodire, nisi ad res publicas, puta, ad prædicandum, disputandum in scholis, visendos conventus fratrum, similiaque consueta obedientiæ opera; nisi etiam quædam alia ex charitate ratio imperaret.

sibi confitenti prætermissa ex oblivione peccata,

100 Circa hoc tempus contigit, ut quædam nobilis femina, apud ipsum peccata sua confiteri solita, semel post peractam confessionem diceret: Pater, nihilne prætermisi? Pater vero respondit, ita esse; ac prætermisisse eam tale ac tale peccatum. Eidem dominæ postmodum carpento Valentia in Museros proficiscenti levis noxæ cogitatio, sive iracundia, sive temerarium judicium, sive alterius speciei fuerit, incidit in animum. Dum vero apud eumdem postea confiteretur, illiusque noxæ oblita esset, Pater, inquit, debebam et aliud quidpiam confiteri, sed nunc non memini: responditque ipse: de peccato in carpento loqueris, atque ipsa ita recordata fuit.

101 Cum duo conversi *m* una septimana multas eleëmosynas collegissent, eorum unus nummum quatuor regalium *n*, alter scutum aureum ubi retinere voluerunt, sequenti hebdomade reddituri, si forte pauciores eleëmosynæ colligendæ fuissent. Itaque antequam domum redissent, alter quadruplicem regalem suo calceo imposuit, alter ducatum in manica abscondit. Cum domum venissent, primo eleëmosynas tradenti ait Prior, ut omnem pecuniam proferret, et respondenti, jam omnem exhibitam esse, reposuit: Ubi ergo nummus quatuor regalium, quem posuisti in calceo sinistri pedis? Tum dixit alteri: Tu quoque produc ducatum, quem habes in manica. Quibus dictis, ambo erubuerunt. Porro experti isti fratres hunc in ipso spiritum, aliquando dixerunt domino Hieronymo Abelia: Vere, domine, nescimus qua ratione cum hoc nostro Priore agendum sit: surdus est, myops est, vivit solitarius, nec tamen quidquam facere possumus, quin resciat.

et duobus fratribus secretum factum indicat:
m
n

vino ab eo dato malum capitis pellitur: utiliter prædicat:

102 Mulier, nomine Angela Baiarri, modicum vini albi ab eo petiit pro filia sua contagioso malo capitis laborante; utque eo illud semel lavit, puella sanata fuit. Ultimo prioratus sui anno Quadragesimales sermones ad populum habuit in Moncada, quod et duobus sequentibus annis præstitit, uberesque fructus retulit ex nobilibus et equestribus viris, qui suas ibi villas habent; uti et ex ejusdem aliorumque locorum rusticis, qui ad illius conciones conveniebant.

secreta novit.

103 Narravit mihi quidam frater, qui nostrum induerat habitum in S. Onuphrii, quod, cum, post professionem suam apud patrem Ludovicum generalem de peccatis confessionem faciens et ad certum peccatum dicendum pertingens, ex pudore titubaret; bonus Pater dixerit: Tune fortasse Judas es, qui te non accusas de tali peccato? ac mox peccatum ei explicavit, cujus reipsa erat reus. Idem frater mihi asseruit, metuisse se in posterum coram illo comparere; quia indicabat omnes suos defectus in cella commissos, exempli gratia, in epistolam sine licentia scripserat occulte, quod nemo scire poterat, vorabat eum, aiebatque: Scripsisti
F epistolam. Alio quoque tempore cum idem frater in quemdam defectum incidisset, appellavit illum, Tu, inquiens, istud commisisti; eidemque id miranti dixit Pater: Ne turberis, quia hoc non dico, nisi ut confitearis mihi, qui id jam scio.

IX
Valentiæ novitiis præficitur aliquem secreti peccati memorem facit:
o
p

104 Elapso gesti prioratus tempore *o*, reversus Valentiam est, et magister novitiis denuo datus. Quo circiter tempore Valentiam accessit quidam pater, frater Michaël Ferrero dictus, ex Catalaiuda *p* veniens cum vehementi desiderio hunc Servum Dei cognoscendi; qui ipsum benignissime excepit, et quodam die in hortum novitiorum deambulatum duxit, de Deo semper cum ipso colloquens. Priusquam vero ipsum dimitteret, frontem ejus cruce signavit, ut facere soluerat iis. quibuscum agebat; ac deinde dixit: Pater, quare non meministi confiteri tale peccatum? Moxque reduxit ei in memoriam peccatum, quod quadriennio ante assumptum religiosum habitum commiserat, et hactenus oblitus fuerat confiteri. Hæc mihi ipsemet pater Ferrero ante mortem suam narravit. Tam crebro accidebat Ludovico ista rerum secretarum cognitio, ut multi ve-

rerentur

A rerentur ei occurrere, ne secreta sua detegerentur.

prædicat in Quadragesima ægri clamorum causam q

105 Hoc etiam tempore pater Ludovicus ex mandato illustrissimi domini, fratris Martini de Corduba, tunc Dertusani, deinde Placentini, ac denique Cordubensis *q* episcopi, sermones Quadragesimales Brigianæ *r* habuit, bono omnibus hujus oppidi incolis prælucens exemplo, quod, non modo numquam e suo hospitio, nisi ad celebrandam Missam, aut prædicandum, prodiret, sed nec domestico cœtui se immisceret, præterquam a sumpto prandio, idque etiam breviter; neque umquam, nisi semel, visus fuerit per fenestram prospicere. Anno MDLXXIV in Octava Ascensionis Domini pater frater Bartholomæus Pavia Valentinus, sed natus in Cervera *s*, paucis, antequam moreretur, diebus vehementia stomachi ventrisque tormina passus est, magnamque commiserationem movebat. Prædicto autem Cordubensi episcopo valetudinarium tunc occupante, jacebat infirmus in dormitorio, vocemque suam semper ad cælum elevans clamabat : Domine Jesu, susci-

B pe spiritum meum,

divinitus edoctur

106 Plangebant omnes in suis cellis fratres, quod patrem, quo benigniorem amabilioremque nullum umquam noverant, tanto in tormento cernerent; ac mirabantur vehementer, quod idem ipse in altera infirmitate, toto quadriennio continuata, in qua et ferrum et ignis adhibita fuerant, nullum, velut ligneus fuisset (nisi semel submisse invocato nomine Jesu) vocem proferre, imo nec umquam hiscere visus fuisset. Ita autem se gesserat, quia, priusquam medici manus ei admoverent, animum in piam quamdam cogitationem intendebat, eaque meditatione acquirebat spiritum et robur ad patiendum sine ulla oris mutatione, et indicio sensus. Idem fecerat etiam in altero morbo bene diuturno, quo ante susceptum sacerdotium laboraverat. In hoc, qui ipsi supremus fuit, noster pater Bertrandus, qui eum diligebat, et faciebat plurimi, illum invisit, eoque redactum conspicatus post lectum Euangelium in suam cellam reversus est, Deumque pro hoc infirmo precatus, agnovit in spiritu, ipsum (quemad-

C modum Jobo et S. Antonio olim contigit) permittente Deo, a dæmonibus torqueri, sive ut a defectibus suis omnino purgaretur, sive ut id cederet ad majorem infirmi gloriam; ac propterea eum sic clamare et commendare se Christo *t*.

mortem absentis cognoscit : u

107 Cum illustrissimus dominus Cardinalis Gaspar Cervanti, archiepiscopus Tarraconensis, in ea civitate academiam fundasset *u*, ut solidam S. Thomæ doctrinam in eadem plantaret, voluit, ut duo e primis Theologiæ scholasticæ professoribus essent Fratres Dominicani, quorum alter fuit pater magister frater Franciscus Ferrandiz, patris Bertrandi alumnus, sed paucis post mensibus in principio anni Sancti *x* iste e malo suo Tarracone pie obiit. Porro postridie mortis illius pater frater Ludovicus hic Valentiæ a socio suo fratre Francisco Palau, qui nunc hujus conventus Lector est, petiit : Quid de patre magistro Ferrandiz dicitur? Respondit ille, dici, ipsum male habere. Tum vero iste benedictus Pater, intento in quamdam arcam digito, ait : Ille mihi hac nocte super ista arca apparuit mortuus. Deinde post triduum de ejusdem morte allatus est nuntius; unde concluditur, eumdem mox ab obitu ipsi apparuisse.

A. V. J. ANTISTIO.

quemdam de secreto peccato monet : mulieri metum eximit.

108 Quemdam hospitem, ad hunc conventum adventantem, pater Bertrandus amplexus est, et ei dixit : Vestra Reverentia commisit tale peccatum. Quam ob rem frater iste se cruce signavit : at pater Ludovicus adjecit : Non hoc alia de causo tibi dico, nisi ut te emendes. Hæc mihi retulit quidam Religiosus, qui audivit prope adstans, non advertente Ludovico, qui surdaster erat et myops. Cum quædam persona cuidam mulieri ex Musero, nescio quod, malum et notabilem injuriam minata esset, illa magno correpta timore Valentiam venit, et Servum Dei de sua afflictione consulit, Pater, inquiens, si mihi dicas nihil fore, non amplius timebo : respondit ipse : Vade, Deo propitio, filia : nihil enim tibi mali fiet : atque ita evenit.

ANNOTATA.

a *De anno, mense, dieque, qui fuit* 18 *Octobris, ac loco, ad quam appulit, Hispali scilicet, conveniunt etiam Roca et Avignonus, quorum iste septennium (incompletum existimo) numerat inter egressum ex Hispania in eamque reditum.* E

b *Erat hic conventus Ordinis S. Augustini, teste Avignono.*

c *Valentinum scilicet.*

d *Hunc Prædicatorum conventum Roca, Avignonus et Diagus duobus circiter milliaribus a civitate Valentina abesse, notant.*

e *Apud Avignonum dicitur* ædificium, Crux cooperta appellatum.

f Calvinistas, *opinor, indicare voluit.*

g Leria, *Hispanis* Lyria, *vicus vel oppidulum est regni Valentini, ad Duriam fluvium, quinque milliaribus Hispanicis Valentia distans.*

h *Hoc multiplicati panis miraculum cum aliqua adjunctorum variatione in sæpe laudata Ms. Auditorum Rotæ Relatione sic exponitur :* Cum præesset Frater Ludovicus Bertrandus monasterio S. Honuphrii, prope civitatem Valentiæ sito, accidit quodam die, ut, dum panis in loco de Museros nuncupato pro F Fratrum usu coqueretur, famuli pluvia retardati eum afferre minime possent; jamque prandendi tempus elabebatur, cum sanctus Dei Servus fratri Josepho Gacet, qui ejus vices gerebat, ut nolæ pulsu fratres ad mensam vocaret, imperavit : obedivit Josephus, eique, cujus id munus erat, injunxit. Cui ille, Quid pulsem, inquit, si necessaria panis quantitas minime suppetit, nec præter paucula frusta quicquam superest? Quin potius panem mox a famulis adferendum expectamus? Quod Josephus intelligens, et majoris certitudinis ergo oculari inspectione cognoscere cupiens, non nisi septem panis frusta adesse reperit, remque ad Bertrandum retulit; qui nihilominus, ut ad mensam pulsari juberet, denuo præcepit, panem, affirmans, non defuturum. Quo peracto, cum fratres, qui triginta amplius erant, pransum convenissent, omnes (mirandum dictu!) de septem illis frustis comederunt et satiati sunt; nec minor eo prandio panis quantitas, quam solebat, assumpta est; tantumque insuper panis superfuit, ut reliqui fratres et famuli, qui

A. V. J. Antistio.

qui secundo loco de more comedebant, affatim eo satiarentur. Miraculum hoc, maximum veræ sanctitatis indicium, probatur per duos testes contestes, centesimum quinquagesimum sextum, qui in loco ad comedendum destinato præsentes aderant, et de hoc pane supernaturaliter multiplicato comederunt; et per tres alios testes, centesimum quinquagesimum nonum, centesimum sexagesimum, et ducentesimum quinquagesimum nonum, de auditu ab illis, qui rem omnem exploratam habebant. Quod alius panis, quam septem frusta, non posset fratribus ad comedendum apponi, et quod alius panis non fuerit in refectorium transportatus, et quod plus quam triginta fratres de dictis septem frustis abunde comederint, et quod alias sexaginta panes non sufficiebant, affirmant duo priores testes, qui comestioni fuerunt præsentes; et, licet sint ex eadem S. Dominici Religione, nihil tamen fidei eorum depositioni detrahitur; cum testes de universitate pro eadem possint testimonium perhibere,

B quando de eorum singulari commodo non tractatur. *Hactenus illi. Præcipua inter utramque narrationem varietas est, quod Antistius* decem valde exiguos panes *cum aliquot frustis appositos fuisse, asserat; Auditores vero Rotæ, nulla facta de integris panibus mentione,* non nisi septem panis frusta. *Antistio consonat Roca, Auditoribus Avignonus, laudans Processum* in 2 parte, fol. 1293 et 1309. Septem *item* fragmenta *solum memorat Bulla canonizationis.*

i Roca *habet* Nulles; *at neutro vocabulo mihi locus ipse notus est.*

k *Apud Rocam legitur* Arbuxech. *Hic quoque locus mihi ignotus est. Verum is ceteraque loca hoc capite memorata, nisi aliud obstet, sita fuisse videntur in conventus S. Onuphrii et Valentiæ vicinia.*

l *Alii rectius* : illum.

m *Sic Religiosos fratres laicos ad ministeria domestica admissos vocitant.*

n Regalis *moneta Hispanica, uti* scutum et ducatus, *de quibus mox fit mentio.*

C o *Quod in sacro Prædicatorum Ordine triennium est.*

p *Rectius leges* : Calatayud, *quæ Hispaniæ in Aragonia civitas est, a Mauris condita.*

q *Civitatum Hispaniæ hic nominatarum prima,* Corduba *episcopalis civitas in Vandalitia est; secunda* Dertusa *item episcopalis in Catalonia; tertia denique* Placentia *pariter episcopalis in regno Legionensi.*

r *Hispanis* Borriano, *castrum et vicus est regni Valentiæ, septem milliaribus Hispanicis in Septentrionem Dertusam versus a civitate Valentia distans.*

s *Avignonus, ut hunc locum ab aliis synonymis distinguat, addit, fuisse Magistri Ordinis Montesæ, quæ regni Valentini validissima arx est, equitumque ab ea dictorum sedes.*

t *Subditur hic ejusdem patris Bartholomæi Pavia elogium, quod, quia ad* S. Ludovicum, *cujus ille discipulus fuerat, nulla alia ratione pertinet, prætermittendum censui.*

u *Gasparis* Cervanti, *seu* Cervantes, *elogium lege apud Ciaconium et Oldoïnum in Vitis summorum Pontificum et Cardinalium tom.* 3, *col.* 1040, *ubi etiam de fundata ab eo Tarraconensi academia fit mentio. Porro* Tarraco, *vernacule* Tarragona, *a qua Tarraconensis Hispania nomen habet, antiqua civitas est in Catalonia.* D

x *Id est,* Jubilei, *opinor.*

CAPUT VII.

Admissus a Sancto Prioratus conventus Valentini, quæque ibidem gessit ab anno MDLXXV *usque in* MDLXXVIII.

cap. xii. *Valentini conventus Prior factus præluceat aliis,*

Volens Deus hujus domus reformationem ad suum finem perducere, corda fratrum movit ut Ludovicum, nihil tale opinantem, e magistro novitiorum Priorem conventus faceret. Gubernavit ergo hunc a die xv Maii anni MDLXV usque ad eumdem mensem anni MDLXXVIII *a*, magna præbens exempla religionis, cum ipse multo plura faceret, quam mandaret aliis; ac diligenter invigilaret, ut chorus, studia, aliaque omnia recte procederent; neque toto hoc triennio extra conventum pernoctavit, nisi solum ter, idque prædicandi divini verbi gratia. Quamdiu per valetudinem licuit, frequentabat chorum et ad commune triclinium semper conveniebat; imo etiam, dum esset infirmus, post sumptum in valetudinario prandium veniebat ad triclinium, suumque in eo locum occupabat, invigilans, ut fratres bene reficerentur, et servaretur ad mensam silentium. a

delinquentes castigat, negligentes officiales absolvit a munere;

110 Si autem tam debilis esset, ut suis se pedibus nequiret sustentare, suo loco sedens choro intererat a principio usque ad finem divini Officii. Utque volebat ubique adesse, ita multo cum zelo corrigebat defectus; quia ejus erat opinionis, ut crederet, in religione leves F defectus ac peccata venialia puniri oportere fere cum eadem severitate, qua extra illam peccata mortalia. In regendo parvi pendebat hominibus placere, sed magni placere Deo et S. Dominico; propterea a primo Prioratus sui die affixit in cella sua schedulam, hisce verbis majusculis litteris inscriptam: « Si hominibus placerem, Christi servus non essem *b*; » quod dictum accipiendum est iis in rebus, quas homines volunt pro suo arbitrio, nulla habita ratione divinæ voluntatis. Dum fratribus suis aliquod commiserat officium, puta subprioris, vel vicarii, vel novitiorum magistri, aut zelatoris, aut alterius hujusmodi; si vel minimum in illis deprehendisset negligentiæ, eos sine mora suo munere absolvebat; quamvis solum octiduo illud gessissent. b

nihil humana judicia curans miram habet visionem

111 Consueverat dicere, malle se instabilem reputari, quam videre, Dei servitium parum accurate exhiberi, contra quam exigat Religiosa perfectio: atque hac in parte patuit, verissimum fuisse, quod quidam probæ vitæ vir sæcularis ei dixerat diu ante, quam de ipso Priore creando quisquam cogitaverat, rediisse scilicet ipsum ex Indiis, ut istum conventum

Prior

A Prior regeret, in eoque etiam conservaret observantiam, quam ejusdem fundatores suo sanguine in illum introduxerunt *c*. Paulo post electionem suam dixit mihi hæc verba : Pater, quid hoc sibi velit, quod nocte præterita tres viderim Veronicas cum tribus sacris vultibus ? et aliquanto post subjunxit, significasse molestias, quas isto prioratus sui triennio passurus erat. Sed missis modo molestiis illius, dicemus quædam alia, quæ eidem contigerunt.

c

animam e flammis piacularibus liberat :

112 Dum quadam nocte post Officium matutinum orationi vacaret in choro, venit ad eum precatura veniam quædam anima ob causam, quam subdo. Religiosus quidam ei, antequam Prior esset, exprobraverat ignorantiam, isque responderat, Luciferum multa scivisse, et tamen esse damnatum. Non multo post frater iste, omnibus Sacramentis pie susceptis, mortuus est, jamque in purgatorio brevi tempore (quamque omne tempus eo in loco longum est) versatus fuerat, cum voluit Deus, ut hujus delicti veniam peteret ab eo, qui ejusdem a puericia spiritualis pater fuerat. Apparuit igitur B illi flammis circumdatus, aitque : Pater, ignosce mihi, quod tibi tali die dixi (non enim vult Deus, me transire ad cælum, donec mihi condonaveris) et celebra unam Missam pro me. Ad quæ ipse sine mora respondit, se libentissime ei ignoscere ; factoque mane, pro eo Missam celebravit. Hinc proxima nocte in magna gloria eidem apparuit, petiitque ab illo pater frater Ludovicus : Pater, nostine, quo loco ego apud Deum sim ? eaque anima reposuit : Tu modo Deo servias : Deus enim magnam tui curam gerit.

secreti consilii divinitus conscium se probat d

113 Hisce iisdem diebus Valentiæ prorex admodum secreto tentabat Rodericum Salzado, an vellet regi servire, ut assessor gubernatoris hujus regni in tractu Oriolæ *d* ; ille vero cum eodem secreto conveniens opera personæ, cui condixerat, officium acceptavit; sed mox recordatus est, se hac super re non fuisse locutum cum Patre nostro, ut ejus ad Deum preces peteret. Quare confestim ad illum venit, remque totam cum ipso contulit, obsecrans, ut oraret Deum, ut hic voluntatem suam manifestaret, an admittendum officium esset, nec ne ; siluit C tamen, quod fidem suam jam inde obstrinxisset. Cui Pater subridens respondit : Eja jam tempus est. Ehem ! Quo responso valde erubuit, quod sciret, non potuisse Patri hoc suum secretum consilium humanitus innotuisse. Hæc omnia *e* prædictus Salzedo *e* mihimet narravit eodem die, quo contigerant.

e

fratres suos benigne ac liberaliter alit, et largus in paupere,

f

114 Quam verum sit, quod Propheta asserit, nil boni defuturum quærentibus Deum *f*, demonstravit Deus trienno prioratus illius : nam et hoc pœne totum fuit sterile, et conventus reditus non superabant duo millia scutorum, ac nihilo minus aluit semper centum fratres, et aliquando etiam plures ; quos tam benigne et liberaliter tractabat, ut cuivis alteri Priori postea plurimum laborandum fuerit, ut pari modo tractaret ; ac proptera severe castigabat ministratores, si suo in sustentandis patribus fratribusque conventus debito deessent. Familiare ei erat dicere : Patres fratresque multis suis laboribus bonisque exemplis lucrantur eleëmosynas, quæ conventui dantur : oportet igitur, ut iidem iis etiam honeste fruantur. Neque hac ratione umquam diminutæ fuerunt eleemosynæ ; imo sub illo tantum creverunt, ut hic conventus, nulla obligatione constrictus, soluerit stipem dare omnibus, ad januam se offerentibus, qui quidem, collatis inter se diebus, ex mendicis, litterarum studiosis, ac verecundantibus egenis non pauciores, quam trecenti erant singulis diebus, maxime hyemalibus *g*.

A. V. J. Antistio.

g

quo plus largitur ; plus accipit.

115 Ad hoc propositum frequenter versabat in ore dictum patris fratris Michaëlis a S. Dominico, qui cum hujusmodi eleëmosynas tempore raritatis frugum, quæ anno MDLVI contigit, notabiliter auxisset, mirantibus nonnullis, solebat dicere : Si multum demus hac (indigitabat portam) plus Deus reddet illac (monstrabat ecclesiam.) Verum præter ista soluerat pater Ludovicus insuper secreto dare plerumque duos, tresve aut etiam sex Julios *h* simul quibusdam personis, honestis parentibus natis, sed calamitosis. Dicebat etiam patri fratri Dominico Anadone, qui vigenti circiter annos eleëmosynis præfuerat : Pater, quotiescumque necessarium esse videris, præter stipem ordinariam dato etiam ex pane fratrum, et dato prompte ex amore Jesu Christi ; Deus non deerit : noveris etiam, me non minores hic intus dare eleëmosynas, quam Tu foris largiaris ad portam. Hisce non obstantibus, inito computo, numquam ille Dei creditor mansit ; quia, tametsi ex amore illius multa largiretur, multo plura ab illo recipiebat, etiam in hac vita, non solum in spiritualibus, verum etiam temporalibus ; ac speciatim anno MDLXXVI, mense Maio, quando in hoc conventu solemne capitulum provinciale celebrabatur ; ingentes ei eleëmosynæ collatæ fuere, ac interdum etiam, unde minus exspectabantur, ex quibus abundanter provisum fuit omnibus hospitibus, qui huic capitulo interfuerunt.

h

E

Insignis charitatis et humilitatis specimina edit :

116 Quamvis autem, quia, ut diximus, surdaster erat, majori parti capituli patrum, penes quos erat jus suffragium ferendi, non sit visus aptus officio diffinitoris, quo fere solet fungi Prior conventus ; in quo capitulum celebratur ; non propterea indignatus est, nec se ægre ferre prætulit ; sed ex eo tempore præcepit, ut capituli fratres etiam benignius haberentur, quam ante mandaverat. Et sane vere generosi viri non est magnam hujusmodi officiorum rationem habere. Finito capitulo summopere laudata fuit ejus in omnibus necessariis tam largiter tantaque cum charitate suppeditandis cura ; verum ipse, quantus erat, exporrectus in terram, ab omnibus capituli patribus ignosci sibi humillime petiit, arguens se, quod eos non pro meritis tractasset. Solebat etiam infirmis tanta cum charitate prospicere, ut illorum pars major nec tam diligentem curationem, nec benignitatem domi suæ expertura fuisset.

F

prælato suam dignitatem reddendam præsoscit.

117 Sequenti mense Augusto quidam prælatus officio suo privatus aut ab eo suspensus fuit, adeo ut illo recte fungi nequiret, eoque amplius obstrictus non esset : quæ res bonum Patrem justis de causis plurimum affligebat. Cum igitur expenderet divinam Providentiam, permittentem, ejusmodi adversa obvenire iis, qui Deo recte servire desiderant ; eaque in cogitatione persisteret, vidit ante cellam suam decidentem passerem, qui, uno crure rupto, volare non poterat, nec incidere. Dum vero, quid hoc

A. V. J. Antistio- portenderet, meditabatur, audivit vocem (exterioremne, an interiorem, nescio) dicentem : « Et tamen unus ex eis non cadit in terram « sine Patre vestro ; « quod dictum Redemptoris est cap. x Matthæi, quo loco Dominus noster Jesus Christus, ut Apostolos suos singularem Dei de ipsis providentiam doceret, hoc argumento usus fuit : Nescitis, duos passeres in Judæa denario venire, ac nihilominus, quamvis tam exilis pretii sint, nullus eorum cadit in terram sine particulari providentia Patris vestri : quod bono Patri summo fuit solatio. Nec admodum multo tempore post miser iste prælatus in pristinam, imo etiam in majorem auctoritatem via prorsus extraordinaria restitutus fuit, ut manifestum fieret, Deum singulari providentia suorum curam habere. Hæc ego ex ipsiusmet patris Bertrandi ore didici, antequam prælatus iste restitutus fuerat.

cælesti visione ac voce animatur : 118 Dum festa S. Catharinæ martyris *i* die post meridiem quidam vir devotus hujus Santæ Vitam a Surio scriptam legeret, ibidemque in cella sua adesset pater Ludovicus, hic, levatis subito in cælum oculis, fortiter exclamavit : Ah ! Ah ! Unde exterritus alter iste petiit, quid rei esset ; ipse vero udis oculis respondit : Erat quidem bene, erat quidem bene ; sed ab eodem illo importune adactus, ut, quod erat, diceret, ait : Vidi ego lucem magnam in cælo in splendorem pulcherrimum maximeque mirabilem, ex quo procedens vox mihi dixit, quamvis nunc vivam in tenebris, fore tempus, quo mihi tanta lux tantusque splendor concedenda sunt, ut futurus sim illustratus.

hemicraniam subito pellit : 119 Subsecuti sacri Adventus tempore quadam vespera, cum eo die vehementer pluisset, compulsus fuit pater Gaspar Valpetrosa e Societate Jesu in hoc conventu pernoctare, quodam malo correptus, quod nec dormire, nec quiescere eum tota nocte permisit. Postridie vero mane tam vehementi hemicrania *k* torquebatur, velut si caput suum diffissum fuisset, adeo ut etiam oculorum lumine destitueretur. Sic constitutus indicavit socio suo, se desiderare, priusquam ad collegium rediturus esset, portari ad cellam Servi Dei, atque ita factum est. Ingressum eam Bertrandus, qui illum multum diligebat, lætissimo vultu rogavit, quomodo se haberet ; eodemque puncto temporis omni se malo liberum sensit ; quod ipse tunc pro re admodum mirabili habuit, habetque etiam hodie. Ait insuper, se pridie vesperi pluribus horis cum illo locutum de Deo fuisse tanta cum suavitate, ut ne unius quidem horæ spatium fluxisse videretur.

ægram, ad quam vocabatur, morituram præsagit 120 Anno MDLXXVIII Sabbato post Epiphaniam ad hunc conventum venit domina Angela Cunarta, Josephi di Campo uxor, ac multis precibus patrem Bertrandum rogavit, ut veniret lecturus Euangelium super neptem suam, Beatricem Ischerda appellatam, gravissime ægrotantem ; at quamquam Pater eam infirmam numquam viderat, nec cum illa umquam fuerat locutus, dixit : Tua neptis, ech ! certoque modo agitavit caput, quasi diceret : Parum proderit accessus meus ad eam sanandam. Quæ tam graviter dixit fecitque, ut nobilis domina ad suam comitem conversa diceret : Heu ! mea neptis mortua est ! Perseveravit tamen in rogando Patre, ut eam dignaretur invisere ; et causanti valetudinem suam reposuit : Si non possis hodie, veni saltem cras alterove die; obtulitque carpentum suum. Respondit benedictus Pater, nihil eo opus esse, se eodem die venturum. Venit igitur jam sera vespera ; et antequam vidisset ægram, ejusdem matrem monuit, ut obfirmaret animum, ac patienter ferret, reputans, ita Deo placere. Post lecta apud infirmam Euangelia patrem et matrem, velut filia jam obiisset, consolatus est. Quod illi mirabantur, atque etiam non nihil ægre tulerunt, quod misella ista nondum eo usque perducta illis videretur, sed in pthysim inclinare, ac proinde aliquot menses victura esse. At non erat ita ; paulo enim post sic invaluit morbus, ut post mediam noctem defuncta fuerit. Hoc modo agnoverunt parentes, nihil opus fuisse, ut Pater infirmam postridie inviseret.

periclitanti in partu subvenit 121 Domina Francisca Ferrera, nobilis viri Michaëlis Joannis Benedicti uxor, parturiens, nequibat eniti, nec partus sentiebat dolores ; sed advertens, fœtum ex nonnullis perturbationibus ante paucos dies habitis semimortuum esse in utero, oportebat eum emittere. Invisit ipsum pater Bertrandus, et eam aliquot preces recitavit : postero die non vocatus ad eam rediit, tantoque in periculo conspicatus, scripsit in charta hanc de beata Virgine Antiphonam : « Nesciens Mater Virgo virum, pepe- « rit sine dolore Salvatorem sæculorum, ipsum « Regem angelorum sola Virgo lactabat ubere « de cælo pleno ; » mandavitque hanc una cum accenso cereo illius manui inseri ; ac eodem die peperit filium, qui eo modo prodiit, quo ex medicorum sententia naturaliter non poterat vivus, sed tamen baptizatus fuit.

æterna defuncti salus, de qua fuerat sollicitus, 122 Mense Februario pene subito obiit frater Petrus Loret, conversus hujus conventus, qui quamvis pridie sacra Communione in ecclesia refectus fuisset, fratres tamen is eventus plurimum afflixerat, ac peculariter pater Bertrandus, qui Prior erat, videbater etiam vultu suo prodere dolorem suum de morte hujus miselli fratris quasi improvisa. Post elapsum mensem magister Rodericus Salzedo, doctor in concilio regio, cum illo colloquens in capitulo, advertit in sermonibus ejus quamdam hilaritatem insolitam ; ac proinde petiit, cur jam esset tam hilaris, qui alias fuerat tam tristis. Respondit ipse, ea nocte in cella sua sibi apparuisse fratrem Petrum, valde hilarem et sua sorte contentum, habentem in ore suo quidquam candidum et admodum dulce ; quibus indicabatur gloria, qua gaudebat.

ei revelatur 123 Hoc etiam aliis fratribus postea narravit, licet eis non exposuerit istud peculiare de modo apparendi, sed solum dixerit, se valde doluisse de morte fratris Petri Loret ; sed Deum postea sibi solatium tulisse. Alteri vero cuidam patri ait ; quemdam fratrem hujus conventus graviter afflictum sollicitumque fuisse de salute animæ fratris Petri, multisque noctibus orasse pro eo, ac tandem Deum illam ipsi in cælo conspiciendam exhibuisse. Hic frater Petrus fuerat addictissimus cellæ S. Vincentii, diligenter curans, ut recte ornata et cum accensa lampade semper servaretur.

orantem imago S. Vincentii amplectitur et elevat ; 124 Quoniam de S. Vincentii cella modo incidit mentio, subit in memoriam aliquid, quod jucundum lectori erit. Ferebatur per conventum, dum pater Ludovicus aliquando oraret coram imagine S. Vincentii, in eadem cella posita, indeque abiturus inclinaret se ad illius pedes osculandos, eamdem Sancti imaginem se pariter

A pariter inclinavisse eumque elevasse a terra. Spargebatur hoc per conventum, et dicebatur contigisse paulo postquam fuerat Prior constitutus; quia tunc ad istam devotam cellam se contulerat, magnoque cum fervore spiritus istum Sanctum precatus fuerat hoc modo: Pater, sancte Vincenti, vides, ut illi me sine ullo meo merito Priorem hujus domus elegerint, quamvis hodieque in ea sint viri doctissimi et magnæ religionis. Ego Prioratum hunc hoc temporis momento abdico, tibi impono; te Priorem reputa, et impera et rege, prout tibi placuerit; nam ego quidem, quantum ad me, nolo esse, nisi tuus subprior, nec nisi ex tuo nutu quidquam agere: tuncque aiunt, S. Vincentium sese inclinasse usque ad terram, eaque contigisse, quæ mox retulimus *l*.

l *quod, quo modo rescitum fuerit exponitur:*

125 Verum longo tempore post, laborante illo postrema infirmitate sua, duo e Fratribus nostris, qui natalibus fratres erant, sed eorum alter clericus, alter conversus, valde sagaciter convenerunt de facto indagando. Ingressi in B illius cubiculum cœperunt colloqui de oratione, de solitudine, aliisque similibus rebus; dataque opportunitate, eorum unus rogabat eum: Pater, verumne est, in hoc conventu esse fratrem, qui, dum vellet osculari pedes S. Vincentii, hic ipsemet eum amplexus est? Respondit Pater: Verum est; et post interjectam brevem moram ait alter: Insuper dicitur iste frater fuisse reverentia vestra: Ille autem, inclinata non nihil fronte, hæc retulit: Et quanti ergo vos id esse, putatis? Deus etiam locutus fuit per asinam Balaami *m*, quæ id nullo modo fuerat promerita.

m

cœlesti voce recreatur: *n*

126 Anno MDLXXVIII, die S. Petro martyri *n* dicata, pater Bertrandus post matutinum Officium ad cellam suam regrediens audivit insolitam quamdam vocem, sibi dicentem: „ Deo „ magis placet afflictio cordis, contritio et tri- „ bulatio, quam dulcedo, solatium et consola- „ tio *o*. „ Rogatus autem a quodam sibi beneaffecto (qui id secreto indicaverat) an ea vox molesta illi fuisset, negavit; imo solatio sibi fuisse asseruit; eaque consolatione tunc maxime egebat, quia magnos animi conflictus patiebatur, quod, cum jam instante hujus Prioratus C sui fine, de regressu ad suæ cellæ quietem cogitaret, audisset, se ad alterius conventus prioratum destinari.

o

secreta novit: multos novitios habitu induit:

127 Eodem anno auditori Salzedo e cella patris Ludovici egredienti sæcularis quidam senex, qui insignis servus Dei erat, ait: Videris tu admodum amicus esse huic sancto fratri Bertrando: rogatusque propterea ab eo, unde ipse sciret, eum sanctum esse, respondit senex: Scio, quia, cum semel post mediam noctem essem in oratorio meo, mente orans, Deum instantissime pro illo Patre precatus sum, cumque deinde ad ipsum visendum accessissem, simul ac ejus cellam ingressus eram, ait mihi: Magnas gratias, frater, tibi habeo; ac petenti mihi, Qua de causa, Pater? respondit: Quia tali hora Deum pro me orasti; dumque orabas, brachia in modum Crucis extensa habuisti; quod solus Deus poterat scire. Triennio prioratus sui multos novitios, majorem partem nobiles, sacro habitu induit, nec quisquam alter Prior tam nobiles in hac domo induit, quam ipse, licet nec pro eis acquirendis laboraret, nec quemquam ad id sua suasione induceret. Cum aliquando non paucos juvenes simul vestivisset, mihi dixit, inter concionandum visum sibi esse ex illis unum, circulo igneo splendidoque caput circumdatum; se nil præterea hac super re indicavit.

A. V. J. Antistio.

Prioratui renuntiare frustra tentat:

128 Cum hic prioratus ei fuerit postremus, addo, numquam in eo observatum fuisse vel minimum prælaturæ desiderium; nec ullo modo, seu directe, seu indirecte, ullam umquam appetisse; imo, dum hujus conventus prioratu fungebatur, voluit abdicare, ut quiete viveret; usque id sibi liceret, postulavit a patre Generali, magistro Seraphino Cavalli; sed cum hic Generalis esset religiosissimus, qui multos ejus generis Priores habere desiderabat, licet in una epistola sua innuisset, se velle ei hac in re gratificari, deinde in altera eidem præcepit, ne Prioratum dimitteret, nec permitteret, conventum a quodam alio gubernari; ac majorem etiam ei addidit auctoritatem, quam aliis nostri Ordinis Prioribus consueverit concedi. His non obstantibus, petebat a nobis orari Deum, ne permitteret, se mori Priorem, sed omni animarum cura E exemptum.

tonsori Religiosum statum amplectendum prædicit:

129 Narrat frater Bartholomæus Peneranda Cartusianus, se, dum sæcularis esset et tonsor, tondendo fratres huic domui inservisse, ac propterea sæpe etiam patrem Ludovicum totondisse, et observasse, eumdem, licet ipsum aliquoties sive novaculæ vitio, sive sua incuria, etiam cum modica sanguinis effusione læsisset, sese tamen semper tam humilem tamque patientem exhibuisse, acsi postremus novitiorum conventus fuisset: id bono sibi exemplo fuisse, profitetur. Refert insuper, se, dum aliquando ejus cubiculum ingressus cum eo loqueretur, ab eodem benedicto Patre rogatum esse, an verum sibi super quadam re dicturus esset; cumque respondisset, sed id omnino facturum, si sciret, dixisse illum: Desiderasne religiosus fieri? Se vero reposuisse: Non: neque enim id sibi propositum esse; tum vero Servum Dei subridentem retulisse: Observa tamen, scire me, te Religiosum moriturum. Additque Cartusianus, sibi tunc eam mentem minime fuisse, sed eo ipso temporis puncto tam vehemens Religiosæ vitæ amplectendæ desiderium injectum esse, ut deinceps non quieverit, donec F voti compos factus fuit, admissus in Cartusiam Vallis Christi.

inter negotia se ipsum non negligit: in conferendis officiis

130 Dum prioratum gerebat, quamvis occupatissimus semper esset sui conventus negotiis, quæ quidem tanta erant, ut nonnumquam etiam magnam noctis partem insumerent, ex cura tamen animæ suæ, dimissis vesperi fratribus, arcessebat confessarium suum, eique sua peccata confitebatur, deindeque usque in mediam fere noctem vigilabat; ac nihilominus surgebat ad Officium Matutinum; post quod vix poterat paululum quiescere; imo sæpe etiam de nocte sine lumine palpans circumibat per conventum, experturus, an servaretur silentium. In hoc prioratu et in omnibus aliis præfecturis, quas gessit, semper fuit ejus opinionis, quam etiam sustinent meliores Thomistæ, non sub peccato mortali obligatos esse ad conferendas prælaturas dignioribus; quæ opinio etiam valde conformis est sacro Concilio Tridentino Sess. XXIV, cap. V et XVIII de Reformatione.

131 Quam ob rem ipse non solum in ferendo suffragio,

A. V. J. Antistio. *religiose procedit.*

suffragio, dum eligendus Prior erat, semper intentus erat, ut suum daret illi, quem coram æterno Judice dignissimum esse judicabat; verum etiam in reliquis conventus præfectis, puta, in vicariis, subprioribus, ceterisque similibus, eamdem regulam observabat; uti etiam in creandis studiorum præfectis; quia grande peccatum reputabat ista officia committere aliis, quam qui non modo pravam doctrinam, sive ex ignorantia, sive ex malitia, non erant tradituri; sed qui etiam apti essent ad formandos discipulos excellentiores et in sacris Litteris magis fundatos.

ANNOTATA.

a *Consentiunt Roca et Avignonus atque ipsa etiam ratio; cum Prioratus in Ordine Prædicatorum triennales sint.*

b *Ex Epistola S. Pauli ad Galatas cap.* I, ŷ. 10.

c *Designantur hic Amator D'Espi et Dominicus de Montemajore, de quibus consuli* B *potest Diagus in Historia Prædicatorum provinciæ Aragoniæ lib.* I, *cap.* 50 *et* 51, *ac in Opere nostro inter Prætermissos ad diem* 15 *Junii, et* 10 *Julii, quo posteriori loco hæc legere est:* Amator d'Espi, et Dominicus de Montemajore memorantur hoc die in Diario sacro Dominicano Marchesii, quorum epitaphium exhibet his verbis: „ In hoc tumulo si- „ mul conservantur venerabilia ossa beatorum „ Christi martyrum, fratris Dominici de Mon- „ temajore, ex illustri familia de Corduba, san- „ ctissimi reformatoris, qui auctoritate Clemen- „ tis PP. VII effecit, ut exacte observarentur „ nostræ sanctæ constitutiones: et fratris Ama- „ toris d'Espi, vigilantissimi hujus conventus „ (Valentinensis) „ Prioris, quorum animæ solutæ „ vinculis corporis gladiis iniquorum homi- „ num fortunatissime ad patriam cælestem evo- „ larunt anno hujus seculi „ (sexti decimi) „ tri- „ cesimo, qui est „ ipsi „ 1534.

d Oriola, *indigeni* Origuela, *episcopalis civitas est in regno Valentino.*

e Salzedo *hic et alibi, supra vero* Salzado *scriptus est.*

f *Psalm.* 33, ŷ. XI: Inquirentes autem Do- C minum non minuentur omni bono.

g *De liberali Fratrum egenorumque cura Auditores Rotæ in Relatione sua Ms. sic breviter memineruntur:* Pauperum necessitati præsto erat; eleëmosynas in Religione distribuens nihil fratribus subtrahebat, cum Dei providentia fratrum indigentiis abundanter subveniret.

h Julius *certa monetæ species est.*

i *Colitur hæc sancta virgo et martyr Alexandrina die* 25 *Novembris.*

k *Vox Græca est, significans dolorem mediam capitis partem occupantem.*

l *De hisce sic etiam habent sæpe laudati Auditores Rotæ in Relatione sua:* Prioratum monasterii Valentini omni conatu recusabat.... Quod cum obtinere non potuisset, contulit se, (ut fama fertur) ad cubiculum illius sancti viri Vincentii Ferrerii, seque humi postravit, ac, fluentibus ubertim lachrymis, dicebat, quod sibi vires erant impares hujusmodi officio et dignitati; et propterea ex corde supplicabat, ut ipse *(sanctus scilicet Vincentius Ferrerius)* esse Prior, et Prioris officium exercere dignaretur. Post quæ cum pedes imagines S. Vin- centii vellet deosculari, ut eadem fama fertur, D ille miraculose renuit. *Ita illi; unde vero certa hujus rei habita fuerit notitia, mox hic subdit Antistius.*

m *Lege Numerorum caput* 22.

n *Hujus sancti ex Ordine Prædicatorum martyris gesta illustrarunt Majores mei ad diem* 29 *Aprilis, quo colitur.*

o *Hæc eadem verba, Latine ibidem ab Antistio relata, mox subduntur Italice, proindeque hic Latine non repetenda, sed omittenda.*

CAPUT VIII.

Gesta illius a deposito Prioratu usque in postremum annum vitæ suæ.

CAP. XIII. *Mortem regis Lusitaniæ, et exercitus eladem absens nescit:*

Expleto Prioratu, confestim visus fuit instar minimi fratrum conventus; nec regimini se ullo modo amplius immiscuit, præterquam quod per unum mensem commissa ei fuerit solita novitiorum ac juniorum cura; et in hac simplicitate perseveravit usque ad mortem, quo tamen interim tempore Deo placuit magna per ipsum mirabilia operari. Anno MDLXXVIII ipsa S. Dominici festa luce postquam pranderat in triclinio inter colloquendum cum fratre Ludovico Primo, qui ipsi inserviebat, cum magno mœrore ac perturbatione animi ait: Frater, dum hodie prandebam, dictum mihi est, regem Lusitaniæ esse mortuum, et cæsum ejus exercitum; idque verum esse, videbis. Post dies decem de eventu constitit: nam die S. Dominico sacra accidit infausta illius miseri regis mors cum totius exercitus strage in regno Fezzano *a*.

a graviter decumbenti promptam convalescentiam prædicit:

133 Eodem anno cum quædam Violanta Junear ex gravi febre decumberet, jamque pronuntiasset medicus, eam in magno periculo versari, ac proinde jussisset eamdem sacro Viatico muniri, accessit ad ipsam pater Ludovicus, et gravissime commotam invenit. At priusquam ei F quidquam diceret, elevavit oculos ad cælum, junctisque manibus, paulisper oravit; deinde vero demittens oculos, bono eam animo esse jussit, Deum ipsam adjuturum. Tum illa petiit, ut se per confessionem Deo reconciliaret, quod et ipse prompte fecit; eidemque deinde petenti, an eodem vespere, an postridie mane sacrum Viaticum susceptura esset, respondit: Poteris ad sacram Mensam accedere, dum egressura domo es. Eodem temporis momento cœpit melius se habere, et sine ullo medicamento in fine bidui sanata fuit.

scrofulis infectas sanat.

134 Anno MDLXXIX quædam famula illustris dominæ Violantæ Milano, Speranza dicta, cui collum scrofulis penitus perforatum erat, audiverat dici, per patrem Bertrandum ab eodem malo convaluisse in Moncada puellam, quæ novennio ante illius curandi causa in Franciam profecta fuerat sine solatio; et post hæc orasse pro illa Servum Dei, eamdemque coram magistro Bargallo, Moncadæ rectore ab illo tactam, infra paucos dies omnino fuisse sanatam. Quapropter huic alteri magna affulsit spes, fore, ut et ipsa per ejusdem Patris patrocinium

A cinium sanaretur, ac proinde precata est prædictam dominam suam, dominamque Franciscam Ferrera, ut Quadragesimalis jejunii tempore se ad hunc conventum eum in finem conducerent, orarentque Patrem, ut eam suis manibus attingeret. Apparuit ille ad hæc nonnihil turbatus, dicens, hoc officium Sanctorum esse, non peccatorum, qualis ipse esset. Verum iste tamdiu institerunt, donec se eam tacturum promisit postquam Missam celebrasset. Ea igitur in sacello S. Vincentii celebrata, attigit collum ægræ, et impertita ipsi benedictione sua, oravit pro illa, quæ mox cœpit melius habere; appositaque ejusdem collo Corona ejusdem Patris, in fine unius mensis perfecte convaluit.

mira visione, et alias secretis dictis recreatur :

135 Die Paschæ Resurrectionis post devotissimam processionem, quæ jam a multis annis in hoc conventu fieri consuevit in aurora, et a a non multo tempore etiam haberi cœpit in S. Francisci, aliisque ecclesiis, Pater ad cellam suam regressus est, cumque ibidem aliquantisper fuisset, socio, qui illi serviebat, dixit : O fra-
B ter, si fuisses hic, vidisses aliquid, quod me mire recreavit, nempe illinc (indigitabat versus conventum Patrum Jesu) magno numero advolantes aves pulcherrimas et alterius speciei, quam quas ordinarie videmus. O ! si vidisses, quid hodie super hanc ædem acciderit ! Postea quoque cum altero sibi familiari loquens ait, inter easdem aves fuisse velut hirundines, diversas tamen a communibus; quia non erant
b corpore candido alisque nigris, sed contra *b*. Intra utrumque Pascha devotissime obiit frater Bartholomæus della Costa, sed ex Aldea nova oriundus, confessarius patris Bertrandi, quocum dum postridie de istius morte loqueretur frater Antonius Balestero, respondit ei Pater : Hoc mane, mihi super hac arca sedenti consolationis plena in aurem dicta fuere.

sterili prolem masculam obtinet : narrat insignem apparitionem,
c

136 Circa hoc tempus obiit Alphonsus Emmanuël Palombo, qui, dum a cubiculis erat duci Nagaræ *c*, proregi Valentiæ, multis annis improlis manserat in matrimonio. Quare et ipse et ejus conjux eum unanimiter orabant, ut apud Deum intercederet pro benedictionis fructu obtinendo. Sic domina ista intra mensem gravidam se sensit, et subsecuti Quadragesimalis tempore prolem masculam peperit. Eodem
C anno, biduo triduove ante festum S. Francisci
d *d*, accessit ad ædes Auditoris Salzedo (quem interdum adire solebat, ut causas pauperum ei commendaret) et inter colloquendum injecto sermone de mirabili sanctitate S. Francisci, dixit Auditori : Ego certo scio, quemdam e nostris, mense Septembri proxime elapso, in festo sanctorum Angelorum, ex Officio Matutino, dum cœperat cantari Te Deum laudamus, egressum, invenisse in claustro SS. Franciscum et Dominicum, et coram S. Francisco prostratum illius pedem dexterum osculatum esse, atque etiam magno cum gaudio et spirituali voluptate figendis vulneri osculis aliquantisper immoratum esse ; dum gloriosus S. Franciscus interea illius caput ambabus manibus sustineret, illudque ac vultum ejus suaviter palpando contractaret, et magnam æternæ salutis spem ei ingereret. Prostravit etiam se idem frater ad pedes S. Dominici eos osculandi gratia; sed hic Sanctus manum suam ei porrexit, quam devotissime osculatus est.

137 Interim prædictus Auditor, observans modum, quo ille loquebatur, quamque efficaciter hanc visionem narraret, suspicatus, illum ipsum esse de quo ea diceret, sed unde ergo fit, inquiebat, ut pater iste tam insignibus gratiis donatus a Deo, semper videatur esse tam melancholicus ? Quod aiebat, quia pater Ludovicus quasi semper mœstus vultu apparebat. Reposuit ille ; Imo hoc ipsum est, quod illum mœstum facit. Quamquam autem tunc causam non aliter explicaverit, intellectum postea est, fuisse hanc, quod, dum prorogatur vita corporalis, tanto etiam diutius differretur summum illud bonum, quod tanto cum desiderio expectabat. Inde recedens, in egressu cubiculi vidit in quodam altari imaginem S. Francisci, quam dum paulisper aspiceret, Auditor suspenso gressu accedens, ei se inobservatus adjunxit, audivitque dicentem, illam vere ipsi esse similem; unde clarius cognovit, eumdem illum esse, cui S. Franciscus apparuerat : quod etiam certius constitit, postquam ipsemet pater Ludovicus a domino patriarcha, hujus civitatis archiepiscopo *e*, qui factum ex prædicto Auditore audierat, interrogatus, ita esse confessus fuit, dicens : Ego ipsum vidi tam clare, quam E nunc Te video.

A. V. J Anistio. *quam ipsimet obtigisse, postea constitit :*

e

138 Prædicti anni mense Novembri Dorothea Garzia, quod nihil de marito suo, Christophoro Peres de Almazano, inaudisset, ad hunc conventum venit, Patrem precatura, ut in precibus sui meminisset; sed priusquam illa verbum protulerat, ipse ait : Domina, ora Deum pro marito tuo, quia precibus indiget. Quibus dictis illa perculsa ait : Itane Pater, fortassis ille mortuus est ? Non, reposuit illi Pater; sed redibit Valentiam, eumque revisura es. Non multum transierat temporis, cum litteras a marito suo accepit, quibus nuntiabat, se dum Panormo Neapolim navigaret, in magno fuisse periculo, ne a Mauris caperetur, ac deinde vehementi tempestate jactatum, ut necesse fuerit in myoparonem descendere, ut ad littus appelleret, sed tanto cum discrimine, ut omnes ipsum submersum crederent. Ex die autem signatæ epistolæ dicta domina agnovit, hanc iis diebus scriptam fuisse, quando Pater ea ipsi dixerat; rediitque deinde maritus illius Valentiam, ubi hodieque in vivis est.

mulieri nobili viri sui periculum ac felicem reditum vaticinatur :

139 Anno MDLXXX magistratus Scœtabis *f* magno tenebatur desiderio eum per quadragesimam ad populum dicentem audiendi, utque id obtineret, institerat. Sed ille valetudinem male affectam causatus negavit futurum, ut vel tres sermones ad eos posset habere. At reponentibus illis satisfactum sibi fore, si saltem semel in ea cathedra dixisset, oportuit, eum illuc ire. Deus autem sic eum roboravit, ut tota illa quadragesima, nullo prætermisso die, ibidem concionatus sit. Imo interdum etiam duos eodem die sermones habuit, terminatoque Quadragesimali tempore tam validum se judicavit, ut Valentiam pedes reverti voluerit; quod tamen non potuit.

Quadragesimales sermones ad populum facit :
f

140 Ego pro certo habeo, hujus Patris preces mihi sæpe multum profuisse, sed maxime, dum hoc anno profectus in Italiam sum. Ægerrime volebam illuc ire, conabarque hoc iter impedire : sed Pater laborabat, ut irem, commisitque mihi quædam sua negotia Romæ tractanda. Illius ergo precibus fretus, obtentaque ab eo Scœtabi benedictione, Alone *g* ingressus sum navem....., quæ, insciis miseris viaroribus, pessime erat affecta, in eamque tam copiosa

narrat auctor præsentissima in mari pericula,
g

A. V. J. Antistio.

copiosa aqua penetrabat, ut miraculo adscribendum sit, quod non fuerit in profundum sinus submersa. Dum in hoc itinere quædam hujus boni Patris miracula narrassem aliquot nobilibus adolescentibus, qui Salmanticæ litteris operam dederant, horum aliqui et ego ipsum invocavimus, seu, ut melius loquar, Deum per merita hujus Servi illius, gnari, Deum sæpe, ut ait S. Thomas, ob merita minorum Sanctorum concedere, quod non solet largiri propter merita majorum.

quæ in Italiam navigans. indeque rediens h

141 Ita nobis in hac profectione contigisse videtur, quia Liburnum *h* salvi appulimus, ubi in terram expositis nobis, necesse fuit reparari navim, quæ penitus hiscebat. Ab eo tempore crevit in me devotio, qua ante erga istum Sanctum affectus fueram. Pari modo in reditu ex Italia in Hispaniam in tantum deveni periculum, in quanto umquam alius in mari fuit. Nam priusquam vela faceremus, exorta terribilis tempestas est in ora Liburnica, quæ ultra sex dies tenuit; venitque versus nos navis, Squar-
B ciabocca nomine, quæ, amisso gubernaculi manubrio, ruptisque rudentibus, tanto cum impetu transversim ferebatur, ut pene non abesset, quin in nostram impingeret, quæ, si ab illa tacta fuisset, dissiliisset in frusta. Postridie intra minus, quam unius horæ quadrantis spatium duo fulmina e cælo in navem nostram deciderunt, quorum primum per eam aliquamdiu percurrit cum periculo pulverem pyrium accendendi; alterum majorem malum incendit, quæ propterea exscindenda fuit, atque ita nos, sæviente tempestate, in medio sinu sine malo triduum navigavimus.

partim illius, dum etiam viveret, patrocinio evasit

142 Et quia navis destituta malo erat, ferebatur velut lanea sarcina super undas; præterea arcæ, ferrei tubi militares, aliaque impedimenta undique volvebantur in mare, non sine periculo, ne cui crura et brachia rumperent, aut etiam totos homines contererent. In hisce omnibus angustiis et periculis præter gloriosam Virginem Mariam, et S. Raymundum de Pennafort, qui mare a Majorica usque ad Barcinonem in
i suo pallio monastico trajecit *i*, sanctumque Pe-
k trum Gonzalem Telmum *k*, et alios patronos meos, solui invocare, meque commendare etiam
C huic benedicto Patri, donec ex hac infausta navi evasi incolumis. Quamvis autem in aliis quoque itineribus multa passus fuerim, non tamen umquam tanta, quam in hoc; adeo ut postridie in profundum ferrer; et ego e tantis periculis ereptus a Deo, felicemque negotiorum successum Romæ consecutus, magnam hujus rei partem acceptam referam benedictioni, quam bonus Pater mihi impertitus est Sœtabi, et precibus, quas pro me fudit.

occulto alterius desiderio satisfacit :

143 Eodem anno inter geminum Pascha domina Francisca Garzia, soror dominæ Dorotheæ Garzia, quam supra nominavi, angebatur scrupulis, an deberet pluries per hebdomadam ad sacram mensam accedere; et post aliquot consultos patres confessarios decrevit etiam patris Bertrandi consilium exquirere. Cumque ad ecclesiam nostram accessisset, isque ab illa arcessitus ad sedem confessionalem venisset, antequam illa verbum protulerat, eidem ait : Hac in re ego soleo esse liberalis, ac libentissime suadeo personis, quæ Deo servire desiderant, ut sæpius Eucharistiam suscipiant.

CAP. XIV.

144 Ejusdem anni mense Maio Maria Joanna Boiglia febri, papulis ac variolis vehementer correpta erat, ejusdemque filia gravida pariter vehementer febriebat. Quam ob causam Martinus Vincentius Folches, filius supra dictæ Mariæ, oravit patrem fratrem Nicolaum Factorem *l*, qui in monasterio Jesu habitabat, ut Deum pro illis precaretur. Respondit hic, patrem Bertrandum adiret, ipsique in nomine Dei Deiparæque diceret, ut quasdam sacras reliquias ad ambas infirmas deferret. Postridie Pater eas adiit, et manu ejus supra caput dictæ Mariæ posita, ait illa, id sibi magno solatio esse. Id ipsum etiam affirmavit filia : quare rogavit mater, ne manum amoveret a capite : eodemque temporis momento ambæ melius se habuere et incolumes manserunt. Hinc prædictus Folches magna devotione erga sanctum Patrem animatus, cum fratrem haberet infirmum, uni ex ustione, ad pudenda per chirurgum illi facta, gravissime laborabat, patrem Ludovicum rogavit, ut eum quoque inviseret. Ivit, aliquas preces fudit, et adhibitis reliquiis S. Vincentii, signataque plaga signo sanctæ Crucis, cæpit æger subito convalescere.

febres aliaque mala

l

suis precibus pellit :

145 Eodem anno festa Deiparæ in cælos assumptæ luce, dum cum aliis fratribus domi esset in sacello S. Ludovici episcopi *m* processioni adfuturus, rogatus fuit, ut inviseret dominam Isabellam Castigliona Vaziero, conjugem domini Hieronymi Pasquale, nunc Assessoris gubernatoris hujus regni, quæ conflictabatur terribili febri, ex qua in delirium et deinde in tantum animi deliquium incidit, ut mortua crederetur. Accessit ad illam Servus Dei, legitque super eam Euangelia; deinde levatis in cælum oculis, totus mutatus est, stetitque velut in ecstasi plangens; deinde vero dimisso capite, febrientis matri, Beatrici Baiarri dictæ, et sorori, Tomasæ Bonaventuræ Vaziero appellatæ, alterique mulieri, quæ aderat, dixit : Gaudete, quia sancta Dei Genitrix, cujus hodie festum celebramus, hanc præstabit gratiam, ne ista moriatur.

m

et ægrotantibus pristinam valetudinem pollicetur :

146 His dictis, sedit, deque sancta Virgine Maria paulisper devotissime locutus est, infirma interim nullum verbum proferente, sed in suo perseverante deliquio. Ast egrediente e cubiculo Patre, suos sensus recepit, clamavitque : Pater, Pater, per amorem Dei regredere : re-
F diit ergo ipse, et manum suam infirmæ capiti cum magno hujus solamine imposuit. Postquam autem Pater abierat, O quam magna, inquit ipsa dolens, peccatrix sum, quod locuta non sim cum tanto Sancto, quantus ille est! Postridie contigit altera accessio febris, putabatque denuo illam morituram, adeo ut jam inciperent deplorare. atque aliqui de promissis Patris ambigerent. Sed paulo post penitus sana evasit, agnitumque est, Patrem vera dixisse. Eodem pariter anno pater Bertrandus Franciscum Vaziero notarium, prædictæ ægrotæ patrem gravissime decumbentem invisens jussit eum bono animo esse; nec enim ex hoc malo moriturum : itaque factum est, patre filiaque hodieque superstitibus.

cuidam mortem vaticinatur ; alteri modicam messem ;

147 Contra ejusdem anni mense Novembri in morbum lapso Vincentio Vaziero, supra dictæ mulieris fratre, Pater casu transiens per plateam, ubi ille habitabat, rogatus est, ut super eum Euangelia legeret. Ingressus cubiculem eidem dixit : Frater, solare te, quod Deus te

A te nolit in hoc mundo, eumdemque piis monitis confirmavit. Matri quoque ait, ne contristaretur, si Deus ipsi vellet hunc tollere filium. Posthæc infirmus indies se pejus habuit usque ad mortem, quam duobus tribusve mensibus post obiit. Antequam ista contigerant, ineunte vere, fuerat Pater ad fenestram cellæ suæ, dum plueret, dixeratque ei Alphonsus Manuello, prosperam illam tempestatem sementi esse; sed responderat ipse : Exspecta modo, videbis messem futuram, quæ propter peccata hominum erit admodum modica. Non videbatur istud vaticinium eventu probandum, cum tunc tempestas ita faveret, ut copiosa rerum omnium messis speraretur. Sed omnino contrarium evenit, quia ab Aprili non pluit; unde sementis frumentorum multum passa sit; mense vero Septembri tantum pluit, ut major uvarum pars perierit.

alteri morbum regis indicat : cælesti visione recreatur :
n
o

149 Ejusdem anni MDLXXX mense Septembri dux Nasciaræ *n* venit pro more suo ipsum in sua cella visurus. qui a Patre rogatus, si quæ nova de rege *o* haberet, respondit, eum optime valere. Tunc Pater reposuit : Optime? Imo ægre; Deusque pro ipso orandus est. Nec quidquam præterea de morbo regis innotuit, nisi post dies aliquot, quando litteræ ex aula allatæ fuerunt. Eodem tempore invisit ipsum quidam doctor consilii regii, illi plurimum devotus, qui cum eum admodum hilarem videret, lætitia causam petiit. Ille vero respondit : Quia Deus singulari gratia me hodie dignatus est : nam paululum ante auroram aperienti mihi fenestram cellæ apparuit Redemptor noster affixus cruci, qualis pependit in monte Calvariæ, meque maxime consolatus fuit.

mortem suam prædicit :

150 In vigilia S. Dionysii non parum afflictus fuit, quod a quodam judice postulatus, jussus esset ire in arcem, invisurus in carcere quemdam Maurum, qui suspendendus aut lapidandus erat; putaretque, potius alium, doctiorem aptioremque patrem ad id opus fuisse. Porro dum ut illuc tenderet, ex majori claustro in minus cum Patre magistro fratre Petro Salmanticensi, qui eum comitabatur, transiret, dixit ei : Eja, pater magister, memento hujus diei, quo ego dico tibi, et morte retine, me eo
C die anno sequenti mortuum fore. Quod et factum eo modo, quo dicturi sumus; quia, licet hæc dixerit in vigilia S. Dionysii, non tamen intendit dicere, nisi de ipso die S. Dionysii, atque altera vice, de sua pariter morte loquens, ejusdem diem tam manifeste indicavit, ut per aliquot menses, priusquam ille obiit, Valentiæ publice dictum fuerit, ipsum festa die S. Dionysii moriturum.

Ejus consilio recuperantur amissa.

151 Die secunda Novembris dicti anni dux Nasciaræ præcepit domino Jacobo Fenero, hujus regni gubernatori, ut duas scripturas, ad negotium maximi ponderis spectantes, quas illius decessor dominus Vespasianus Gonzaga prorex, eidem servandas commendaverat, quibusdam legendas exhiberet. Dictus autem dominus Jacobus omnia sua scrinia et arcas diligentissime scrutatus. iis non inventis, vehementissime anxiatus fuit, quod id in magnam honoris rerumque suarum jacturam cedere posset. Nec ausus est hasce animi angustias cum quoquam conferre, nisi cum patre Ludovico, cui ait : nullam sibi spem esse scripturas illas ulla ratione humana reperiendi. Respondit Pater : Domine, dic Orationem, per quam ego vidi magna fieri miracula : Dic nonies canticum MAGNIFICAT, idque etiam ego faciam, et aliis quoque hujus conventus fratribus te commendabo. Erat tunc Sabbatum; die autem Lunæ proxime secuto accessit ad dictum dominum quidam presbyter dixitque : Domine, admodum afflictus es de non inventis ejusmodi scripturis : ne turberis; quia ego eas tibi hac vespera afferam; et reipsa attulit. Ratio, cur nonies dicatur MAGNIFICAT, hæc est, ut novem Angelorum chori gloriosam Virginem pro reperienda re perdita precentur. A. V. J. ANTISTIO.

Commendati sibi canonici
p
q

152 Mense Decembri dominus patriarcha *p*, diœcesim suam visitans in Torre *q*, ut se cum bono isto Patre paululum solaretur, eumque in diuturna sua solitudine et laboriosis exercitiis, quæ ejusdem valetudini non parum nocebant, nonnihil recrearet, scripsit ad ipsum urgentes litteras, ut ad se veniret. Ivit Pater, ibidemque aliquot dies cum isto Antistite versatus est, perpetuo de Deo pro more suo colloquens. Valentiam deinde redeunti pairiarcha instanter commendavit, ut dominum Michaëlem Vich canonicum, qui ægrotabat, inviseret : E verum ille, qui cum eo numquam fuerat locutus, nec solitus se in alienas ædes insinuare, non curavit eum tunc invisere. Appropinquante deinde Natalitio festo Christi, dictus canonicus ratus sese melius habere, voluit se exhilarare, jussitque domi suæ fieri placentas et lagana, et vina saccharo et cinnamomo condita, et excellentes cappones, aliasque cupedias in festum comparari.

instantem mortem prævidet, eumque vilopi. nantem monens

153 Sed pater Bertrandus in cella sua instantem mortem illius ex visione intellexit; quapropter statuit ipsum eodem die adire, eidemque libere edicere, ut se ad eam præpararet. Adivit ergo, et apprehensa illius manu dixit : Domine Michaël, cura, huc deferri sanctissimum Sacramentum, et illud suscipe, et conde testamentum, resque tuas dispone, nec amplius cogita de festis et recreationibus : appropinquas enim morti, et ante festum Nativitatis Domini ibis ad paradisum. Nec turberis propterea; nam et ego eo tendo, et intra annum finiero meum cursum. His auditis, canonicus sine mora omnes qui aderant, dimisit, solique F ambo secreto egerunt. Egresso deinde e cubiculo patre Ludovico, regressi ceteri domestici repererunt canonicum sibi pectus percutientem seque coram Deo reum arguentem.

ad pie moriendum disponit:

154 Missis itaque factis omnibus curis aliis, studuit se comparare ad mortem, de qua omnibus reliquis diebus devote semper locutus fuit; in vigilia autem Nativitatis instanter petiit, si jam festum illuxisset, atque ita matutino ejusdem gloriosi diei tempore animam Deo reddidit. Interrogatus a gravibus personis Pater, quo modo hæc se habuissent, respondit, sibi illum in cella sua velut mortuum visum fuisse. Videbatur tamen aliquid præterea vidisse; cum ex eo solo nequiverit determinatum diem mortis cognoscere : proinde secreto petiit ab eo frater Antonius, tiro professus, quo pacto ex conspecto in cella sua mortuo hunc in Nativitate Domini moriturum, noscere potuerit; atque hoc responsum tulit : Fili, sat nosti, Deum, dum aliquid intellectui nostro revelat, etiam concedere gratiam, ad certo cognoscendum, quid significet, quod revelat.

155 Mane

A. V. J. Antistio. *periclitanti in partu*

155 Mane Nativitatis Dominicæ Hieronyma Centella, uxor M. Cosmæ Clemente, jam septem mensibus gravida ex variis indiciis ac defectionibus, quæ ipsi accidebant, sensit se partui proximam, totoque illo die cum nocte sequenti numquam cessavit copioso sanguine fluere, ita ut medici illius vitæ veriti, curarint, ut se sacra confessione expiaret. Postero die vir ejus, huic Patri plurimum devotus, ad conventum nostrum recurrit, eum precaturus, ut pro salute conjugis suæ Missam celebraret. Sed eo adveniens, intellexit, ipsum jam egressum esse, ut ad altare majus celebraret. Quam ob rem contristatus, propositum suum sacristæ indicavit, conquerens de adversa sibi sorte, quod serius venisset. Consolatus illam sacrista est, bonoque animo esse jussit, quod ad se pertineret applicare Missas fratrum, et re ipsa illi applicaret eam, quam tunc dicebat Pater.

Missam celebrando inscius succurrit.

156 Ivit ergo, ut eidem Missæ interesset; dumque intererat, uxorem suam devotissime Deo commendabat, dictum Patrem pro illius salute patronum suum allegans. Dum vero elevaretur sanctissimum Sacramentum, insonuit horologium, et ipse singulare animi gaudium sentiens sine ullo dubio sibi persuasit, uxorem suam extra omne periculum positam. Post Missam convenit Patrem, multumque sollicitus precatus est, ut pro suæ conjugis salute apud Deum intercederet. Ast Pater vix passus moram ad eum auscultandum, quia concionaturus in ecclesia S. Stephani properabat, solum respondit, ut Deo gratias ageret, suasque pro infirma preces addixit. Domum itaque redux cognovit, ipsam eodem tempore, quo elevatum fuerat sanctissimum Sacramentum, enixam fuisse puerum mortuum; certe non absque miraculo, quia, teste quidem obstetrice, sic ille situs erat, ut naturaliter nequiret expelli. Permansit illa infirma, gravi febre correpta, jussitque, se in Patris orationibus denuo commendari. Accedenti proinde iterum marito, ipse nihil auscultans, solum dixit, ut bene abiret; Hieronymam enim se melius habere, ne cruciaret se, nihil enim mali eidem accessurum: uti etiam vere nil contigit.

ANNOTATA.

a *Consule, si lubet, historicos de hac infelici Sebastiani Lusitaniæ regis expeditione Africana, in qua ille, dum adversus Abdelmelechum, Fezzæ ac Marrochii regem, pugnat, vitam et exercitum suum amisit assignato anno* 1578, *die* 4 *Augusti, quæ S. Dominico sacra est. De hoc vaticinio in Relatione Auditorum Rotæ brevissima habetur mentio his verbis:* Miserabilem regis Portugalliæ obitum ante alicujus nuntii adventum cognovit.

b *Quid hæc sibi velit visio, non intelligo; neque enim angeli videntur hic indicari.*

c Nagara, *incolis* Nagera, *Hispaniæ urbs est in Castella Veteri, Ducatus titulo ornata.*

d *Assisiatis nimirum, cujus Acta illustravimus die* 4 *Octobris, quo colitur.*

e *Fuit is Joannes Ribera, patriarcha Antiochenus, et archiepiscopus Valentinus* S. Ludovici, *ut per decursum hujus Vitæ constabit, amantissimus, eidemque perquam familiaris.*

f *Vide Annotata ad cap.* 4, *lit.* f.

g Alone, *indigenis* Alicante, *regni Valentini oppidum est cum capaci tutoque portu in ora maris Mediterranei.*

h Liburnus, *seu* Liburni, *indigenis* Livorno, *celebris Etruriæ civitas est portusque in ora maris Tyrrheni, Magno Etruriæ duci parens.*

i *Hujus Sancti, tertii Generalis Ordinis Prædicatorum, gesta apud nos data sunt ad diem* 7 *Januarii, ubi pag.* 111 *et sequenti, num.* 26 *mirabilem illum per mare transitum leges.*

k *Nescio, an hic S. Petrum, ex Ordine Prædicatorum martyrem indicet, an eumdem, quem subdit,* Gonzalem Telmum, *mihi ignotum.*

l B. Nicolaum Factorem *Ordinis S. Francisci designat, quem* S. Ludovico *admodum familiarem vixisse, infra videbimus.*

m *Tolosani scilicet, qui colitur die* 19 *Augusti.*

n *An* Nagaræ, *de qua supra.*

o *Nempe de Philippo II, Hispaniarum rege, qui multis annis supervixit.*

p *Joannes Ribera, patriarcha Antiochenus et archiepiscopus Valentinus, ut supra jam annotavi,* S. Ludovici *amantissimus.*

q *Vide Annotata ad cap.* 2, *lit.* l.

CAPUT XI.

Quædam alia variis temporibus a Sancto, dum viveret, gesta.

CAP. XV. *Monitum auctoris de mutata scribendi ratione.*

Modo juverit multa alia de hoc Servo Dei narrare, sed alia ratione, quam qua superiora recensuimus; hactenus enim, quantum licuit, studui notare personas, temporaque et loca, cum quibus, quando et ubi singula contigerunt; verum id in hoc capite raro potero præstare; si enim personas nominavero, velut gravem illis injuriam intulisse censebor. Deinde itaque passim nec locus, nec tempus, nec alia peculiaria gestorum adjuncta notabuntur, per quæ veniri posset in notitiam personarum *a*: alias quoque eadem silebuntur, quod ea scire non potuerim, vel non ulterius investigaverim: præterquam quod in multis quoque, quamvis ea omnia sciremus, et sine ullius detrimento exprimere possemus, cum eadem nihilominus cautione processuri simus, ut observemus istud Sapientis monitum: Non laudabis quemquam in vita sua *b*; quia non expedit cuiquam umquam occasionem suggerere vane gloriandi, fierique insuper potest, ut, qui hodie bonus est, postero mane malus sit; nec volumus, ut quisquam, mutata vita sua, huic authenticæ historiæ præjudicio esse queat.

Duos concubinarios, frustra monitos,

158 Duo potentes viri ambo eamdem concubinam publice habebant cum gravi scandalo incolarum loci, ubi habitabant. Noster bonus Pater, postquam eos aliquoties secreto monuerat, bisque generaliter adversus concubinatum concionatus fuerat, prædicavit peculiariter adversus eos asperrime, multo sale plagas fricans; quia

A quia propter gravitatem scandali publici necesse erat, ut eos argueret in faciem, quemadmodum S. Joannes Baptista arguit Herodem *c*. Sic autem se res habuit : Dum cathedram concionaturus ascenderet, sensit sibi in animum inspirari omnia, quæ dicenda erant, non secus ac suis auribus audisset ; erantque multum diversa ab iis, quæ studiose paraverat et decreverat dicere ; sicque ea audiebat, ut manum suam retro aurem teneret, ut solent quidam surdastri *d*, ut melius audiant ; et quidquid ei dictum tunc fuit, ejusdem memoriæ impressum hæsit, uti sigillum impressum ceræ molli rectequ dispositæ.

invicto animo publice arguit, ac mirabiliter vincit :

159 Similiter etiam sensit tam firmum cordis propositum, tantamque fortitudinem animi, ut, si adfuissent centum homines ad eum trucidandum, non fuisset omissurus dicere, quæ dixit, aut prædicare, quæ prædicavit. Quod quidem quemdam sic exacerbavit, ut jam loco se moveret ad illum præcipitandum e cathedra ; sed vultum illius intuens, totum igneum videre sibi visus est, nec ausus fuit B tam grave nefas committere. Post hæc subito se recipiens ad domum concubinæ suæ, visus est sentire circum se ingentem flammam : unde ille plenus terrore ingressus domum est, omniaque, quæ facta fuerant, eidem narravit ; quæ mox tam vehementi concussa pœnitentia est, ut ad patrem fratrem Ludovicum accurrens, ad ejusdem pedes se projecerit ; a quo domum patris sui remissa est. Alter vero eorumdem duorum ea prædicatione in tantam efferbuit iram, ut Servo Dei aliquid mali moliretur ; sed pater Bertrandus, licet eum ad se venire videret, non curavit se recipere in ecclesiam, sed desiderans pro veritate et justitia mori, ivit ei obviam, et benigne salutavit, rogans, si qua re indigeret. Strenuus autem iste vir descendens ex equo, provolutus ante illum in genua insolentiæ suæ veniam poposcit.

impudicum videt a dæmone catenis constrictum teneri :

160 Dum quidam alter esset in domo amicæ suæ, tam pernicioso terribilique malo correptus fuit, ut nec se movere, nec moveri potuerit e loco, in quo erat ; sed ibidem intra C paucos dies obierit, pessime affectus et corpore et animo ; quamvis extremis Sacramentis ante obitum muniri potuerit. Rogatus autem a me pater Ludovicus, quid de hoc divino judicio sibi videretur, nil respondit, nisi isto in ecclesia colloquente cum femina, superfuisse ibidem quamdam spiritualem personam, quæ vidit ipsum gravibus catenis ferreis a dæmone constrictum teneri. Ego vero suspicor, istam personam spiritualem ipsum patrem Ludovicum fuisse, quia ecclesia, quam mihi nominavit, consueverat ab ipso frequentari.

ambitioso Religioso defectionem a suo Ordine vaticinatur :

161 Quidam Religiosus in una e primariis ecclesiis concionaturus, invitavit patrem Bertrandum, ut auditurus accederet ; quod ille libenter fecit. Finito autem sermone, traxit illum seorsum, aitque : Reverende pater, bene quidem concionaris, sed multum ambitiosus es, et admodum parum humilis. Aliquo tempore post idem iste Religiosus volebat in Italiam proficisci ; sed orabat pater Bertrandus, ne id faceret, affirmans, si eo tenderet, ipsum ab officio suo turpiter deflexurum. Ille nihilominus illuc perrexit, cumque jam Romam, pervenisset, degebat ibi hilariter sua præsenti sorte, et ingenti spe futuræ lætus : dumque doctor Josephus Stephano, qui nunc canonicus Segobrigensis *e* est, aliquando coram ipso laudabat patrem Ludovicum, pro Sancto ipsum a se haberi asserens, respondit iste frater : Itane ? Apposite ; imo insulsus et admodum temerarius est, quod ud quam verum sit, scias, ipse vetuit, ne Valentia discederem, prædixitque, si in Italiam venirem, mihi prorsus male cessurum : Maneat sane ipse Valentiæ ; ego hinc contendo non discedere sine mitra, aliave auctus dignitate. Sed mitra ista dignitasque non alia fuit, quam quod in Hungariam profectus, ab Ordine suo defecerit, et post multa commissa flagitia infeliciter mortuus sit.

A. V. J. Asistio.

e

doctorem de re secreta monet : spernit inanem gloriam.

162 Intranti in cellam suam cuidam doctori consilii regii sanctus Vir, simulatque ipsum conspexit, ait : Sta fortiter, sta fortiter ! Respondit ille : Qua in re, Pater ? Reposuit Pater : In tali negotio, quod hodie in tali loco tractatum est : eratque negotium secretissimum. Quod admirans doctor subjunxit : Sanctus Deus ! Quis tibi hoc dixit ? Pater vero, extensa manu, Crucifixum in cella sua indigitavit, quem E postea obtinuit dominus Joannes Buiglio de Arenus, a quo hæc audivi. Altero die idem doctor, observans, Servum Dei obturasse fissuram seræ januæ cellæ suæ, subridens dixit : Deus bone ! Pater, fortasse id fecisti, ne nos quamdam eximiam apparitionem videremus. Verum ille nihil respondit, sed obverso dorso ad fenestram accedens, elevatis in cælum oculis, dixit : Soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

occultos verborum suorum exploratores sibi notos esse, significat :

163 Servo Dei conciones habente in quadam ecclesia extra urbem sita, quædam auctoritate pollens persona, scire cupiens, an ille nihil adversus suam pravam vivendi normam dicturus esset, uni e turba, quæ ad illius sermones ibat, sub jurejurando commisit, ut, si Pater quidquam adversus se dixisset, sibi referret. Postquam hic abierat, pari juramento obstrinxit et alterum, et hoc dimisso, etiam tertium. Contigit autem, ut, cum dicta ecclesia longe inde distaret, eorum ultimi assecuti sint primum, irentque simul, sed tristes, nec auderet quisquam eorum causam sui mœroris alteri pan- F dere. Tandem eorumdem unus dixit sociis suis : Nos omnes incedimus mœsti, et dubito, an non eadem de causa. Dicite mihi per vitam vestram, quare sitis tam tristes. Responderunt illi : Mœroris nostri causa est, quod exploratores nos agere, oporteat adversus sanctum istum Virum ; sed et iste subdidit : In eadem ego quoque sum navi. Ita colloquentes pervenerunt ad ecclesiam, ubi Patrem hæc verba in cathedra dicentem audierunt : Pharisæi non nisi unicum Judam adversus Redemptorem nostrum Jesum Christum quæsivere ; amici autem mei adversus me quæsierunt tres. Quibus dictis, isti hæserunt attoniti.

secreta, etiam cordium.

164 Hunc Patrem nostrum quidam vir mundanis rebus addictus cum muliere in ecclesia colloquentem conspicatus, de eo temerarie male opinatus fuit ; sed, recedente femina, Pater ad ipsum accessit, dixitque : Domine, tu de me taliter judicasti, sed certum est, te errasse. Quidam Religiosus petiit ab eo facultatem certum locum adeundi, sed non ivit, verum ingressus plateam est, quæ ducit ad Cartusiam, ubi de suo in hunc Ordinem transitu egit cum

A. V. J. Vantistio.

quodam patre, qui ipsum monuit, ut caveret sibi, ne forte ea cogitatio diabolica esset. Domum reducem fratrem rogavit Pater Bertrandus, unde veniret; dicentique, se venire ex eo loco, pro quo adeundo petierat licentiam, respondit: Non ita est: redis tu ex tali loco, ubi talis pater te monuit, ut caveres, ne tentatio esset; qualis re ipsa est.

divinitus intelligit,

165 Quidam hujus civitatis prælatus domino patriarchæ, archiepiscopo Valentino, narravit, quemdam virum ecclesiasticum, cum semel ad invisendum Servum Dei accessisset, austero ab eo vultu aliquamdiu exceptum esse, nec permissum in cellam ingredi. Quod ubi vidit ecclesiasticus iste, recordatus est cujusdam peccati, cujus reus erat, ac vehementissime pœnituit, seque emendavit. Postea ad Patrem rediens, lætissime ab eodem susceptus fuit, cum eoque aliquo tempore familiarissime conversatus; unde cognovit, Patrem secreta cordium penetrare. Atque hoc profecto indubitatum est; quin etiam Dominus ipsi sæpe ostendebat spiritum et animum eorum, qui cum illo
B agebant. Unde etiam contigit, ut certum doctorem, de peccatis suis confessum, sacraque Eucharistia, ut Jubilæi indulgentias lucraretur, refectum, fixis oculis intuitus, eidem dixerit: Cave, ne muteris, jam enim te bene habes.

Mirx illius visiones.

166 Quidam vir ad nostrum conventum veniens ut cum ipso loqueretur, invenit eum celebrantem Missam, et ante altare cadaver extensum humi. Post Missam (quamvis nesciret, Patrem pro mortuo celebrasse) rogavit illum, quis iste defunctus esset, qui extensus humi jacebat, dum ille celebraret. Cui Pater respondit: Celebravi Missam pro defuncto. Re vera autem eo die nullus in ecclesia nostra sepultus fuerat; sed fortasse anima illius mortui humano corpore assumpto interfuerit Missæ, quæ ab eo pro ipsa celebrabatur. Sacram Eucharistiam in ecclesia nostra porrigens cuidam sæculari, qui pilos barbæ et capitis admodum prolixos habebat, vidit subito illum vultu mutatum, capillosque capitis modo tam insolito erigi, ut magnopere admirandum esset. Post communionem duxit ipsum seorsum, precatusque est, ut indicaret, quid sibi in sacra communione accidisset. Respondit is se vidisse ex sacra Hostia tantam prodire lucem tantumque splendorem, ut plurimum admiratus, plenusque gaudio permanserit, quod rem tam stupendam in sanctissimo Sacramento suis oculis conspexisset: quæ res deinde etiam in corpore miros istos procuraverit effectus.

Mulierem sæpius impudice lapsam ad frugem reducit.

167 Quodam die invisit personam hujus civitatis, et digito monstrans certum locum, ait illi hæc verba: Tu ibi offendisti Deum toties cum tali homine. Dicta persona ista audiens (ut ita dicam) mortua concidit; maxime, quod ipse apprime sciret numerum peccatorum illius; subjunxitque Pater: Et quia solus Deus potest tuo malo mederi, vide, quanti mihi constent peccata tua; ac discooperiens collum suum et partem scapularum, ostendit illi carnem suam lividam et sanguinolentam a verberibus, quæ sibi inflixerat pro peccatis ejusdem. Hinc illa pudore perfusa ait: Pater, quid me fiet? Ergone in hoc peccato semper perseverabo? Non, reposuit Pater; nunc enim ei præcidemus viam. Tuncque dixit mulieri: Potes hunc in finem curare, ut fiant quindecim Missæ, quas in memoriam quindecim mysteriorum Rosarii gloriosæ
D Virgini vovisti. Obstupuit illa ad hæc; quia soli Deo hoc suum notum erat votum, quod fecerat, ut ex isto peccato emergeret. Hinc patuit, ipsum, ut erat propheta in cognoscendo peccato præterito, ita etiam fuisse in prædicendo remedio futuro: ita enim evenit, ut ipsa, licet cum illa persona Deum sæpissime offendisset, facili negotio se ab eadem removerit, nec umquam in priorem deplorandum statum reciderit.

indigenti succurrit: infortunia Religioso prædicit,

168 Dum in quodam conventu Prior esset, mulieri, cujus confessionem Sacramentalem exceperat, ait: Nosti istam Dominam? Adi, obsecro, ædes ejus, et da ipsi hosce duodecim regales. Ivit illa, eamque dominam ea de re turbatam reperit; at, quamvis initio recusaret eleëmosynam recipere, deinde tamen audiens, a quo missa esset, admisit, dicens: Vere ego hodie istis nummis egeo; sed indigentiam meam nemo nisi Deus, noverat. Alias cum quodam Religioso loquens, ait illi: Pater, te enixe Deo commenda, brevi enim magnis difficultatibus totque tam corporalibus, quam spiritualibus tribulationibus immergendus es, ut etiam E
parentes tui inde graviter affligendi sint. Post aliquod tempus eidem patri nec expectanti, nec quærenti, obtigit occasio proficiscendi in Italiam, ubi expertus agnovit probavitque veritatem eorum, quæ noster ei dixerat; eoque modo ipsi cesserunt sua negotia, ut etiam parentes multum passi fuerint.

cur Sancti multa patiantur;

169 Possemus hic referre aliquot eventus insolitos, qui illius inimicis obtigere; sed neminem volumus confundere. Quam ob rem de persecutionibus, quas ille passus est, solum dicam, quod ait Ecclesia: „ Sancti tui, Do„ mine, florebunt sicut lilium. „ Non solet lilium fragrare odore simili jasmino, violæve aut caryophyllo, quæ suaviter fragrant, ac pene omnibus placent; sed odorem spirat tam vehementem, ut non satis firmis capitibus dolorem creet; ut hinc intelligamus, bonos ordinaria quadam bonitate præditos toti mundo solitos placere; Sanctos vero excellenti bonitate vigentes, effundere fragrantiam tam vehementem, ut multi eam nequeant tolerare. Hinc Paulus, excellentissimus Sanctus solebat dicere: Christi bonus odor sumus; sed aliquibus quidem F
sumus odor vitæ in vitam, aliis vero odor mortis in mortem *f*: proinde mirandum non est, si pater Ludovicus quosdam adversarios passus sit *g*.

f

g

atque hic etiam passus est a dæmonibus.

170 Jam vero ut ad propositum redeamus, non satis erat dæmoni hunc sanctum Virum aliorum hominum opera persequi, sed etiam ipsemet ad eum male mulctandum prosiliit. Hinc Ludovicus semel dixit socio suo: Mi frater, stuperes; si scires molestiam, qua me afficiunt maligni spiritus: aliquoties me e lecto pertrahunt, cogorque me meis manibus tueri: alias etiam me ingresso in ecclesiam, terribilis dæmon stabat juxta vas aquæ lustralis, quam cum pessime oderit, fortasse voluit me ab ea prohibere.

De tribus Religiosis vaticinatur.

171 Valentiam advenerant tres religiosi cujusdam Ordinis, quorum duo patrem fratrem Ludovicum inviserunt, qui eos in cellam S. Vincentii duxit, dicens, ut ibidem non nihil præstolarentur, rediensque ad cellam suam tribus in ea horis moratus est, orationi, ut creditur, semper intentus. Post ad eos reversus, eorumdem unum a dexteris suis, alterum a sinistris

A a sinistris sedere jussit. Tum ad eum, qui a dexteris erat, conversus inquit : Pater, tu es Benjamin, id est, Filius dexteræ, itaque solet te vocare tuus pater Prior ; quod valde miratus hospes est, expendens, quo pacto id illi innotuisset. Posthæc subjunxit ille : Patres, an vos non estis terni ? Responderunt, tertium patrem non voluisse una cum ipsis venire. Quis modo vestrum erit, prosecutus est pater Ludovicus, qui sumpto atramento et calamo scribat, quæ ego ipsi dicturus sum ?

eventu probante.

172 Ego video ibi arborem, tres ramos habentem, quorum unus fuerit, quantum volueris, rigatus aqua, nullum umquam fructum proferet ; quam ob rem recidetur et in loco admodum angusto reponetur ; alter ramus aliquem fructum dabit, sed acerbum ; ac proinde et ipse truncabitur ; jamque videor illum videre in sepulcro. Tertius feret fructus suaves, et conservabitur : hisque dictis, jussit eos secreta habere, quæ dixerat, usus iisdem verbis, quibus Christus ad Apostolos suos Matthæi XVII :

B « Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius « hominis a mortuis resurgat. » Petierunt postea ab illo, verene ea effigies beatissimæ Virginis, quæ in ista cella servabatur, locuta fuisset cum S. Vincentio. Affirmavit ipse, ac præterea etiam locutam fuisse cum aliquo fratre, qui in eodem conventu habitabat. Rogarunt illi : Forte is Tu es ? Responditque : Non licet mihi dicere, quis iste sit. Jam vero uni e tribus istis Religiosis tam male cessit, ut in amentiam inciderit, et inclusus carceri sit ; nec de eo plura dictu opus est. Alter, quamvis bonus esset Religiosus, erat tamen naturæ asperæ et impetuosæ, nec diu vixit : tertius hodieque superest in suo religioso Ordine, multis bonis exemplis prælucens.

Multis claruit vaticiniis,

173 Ex hisce aliisque in hoc libro relatis constat, hunc Servum Dei sæpe illustratum fuisse spiritu prophetiæ. Dico SÆPE ; quia certum est, quod docet S. Gregorius in Ezechiëlem et in libris Moralium, sanctusque Thomas in secunda parte ; nimirum Sanctis non semper in promptu esse spiritum prophetiæ ; sed eos aliquoties loqui ex sua propria prudentia, tuncque posse errare. Nec tamen id obest eo-

C rumdem sanctitati ; quia, uti S. Thomas ibidem ait, quod Sancti ex proprio sensu et secundum humanam prudentiam, consideratis adjunctis temporum locorumque et testimonio personarum fide dignarum, dicunt, non asserunt, se didicisse ex revelatione divina ; imo student opiniones suas stabilire rationibus humanis ; ut solent alii doctores.

Christum Dominum videt : impudicam ad officium suum reducit :

174 Aliquando rogatus a patre magistro fratre Petro Salmanticensi, hic Servus Dei, ut quippiam singulare sibi a Deo revelatum diceret, respondit, se, cum die Resurrectionis Domini nostri noctu ante alios fratres surrexisset e lecto, et in choro diu solus fuisset, subito cœpisse horrere, vidisseque Dominum in tanta majestate, ut totus mundus cum eo comparatus nihil esse videretur. Nempe viderit totum mundum instar exilis bullæ aqueæ, uti scribit S. Gregorius de S. Benedicto patre suo. Quodam in loco mulier maritata inhærebat pravæ consuetudini ; et quantumvis bonus Pater contra istum errorem coram ipsa sæpe concionatus fuisset, nullum ex eadem fructum retulit. Contigit autem quadam nocte, ut ipsa in lecto suo sola cubans, præter solitum expergisceretur, videretque ingens in cubiculo suo lumen, et in hujus medio Religiosum Dominicanum, id est, patrem Bertrandum, splendidissimum, digito suo ipsi minitantem. Quo viso sic territa fuit, ut ab ea consuetudine imposterum abstinuerit viroque suo adhæserit.

A. V. J. ANTISTIO.

Francisco Borgiæ fausta prædicit de remissis sibi peccatis fit certior h

175 Dum dominus Franciscus Borgia *h* febribus aliisque malis laborabat, jamque de illo desperaverat medicus, agebaturque, ut ad condendum testamentum seque comparandum ad mortem induceretur, invisit illum Pater aitque, ut Deo consideret ; confestim enim ipsum salvum et incolumem descensurum e lecto, duosque filios, quos habebat, tum etiam cælibes visurum uxoratos : atque ita factum est. Narrat pater dominus Michaël de Vera, Cartusianus, nostrum bonum Patrem aliquando cum persona, divino servitio admodum dedita, colloquentem, magna cum simplicitate, injuncto secreti silentio, dixisse, sese quodam die audivisse vocem, quæ diceret : Frater Ludovice, jam remissa tibi sunt peccata tua ; subitoque conspexisse, non in spiritu, sed corporaliter, advolan- E tem columbam, rostrum suum ejus ori inserentem. Hoc prædicta persona, non nisi post patris fratris Ludovici obitum revelavit.

virum, pro quo rogabatur, divinitus cognoscit : nocturna visio ei exhibita

176 Quædam mulier Patri commendavit, ut Deum precaretur pro quodam, qui in malo versabatur statu : rogata autem ab eo, quis is vir esset, dixit, id se non posse dicere. Tum ille ait : Is vir est talis conditionis, tali fungitur officio, talique nomine vocatur. Quod responsum ipsa admirata, quod gestum fuerat, narravit cuidam presbytero, in sacra Theologia magistro : qui ipsi reposuit : Non tibi hoc mirum videatur ; cum pater Ludovicus velut propheta sit. Quadam nocte in spiritu vidit, sepulturam fratrum aperiri, in qua multa cadavera integra jacerent, atque hominem in eam ingredi, eaque corpora irreverenter hinc et inde dejicere. Notabat autem Servus Dei, eadem non male oluisse, mirabaturque vehementer temeritatem illius, qui tam parum reverenter tractabat manibus corpora eorum, quos spiritus suus illi significabat esse in cœlo.

de corporibus in communi fratrum sepulcro non recte servatis.

177 Sibi postea redditus sollicite expendit, quid hæc visio indicaret, et subsecuto matutino tempore vocavit sacristam minorem, rogavitque secreto, an sepultura fratrum umquam fuisset iis diebus aperta ; cumque is id negaret, instanter petiit, ut, si forte contingeret, eam aperiri, se moneret. Non transierat biduum, quin certis de causis sepelienda in ea esset quædam domina ; ac proinde monitus a sacrista Pater, dum aperiretur sepulcrum, adfuit, et adhibitis perspiciliis per os sepulturæ ea corpora attentissime intuitus est, quorum multa etiam erant integra, quamvis locus iste esset perquam humidus et aliquoties etiam aquæ plenus. Cum hæc sic se haberent, voluerunt immittere scalas, sed non potuerunt propter multitudinem corporum. Quare unus e vespillonibus, qui istud corpus ad sepulcrum portaverat, ingressus est, dictaque integra corpora arripiens huc illucque rejecit, dicens sibi, Quam integra sunt corpora ista, nec fœtentia ! At pater Bertrandus ait sacristæ : Nonne jam vides, fili, quod ego tibi altero die dixi : ac valde doluit, in corde suo reputans, ea corpora non debere tam parum reverenter tangi et tractari. Et sa-

A. V. J. Antistio.

ne sunt in ista sepultura ex iis aliqua, quæ in peculiaribus locis et honoratissimis sepulcris mereantur reponi.

ANNOTATA.

a *Adverte, quam accurate observet, quæ in Prologo num.* 9 *servanda sibi proposuit.*

b *Eccl. cap.* XI, ŷ. 30 : Ante mortem ne laudes hominem quemquam.

c *Matthæi cap.* 14, ŷ. 4 : Dicebat enim illi *(Herodi Joannes)* Non licet tibi habere eam, *nempe Herodiadem uxorem fratris ejus.*

d *Fuisse Sanctum surdastrum, jam dictum est.*

e *Per* Segobrigam *(quidquid sit de situ antiquæ Romanis notæ) videtur hic indicari civitas episcopalis regni Valentini,* Segorue *vulgo nunc dicta.*

f *Epist.* 2 *ad Cor. cap.* 2, ŷ. 15 *et sequenti* : Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor
B vitæ in vitam.

g *Pergit hic biographus ex aliis quoque sacræ Scripturæ locis, recta ratione, Sanctorumque exemplis prolixe probare, patiendum iis esse, qui pie volunt vivere in Christo Jesu; quæ cum nullum prorsus* S. Ludovici *factum doceant, rescidi, et ad propositum meum cum biographo propero.*

h *S. Francisci Borgiæ ex Carolo natu majore filio nepos; qui fuit Gandiæ dux hujus nominis secundus.*

CAPUT X.

Aliquot Sancti insignes virtutes et mores.

CAP. XVI. *Pie afficiebatur erga Sacramentum altaris :*

a

C Quemadmodum in Vita S. Vincentii *a*, a me scripta, quædam peculiaria capita de hujus moribus composui, ita et in historia hujus nostri boni Patris, priusquam ad postremam illius infirmitatem et mortem veniamus, juverit quoddam ejusdem sanctorum morum compendium hic exhibuisse; cum hi ad nullum certum tempus, sed ad totam illius vitam, aut ad magnam hujus partem pertineant. Imprimis tanta devotione ferebatur erga sanctissimum Sacramentum altaris, ut, quo die non celebraverat Missam, nequiret esse contentus; die vero Nativitatis Domini maxime esset hilaris, quia tunc tres celebrandæ erant, uti et in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, in qua tres Missæ similiter dicuntur per totam hanc provinciam, non solum ex antiqua et immemorabili consuetudine, sed etiam ex speciali Indulto Julii III Papæ : verumtamen hæc peculiaris illius devotio etiam clarius patescet capite sequenti.

magno tenebatur desiderio martyrii

b

179 Flagrabat ardentissimo desiderio martyrii, et quotidie repetebat illam orationem, quam soluerat S. Petrus, martyr Inquisitor *b*, in Missa ad elevationem Hostiæ et Calicis recitare : « Concede mihi, Domine, ut ego pro te » moriar, sicut tu voluisti mori pro me. » Crebro etiam versabat in ore ista S. Vincentii martyris *c*, hujusque nostræ civitatis protector D
is, in mediis tormentis suis verba : « Hoc est, » quod semper desideravi; hoc est, quod omni » studio semper quæsivi. » Hæc autem dicens noster pater Bertrandus, oculos suos in ejusdem S. Vincentii imaginem figebat, et aliquoties etiam lacrymabundus cum magno animi sensu recitabat. Solebat etiam dicere : Si omnes tam felices essemus, ut cuncti in unum compelleremur carcerem, et catenis ferreis vincti circumduceremur per plateas, tunc sentiremus quam dulce sit pro Christo pati; tunc apprime caperemus, quod S. Lucas scribit de Apostolis, dum e concilio Judæorum expulsi fuere : « Ibant » Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia » digni habiti sunt pro nomine Jesu contume- » lias pati. *d.* »

d cum spe firma in Deum.

180 Semel etiam ad hoc propositum amico suo dixit : Ego non mereor martyrium, sed si Deus hanc mihi gratiam faceret, admitterem libentissime, precarerque, ut permitteret, me gravissima maximeque insolita tormenta subire : nec dubium est, quin pro amore illius et pro ejusdem Ecclesia Romana libentissime mo- E
riturus essem. Imo certum est, imo certum est, neque ullum est dubium; fretus Deo hoc dico; nam mihi non confido : tum admota pectori manu, subjunxit : Deus per misericordiam suam interne me corroboravit fide solida et robusta. Dum Valentiæ auditum fuit martyrium, quod Hierosolymis subiit quædam mulier, quæ antequam hanc peregrinationem suscepit, fuerat illius filia spiritualis, ipse maxime gavisus fuit, et quantumvis tunc vicinus morti esset, videbatur nihilominus ejus cor gestire præ lætitia, aiebatque : O fortunatam feminam, quæ tantum accepit a Deo favorem, si verum est, quod de ipsa scribitur; ego vero miser peccator tantum non merui.

cultui quoque Nominis Jesu et B. M. V. erat addictissimus.

181 Erat sanctissimi Nominis Jesu cultor eximius, quales ceteri quoque Sancti omnes fuere, cunctique boni Christiani, ac peculiariter Religiosi omnes esse debent : certumque est, fratrem S. Dominici, qui ea devotione caret, indignum eo nomine esse; quia præter alios titulos, omnibus Christianis et Religiosis communes, habuimus in Ordine nostro maximos Sanctos, qui eumdem peculiariter professi sunt; qui porro inter Sanctos solenniter relati F
fuere, ii omnes hoc divino affectu maxime eluxerunt, et inter alios præcipue sanctus pater Jordanus *e*..... Redeamus nunc ad nostrum patrem Bertrandum, qui gloriosæ Virginis, Dominæ nostræ, cultui pariter fuit addictissimus; nec satis ipsi erat tertiam Rosarii partem quotidie recitare, sed recitabat integrum, semperque penes se habebat, et noctu appendebat collo. Processionibus, quæ singulis primis Dominicis mensium in nostris conventibus fiunt, intererat devotissime, ut ex mandato Pii IV et Pii V sanctæ memoriæ Matrem Dei sic honoraret.

e

Æstimabat omnes Ordines Religiosos : ex amore solitudinis,

182 Multum diligebat omnes Ordines Religiosos libenterque eos laudari ac de omnibus bonis Religiosis bona referri. De martyrio, quod frater Michaël de Arandiga, presbyter Ordinis de Montesa, Algerii cum magna constantia pertulit *f*, non secus exsultavit pater Bertrandus, quam si iste nostri Ordinis fuisset. Similiter etiam in omnibus aliis Religiosis Ordinibus consueverat intimam cum aliquot Dei servis amicitiam colere, agreque serebat libros quorumdam

A quorumdam, qui, ut suum celebrarent, alios vituperabant Ordines, qui communiter seminaria sunt a cælo instituta. Cum verissimum sit, quod olim consueverat dicere Albertus Magnus, quod, quoties exiret e cella, numquam sine aliqua facta jactura, nec, ut ita dicam, se minus homo, rediret; pater noster Bertrandus tam fuit amans solitudinis et cellæ suæ, ut etiam post sumptum prandium vix quidquam raroque cum aliquo colloqueretur; sed magna, quam de ipso conceperant homines, æstimatio non sinebat ipsum sua desiderata solitudine frui.

quam non permittebat cura proximi, voluit fieri Cartusianus;

183 Evocabatur creberrime ad suam sedem confessionalem, nec quisquam infirmabatur, qui eum non juberet arcessi, ut Evangelia super eum legeret; quod charitatis officium pauperibus æque ac divitibus sine discrimine exhibebat. Nonnumquam etiam vocabatur captandi consilii gratia in rebus magni ponderis; interdum quoque ejusdem sancto colloquio fruendi ergo; erat denique ipse commune omnium

B afflictorum refugium. Quia vero hujusmodi negotia ipsum plurimum fatigabant, distrahebantque, incessit eum desiderium se conferendi in Cartusiam, ut similibus distractionibus liberaretur. Quare aiebat, velle se includere Cartusiæ

g Portæ Cæli *g*, unice ut iterum novitius fieret, nec cum quoquam in posterum loqueretur. Verum id nequiit exsecutioni mandare tribus de causis. Prima erat amor, quo S. Dominicum et Vincentium, omnesque sui Ordinis Sanctos, ac multos patres, qui in eo hodieque supersunt, prosequebatur. Altera, quod dicerent, non defuturos aliquos, qui eum ibidem inviserent; tertia, quod monitus esset, desiderium istud facile posse esse immissam a dæmone tentationem ad impediendum spiritualem fructum, quem multæ piæ personæ per ipsum capiebant.

non tamen factus est.

184 Tandem igitur decrevit in primo instituto suo perseverare, nempe in Ordine Prædicatorum, uti in eodem perseverarunt SS. Thomas, Vincentius, Petrus martyr, Antoninus, iique sancti ac beati patres Jordanus, Reginal-

h dus, Humbertus *h*, plurimique alii benedicti patres, qui tantum amabant solitudinem, tan-

C tamque habebant opportunitatem in heremum secedendi, quantam ille, nec tamen id fecerunt; imo velut alteri apostoli semper laborarunt in iis, quæ ad salutem conversionemque pertinent hominum, pro quibus Christus est mortuus. Multum idcirco hac in re valuit diligentia multorum patrum, ut ei istam cogitationem eximerent: quia tantopere ipsum diligebant, ut numquam cessaverint, alii quidem verbis, alii litteris, alii precibus, agere, ut Deus illuminaret, nec ipsi perderent. Unum hic minime tacendum puto, scilicet quod in hoc negotio plurimum obtricti simus patri fratri Nicolao Factori Ordinis S. Francisci, qui de hoc argumento eidem efficacissime scripsit, inculcando fortiter, ne ullo modo istam mutationem exsequeretur.

Ejus ratio agendi cum pœnitentibus

185 Itaque ne nimiis negotiis externisque occupationibus implicaretur, observavit sequentia. Non curabat, sive alii plures, sive pauciores, sibi de peccatis suis confitentes haberent, nec sive, quos ipse audiverat, ad se redirent nec ne: neque probabat, quod quispiam molestus esset aliis, ut in conventu nostro confiterentur; sed gaudebat, dum videret confessarios hac in parte indifferentes ad audiendos omnes accedentes, sine discrimine pauperum ac divitum, sine cura filios filiasque spirituales sibi procurandi. Non permittebat, ut patres filios, mariti uxores, domini servos, etiam mancipia, obstringerent ad confitendum cuiquam designato; quod ea ratione occasio detur, ut (immiscente se dæmone) non integre confiteantur. Aiebat, confessarios non debere frequentare domos suorum pœnitentium; neque eas adire in gratiam alterius, ac debere tam libenter excipere confessiones eorum, qui solent in aliis ecclesiis confiteri, quam qui ordinarie confitentur in sua. Hæc aliaque multa similia proposuit ipse in ferventi sermone, quem Valentiæ habuit festa luce S. Michaëlis in actu sacræ Inquisitionis anno MDLXXIX, poteratque aliis recte prædicare, sibi optime conscius. A. V. J. Antistio.

modestia in usu oculorum

186 In sua conversatione ita erat modestus, ut vix oculos levaret a terra, qui mos non modo ad honestatem necessarius est, sed etiam magni meriti; quia, qui se privat visu rerum E pulchrarum, quem oculi naturaliter expetunt, non solum potest sperare, verum etiam peculiari titulo petere a Deo, ut a rebus creatis, quæ possent ei laquei esse æternæ damnationis, videndis in tempore abstinens, post mortem gaudeat contemplatione Divinitatis, in qua sita beatitudo nostra; videatque sui corporis oculis pulcherrimam speciem Jesu Christi Redemptoris nostri, ejusdemque benedictæ Matris, et omnium Sanctorum Sanctarumque in cælo, in quo summum erit nostrorum oculorum gaudium.

corporis afflictatio in quiete nocturna:

187 In nocturna quiete se multum affligebat, non modo, quod noctu diu vigilaret, ac deinde statuto tempore mane surgeret, mediaque nocte, dum poterat, ascenderet ad officium matutinum, sed quod lectum suum insuper asperum redderet. Extra conventum vix induci potuit, ut in lecto cubaret, dum recte valuit; cujus rei certum testimonium dedit Hieronymus Abella, asserens, Patrem, dum ad domum suam de Moncada accessit, non nisi semel dormisse in lecto, et quidem suis non exutum vestibus; aliis vero omnibus vicibus super arca. In conventu autem longo tempore dormivit su- F per altera arca, quam ei frater suus presbyter hunc in finem commodaverat. Cinxit etiam se aliquo tempore fascia e tela linea, cum insertis aliquot ex eadem materia globulis durissimis, ut, cuicumque lateri incumberet, sentiret dolorem. Apparet mihi hæc corporis afflictatio admodum prudens, quod carnem maceret, nec obsit sanitati.

illius modus concionandi:

188 In concionibus habendis non pollebat multa gratia; nec aures delectabat auditorum, sed perorabat ex spiritu, et movebat vehementer: et quamvis nec valde sonora voce, nec tam expedita lingua, quam multi alii, esset, loquebatur tamen cum tanto fervore, ut eos defectus pauci observarent. Poterat ille cum S. Paulo dicere: „ Sermo meus et prædicatio mea „ non in persuasibilibus humanæ sapientiæ ver- „ bis, sed in ostensione spiritus et virtutis *i.* „ Non consueverat auditores ad sequentem concionem invitare: dumque ad prædicandum rogabatur, respondebat: Ego non sum concionator, sed miser surdus. In concionibus suis constanter commendabat usum sacri Rosarii, quod semper

A. V. J. Antistio. semper fecit maxime, suadebatque auditoribus suis, ut illud recitarent pro animabus in purgatorio detentis, pro hominibus mortalis peccati reis, et pro statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris nostræ; studebatque præterea sæpius adducere aliquod exemplum aliquodve miraculum beatissimæ Virginis Deiparæ, et Sanctorum, imitatus patrem Miconem, qui hac ratione uberrimum fructum fecit in hisce regnis; quodque etiam S. Gregorio Papæ familiare fuisse, ex multis ejusdem Homiliis apparet.

Religiosum statum

189 Narrat frater Franciscus Gutierrez, se, cum a quodam altero sollicitaretur, ut fieret presbyter Jesuita, non potuisse induci, ut id decerneret, et valediceret mundo, multoque tempore precante socio, ut consuleret patrem fratrem Ludovicum, nec hoc quidem facere voluisse, sed quodam die, qui erat sanctæ Virginis visitationi sacer, ab eodem sibi persuasum fuisse, ut saltem concioni patris Bertrandi secum interesset, qui prædicaturus erat in S. Catharinæ martyris, atque propter meram im-
B portunitatem illius consensisse. Inter concionandum autem quærebat Pater, quare diva Virgo inviserit S. Elisabetham, respondebatque, id fecisse, ut eam in partu adjuvaret; atque idcirco bene sancteque facere, qui alios juvant, ut exsequantur bona proposita sua, quæ sunt velut quidam concepti fœtus spirituales; ac mox, licet nulla de re monitus, argumentum, quod isti duo socii tractaverant, iisdem verbis sigillatim proposuit, tam efficaciter perorans, ut ambo prorumperent in lacrymas, et eorum alter, qui Spiritui Sancto antea tantopere restite at, significaret, velle se, priusquam pransurus esset, habitum petere, alterique socio laborandum fuerit, ut id in pomeridianum tempus differret.

variis persuadet: mira Viri humilitas,

190 Iverunt ergo tunc simul, inveneruntque patrem Provincialem jam in procinctu, ut Valentia discederet, adeo ut, si paulo diutius tardassent, non fuissent adfuturi in tempore, oportuissetque, eos deinde sua desideria non paululum differre. Multi etiam alii verbis et sermonibus patris Ludovici variis Religiosis Ordinibus se adjunxerunt. Non memini eum
C umquam auditum a me esse contemnere ullum concionatorem, utut indoctus hic esset aut inconcinnus; solebat laudare omnes; nisi tamen in iis quidquam superbiæ, vanamve sui existimationem deprehendisset. Erat denique hac in parte tam humilis, ut non solum devote audiret conciones patriarchæ vel cujuscumque alterius excellentis sacri oratoris; sed etiam non dedignaretur sociare qualemcumque, etiam postremum discipulorum suorum, concionem habiturum. Cumque argumentum sermonis ordinarie probaret, sæpe oblitus signum elapsi temporis dare concionatori, illum ultra constitutam horam in cathedra detinebat.

etiam erga subditos:

191 Cum ex doctrina Concilii Tridentini constet, sine speciali privilegio (quale in beatissima Virgine Maria firmiter agnoscit Ecclesia) nullum hominem esse, quantumvis ille justus sit, qui non aliquoties peccet venialiter; certissimumque etiam sit, quod scribit S. Gregorius, bonis proprium esse timere peccatum; hic Servus Dei, dum quandoque in aliquem defectum, utut levem, labebatur, eum confestim sacra confessione eluebat; et, si videretur sibi ordinaria sua melancholia cuiquam D
malo fuisse exemplo, sine mora ab eo veniam petebat. Quamquam autem S. Augustinus in sua Regula dicat, prælatum, dum in reprehendendis subditis modum corrigendi excessit, non obstringi, ut ab eis veniam precetur, ne suæ noceat auctoritati; sanctus Vir hac non utebatur indulgentia; sed crebro humiliabat, se, veniam a suis subditis flagitans. At nescio, qua ratione factum sit, ut ille numquam visus fuerit, propterea quidquam auctoritatis suæ amisisse.

in reprehendendo constantia: dilectio inimicorum

192 Non tamen tam familiaris cuiquam fratrum umquam fuit, ut idcirco prætermitteret eum de defectibus suis commonere; imo vero, quos plus amabat, dum oportebat, reprehendebat severius, etiamsi ageretur de defectibus, qui in Constitutionibus nostris leves reputantur. Aiebat, nolle se in gratiam suorum amicorum ire in infernum, vel etiam in purgatorium; et, quamquam soleret gratus esse sibi benefacientibus, non tamen dissimulabat coram ipsis, dum erant reprehendendi. Quantumlibet autem offensus ab alio, non abhor- E
rebat illo, sed facile condonabat injurias, aptabatque se non modo necessitati, sed etiam voluntati eorum, a quibus injurias passus erat; fuitque in eo tam singularis observantia præcepti de diligendis inimicis, ut fortasse cuiquam videri potuerit quædam species stultitiæ, sed ejusmodi scilicet, quæ placuit Sapienti, dum in Proverbus ait: „ Stultissimus sum virorum, „ et sapientia hominum non est mecum. Non „ didici sapientiam, et novi sapientiam Sancto- „ rum *k*.

in conversando comitas: fuga honoris.

193 Sive per suam eximiam virtutem, sive ex bona paterna educatione erat ille bene moratus, venustus ac prudens ubique, noveratque omne genus hominum recte tractare, et tam reverenter gerebat se apud omnes, ut valde admirabilis esset; nec patiebatur, ut quisquam detecto capite secum loqueretur. Ad eum in claustro hujus conventus deambulantem accessit aliquando Franciscus Ludovicus Blanes, vir nobilis hujus civitatis, ut ejus manum oscularetur, idque faciens unum genu humi posuit: qua re Servus Dei vehementissime conturbatus fuit, et ipse quoque procumbens in genua, per F
Deum oravit, ne se sibi parem sic honoraret, quia non decere, aiebat, ita tractare magnum peccatorem, qualis ipse erat, sed Sanctos Dei. Quando Prioratu fungebatur, nolebat tam frequenter vocabulis Reverentia et Paternitas a fratribus appellari; sed dum hi ad ipsum ventitabant, confestim ipsos jubebat sedere, et sacerdotibus sæpe osculabatur manus; ast ægre ferebat, id sibi ab alio fieri.

Ejusdem humilitas

194 Dum vulneri cruris illius medicabantur, humillime orabat fratres, qui aderant, etiam conversos, ut suam benedictionem illi concederent. Quoties aliquem episcopum salutaturus adibat, vel ab eo invisebatur, semper coram ipso procumbebat in genua sua, illiusque manum osculabatur. Hæc omnia proficiscebantur ex magna humilitate, ex qua sese maximum peccatorem, omniumque hominum pessimum reputabat. Idcirco se omnium precibus instanter commendabat, rogabatque omnes sincere, an vere crederemus fore, ut Deus ipsi remitteret peccata sua, et salvaret eum. Ejusdem humilitas porro mirabiliter eluxit in eo, quod nunc

A nunc dicturus sum, aliisque similibus occasionibus. Anno MDLXXXI dixit in cella sua tribus quatuorve e nobis, quorum unus erat pater frater Franciscus Palu, lector hujus conventus: Nescio, quid causæ sit (ita ille aiebat) quod ex ista fenestra viderim omnem eventum belli Lusitani: tum ego dixi: Pater, id esse potest opus Dei, et etiam opus dæmonis; et idcirco oportet, te serio commendare Deo, eumque precari: ille autem nonnihil humeros stringens, et oculos ad cælum elevans ait: Necesse est, id committere Deo.

aliquot exemplis

195 Aio igitur, unum e præcipuis argumentis, quæ mihi hujus Servi Dei sanctitatem persuadent, esse ejusdem profundam humilitatem in relationibus; quia, cum doctrina Sanctorum sit, e relationibus oriri pericula vanæ gloriæ; quotiescumque mihi quidquam ejusmodi narrabat, continuo admonebam, id quoque esse posse fallaciam diaboli; quamquam enim magni facerem, quæ mihi dicebat, simulabam tamen ea parvi pendere; at nihilominus numquam deprehendi, ipsum id ægre ferre;

B sed probabat omnia, quæ dixeram, multosque mihi præstitit favores. Nec vero putem, ab ullo omnino homine auditum illum esse de me propterea conqueri, aut innuere, hanc meam insolentiam sibi displicere. Re vera tamen ipsum summa veneratione prosequebar, adeo ut ex hoc meo inani timore non fuerim ausus in ejusdem postremo morbo vel simpliciter petere, ut Deum pro me oraret in cælo, sed sequenti usus sermone sim:

probatur.

196 Pater, confide in misericordia Redemptoris nostri Jesu Christi, et intercessione gloriosæ Virginis, et patris S. Dominici, et omnium Sanctorum, fore ut, licet merita tua pauca sint, Sanguis Christi, quidquid deest, suppleat; et salvus eris. Omnes quoque hujus conventus patres, inter quos sunt insignes servi Dei, orabunt pro te, ut cito libereris e purgatorio, si in illud deveneris; attamen dum placuerit Deo te conducere in cælum, precare pro hac domo, et me, qui semper plus quam filius tuus fui. Tunc ipse respondit: O pater, quid ais, an id facturus sim, si Deus per suam misericordiam paradisum mihi donet? Faciam, ac

l

C libentissime. Itaque *l*, Pater mi, dum (ut Deus tibi concessurus est) jam fueris in cælo, memento stare promissis tuis, et fac, nobis gratiam impetres, ut incipiamus fieri genuini filii et imitatores S. Dominici; et dimitte mihi audaciam meam, dum in divina essentia jam cognoveris, illam partim ex inani timore, partimque ex vero amore profectam esse.

ANNOTATA.

a *Scilicet Ferreri, de cujus Vita per eumdem Antistium scripta jam memini superius.*

b *S. Petrum ex Prædicatorum Ordine hæreticæ pravitatis Inquisitorem, et ob hoc munus sanctissime gestum, ab impio occisum, designat, de quo supra pariter fecimus mentionem.*

c *Levitæ scilicet, martyrisque Valentini, qui collitur die* 22 *Januarii.*

d *Act. Apost. cap.* 5, ŷ. 41.

e *De* B. Jordano *vide superius Annotata ad cap.* 2, *lit.* k. *Post hunc Antistius etiam alios nominat insignes sui Ordinis viros, qui sanctissimi nominis Jesu venerationem tum Opusculis editis, tum sacris sodalitiis institutis amplificare studuerunt, hanc etiam ipse pro sua pietate omnibus commendat. Rescidi autem ista, quia, ad* S. Ludovici *Vitam, aliunde satis prolixam, proprie non spectant.* A. V. J. Antistio.

f *Animam ejus* S. Ludovicus *cœlos eo temporis articulo subeuntem vidit, quo in opprobrium fidei combustus a Mauris fuit, teste Escolano Historiæ Valentinæ lib.* 9, *col.* 1043.

g *De hoc Cartusianorum extra Valentiam monasterio vide Annotata superius ad cap.* 1, *lit.* g.

h *De hisce nominatis eximiis viris in Opere nostro jam actum est; nimirum de S. Thoma Aquinate ad diem* 7 *Martii; de S. Vincentio Ferrerio ad* 5 *Aprilis; de S. Petro Martyre ad* 6 *Maii; de S. Antonino archiepiscopo Florentino ad* 2 *Maii; de B. Jordano ad* 13 *Februarii; de Reginaldo, alias Naldo, inter Prætermissos ad* 26 *Septembris; de Humberto V Generali Ordinis Prædicatorum magistro, pariter inter Prætermissos ad* 14 *Junii.* E

i *Epist.* 1 *ad Cor., cap.* 2, ŷ. 4.

k *Proverbiorum cap.* 30, ŷ. 2 *et* 3.

l *Ita scilicet Sanctum alloqui tunc prosecutus fuit Antistius.*

CAPUT XI.

Sanctus varias patitur corporis infirmitates: medetur alienis: sacro Viatico munitur: defertur alio; quæ inter hæc gesserit.

Si recte consideres, apparebit, Deum numquam voluisse vel unum firmæ valetudinis diem huic Servo suo concedere, quo ampliori patientiæ præmio potiretur in cælo; utque, velut alter S. Paulus posset in suis infirmitatibus gloriari, ab ipsa pueritia fuit infirmus; in Religione autem (cujus præcepta austeriora sunt, quam appareant) semper ei novæ infirmitates accesserunt. Erat myops, et, quia insuper erat surdaster, ut sanaretur, multa ipsi adhibenda medicamenta fuere, multique cruciatus tolerandi. In altero crurum laborabat plaga admodum dolorosa et crudescente, quæ eum multis annis afflixit: patiebatur vehementes vertigines, per quas aliquoties velut in deliquia prolabebatur; et idcirco non poterat incedere pedibus, nisi magna cum difficultate. Altero insuper conflictabatur malo terribili, quod vix sinebat ipsum etiam equo vehi: denique biennio triennioque passus est vehementem fluxum, cui nullum umquam reperit remedium. CAP. XVIII. *Variis infirmitatibus afflicto* F

198 Ita erat semper admodum languidus et afflictus, oculis morbidis maleque affectis, sed spiritu tam robustus, ut, si vel minime melius se haberet, mox labores et austeram Religionis vivendi normam resumeret, media nocte surgens ad Officium matutinum, nullo utens indusio, *nulla prosunt medicamenta;*

A. P. Ribadineira.

dusio, nec panno lineo in lecto, nec vescens carnibus; qua vivendi ratione brevi post in pristinam malam valetudinem recidebat. Præter hæc venenum, quod in Indiis olim hauserat, ipsum etiamnum male afficiebat, ac speciatim ex eo gignebantur in illius stomacho vermes, qui nonnumquam in fauces proserpebant, et prosiliebant ex ore. Jam vero, ut ipsum tot malis eximerent, cognati illius, aliique eidem benevoli varios ordinarios medicos conduxerunt, qui eum diversis atque extraodinariis medicamentis curare tentarunt; sed frustra; imo omnia ipsi in majus tormentum cesserunt. Quam ob rem ipse interdum aiebat cum lacrymis: Sinamus modo Deum facere. Fiat voluntas illius.

sed ipse patientissimus multos sanat.

199 Interdum erat magna admiratione divinaque laude dignum, videre, quanta cum devotione advenirent homines sanitatem petituri ab eo, qui erat ipse infirmissimus, neque umquam fuerat sanus; non tamen mirandum erat, quod bonam valetudinem, qua carebat ipsemet, aliis concederet, quia eam dabat non sua, sed Christi virtute, qui omnis salutis nostræ fons B est. Consueverat autem super ægros recitare orationem, qua olim uti solebat S. Vincentius, præterquam quod aliquot verba adderet. Erat vero hæc: „Signa autem eos, qui crediderint, „hæc sequentur. Super ægros manus imponent, „et bene habebunt. Jesus, Mariæ Filius, salus „mundi et Dominus, qui te traxit ad fidem „Catholicam, te in ea conservet, et beatum „faciat, et meritis beatæ Virginis Mariæ, et „beati Dominici patris nostri, et beati Vin„centii, et omnium Sanctorum, te ab hac in„firmitate liberare dignetur.“ Hæc oratione sanabat multos infirmos; in suis vero infirmitatibus utebatur hac S. Augustini: „Domine, „hic ure, hic seca, ut in æternum parcas“; ac frequenter etiam ista: „Domine, hic non „parcas, ut in æternum parcas:“ quæ eadem significat; et apprime exauditus fuit; quippe qui nullo umquam die bene se habuit, id est, perfecte sanus fuit. Credo equidem, ipsum eximia in suis infirmitatibus patientia meruisse a Deo gratiam curandi alios.

Nimiis malis afflicti vices in concionando a

200 Ineunte porro anno MDLXXXI, post- C quam in festo Epiphaniæ Domini in ecclesia cathedrali, ac Dominica sequenti (celebrantibus tunc istud festum equitibus Montesæ *a*) in ecclesia Templi, instanter rogatus a Magistro et marchionissa de Navarres, qui ipsi addictissimi erant, conciones habuisset, solitis infirmitatibus suis usque adeo oppressum se sensit, ut omnino impar esset sermonibus sequenti Quadragesimalis jejunii tempore habendis, quos tamen jam addixerat in ecclesia S. Stephani. Voluit igitur, ut ego suas vices obirem; sed, cum tunc paulo ante reversus ex Italia mortuus potius quam vivus essem ex tempestatibus marinis, aliisque illius itineris adversis, maxime ex aquæ putridæ per integrum mensem in navi usu; neque hactenus vires meas bene restituissem; præterquam quod numquam ante per totam Quadragesimam, aut etiam ter per hebdomadam, concionatus fuissem; nec denique Quadragesimales sermones saltem transcriptos haberem; me imparatum, huicque labori nulla ratione parem deprehendi.

feliciter explet biographus.

201 Monebant me aliqui, quod, si id muneris susciperem, præcipitaturus me essem, meumque honorem in discrimen adducturus, ac proinde statui, me non obstringere ad id, quod D non poteram. Verum cum jam adesset Dominica in Sexagesima, vocavit me in cellam suam et coram Jacobo Bertrando, fratre suo, ecclesiæ S. Stephani directore, mihi dixit, ut admitterem, Deum adjutorem fore. Hinc ego, omni missa deliberatione, confestim annui, illius pollicitatione securus; et reipsa postea expertus fui, Deum ad illius preces non negasse mihi auxilium, quia, cum ante id temporis numquam nisi saltem octiduo intermedio, conciones habuissem, eas nihilominus perduxi ad finem, tunc magis robustus, quam dum cœpi; neque ullum diem sine habito sermone prætermisi, quamquam coactus in dies singulos mihi prospicere.

Sanctus ingravescente morbo, munitur sacro Viatico

202 Jam cœpta Quadragesima hic benedictus Pater ex infirmitatibus suis tantopere se pejus habuit, ut decreverint patres eum, præsentibus patriarcha, qui pene semper ejusdem lecto adstabat, episcopo Marocchii, domino Jacobo Ferrero gubernatore, domino M. Martino Ponz, supremi concilii Aragoniæ Regente, M. Roderico Salzedo, aliisque viris primariis, san- E ctissimo Sacramento per modum Viatici munire. Priusquam communicavit, prolixam sanctæ fidei, omniumque, quæ sancta Romana Ecclesia credit, professionem emisit: deinde Deum enixe rogavit, ne suæ corporalis mortis sententiam revocaret; quod autem ad animam suam spectabat, multis perfusus lacrymis, misericordiam a Deo precatus est per merita Redemptoris nostri Jesu Christi, et per intercessionem precesque gloriosæ Virginis, sanctorum Angelorum, Archangelorum omniumque Martyrum, uti et S. Dominici et omnium aliorum Sanctorum Ordinis, qui in cælo sunt, ac nominatim S. Petri martyris, S. Thomæ Aquinatis, et S. Vincentii; et ad hujus nomen nonnihil cunctatus, subjecit: O pater, sanctæ Vincenti! Pater mi, pater mi, currus Israël et auriga ejus! Deinde etiam S. Raymundum de Pennafort, sanctamque Catharinam Senensem *b* invocavit; *b* tum ad patrem S. Franciscum conversus, eumdem cum omnibus suis generaliter invocavit, ac præterea S. Augustinum, S. Benedictum, sanctumque Brunonem cum omnibus Sanctis F Ordinum eorum, ac denique omium aliorum Confessorum et omnium Virginum, omniumque Sanctorum. Hæc aliaque multa eo spiritu dixit, ut omnes moverit ad lacrymas. Post datum sacrum Viaticum eum amplexus est patriarcha, eique inscio abstulit annellum osseum, quem ratione infirmitatum suarum soluerat penes se gestare.

ex abortu periclitantem

203 Circa hoc tempus illustris domina Isabella Boil ex abortu, quem paucis diebus ante passa fuerat, tam male se habebat, ut velut ad extrema esset deducta; qua re turbati medici hærebant, an vena ei secanda esset, nec ne, utrimque stantibus rationibus in oppositum, quæ ambigere jubebant. Hinc magnopere afflictus infirmæ genitor, dominus Joannes Boil de Arenos, nullo verbo facto, discessit a medicis, rectaque venit, cum patre fratre Ludovico acturus; et quamquam responderem non opportere tunc ei quemquam molestum esse, tamen pater magister frater Petrus Salmanticensis, viso illius desiderio, dixit, ut ad cellam ejus accederet. Hanc ingressus observavit, patrem Bertrandum fixis se oculis intueri.

204 Hinc

sanandam spondet

204 Hinc sumens animos, ut ad lectum illius accederet, ait : Pater mi, vestra paternitas condonet mihi, quia in maximis versor angustiis, quod filiam meam pene moribundam reliquerim. Proinde, licet vestra paternitas tam male habeat, precor, ut pro ea orare dignetur. Tum Pater, velut nullo morbo teneretur, respondit, et tranquillissime jussit sedere, cœpitque ipsum paulatim interrogare de infirma, partuque illius, atque aliis adjunctis. Tandem ait ille : Vade, domine, et dic illi, ut confiteatur de peccatis suis et sacram Communionem recipiat, Deoque agat gratias, et secura sit, sese hac vice non esse morituram. Reversus domum iste dominus filiam suam multo melius se habentem offendit, aitque illi : Filia, esto bono animo ; nam pater frater Ludovicus mihi dixit, se oraturum pro te, teque Deo commendaturum, ne morituram ex hoc morbo. Infirma vero pro sua erga patrem Bertrandum devotione maxime lætata fuit, ac brevi post convaluit.

B

remittente morbo, quoties cumque potest. Missam celebrat :

205 Cœpit ipse quoque Pater non parum melius se habere, ac resumptis paululum viribus, quoties poterat, surgebat e lecto, et celebrabat Missam in sacello S. Vincentii, quod in dormitorio nostro exstat. Contingebat interdum, ut post dictam Missam deficeret animo : non propterea tamen omittebat postridie, si posset, celebrare ; et cuidam Religioso suadenti, ut remaneret in lecto, quia surgendo sibi mortem adsciscebat, reposuit : Mi frater, sancta Ecclesiæ Sacramenta nullum occidunt ; verum etiam prosunt, non tantum saluti animæ sed corporis quoque, quando animæ expedit. Neque est, cur id miremur in postremo ejus morbo, dum videret breviari tempus, quo sancta Sacramenta suscipere posset, cum ille, dum sanus erat, vix unum præteriri diem siverit, quin Missam celebraret, bisque quotidie de peccatis suis confiteretur. Quadam etiam data occasione, ait amico suo, sæpe contigisse, ut, cum se valde tepidum experiretur, post sumptum sanctissimum Sacramentum, subito sensisse internum calorem, ut corpus et anima sua præ ingenti amore accensa fornax sibi viderentur.

erga divinum Sacramentum semper piissime, ut ante, affectus :

206 Observet hic Christianus lector, etsi falsum sit, quod aliqui nostri temporis hæretici asserunt, nempe, quosdam corporales fervores indubitatum signum esse præsentis spiritus Sancti, non tamen negari posse, Sanctos aliquando dicere posse cum Davide : « Cor meum, « et caro mea exultaverunt in Deum vivum *c* », ac etiam petere a Deo, quod David petiit, dum ait : « Confige timore tuo carnes meas *d* » ; et quamvis amor et timor Dei principaliter sint spirituale convivium, quo solet Deus reficere animam, eos nihilominus aliquoties etiam redundare in corpus. Aiebat insuper solere Sanctos, sumpta Eucharistia, navigare instar navis, quæ habet ventum in puppi ; quapropter suadebat, ut posito, quod Servus Dei non posset illam suscipere, iret saltem ad ecclesiam, ibidemque se coram eadem sisteret.

c

d

tres pueros sibi adductos sanat.

207 Uxor Joannis de Cas, lanionis, audito, Patrem rursum cœpisse Missas celebrare, venit ad conventum, et aliquem patrum rogavit, ut curaret unam pro salute filiorum suorum per patrem Bertrandum in oratorio S. Vincentii celebrandam. Habebat hæc filiam, cui enatæ erant duæ tonsillæ in collo, alteraque in digito, instar nucis coryli grandis ; quæ licet jam durassent ultra sex menses, cœperant tamen mense Martio magis intumescere, tumque etiam crescebant. Recordati autem parentes hujus puellæ, filium suum non multo ante eodem malo laborasse, ex quo in papulas resoluto ille obierat ; cœperunt vereri, ne ita etiam huic alteri contingeret, maxime, quod chirurgus dubitaret, an tonsillæ essent, timeretque, ne ista hoc malum contraxisset a quodam suo fratre majore, qui etiam tum ab anno et medio contactus fuerat a rege Franciæ *e*, nec perfecte sanatus. Cumque idem malum vererentur etiam alteri filio, jam tum fœda scabie infecto, curarunt, ut pater Ludovicus pro eis Missam diceret, Euangelium super eos legeret, suaque manu eosdem tangeret. Fecit idipse magna cum devotione eodem tempore matutino ac postridie ; cumque idem tertio die præstitisset, dixit patri, nihil amplius opus esse, ut eosdem ad se reduceret : atque ita cœperunt illi convalescere, hodieque omnino vivunt incolumes.

A. V. J. Antistio.

e

E

Invalescente morbo, pergit reliquis prælucere pietate

208 Relapsus Pater est medio Maio, et ad eum statum redactus, ut per aliquot dies nil nisi parum liquoris ex cochleari sumere posset. Erat autem magno devotionis incitamento, videre ipsum non solum indies de peccatis suis confitentem, et, dum poterat, sacram Eucharistiam sumentem ; verum etiam post fusas ad beatissimam Virginem preces (cujus piam imaginem, a quodam mancipio ex voto Algerio allatam, nuncque intra cancellos ferreos sacelli Rosarii positam, semper habebat ante oculos suos) postque devotam sui apud multos Sanctos canonizatos commendationem, audire ipsum invocantem multos religiosos, tum ante annos quinquaginta defunctos, ac specialiter beatum martyrem, fratrem Dominicum de Monte majore, fratrem Joannem Miconem, fratrem Michaëlem de S. Dominico, fratrem Laurentium Lopez, fratrem Bartholomæum Pavia, fratrem Bartholomæum de la Costa, suum confessarium, et quemdam juvenem religiosissimum, qui mense Septembri tum elapso in ætate viginti annorum mortuus fuerat, fratrem Carolum Tafaglia dictum, sed ab ipso appellatum Angelicum, de quo etiam dicere soluerat : Eripuit eum Dominus, ne malitia immutaret intellectum ejus.

F

et humilitate sua :

209 Eximiam quoque suam inter vivos humilitatem exhibebat ; dum enim a nobis visebatur, rogabat, ut sibi Euangelia legeremus, poscebatque manum nostram ad osculandum ex reverentia sacerdotii ; dolebatque, si quis id fieri recusaret. Sed una in re videtur mihi profundam suam humilitatem præcipue demonstrasse, nimirum, cum ipsi dicerem, quemdam esse hominem simplicem, qui aliquot preces solebat recitare super ægros, quorum aliqui sanabantur ; et, si vellet, illum a me arcessendum ; ipse humillime annuit, paucisque illis diebus, quibus is ipsum accessit, semper se devotissime gessit, dum istæ preces dicerentur. Interdum etiam amici illius modicam musicam in ejusdem cella fieri curarunt ; tum vere ipse prorumpebat in planctus, et, quamdiu musicam audiebat, caput suum lecti linteo cooperiebat, quo cælestia melius posset contemplari.

210 Per aliquot dies prohibitus fuit a medicis cibo potuque, nisi modicissimo, uti : un-

A. V. J. Antistio. *ex medicorum præscripto vehementi fama sitique premitur ;*

de vehementem famem ac intolerabilem sitim toleravit; quia, cum morbus illius valde insolitus esset, admodum hæsitabant medici; hinc omni sanandi spe destituti; inde vero in ea persistentes sententia, ne infirmus, nisi omnino modice, manducaret et biberet. Ille vero, cum interiori febricula, quæ ejus humidum radicale consumebat, laboraret, ingenti fame sitique urgebatur. Quam ob rem ego ab illo aliquando vocatus, ut solus cum solo loquerer, compulsus fui præ commiseratione flere, videns hominem, qui in corpus suum semper fuerat tam austerus, totque miracula patraverat, petentem ad instar mendicantis, ut per Christi vulnera et per amorem gloriosæ Virginis precarer medicos, ut in modico liquore, quem ei concedebant, aliquot micas panis miscerent. Subiit mihi tunc in memoriam Christi, qui in Cruce pendens potum petiit.

refectus non paululum convalescit :

211 Apprime autem patuit, bonum Patrem ea de re merito fuisse conquestum, quia, cum ipsi quodam die modicum cibi concessum fuit, B visus est tanto melius se habere, ut mirum esset, ac paulatim valetudinem suam nonnihil restauraret, cum tamen constaret, eumdem paucis ante diebus ad extremum conductum fuisse, ut dux Nagaræ aliquoties vesperi e conventu recesserit afflictissimus præ timore, ne numquam a se inter vivos revisendus moreretur. At vidit ipsum postea eo usque restitutum, ut ei valedixerit, magna cum lætitia rediturus in Castellam. Porro certum est, hunc conventum isti illustri viro esse obstrictissimum, quod is toto diuturni morbi Patris tempore consueverit ad ipsum mittere multas delicias et excellentia magnique pretii medicamenta : quod similiter fecit magister Ordinis equitum Montesæ et marchionissa de Navarres cum aliis præcipuis hujus civitatis nobilibus viris ac feminis; et quamvis ipse ex iis raro quidquam gustaret, recipiebat tamen, ut gratum faceret illis, a quibus mittebantur; et infirmorum præfectus eadem ministrabat aliis ægris cum magno Servi Dei gaudio.

ad nosocomium presbyterorum ductus, ibi mulierem sanavit.

212 Ut bonus Pater facilius convalesceret, procuravit frater ejus Hieronymus presbyter, ut liceret sibi eum conducere ad confraternitatem beatæ Mariæ Virginis, quæ est nosocomii presbyterorum, cujus ille aliquam curam habebat. Quamdiu autem ibi fuit, non satis ei erat, si quidam e nostris eum aliquando adirent confessionem illius audiendi sacramque Communionem conferendi gratia; verum etiam interdum surgens e lecto ipsemet in superiori claustro nosocomii Missam celebrabat cum licentia patriarchæ, qui et ipsum sæpissime invisebat, nolebatque tam in hac re, quam in procurandis illius omnibus commodis cuiquam cedere. Dum ibidem versabatur, mulier, quadam infirmitate quadriennio gravissime afflicta, rogavit eum, ut suis illam precibus sanaret; missaque ab illo ad alteram mulierem, ejusmodi infirmitates curare peritam, noluit ad illam ire, eumque per Deum obtestata est, ut ipsemet sanaret. Formavit igitur Vir sanctus versus eam signum Crucis, atque ipsa extemplo cœpit convalescere et quinque dierum spatio omni malo liberata fuit.

213 Duo eximii medici, nimirum Ludovicus Cogliado et Josephus Ruguarte, ipsum interdum invisentes, observarunt, dum ad exploradum arteriæ pulsum levaret stragulum, prodiisse inde odorem et fragrantiam extraordinariam, idque testati sunt in Processu, affirmantes non fuisse odorem naturalem, quippe nec similem mosco, nec zybetto, nec succino, aliisque id genus, sed plurimum diversum : ita ut fraudulentum non sit, quod multi ex variis hujus regni partibus, dum ille recte valeret, dixerint ipsum sive inter colloquendum, sive inter osculandum manum, spirasse mirabilem fragrantiam; cum idem ille, quando laborabat malo tam diuturno, tam extraordinario, et ab omni bono odore tam diverso suaviter oluerit. Ad quod propositum dicebat pater frater Franciscus Sala, se, dum Servus Dei hujus domus Prioratu fungeretur, soluisse passim ejusdem cruris plagæ mederi, et obstupuisse, quod numquam stomacho nausearet, nec ullum experiretur fœtorem, imo contra sæpe alliceretur ad eamdem osculandum. Altera quoque persona sæcularis, quæ, durante eo longo morbo, illius curam habuit, interposito jurejurando testata est, se, per clausas cubiculi fenestras semel vi- E disse a Patris lecto, in modum parvi papilionis cooperto, aliquot velut solares radios prodeuntes, crebroque sensisse ejusdem corpus suavissime fragrare.

Suaviter fragrat, uti etiam alias sæpe fecerat.

Mutandi aëris gratia ad villam archiepiscopi delatus,

214 Post aliquot dies judicarunt medici, oportere eum mutare aëra, et, priusquam dies caniculares ingruerent, Valentia excedere. Quod cum audisset patriarcha, curavit, ut ad suam, in qua tum etiam ipse morabatur, villam de Godeglia duceretur; consensitque pater Bertrandus, ut satisfaceret prælato, quem vehementer amabat, et ibidem mansit per duos circiter menses, quod aër ibi esset saluberrimus et regio perquam amœna. Erat sane res divina laude digna optimique exempli, videre, cum quanta charitate, benignitate humilitateque tractaretur a patriarcha, qui non dedignabatur ei ipsemet servire suisque manibus prandium illi cœnamque quotidie ministrare, non secus atque ille alter S. Vincentius fuisset. Ego de me ipso vere dicere possum, hoc exemplum apud me plus, quam umquam ullum aliud, valuisse. At bonus Pater soluerat a quibusdam deliciis extraordinariis tantum abhorrere, ut nec ar- F chiepiscopus iste, nec ullus ex domesticis illius ausi sint ultra necessaria ei quidquam offerre, veriti, ne eumdem cum jactura valetudinis turbarent.

ab eo benignissime fovetur :

215 Ipse vero magno cum affectu aiebat, se tantum peccatorem ne buccam quidem panis mereri; seque tanta charitate, ut ita dicam, obrutum sensit, ut subjiceret: Scio, quid Deus Dominus noster, illustrissimam Dominationem vestram excitando, ut me tam benigne habeas, sibi velit; neque id aliud est, quam ut me obstringat, ut divinæ Majestati suæ tandem incipiam servire. Patriarcha vero, quæcumque ei adessent altioris conditionis personæ, a quibus crebro invisebatur, simul atque hora prandii Patris advenisset, dimissis omnibus, ibat ei solitam charitatem exhibiturus; ipsemet ei intingebat panem, præparabat cibum, benedicebat mensæ, et recitabat gratias; post quas bonus Pater (qui, nisi interrogatus a patriarcha, semper tacebat) apprehendebat manum illius et osculabatur. Post cœnam patriarcha sæpe de rebus spiritualibus loque-

A quebatur cum eo ad fenestram, quia Pater multum delectabatur aspectu cæli, quo tandem migraturus erat.

valetudinis causa ad unum

216 Cumque patriarcha intellexisset ex medicis, modicum corporis exercitium et moderatam per istum montem sine defatigatione ambulationem Patri profutura, jussit fieri sellam, quam duo jumenta possent bajulare; atque ita ille die IV Augusti vectus fuit ad locum Burgiazor, ubi postquam divinam Eucharistiam susceperat, conspiciens ecclesiam belle ornatam, Joannem Pellicero, unum e sacristis majoribus cathedralis ecclesiæ Valentinæ, qui ibidem forte aderat, rogavit, quis istum ornatum fecisset, ac respondenti, fecisse dominam Mariam Bagliares, Bernardi Simonis, ejusdem loci domini, uxorem, subjecit Pater: Vestra Reverentia oret pro ipsa; male enim se habet; dicat tamen ipsi, eam a beata Virgine pro eo, quod ecclesiæ illius fecit, cito remunerandam: nam intra breve tempus morietur; et ego quoque paulo post illi sociabor. Ita evenit; obiit enim illa intra Octavam Assumptionis B. Mariæ
B Virginis, ipse vero die IX Octobris, uti infra dicemus.

alterumque locum vehitur, pergitque convalescere.

217 Alio die portatus fuit ad conventum S. Augustini de Rocca forte, ubi, priusquam sacram Communionem acciperet, accidit, ut magnam maculam haberet in suo scapulari, propter quam induit scapulare patris magistri, fratris Joannis Gregorii Satorres, quod hic, postquam recepit, ait, per octiduum circiter mirabiliter fragrasse. Pie quoque idem pater commotus fuit, dum in festo Assumptionis beatæ Virginis, patriarcha ad concionem habendam Valentiam profecto, solum una eo in loco, ubi Ludovicus versabatur, celebranda erat Missa, usque ad quam cum hic per infirmitatem suam opperiri non permitteretur, mature surrexit e lecto, in Rocca-forte ivit, et de peccatis suis apud eumdem magistrum confessus, sacroque Epulo in illius Missa refectus, rediit ad Godeglia, quod manifestum fuit indicium magnæ famis, qua sanctissimam expetebat Communionem. Paulatim eo loci sic convalescebat Servus Dei, ut medici negarint, potuisse id naturaliter fieri: unde affulgebat spes,
C fore ut omnino sanaretur. At Pater nihilo minus stabat divina revelatione de sua morte sibi facta, et patriarchæ dicenti, a medicis asseri, eum victurum; sed vereri se propter ea, quæ ipse elapso anno patri Salamanca dixerat, respondit: Recte memini maximeque contentus sum, ut fiat voluntas Domini.

ANNOTATA.

a Montesa *admodum munita Hispaniæ urbs est in regno Valentiæ, sedesque Ordinis equitum ab ea dicti, quem Jacobus II Aragoniæ rex instituit.*

b *Colitur hæc et in Opere nostro data est die* 30 *Aprilis. De aliis Sanctis hic nominatis jam meminimus in Annotatis.*

c *Psalm.* 83, ℣. 3.

d *Psalm.* 118, ℣. 120.

e *De concesso Galliæ regibus strumosos curandi dono consuli potest Jacobus Alexander Tenneurius Veritatis Vindicatæ part.*3,*cap.*5.

A. P. RIBADINEIRA.

CAPUT XII.

Postrema Sancti gesta, et beatus obitus divinis prodigiis illustratus.

CAP. XVIII. *Valentiam in nosocomium reductus puellam sanat*

Cum eo, ut dictum est, modo pater Bertrandus ægrotaret, toto nisu utebatur, ut ad ecclesiam Godegliæ (quamquam aliquantulum longe ab ædibus dissitam) se conferret, ibidem communicaturus; et patriarcha pene quotidie celebrabat Missam, sacramque Eucharistiam ei præbebat. Hinc quodam die, tempestate pessima ventisque vehementissime flantibus, tam male se habens rediit, ut oportuerit eum reverti Valentiam. Reductus igitur est ad supra dictum presbyterorum nosocomium, in E
quo ejusdem frater morabatur. Hic adducta ad ipsum est paupercula puella, Isabella Abarca appellata, cui enatus erat velut carbunculus pestilens; sed chirurgi tonsillarum speciem judicabant. Hæc post recitatas ab eo super ipsam solitas preces confestim asseruit, se sentire levamen, nullaque alia medicina adhibita, intra paucos dies omnimodis convaluit.

reducitur ad conventum, ubi cuidam principi alibi ægrotanti,

219 Verum cum timeremus, ne ille extra conventum moreretur, pater prior aliique patres curarunt, ut domum nostram reduceretur, ubi integro mense in lecto semper decubuit: ac viginti septem continuis diebus, qui ultimum vitæ ejus præcesserunt, Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ mane suscepit. Servabat autem hanc vitæ rationem, ut ante mediam noctem aliquid nutrimenti aut medicinæ admitteret, post mediam nihil, donec orta aurora in nosocomio domus celebrata fuisset Missa, et ipse sacra Communione refectus. Eo tempore dominus Petrus Cornovicchio, qui titulo ducis Sabiacæ et despotæ Bulgariæ gaudebat *a*, post *a*
multa incommoda et gravissimas adversitates (quæ ordinarie experiuntur mundanis rebus impliciti) æger advenerat in Torrente, lo- F
cum tribus milliaribus Valentia dissitum; vehementer dolens et afflictatus, quod in flore ætatis suæ, id est, annorum triginta octo, ac in regione tam longinqua a patria sua se mori videret.

sed divinitus ad se delato

220 Sed postquam hic deinde de peccatis suis confessus et sacra Eucharistia a magistro Natali, ejusdem loci rectore, refectus fuisset, singularem quamdam lætitiam et solatium testatus fuit. Cumque iste rector ei aliquando diceret, ut sumeret animos, fore ut, Deo propitio, sanaretur, respondit is princeps: Non, non, domine, ego hoc in loco moriar. Interroganti rectori, unde id sciret: reposuit: Fuerunt hic duo, qui me ad Valentinum conventum Prædicatorum in cellam cujusdam sancti Monachi (ita ipsum semper vocavit, quoties de nostro benedicto Patre locutus est) asportarunt; qui me consolatus est, dixitque, moriendum mihi ex hoc morbo esse die Dominica: quod rector vehementer admiratus est, quia a multis diebus princeps ille non surrexerat e lecto suo.

221 Quare

A. V. J. Antistio. *mortem prædicit.*

221 Quare, ut verum inquireret, ipsemet Valentiam ivit, idque nonnullis fratribus aliisque sæcularibus narravit; deinde ipsum Servum Dei invisens, ab eo petiit, si quis princeps ad eum alloquendum accessisset. Respondit ipse (sed jejune) multi veniunt ad me. Ex hisce rector advertens, nolle ipsum istud manifestare, inde recessit. Ast patriarcha, quem Pater semper magnopere venerabatur, id ipsum ab eo secretissime petiit; et ille fassus, id ita esse, additque: Est iste homo bonus, unoque ex hisce diebus migrabit in cælum. Patriarchæ ulterius petenti, an cognosceret duos illos, qui cum principe venerant, reposuit: Non. Cumque jam advenisset dies Dominica, et princeps non obiisset, multi admirati sunt; sed immerito; quia hoc vaticinium non denotaverat Dominicam primam Octobris, qua festum Rosarii celebratur, sed Dominicam secundam, uti infra dicemus.

Increscente morbo, diem sui obitus indicat,

222 Interea ipse quoque pater Ludovicus magnis passibus properabat ad mortem, ac die VI Octobris post mediam noctem de suis confessus peccatis rogavit, quæ dies esset. Responsum ei est, esse diem Veneris *b*. Deinde petiit, in quem diem festum S. Dionysii incideret, responsoque accepto, incidere in diem Lunæ *c*, cœpit digitis suis computare diem Veneris, Sabbatum, Dominicam, Lunæ, aitque: O benedictus Deus, qui quatuor mihi dies etiam concedit! Fiat igitur voluntas Domini. Cumque ex præscripto medicorum indusium lineum ante induisset, enixe postulavit interulam laneam (quæ est indusium, quo solent indui fratres recte valentes, in eoque mori debent, si permittant medici in Hispania, uti faciunt in Italia) acceptamque interulam osculatus est, et magno cum gaudio induit, rejecta linea: atque hinc etiam eluxit vetus ejus desiderium aspere tractandi corpus suum, ut consueverat.

b

c

a S. Vincentio, quem etiam alias viderat, invisitur;

223 Cum admodum surdaster esset, aliquoties multi intrabant cellam ejus ab eo non observari, audiebantque ipsum devotissime cum Crucifixo ac beata Virgine colloquentem. Volupe quoque erat patriarchæ non nunquam integris horis cum ipso solo in cella observata versari, ac semel ab eo petiit, an S. Vincentius ipsum in sua illa infirmitate umquam invisisset Respondit Pater affirmans, invisisse semel, moxque adjecit: Etiam nunc ibi adstat, extenso digito versus locum, ubi ille stabat. Nec quisquam id miretur, cum, missis aliis, quæ in hac historia jam retulimus, bonus iste Pater aliquando consolans quamdam dominam, afflictissimam morte mariti sui, quam hic die Jovis Sancto ex ecclesia egrediens obierat, dicensque, maritum illius jam esse in cælo, ut id etiam certius faceret, addiderit hæc verba: Ne dubita, domina, quia S. Vincentius Ferrerius id revelavit cuidam Fratri, quocum ille locutus fuit, ut ego nunc loquor tecum. Certum porro est, Ludovicum hic de semetipso egisse, seque denotasse: jam vero, si bene valenti hos favores exhibuerit S. Vincentius, facile creditu est, otiam invisisse in postremo morbo suo; maxime cum tunc tam graves tamque continuos dolores pateretur, ac peculiari consolatione egeret.

C

mira patientia elucet.

224 Inter alia aiebat, sentire se in ossibus suis cruciatum continuum, quasi illa singillatim rumperentur: verum tamen est, Deum ipsi eam gratia concessisse, quam Pius V in supremo morbo petebat a Domino his verbis: „ Domine, auge dolorem, dummodo au- „ geas et patientiam. „ Solebat interdum ipsi dicere patriarcha: Pater, an non multum gaudes, quod Deus hanc tibi præstet misericordiam, ut exiguam partem eorum, quæ ille passus est, vestra Reverentia patiatur, quo purgatior ex hoc mundo discedas? Respondit: Vere, domine, non commutarem hoc cum quocumque alio mundi bono; et vehementer confundor, quod Dominus hanc gratiam præstet, quam ego, qui tantus peccator sum, non mereor: ac confestim cum magna exsultatione in hæc illi tam familiaria verba prorupit: „ Domine, hic seca, ut in æternum „ parcas! „

d

Principis supradicti felix obitus,

225 Ut modo ad prædictum principem revertamur; hic Sabbato sequenti, quod fuit dies VII Octobris, aut die Veneris proxime præcedenti, præsente rectore, eduxit manus suas e lecto, dixitque: O domine rector, non vides gloriosam Virginem cum tanta gloria æterna in hoc cubiculo? O benedicta, o gloriosa, o pulcherrima Regina cæli, o Domina mea, oDulcedo cordis mei, quo pacto ego mereor a te invisi? At quid ego dicam de te, pulcherrime Puer, qui in illius gremio es, cujus pulchritudo omnem superat pulchritudinem? Hisce aliisque similibus verbis spiritualiter exsultabat de isto cælesti consortio. Dominica vera subsecuta, dixit: Hodie dies Dominica est, dies lætitiæ, dies consolationis, nunc ista est, qua Deum certo videbo! Postea ad nonam noctis horam ait rectori: Domine rector, quantumvis jam confessus peccata sim, nihilominus propter defectus, quos ego interim possum commisisse, cupio denuo generaliter confiteri; atque ita fecit. Post horam decimam, dum jam abierat rector, princeps obiit, piissimis semper inhærens affectibus sæpeque repetita hac brevi, devota doctaque prece: „ Jesu, esto mihi „ Jesus; „ id est, Jesu, esto mihi is, quem tuum nomen significat, sive, Salvator; placeat tibi salvare me.

E

sepultura alia quæ ad eumdem spectantia

226 Paulo antequam moreretur, expertis a dæmone est vehementem assultum, quem ille repulit manu sua, quemdam psalmum recitando, tam submissa voce, ut vix moveret labia nil ultra potens. Quia vero hic princeps admodum devotus esset S. Mariæ sub titulo de Monte Carmelo, et obstrictus voto ejusdem habitum gestandi, quo re ipsa indutus erat, præterquam quod non gestaret cucullum album, delatus Valentiam est ad ecclesiam Carmelitarum, ibidemque sepultus. Vere felix reputandus iste princeps est, cum inter tam manifesta veræ contritionis indicia ad consequendam animæ salutem mortuus sit, et Deus illum e tam longinqua regione illuc coduxerit, velut peculiare instrumentum ad manifestandam sanctitatem patris Bertrandi, quem ipes numquam viderat, aut cognoverat. Post illius mortem inter ejusdem scripta repererunt brevem orationem S. Thomæ Aquinatis, typis editam cum hoc præfixo titulo: „ Oratio divi Thomæ „ Aquinatis doctoris Angelici ad imaginem Je- „ su Christi Crucifixi. Absorbeat, quæso, Do- „ mine Jesu Christe, mentem meam ignita et „ mellifiua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub „ cælo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui „ amore amoris mei dignatus es in ligno Cru- „ cis

F

A „ cis mori. „ Visum mihi est, hanc Orationem hic apponere, quod perquam devota sit, nec alibi eam typis editam viderim. Nunc ad Historiam nostram redeamus.

Cum mori videretur monet, id eo die non futurum

227 Eadem Dominica, de qua supra, vesperi verebamur, ne pater Ludovicus jamjam moreretur. Quam ob rem solito tabulæ signo dato, convenerunt fratres, lachrymisque perfusi eum ad bene moriendum adjuverunt, præsentibus adhuc patriarcha et episcopo Marrochiano: verum ille post aliquantulum temporis apertis oculis ait, Dimittite eos; aderunt in tempore. Hic auditis, patriarcha ait: Recedant, nec enim nunc morietur; tamque certam fidem Patris dictis habuit, ut, licet constituisset, affirmassetque, se ibidem vigilaturum tota ista nocte, tamen ad palatium suum reversus sit, nihil omnino suspicatus, Amicum suum interim moriturum; neque rediit, nisi postridie clara luce. Paucis horis post curator infirmorum petiit a doctore Hieronymo Almenara (qui tunc advenerat cum filio petiturus benedictionem a Patre) quid expediret ei postridie
B præparare in prandium: quod Pater audiens ait: Non oportet quidquam cras mane præparare; recteque monuit; postridie enim ille ante horam prandii ad meliorem vitam transivit.

postero mane, de observantia Regulæ adhuc sollicitus, moritur,

228 Postero mane, cum jam inciperent sensus notabiliter deficere, eaque interula, qua ipsum biduo ante induerant, perquam mollis et commoda esset, timuit, ne esset linea, eaque suspicione ductus cœpit enixe flagitare, urgentissimis verbis utens, ut sibi illam tollerent, darentque solitam sui Ordinis interulam, obortis lachrymis, dicens: Per amorem Dei, et per charitatem, et per amorem Jesu, tollite mihi hanc interulam, et date tunicam S. Dominici; totiesque iteravit preces, ut solandi gratia oportuerit ista eum exuere, ac deinde eamdem reddere; indicantes, ut vere erat, eam esse tunicam, quam petierat; quod fuit ei gratissimum; et hinc clarissime patuit, quantum ipsi toto vitæ tempore placuerit sui corporis afflictatio. Hora decima matutina ad patriarcham conversus dixit: Domine, expedi me; quia jam morior; voluitque, ut sibi
C Evangelium legeret, caputque ac pectus signaret.

et prodigiis divinitus illustratur.

229 Dato proinde denuo per tabellam signo, omnes fratres concurrerunt, Symbolum fidei de more recitantes; simul et aliquot sæculares erga eum pie affecti, in quorum omnium præsentia animam suo reddidit Redemptori. Inter eos, qui aderant, circiter quatuor aut quinque Religiosi, et aliqui sæculares, ac nominatim Franciscus Ludovicus Blanes, qui anno præcedenti fuerat Auditor Valentiæ, qui cum interposita jurisjurandi religione testati sunt, se vidisse lumen ad instar lampadis lucidissimæ
e eo temporis momento, quo mortuus est *e*. Præterea in Processu varii sunt testes, qui asserunt, ex ejusdem cadavere tantam prodiisse fra-
f grantiam, ut stuperent *f*, idemque etiam contigit fere in omnibus illius vestimentis, sed magis in tunica.

Auctoris de ejusdem æterna salute observatio.

230 Quamquam autem ex omnibus hisce signis, conjunctis cum bonis operibus, quibus, quamdiu vixit, nobis præivit, moraliter certi essemus de illius æterna salute; maxime quod paulo ante ratione Cruciatæ (quam sibi soluerat quotannis acquirere) gratiarumque ac privilegiorum Ordinis nostri, de peccatis suis generaliter absolutus fuisset; recordati tamen, ipsum, paulo antequam animam redderet, humillime petiisse, ut post obitum suum nos Religiosi singuli diceremus sexies Pater et Ave cum Gloria Patri, ut anima sua ex purgatorio, si in eo degeret, liberaretur ex privilegio, quo Ordines S. Dominici sanctique Francisci gaudent, procidimus omnes in genua, nostrisque enervibus precibus id exile obsequium in conspectu divino ei præstitimus.

A. V. J. Antistio.

ANNOTATA.

a *Apud Avignonum* Dominus Petrus Angelus Cernovicius pariter vocatur; *at, licet aliunde ignotus mihi is princeps sit, nesciamque, qua ratione* Bulgariæ despotæ titulo *fuerit gavisus; non tamen factum istud in dubium revocandum est, cum tradatur ab Antistio, scriptore synchrono, in loco præsente ac sincero; nec* E
sane ista sine sui nominis dispendio fingere potuisset.

b *Recte; factum enim id est anno* 1581, *quo littera Dominicalis erat* A.

c *Recte pariter; nam S. Dionysius colitur die* 9 *Octobris, proptereaque, uti ex eadem littera Dominicali constat, festum illud eo anno incidit in diem Lunæ.*

d *Sanctus hic ex Ordine Fratrum Prædicatorum Romanus Pontifex colitur die* 5 *Maii, ubi de eodem, priusquam a Clemente IX canonizatus fuit, cum* Beati *titulo egerunt Majores mei.*

e *Vide hæc ex Relatione Auditorum Rotæ Romanæ et Bulla Canonizationis solide confirmata in Commentario prævio* § III, *a num.* 46.

f *Consule eumdem Commentarium loco mox citato, num.* 53.

CAPUT XIII.

Sacri corporis mox ab obitu veneratio, populi ad illud concursus; sepultura et exsequiæ: Viri sanctitas probatur. F

Simul atque hic insignis Servus Dei expiraverat animam, patriarcha prorupit in lachrymas, quod hujus benedicti Amici sui præsentia destitutus esset; nos vero perstitimus in consuetis precibus recitandis. Ast ubi ejus rei rumor sparsus in urbe est, cœperunt incolæ ad conventum devotissime concurrere. Primi adfuere dominus Hieronymus Pasquale Regens, et judex Salzedo, qui prostrati in terram ipsius pedes osculati sunt, quod similiter fecerunt dominus Mathias Pallas canonicus, et aliquot alii, partim presbyteri, partim sæculares, donec illum intulimus in ecclesiam, ubi patuit, quam bene David dixerit: „ Nimis ho-

CAP. XIX. *Sacrum cadaver in ecclesiam defertur, inde in sacristiam,*

„ norati

A. V. J. Antistio. a

" norati sunt amici tui, Deus *a*. " Multæ enim dominæ, quæ circumstabant, ejusdem pedibus manibusque inter lachrymas et singultus pia oscula figebant; sed cum deinde subito accrevisset turba, cœperunt etiam vestimenta rescindere: cumque advertissemus, aliquos etiam tentare, ut ei digitum amputarent, sacrum cadaver in sacristiam amovimus, donec prorex adveniret.

et hinc rursum in ecclesiam, et denuo in sacristiam,

232 Interea, qui manipulatim accurrerant, lamentabantur, quod illud nequirent videre: quocirca per secretam viam, quæ a sacristia ducit ad claustrum, multis facultatem fecimus ejusdem manum osculandi. Cum jam adessent excubiæ, relatum fuit humeris archithalassi Aragoniæ, Commendatores majores Montesæ, domini Joannis Borgiæ, domini Michaëlis Mercader presbyteri, aliorumque virorum illustrium et piorum. Sed tanta fuit populi devotio, ut necesse fuerit, corpus in summitate graduum, per quos ad altare majus ascenditur, collocare, circumstantibus feretrum multis spiculatoribus
B cum fratribus. Interea clerus ecclesiæ cathedralis, aliarumque parœciarum, adveniens, ob nimiam turbam difficillime potuit usque ad sacrum corpus penetrare, ut psalmos solitaque Responsoria caneret: cumque cerneremus, nos illud vix posse tutari, denuo in sacristiam reportavimus.

ac tertio in ecclesiam, ut populo fiat satis

233 Huc ad illius manus osculandas venere prorex et proregina cum suis filiis et filiabus, dux Cardonæ, marchio de Comares, comes Albaidæ, aliique illustres viri ac equites primarii, cum pene omnibus consilii regii doctoribus. Post duas elapsas horas, ne tot primariæ personæ, atque inter has duæ comitissæ, aliæque nobiles feminæ virique, qui in sacello majori præstolabantur, indignabundi remitterentur, tertio translatum corpus fuit e sacristia et in choro ecclesiæ depositum, dimissis ante ex ecclesia omnibus, qui dimitti potuerunt, et obseratis foribus, ne plures intrarent. At quamquam jam admodum sero esset, impediri nequiit, quin, egredientibus aliis, aliæ multæ personæ piæ ingrederentur, quæ magno numero ante ecclesiam convenerant. Oportuit tamen, iterum
C ecclesiæ fores reserari comitissæ de Navarres, aliis multis comitatæ dominabus et viris nobilibus, personisque honoratis, quibuscum etiam numerosa aliorum copia ingressa fuit, quos spiculatores non potuerunt arcere. Perduxerunt hæc usque ad nonam noctis horam, desiderantibus nobis, diminui turbam, ut defunctus posset depingi, eaque ratione superesset impressa animo effigies ejus, cujus eximiæ virtutes sanctaque exempla numquam possent nobis excidere.

Postridie, vix coërcito populo, festinanter tumulatur,

234 Aurora vix apparuerat postridie, quin innumera multitudo hominum, corpus tangere gestientium, præ foribus steterit; recteque ea nocte provisum fuerat, ut ante chori introitum pegma funebre erigeretur, super quo illud in feretro, panno filis aureis intertexto cooperto, repositum erat; nam etiam hac ratione sex fratres, quorum trini hinc, trini illinc, in eodem pegmate stabant, non potuerunt cohibere illius manum osculari et Rosaria applicare expetentes; inter quos erant aliqui sæculares, qui Rosaria sua summis virgis affigerent, ut sic ad illud possent pertingere. Cum post Missam solennissime celebratam corpus jam humandum esset, ingens in ecclesia ortus tumultus est ab audentibus auferre vestimenta ejus, D
quæ extra sepulcrum seposita erant; et quamvis accensis facibus multorum manus adurerentur, non tamen potuerunt prohiberi, ne ex desiderio aliquid auferendi e vestibus partem corporis denudarent. Hæc sepulturæ cæremonia tam festinanter peracta est, ut necesse fuerit prætermittere aliquos psalmos precesque ex nostrarum constitutionum præscripto dicenda, priusquam corpus imponatur sepulcro. Paulo ante patriarcha ad cadaver accedens, lacrymabundus amplexus est; deinde sepulcrali lapide cooperuerunt, ut sæcularem turbam ab eo coërcerent. Versus vesperam cœperunt plurimi e circumjecta regione adventare, dolueruntque vehementer, quod jam esset sepultus.

Eadem nocte corpus instar vivi deprehenditur:

235 Subsecuta nocte, obseratis foribus ecclesiæ et conventus, introductis solis patre magistro fratre Francisco Maldonato, generali Fratrum de Mercede, Priore Carthusiæ Portæ cæli domino Laurentio Zamara, et magistro fratre Georgio Olivat commendatore de Mercede Valentiæ, cum eorumdem comitibus, et E
aliquot aliis sæcularibus, finivimus officium sepulturæ, in quam quatuor nostrum hujus conventus ingressi notabili tempore mansimus, admoventes sacro corpori maximo numero Rosaria, annulos, et gemmas, a variis personis missa. Ibidem intra ego accurate observavi, quod omnes magnopere jam observaverant, priusquam ille sepeliretur: nimirum cum soleant homines post obitum suum obscuri coloris et deformes visu cum membris rigidis manere, hic non tantum permanserat pulcher, ut videntibus magnam devotionem inspiraret, habens vultum angelicum, manus, pedes et ungues instar alabastri candentes, et ad modum ceræ molles; verum etiam manus, pedesque et brachia et caput, ac si vivi calentisque corporis fuissent, in omnem partem mobilia.

alia corpora in eodem loco visa

236 In eodem cœmeterio (quod non est commune omnibus fratribus, sed destinatum aliquibus sanctitate illustrioribus) invenimus in quadam arca lignea corpus beati magistri fratris Joannis Miconis, et juxta hujus caput ossa fratris Michaëlis de S. Dominico, speculi F
veræ perfectæque religionis, qui soluerat hunc beatum patrem fratrem Ludovicum multis crebrisque commendare verbis, dum conciones haberet in capitulo. Visebantur etiam ibidem duo capita recisa duorum gloriosorum martyrum, magistrorum et reformatorum hujus provinciæ, fratris Dominici de Corduba de Monte Majore, ejusdemque socii, fratris Amatoris Espi, Prioris hujus domus *b*; aliudque caput, quod cujus esset, nequivimus cognoscere: sed, si Deo placeat, spero fore, ut istos omnes sex in magna gloria in extremo judicii die videamus. *b*

In exsequiis patriarcha orationem funebrem habuit.

237 Subsequenti die Veneris exsequiæ ipsius solennissime celebratæ fuere; et quia infinita aderat hominum multitudo, necessum fuit, aliorum Ordinum Religiosos per portam conventus ingredi, ascendere per nosocomium et ambulacra chaustrorum, seque recipere in chorum superiorem, ut ibidem Responsoria canerent. Missam cantavit episcopus Marrochanus, orationem funebrem dixit patriarcha, in qua propter nimiæ turbæ strepitum non potuit quædam notabiliora de hoc Sancto, ut statuerat, referre, dixit tamen, licet hic Pater non esset in

A in Sanctorum album relatus nec pro inde illius sanctitas tam certa, quam canonizatorum (quorum gesta et miracula ab Ecclesia Romana accurate expensa sunt) concurrere tamen tot indicia, ex quibus illius sanctitas et gloria in conspectu Dei possit probari, ut nihil ipsi præterea deesset, nisi ut in Sanctorum album relatus fuisset.

cujus honoricam de eo sententiam ex illius virtutibus indiciis,

238 Et vero prudentissime ille locutus est. Etenim si hujusce Servi Dei virtutes expendere velimus, deprehendemus in ipso fidem vivam, ac peculiariter de Sanctissimo Sacramento; spem securissimam, et ardentissimam charitatem, qua et honorem Dei enixe procurabat, et salutem proximi ardebat vehementer. Erat insuper castissimus, et obsequentissimus prælatis suis, nec cujusquam rei, dum præerat, tam accuratam habuit rationem, nec tam severe castigavit, quam inobedientiam. Erat hnmillimus, paupertatis amans ac supra modum abstemius; mundus porro, ut aurum, ab invidia et malevolentia, et ab ambitionis vitio maxime alienus. Si autem miracula quæramus; ea multa sunt, quæ partim jam memoravimus, partim in se-

B quentibus capitibus dicturi sumus. Si signis ac conjecturis credendum sit, quod majus indicium desiderabimus, quam quod de principe supra memoravimus; quodque ipsemet mortem suam, antequam accidit, prædixerit, adeoque hoc ejusdem vaticinium invaluerit, ut multo tempore ante obitum illius publice diceretur Valentiæ ipse dies, quo ille erat moriturus.

cælesti apud corpus audita musica,

239 Quid dicemus de cælesti musica, quam audivimus eo tempore, quo corpus ejus expositum fuit in ecclesia, et dum celebrabantur ipsius exsequiæ; cum certum sit, nec ab eo temporis puncto, quo illud in ecclesiam fuit illatum, usque ad id, quo fuit traditum sepulturæ; neque etiam ipso die exsequiarum ejusdem, uspiam in tota urbe Valentia musicam habitam fuisse; idque eo etiam fuit mirabilius, quod multi eam in ecclesia audierint, atque aliqui etiam putaverint, conductos a nostro patre Priore fuisse tibicines, qui canerent: verum id falsum esse, convincitur ex ipsomet eorumdem tibicinum testimonio, qui, licet multi sint, jurare possunt, se supra dicto tempore nec in con-

C ventu nostro, nec in alio circum hunc loco ce-

a cinisse *c*.

de qua hic disseritur,

240 Si quis vero me roget, qui fieri potuerit, ut tam sonoram musicam non omnes, sed solum aliqui, audierint; respondebo, nos etiam anno MDLXIV, in festa die Corporis Christi, dum sanctissimum Sacramentum e vico Lucente portaremus ad conventum nostrum (qui fundatus est in eodem monte ac loco, ubi consecratæ fuere Hostiæ Corporalium Darocensium *d*) audivisse e cælo musicam, quæ per integræ horæ spatium duravit; et audisse plures quam mille, qui diversis e locis ad eam sollennitatem concurrerant; ut constat ex Processu ea de re confecto, qui in sacristia supra dicti conventus et ecclesiæ collegiatæ Darocensis servatur: at fuisse nihilominus aliquot, qui eamdem non audiverunt, nosque errare reputarunt. Verum ego, qui coram sanctissimo Sacramento thus adolebam, evidenter scio, non fuisse errorem, censuique ex divina providentia factum, ut non ab omnibus perciperetur, scilicet ne res naturalis fuisse judicaretur, dicereturque fuisse aliqui post quercus absconditos,

d

qui instrumenta musica pulsaverint. Hæc eadem ratio allegari potest in musica, a Deo ad hunc Servum suum honorandum concessa. A. V. J. Antistio.

fama publica, magna illius tam vivi, quam mortui

241 Si testimonia humana expetamus, quodnam certius desiderari potest, quam sancti patris fratris Joannis Miconis, qui de eo asseruit, fore illum Valentiæ velut alterum S. Vincentium? Si famam publicam audias, deprehendes, ipsum ab omnibus pro viro apostolico vereque religioso in morte æque ac in vita habitum fuisse. Et quis est, qui non admiretur devotionem, reverentiam et amorem, quibus eum diversis temporibus prosecutæ fuerunt personæ tantæ auctoritatis, quantæ erant, quas jamjam nominabimus, et quarum pars hodieque vivit? Nam non solum fuerunt, atque nunc sunt erga ipsum devote affecti prorex dominus Franciscus de Moncada, Aitonæ comes, alterque prorex, decessor ejus dominus Manricus de Lara, Nagaræ dux, et patriarcha Antiochenus, archiepiscopus Valentinus, dominus Joannes de Ribiera, qui benignum in Dei Servos animum peculiariter soluit profiteri; verum etiam multi alii prælati et illustres viri eumdem velut sanctum semper venerati sunt; ac nominatim archiepiscopus E Hydruntinus *e* dominus Petrus de Coderos; e episcopus Cordubensis *f*, qui anno proxime f elapso obiit, dominus Franciscus Martinus de Corduba; et episcopus Dertosanus *g* dominus F. Joannes Isquierdo, qui hujus provinciæ g provincialis fuit, eumque Patrem sibi subditum habuit; episcopus Marrocchianus *h* dominus Michaël de Spinosa; magnus Commendator Montesæ *i* dominus F. Petrus-Aloysius Galzeran Borgia. h i

apud illustres personas existimatione,

242 Pari modo omnes Inquisitores et Sanctæ fidei defensores, quos, quo tempore pater Bertrandus vixit, hoc regnum habuit, eumdem velut insignem Dei Servum æstimarunt; ac specialiter licentiatus dominus Joannes de Rogis, qui postea factus est episcopus Agrigentinus *k*, doctor dominus Petrus Zarate cum suis k collegis in sacro Officio, licentiatus dominus Joannes de Zugnega, licentiatus Reinosso. Ex statu sæculari dux de Cardona, marchio de Comares, dominus Didacus de Cardona, dominus Carolus Borgia dux Gandiæ *l*, dominus Christo- l phorus de Cardona architalassus Aragoniæ, do- F minus Joannes Milano comes Albaidæ, domina Eleonora Manuella marchionissa de Navarres, comitissæ Albaidæ, de Concentaina, et de Almenara, vice-comitissa de Chelua, ac demum quotquot dominos dominasque aliquo titulo illustriores in hoc regno reperire erat.

et post obitum generali veneratione

243 Eadem sanctitatis illius fama præterea probatur ex ingenti concursu hominum ad sepulcrum ejusdem honorandum, qui tres continuos dies maxima semper cum devotione duravit; quamtumque apparuit, multos peccatorum suorum prænituit, dum expenderent quam magnum præmium Deus pœparaverit electis suis, cum tantopere eos honoret in terra. Notatu quoque dignissimum est, quod, cum hujus civitatis feminæ sint naturaliter nonnihil meticulosæ et publicum fugitantes, maxime dominæ suis commodis et deliciis assuetæ, soleantque a cadaveribus abhorrere, non satis illis fuerit osculari manus; verum etiam suis manibus vultum, caput et collum devotissime contrectaverint.

244 Probatur insuper communis illa de ejusdem

A. V. J. Antistio.

dem sanctitate opinio ex desiderio, quo omnes expetierunt, non solum osculari manus, sed etiam aliquid habere ex ejus reliquiis, lacerantes vestes illius; et aliquid eorum, quæ in celle remanserant, vel librum, vel scriptum vel litteras flagitantes, avideque acceptantes etiam lascinias et lentes, quibus ad medicandum cruris plagam usus fuerat: idque fecerunt non soli sæculares, sed etiam ecclesiastici, prælati quoque et illustres titulis domini: nec solum ii, qui illius humationi adstiterunt, verum etiam absentes, qui aliquid ex hisce per litteras petierunt, quin et ipsi quoque denique fratres, qui tota vita sua cum illo fuerant conversati (quam ob rem, nisi ille fuisset tam eximius Dei servus, non tanti facturi fuissent res ejus; nam, ut habet proverbium, familiaritas contemptum parit) simul ac ille obierat, scripta illius aliave e cella ejus devotissime, certaque præterea cum æmulatione flagitarunt, ita ut patri Priori multum in iis distribuendis laborandum fuerit. Mirandum pariter est, cum quanta devotione fra-
B tres hujus ædis hodieque sepulcrum ejus invisant; sed multo mirabilius, quod multi gravesque concionatores, tam presbyteri sæculares, quam Religiosi, Franciscani, Augustiniani et Jesuitæ, de ejusdem Patris sanctitate publice disseruerint.

biographus confirmat.

quam venerationem neque ex humanis suasionibus

245 Jam vero ego peto, quis illorum omnium corda moverit. Certum est, ea non fuisse mota a nobis; nam, dum pater obiit, nulla pro ipso cæremonia usi fuimus, quam quæ pro quovis fratre solet adhiberi; non pulsavimus pro defuncto diutius solito æra campana; non induimus novis vestibus; nullum peculiare sanctitatis indicium circa ipsum reposuimus; non concionati sumus, priusquam inhumaretur; non excitavimus populum, ut illius manus oscularetur, nec ut sua illi admoveret Rosaria, aut eum invocaret, non sumus egressi conventu, ut quemquam sæcularium appellaremus; imo jam inde a principio conati sumus cohibere eos, qui similia faciebant; quin et ipsum corpus occultavimus. Tam morosos denique ac difficiles nos hac in parte præbuimus, ut quinque mensium post illius obitum spatio nihil illic dari vel offerri permiserimus, quæque a nonnullis
C allata fuerant, in quadam cella reposita occultaverimus. Pari modo in translatione corporis nos ita gessimus, ut fere tota civitas indignaretur, ac singulariter quidam viri dignitate illustres læsos se dicerent, quod, licet, nobis addicti essent, nostramque ecclesiam frequentarent, noluissemus eos arcessere.

cœptam esse, neque ex arte diabolica

246 Tam studiose vitatus fuit concursus populi, ut pater Prior, non nisi duobus tribusve hujus ædis patribus, diem, quo corporis translatio peragenda esset, indicaverit, simul vetans, ne cui id manifestarent sine sua particulari licentia; quod etiam tam religiose fuit observatum, ut unus ex iis matutino tempore diei translationis cum magnis obtestationibus interrogatus a multis dominabus et aliquot consanguineis, an eodem die facienda esset, noluerit dicere, indeque factum, ut, id altero die futurum rati, inde recesserint una hora, antequam fieret. Atque hinc manifeste probatur, nos horum omnium motuum non fuisse auctores, beatumque Bertrandum nihil nobis propterea debere. Certi quoque sumus, non evenisse illos opera dæmonis; quia vidimus, multos fuisse ea occasione peccata sua confessos, et sacra Communione refectos, quod non solue- D
rant ante, multosque restituisse aliena; alios firmiter decrevisse mundana deserere qua de re prius minime cogitaverant; ac denique omnes ad laudandum Deum excitatos fuisse. Notandum porro est, hunc Servum Dei post mortem suam nullum contulisse miraculum cuiquam, qui non fuerit peccata sua confessus, aut aliquem particularem actum contritionis excitaverit, vel ante, vel paulo post acceptum beneficium. Proinde, cum sciamus, quantum displiceat dæmoni, alios de peccatis dolore, vel sua peccata confiteri, si ipse auctor fuisset delati patri Bertrando honoris, confestim eumdem disturbasset, cernens, tam parum sibi lucri ex tanta opera accedere.

proficisci potuisse

247 Multo etiam magis, etsi in aliqua Historia legatur dæmon curasse, ut homines simplices et ignorantes honores Sanctis debitos cuidam personæ mortuæ, quæ vere non erat sancta, deferrent, si hæc recte expendantur, deprehendemus, dæmonem hoc favore seu injuria numquam affecisse quempiam, qui, dum vi-
E xit, pro bono sanctoque apud Catholicos Deique Servos habitus fuerit; sed eos, qui malo exemplo publice fuerant notati, quemadmodum legitur ille persuasisse, ut pro Sancto haberetur quidam latro, donec Martinus fallaciam detexit *m*. Simile quid accidit tempore m
Alexandri III, atque etiam longius processisset, nisi laudatus Pontifex, inventum diaboli redarguens, auctoritate sua sustulisset e medio. In Vita quoque Pii II scribit Campanus, qui fuit episcopus, quosdam Hispanos apud prædictum Pontificem importune institisse, ut inter Sanctos referret quemdam principem, qui in regem patrem suum rebellaverat, volueratque ei regnum suum auferre; Papam vero eorumdem postulata aspernatum mandasse, ut imposterum abstinerent, nec istius principis miraculis moverentur; quia, inquiebat, qui inter Sanctos referendi sunt, hos non solum oportet, post mortem patrasse miracula, verum etiam eorumdem vitam fuisse miraculosam. Pater quoque frater Paulus de Leon comperit, in quodam Asturiæ *n* n
vico certo tempore quamdam mulierem, quæ meretrix fuerat, velut sanctam virginem cultam fuisse. F

ac proinde Deum habere auctorem ostendit,

248 Hos aliosque hujusmodi curabit quidem dæmon a populo pro Sanctis haberi, quia sic hic audacior redditur ad peccandum, dum videt, velut Sanctos honorari, de quorum prava vita publice constabat, sed nequaquam de digna eorumdem pœnitententia sed ut vir pœnitens, pauperatis amator, austeræ vitæ, castus, humilis, in laboribus suis morbisque patiens, præceptis divinis et Ecclesiæ obsecundans, quique, quamdiu vixit, nulli præbuit offendiculum, post mortem suam honoretur, numquam procurabit dæmon; quia in illius honore simul honorantur omnes virtutes, redarguuntur vitia, hominesque ad Dei servitium magis animantur, dum illius servos vident tantopere honorari. itaque, si ista tanta devotio, qua homines B. Bertrandum prosecuti fuere et prosequuntur, non sit inventum humanum, nec diabolicum, consequitur, esse opus divinum; cumque Deus summa sit veritas summaque bonitas, manifestum est, honorem patri Bertrando exhibitum in vera sanctitate fundatum esse.

ANNOTATA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

ANNOTATA.

a *Psalm.* 138, ℣. 17.

b *Adi Annotata superius ad cap.* 7, *lit.* e.

c *Hanc cœlestem harmoniam ex Relatione Auditorum Rotæ Romanæ confirmavimus in Commentario prævio num.* 51 *et seq., ejusdemque etiam meminit Clemens X Papa in Bulla Canonizationis inferius danda.*

d Daroca *Hispaniæ oppidum est in regno Aragoniæ, sacris corporalibus, miraculo claris ibidem asservatis, celebre.*

e Hydruntum, *incolis* Otranto, *regni Neapolitani civitas archiepiscopalis est in ora maris Adriatici, in provincia Hydruntina.*

f Corduba *Hispaniæ episcopalis civitas est ad Bætim fluvium in Vandalitia.*

g Dertoso, Dertossa et Dertusa, *incolis* Tortosa, *episcopalis civitas Hispaniæ est in principatu Cataloniæ.*

h Marrochium *vel* Marochium *urbs Africæ est, ac cognominis regni caput et sedes regia.*

B i *Vide Annotata ad cap.* XI, *lit.* a.

k *In Sicilia. Eum Roca* Joannem de Rojas; *Rocchus Pirrus tom.* 2 *Siciliæ Sacræ pag.* 313 Joannem Roxas *vocat.*

l *Fuit hic primogenitus filius S. Francisci Borgiæ, ex Gandiæ duce tertii Societatis Jesu Præpositi Generalis.*

m *S. Martinum Turonensem episcopum indicat, qui, teste Severo Sulpitio in Vita ejus cap.* XI, *sacris adjurationibus latronem, cui tamquam sancto martyri altare dicatum stabat, coëgit conditionem æternamque damnationem suam edicere.*

n Asturia *Hispaniæ regio, regnique Legionis pars est, principatus titulo illustrata.*

CAPUT XIV.

Quædam visiones et apparitiones ad Sancti gloriam manifestandam

C *factæ recensentur.*

CAPUT XX. *Cuidam piæ mulieri divinitus conceditur*

a Præter ea, quæ jam diximus, ut hujus boni Patris sanctitas diversis modis fieret in mundo certior, Deus illam variis personis, præter principem, de quo supra meminimus *a*, revelavit, quemadmodum in hoc et sequenti capite dicemus. In vigilia S. Dionysii *b* infirmorum curator ingressus, ut patrem fratrem Ludovicum inviseret, audiit ipsum velut gemebundum vel admirabundum dicentem : Intrantne huc feminæ? Dubitavit proinde custos, an fortasse deliraret; cum certissimum esset, non potuisse tunc ullam feminam conventum ingredi. Quapropter advenienti patriarchæ verba, quæ ab Infirmo audiverat, narravit : patriarcha vero ad eum visitandum ingressus ipsi ait : Quomodo te habes? Respondit ille : Intrantne huc feminæ? Quæ feminæ? dixit patriarcha. At ille reposuit : quædam mulieres, quæ hoc mane intrarunt, ordinario pallio indutæ. Rogavit ergo patriarcha : Quid dixerunt tibi, pater frater Ludovice? Sed ille respondit : Nihil; quod patriarcha plurimum miratus est. A. V. J. Vastistio

ipsum ante obitum videre

250 Postridie quædam femina admodum spiritualis, ex Ordine S. Francisci, ait patriarchæ : Deus mihi heri mane hanc præstitit gratiam, ut, dum pro patre fratre Ludovico enixe orarem cum desiderio ipsum videndi, confestim mihi potestas facta sit, licueritque ejusdem pedes osculari. Mox intellexit patriarcha, referenda hæc esse ad ea, quæ pridie a Patre audierat, petiitque ab illa : An quidquam ei dixisti? Respondit illa : Nihil, domine. Diligenter tamen, ait patriarcha, memoriam consule. At ipsa in negando perstitit; Quia, inquiens, nihil aliud mihi fuit concessum, quam osculari pedes; unde consequitur, illam solam spiritu in conventum fuisse delatam. Quod autem pater Ludovicus dixerit Feminas in numero plurali, neminem debet morari, quia tam Latino, quam vulgari sermone, interdum pluralis numerus pro singulari usurpatur : præterquam quod dici possit, Deum eamdem gratiam, quam huic fecit, etiam aliis concessisse, quamvis id E nesciamus, desiderium enim eum ante mortem videndi ingens erat in civitate, quod persuasum haberent, sese ea ratione illius postrema benedictione potituros.

Biographi ad hæc observatio : visio eidem mulieri oblata.

251 Hanc ob rem præcipuus labor eorum, qui illius curam gerebant, erat invigilare ad portam cellæ illius : tantus eorum erat numerus, qui concurrebant ad videndum illum, tam nobiles, quam plebeii, tam ecclesiastici, quam sæculares, multique diversorum Ordinum Religiosi, qui eadem quoque de causa illuc confluebant; quorum alii desiderabant sibi ab eo benedici, alii eum tangere, quidam etiam ex præcipuis felices se reputabant, si ante ejusdem lectum flexis genibus aliquantulum manere liceret. Inter multos dignitate præstantes viros, qui ipsum sæpe inviserunt, fuit Magister Equitum Montesæ; qui cum Valentia abire cogeretur, metueretque, ut reversus vivum reviseret, considerabat, fore ut post illius obitum non posset eidem eam exhibere venerationem, quam alii illustres viri delaturi erant; ac propterea postquam cum eo paulisper fuerat locutus, ejusdem pedes amplexus et osculatus F est; quod post ipsum etiam fecit illius filius, dominus Joannes Borgia, major commendator Montesæ; quantumvis benedictus Pater, qui se movere amplius non poterat, alta voce clamaret : Ne feceris, illustrissime domine : peccator enim sum! Et sane res digna visu erat hujus illustrissimi domini planctus ex veneratione, qua in ipsum ferebatur, et magna Servi Dei humilitas. Porro quibus non patebat ingressus, ii mittebant Coronas suas Marianas, ipsi clam, ne adverteret, admovendas; oportebatque quotidie vesperi bonum earumdem numerum illius pulvino supponere; ut adeo constet, multos desiderasse ipsum videre. Fortasse igitur Deus eam gratiam non soli supra dictæ mulieri, sed etiam aliis, concesserit. Aliquot diebus ante Patris obitum eadem ista mulier viderat cælum apertum supra hunc conventum rectaque supra cellam Patris.

Cujusdem Franciscani, pro illo ad extrema deducto

252 Alteram magni momenti visionem ad nostrum de illius gloria propositum breviter referam, tacito nomine Religiosi, cui obtigit, quia noluit mihi permittere, ut se nominarem;

A. V. J. Antistio.

imo nec factum ipsum dicere voluerat, nisi in confessione; verum ego audire illum nolui, nisi coram quodam docto hujus conventus patre, concessaque mihi facultate, eum nominandi saltem apud patriarcham, et quamdam aliam similem personam. Res sic habuit: Quidam pater presbyter Ordinis S. Francisci per biennium desideraverat patrem Ludovicum, de quo tanta mirabilia audierat, cognoscere; nec potuerat desiderii sui compos fieri ante proxime elapsum mensem Augustum, in Codeglia in villa *c* patriarchæ; quamquam nec aliter cum eo locutus fuerit. Jam vero dum idem Religiosus in vigilia S. Dionysii, quæ in diem Dominicam tunc incidit, post Matutinum Officium esset in choro, cœpit orare, Deum ferventissime pro illo precans, quem audierat esse moribundum.

c

orantis mirabilis visio

253 Dum id ageret, vidit quamdam ecclesiam splendidissimam, ex qua multi clarissimæ lucis radii prodibant; ad eamque ecclesiam propius accedens vidit ejusdem parietes e crystallo auroque factos, et in illius loco medio elevatum tumulum, panno serico filis aureis intertexto coopertum, supraque illum patrem Bertrandum mortuum, circum vero tumulum vidit multas cruces aureas, et quatuor fratres Ordinis S. Dominici, duos ad caput, hique videbantur admodum senes, alios autem duos ad pedes ejus, qui juniores apparebant; et hi omnes quatuor habebant facies splendidissimas e quibus velut solares radii, non æquales tamen, procedebant. Nam qui ad caput stabat a dextris, ex hujus fronte emittebatur radius ceteris multo clarior altiusque progrediens, quam esset ipsa ecclesia; ab eo autem, qui stabat a sinistris, prodibat alter radius similis; sed ex ore; ab eo, qui erat a pede dextero, promicabant duo radii e manibus, qui similiter altius extendebantur, quam ecclesia, isque habebat apertas manus, eratque velut totus admirabilis; ex quarti pectore prorumpebat similis radius, et ille gestabat palmam in manu.

B

de ejusdem æterna salute pridie mortis illius;

254 Post hæc vidit per ecclesiæ fastigium versus altare subito adventantes duos angelorum choros, faces candidas manu gestantes, canentesque: „ Sanctus, Sanctus, Sanctus Do„ minus Deus Sabahot, pleni sunt cæli et terra „ gloria tua: Osanna in excelsis! „ Exhibebant hi angeli profundam corpori venerationem, deinde progressi in binos divisi sunt choros, retro quos accesserunt magno numero viri et feminæ, alta voce cantantes; venerabanturque sacrum illud corpus, manus pedesque ejusdem osculantes; hisque cessantibus, cœperunt denuo canere angeli: „ Benedictus, qui venit in „ nomine Domini, Osanna in excelsis! „ tuncque iste pater suis sensibus restitutus fuit. Proinde matutino tempore inquisivit, si quid novi de patre Ludovico haberetur; sed nihil intellexit usque in diem Martis. Petiit ergo veniam Valentiam adeundi, adiitque, ac die Veneris ejusdem interfuit exequiis; ut adeo Deus sancti Patris mortem ei significare voluerit pridie, quam moreretur.

C

quam visionem Franciscanus iste compulsus biographo indicavit

255 Non voluerat iste Religiosus revelationem hanc cuiquam, præterquam confessario suo manifestare; verum ille jussit eum ista omnia nobis enarrare. Distulit tamen per aliquot dies id facere; donec, arguente conscientia sua, ut sibi hunc scrupulum eximeret, statuit ire Valentiam, de eadem visione cum altero sui Ordinis fratre, qui in conventu Jesu habitabat, simulque de nonnullis aliis ad salutem animæ spectantibus rebus collaturus. Sequenti autem nocte apparuit ei in somnis prædictus frater ex conventu Jesu, aitque: Fili, surge, et vade ad Prædicatores Valentiam, eaque omnia, quæ de beato patre fratre Ludovico Bertrando nosti, istis patribus confestim dicito: quod ad alterum negotium, de quo me consulere volebas, pertinet, sic ac sic agito; qnibus verbis eidem Religioso super altero proponendo dubio respondit. Post biduum itaque venit Valentiam, totamque visionem inter pias lacrymas mihi narravit coram patre fratre Hieronymo Baptista della Nuzza, magistro in Theologia hujus conventus, qui a tenera ætate sua singularis semper filius patris Bertrandi fuit; nobisque ambobus visum est, non solum visionem, verum etiam somnium hic referre, quippe qui ex sacra Scriptura novimus, Deum interdum multa in somnio revelasse.

D

Ejusdem biographi de personis,

256 Rogavi etiam, qui essent isti quatuor alii; sed eos nequit mihi indicare, quia Deus ipsi non revelaverat; ego vero existimo, duos istos seniores, qui stabant ad caput, fuisse sanctum patrem Dominicum et S. Vincentium Ferrerium; qui vero stabant ad pedes, S. Thomam Aquinatem et S. Petrum martyrem. Ut ita censeam, inducor, quod ætas et radii hisce apprime conveniant. Simili modo S. Dominicus, quamvis in ætate annorum quinquaginta et unius mortem obierit, multis tamen itineribus ex Hispania in Franciam et Italiam ultro citroque sæpe repetitis, corporisque afflictationibus et laboribus in bello, Catholicum exercitum adversus hæreticos Albigenses decennio secutus, exantlatis sic attritus erat, ut credibile sit, ipsum omnino canum obiisse. Sanctus autem Vincentius Ferrerius sine omni dubio fuit senior omnium, quos nos inter Sanctos relatos habemus. S. Thomas Aquinas annorum quinquaginta mortuus est; ex archetypis tamen effigiebus illius non præferebat tantam moriens ætatem: denique S. Petrus martyr annos quadraginta quatuor numerans occisus est.

E

quæ in eadem apparuerant,

257 Pari ratione convenit S. Dominico habere radios in fronte, non solum, quia, dum etiam infans esset, in illius fronte visa stella est, verum etiam, quia e sacro illo capite, Spiritus Sancti gratia illuminato, et Apostolicæ Sedis auctoritate adjuto, tam grandia plenaque lucis et auctoritatis prodierunt. Primum fuit Ordo Prædicatorum, tam ample per universum mundum dilatatus. Secundum est Officium sanctæ Inquisitionis, quod ubi floret, floret fides; ubi vero non est, ibi non tantum periclitatur fides, sed etiam omne aliud bonum vergit in præcipitium: isque vir fuit primus Inquisitor, quem Ecclesia Christi habuit. Tertium fuit sacri palatii magisterium, quod semper tantæ auctoritatis officium apud summos Pontifices fuit ut nulla coram illis concio haberi possit, nisi prius a patre magistro sacri palatii examinata et recognita fuerit. Quartum est sanctissimi Rosarii sodalitium, res tanti momenti et utilitatis, ut nec Pontifices umquam illud desinant laudare, nec Deus illustrare, nec beata Virgo fovere. S. Vincentio optime congruit lux in ore, quippe qui admirandis suis concionibus Ecclesiam multum illuminavit. S. Thomas Aquinas, qui scriptis confutavit hæreses, docuit in cathedris, subministravitque tot tamque eximiis doctoribus argumenta concionandi et scribendi, dici potest

F

potest radios habuisse in manibus; sed S. Petrum martyrem, cujus pectus fuit fornax charitatis, adeo ardens, ut ille priorum Inquisitorum vestigia secutus martyrio potitus sit, quia sacri Officii adversus hæreticos exercitium cordi habebat, decuit habere pectus ornatum luce, et palmam in manu.

conjecturæ.

258 Utut sit de hac, aliisque multis visionibus, quæ, in gravium auctorum libris leguntur, ex eo, quod Sanctus aliquis a dexteris stare videatur, argui nequit, eum majori gloria gaudere, quam qui a sinistris; nec ex eo, quod quis stet ad caput, præstare illi, qui ad pedes est; Sancti enim, dum in hunc mundum veniunt, fortasse eo modo se gerunt, quo solent viri nobiles, quando inter rusticos versantur in villa, ubi nihil curant, quis cui præcedat, et salutationes, aliasque id genus cæremonias negligunt. Ceterum dici etiam potest, quod, quemadmodum hic noster Pater sanctum nostrum patrem Dominicum venerabatur præ S. Vincentio, sanctumque Vincentium præ S. Thoma, ac denique hunc præ S. Petro martyre, illi eodem ordine ad ejusdem honorandas exsequias adfuerint; Deus autem novit, quis eorumdem præcedat in gloria.

XXI. Eadem nocte qua obiit, apparuit in gloria.

259 Quamvis, qui Deo fruuntur in cælo, nostris minime egeant obsequiis, ac parum illorum intersit, suam gloriam nobis notam esse; solet nihilominus Deus eam nonnumquam Religiosis personis manifestare ad animandos consolandosque eos, qui in hoc mundo vivunt. Non inhærebo hic multis exemplis de hoc argumento referendis; cum pleni sint libri Dialogorum S. Gregorii, Opera Venerabilis Bedæ et Historiæ virorum illustrium, variorumque Ordinum Religiosorum. Quod vero Deus fecit elapsis temporibus, faciet etiam futuris usque ad finem mundi, dum ipsi placuerit, uti fecit pro gloria hujus Servi sui. Quædam pia persona, nocte S. Dionysii orationi intenta, vidit animam corona aurea redimitam a duobus angelis ferri ad cælum; viditque in ecclesia nostra eadem nocte erigi pegma, in quo sandapila cum ejusdem beatæ animæ imposito corpore reponenda esset. Mane autem audito, patrem Bertrandum obiisse, venit ad conventum nostrum, reperitque funebre pegma, quod in spiritu viderat, intuensque vultum ejus, qui cubabat in sandapila, certius cognovit, animam, quam viderat, patris fratris Ludovici fuisse.

Quatuor mensibus post obitum suum apparuit

260 Quator mensibus post, die v Februarii obiit Guilielmus Raymundus Catalano eques, multis magni momenti officiis publicis, quæ gessit, in hoc regno clarus, et ex judicio omnium, tam ecclesiasticorum, quam sæcularium, qui morienti adstiterunt, obiit pie ac feliciter. Quia vero in eo morbo beatus Pater ei sæpe apparuit, juverit hic retulisse, quæcumque se vidisse, affirmavit. Sic ea se habent. Postquam hic jam confessus fuisset peccata, ac deinde etiam leviora aliquoties eluisset apud patrem Barci e Societate Jesu, sacraque Eucharista refectus esset, et condidisset testamentum suum, quadam nocte deprehensus est parum loqui, tum paululum auscultare, ac deinde magno cum gaudio respondere. Quam ob rem, qui hoc adverterat, propius accedens rogavit, qui rei esset, cui ille respondit: Parcat vobis Deus: jam enim mihi aderant Virgo, Domina nostra, et S. Vincentius cum patre Bertrando. Aliquanto post vocavit eamdem personam, dixitque: Per amorem Dei obsecro, ne quidquam alteri dicas: sed deinde iidem Sancti ipsi rursus apparuerunt, et, quantum conjicere licet, jussus est omnia dicere. Narravit ergo hæc aliquibus, ac nominatim dominæ Franciscæ Vives de Canamas, conjugi suæ, et domino Francisco Vilterra, aliisque, qui advenerant, S. Vincentium Ferrerium, sanctumque fratrem Ludovicum veneraturi. Habebat ille caput tectum pileo, Coronam Marianam suspensam e collo et sub pulvinari cingulum, quæ hujus benedicti Patris fuerant; ajebatque, patrem fratrem Ludovicum de hisce locutum fuisse, et dixisse, ut secum veniret.

A. V. J. Austistio.

variis vicibus cum aliis Sanctis

261 Paucis horis post narravit tribus personis alterum eorumdem duorum Sanctorum cum multis accessum, asserens, venisse ad se in modum agminis supplicis Sanctos ejusdem Ordinis, qui circum lectum dispositi legebant Litanias, seque etiam ipsos nominabant; sic, ut uno dicente, Sancte Dominice, ceteri omnes responderent: Ora pro eo. Ita illi prosequebantur, nominantes non solum alios ejusdem Ordinis inter Sanctos relatos, sanctumque Raymundum, cujus ille nomen gerebat, et altare in ecclesia nostra pie visere soluerat, sed insuper multos alios nostri Ordinis Sanctos, quos numquam amplius memorari audiverit; sed speciatim ab iis nominatos ait, nostri conventus martyres, videlicet sanctum patrem fratrem Dominicum de Corduba de Montemajore, sanctumque fratrem Amatorem Espi; audivisse item nominari Pium V cum aliis summis Pontificibus, et patrem Miconem. Aiebat etiam, Pium V in eodem accessu magnum sibi præstitisse favorem, propterea que rogabat cognatam suam, dominam Hieronymam Vives de Canamas, ut, dum ad ecclesiam Prædicatorum accessura esset, multas Pio V gratias ageret.

viro nobili pioque, gravissime infirmo;

262 Asserebat insuper, dum Litaniæ Sanctorum ordinis Prædicatorum ab iis legebantur, comparuisse etiam S. Nicolaum Tolentinatem *d* Ordinis S. Augustini, peculiarem patronum suum. Narrabat præterea, se petiisse a Sanctis istis, ut vitam sibi impetrarent; verum illos id ægre tulisse et indignatos esse; patremque fratrem Ludovicum parumper turbatum manu sua ejus collum percussisse. Quod conjugi suæ referens, multum exaggeravit, dicens: O domina, quam vehemens ictus! quantum mihi dolet! Et quamvis ei tum non fuerit creditum, apparuit tamen postea, recto dixisse, quia percusserat ipsi collum, in eaque parte cruciabat eum tam grave tuber, ut intra biduum mortuus fuerit. Cumque eo interim tempore, ne viri nobiles dominæque, qui aderant, animum ab eo, quod tanti ipsi momenti erat, avocarent, oculos fere semper clausos haberet, dixit ei semel domina (Hieronyma, ne dormiret; cui ille respondit quamquam valde submissa voce) Ne existimes, domina, me dormire: adstat enim sanctus pater Dominicus, qui scipionem suum suo capiti imposuit, * et ita illius consolatione fruor *e*.

d

e

qux an vera esset visio,

263 Porro pridie, quam e vita excessit, terribilem febris accessionem passus, cum jam adesset parochus, ut extrema ipsum sacra unctione muniret, suæ menti restitutus est, dixitque, se Sacramentum illud libenter susceperum, responditque ad Litanias et omnes preces,

A. V. J. Anistio.

preces, quasi non esset ipsimet Sacramentum illud jamjam conferendum. Deinde multas preces sponte sua recitavit devotissime ; tum alterum morbi accessum passus est, ac denuo sibi restitutus fuit, sed numquam præterea loqui potuit. Intentis versus pulvinar duobus digitis, manu dominam Hieronymam Vives advocavit ; at nequibant intelligere, quid vellet indicare ; propter quod ipse suum innuebat mœrorem. Tandem quidam presbyter, Franciscus Aguilar appellatus, advertens, eum sæpius ac studiosissime indigitare versus dominam Hieronymam, quæ fuerat patris fratris Ludovici filia spiritualis, ait infirmo : Fortasse vult dominatio vestra dicere, ibi stare dominæ Hieronymæ Patrem ? Ad quæ ipse caput hilariter inclinavit, quod jam incepisset ab isto intelligi ; perrexitque duos digitos suos in eumdem locum extendere, ut significaret, non unum solum, sed duos ibi esse. Rogatus ergo, an alter iste esset S. Vin- B centius Ferrerius, annuit.

diligenter inquisitum est ; eumque ad cœlum invitavit.

264 Cum tamen dubitarent, an diabolica illusio esset, cervical aqua lustrali conspererunt, rogaruntque, an dicessissent, quod ille nutibus negavit. Tunc frater Joannes Vincentius Catalano, infirmi filius, illusionem pariter veritus exhortatus illum est, ut corde saltem diceret : Verbum caro factum est, ut visio, nisi vera esset, evanesceret. At infirmus, licet ante non potuisset loqui, clarissime respondit : « Et habitavit in nobis, et vidimus gloriam « ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, ple- « num gratiæ et veritatis. Laus tibi, Christe. » Hisce non contentus iste filius ex studio, ne falleretur pater suus, addidit : Domine, ut constet, istos non esse dæmones, dic eis, ut dicant : « Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere « nobis. » Tunc reposuit æger : Satis est, fili, satis est : nihil opus est tot experimentis. Rogatus autem, quid hi Sancti ipsi dicerent, ait, se ab illis vehementer urgeri, ut cum iis iret : tum, quid ipse iisdem respondisset, interrogatus ; dixit se libenter iturum : cumque tandem diceretur : Quis igitur dominationem vestram detinet ? Vos omnes, reposuit, verequ id dixit ; nam quotquot aderant, illius vitam a Deo flagitabant : sed Deus hanc ei C præstitit gratiam, ut illas preces non exaudierit.

Biographi de hisce

265 Multa quoque alia felix iste ægrotus vidit, dixitque, quæ, ne longior sim, præteribo, sed bona eorum pars in processum relata est ; ac nominatim doctor Hieronymus Garzia in eo testatur, prædictum dominum inter hæc omnia integerrimi sensus sanæque mentis fuisse. Porro notatu dignum est, quo modo Deus remuneret eum, qui ex amore illius aliquid boni præstat : hæc dico, quia tunc a quatuor annis eodem tempore ejusdem domini filius primogenitus, ejus futurus heres, quem magnopere amabat jamque vanis mundi studiis imbuerat, clam ipso nostri Ordinis habitum petierat a beato fratre Ludovico Bertrando, tunc Priore, qui et intra paucos dies ei annuit. Qua de re pater ejus gravissime doluit ; sed tandem sic acquievit, ut hunc primogenitum suum anno proxime secuto in festo Purificationis B. Mariæ Virginis volenti animo Deo obtulerit, certior factus a nemine ipi persuasum fuisse, ut Religiosam vitam amplecteretur, sed ipsummet sponte sua, suaque pietate motum id fecisse. Ut autem sciret genitor, hoc suum sacrificium gratum fuisse divinæ Majestati, for- D tasse hæc voluit, ut eodem tempore et in extremo vitæ suæ spatio eumdem Sancti nostri, ac præsente eodem filio, consolarentur.

observationes et conjecturæ.

265 Credo insuper, Deum hanc ipsi concessisse gratiam, quod soluisset frequenter devote invisere Sanctorum nostrorum altaria ; sed specialiter existimo, id Deum fecisse ad gloriam patris fratris Ludovici multis manifestandam per illustrem istum virum, qui, quamdiu vixerat, semper fuerat bene Christianus, sincerus, fidelis, et usque adeo orationi vocali addictus, ut ecclesiaticus potius, quam mundanus videretur ; et ad monstrandum denique, patrem Bertrandum suis stare promissis, quæ quatriduo ante mortem suam ei dederat, dum is ad Sanctum invisendum, ab eoque benedictionem postulandam venerat : tunc enim eidem dixerat iste benedictus Pater : Abi modo, domine Catalano, securus : ego certo certius recordabor dominationis vestræ, ac reipsa experieris. Simili ratione opinor, Pium V eidem E gratificatum fuisse, quod ille paulo ante capiti suo impositum habuisset istius pileolum, quem ejusdem dilectissimus nepos, Cardinalis F. Michaël Bonellus Alexandrinus, mihi donaverat præter alios favores, quibus me dignatus est in gratiam hujus conventus, quem ille primo pie inviserat ad honorandam S. Vincentii memoriam anno MDLXXI, quo a sancta Sede Apostolica in Hispaniam venit comitatus patriarcha Alexandrino Riario, nunc Cardinale meritissimo, F. Bartholomæo de Lugo, episcopo Interamnensi *f*, et F. Vincentio Herculano, *f* tunc Sarnensi *g* episcopo, nunc Perusino *h* in *g h* patria, ambobus Ordinis nostri, una cum præposito Generali Jesuitarum Francisco Borgia, magno hujus regni decore *i*, aliisque prælatis et doctoribus, ac nominatim doctissimo religiosissimoque patre magistro fratre Joanne Gallo bonæ memoriæ Invisit et alias præter jam dictas personas hic Servus Dei post obitum suum ; *i* sed suffecerit hæc retulisse.

ANNOTATA.

a *Nempe cap.* 12.

b *Id est, die* 8 *Octobris.* F

c *Quo scilicet* S. Ludovicus *salubrioris aëris spirandi gratia æger vectus fuerat, ut supra dictum est.*

d *Colitur hic Sanctus Ordinis Eremitarum S. Augustini die* 10 *Septembris, quo ejusdem gesta in Opere nostro illustravimus.*

e *Aliquod hic discrimen est cum ratione Avignoni in vitæ subdendæ lib,* 3, *cap.* 1, *num.* 4, *quem locum, si lubet, consule.*

f Interamna, *Italis* Terni, *episcopalis civitas est Ditionis Pontificiæ in Umbria.*

g Sarnum, *vulgo* Sarno, *regni Neapolitani civitas episcopalis est in provincia Principatus Citerioris.*

h Perusia *et* Perusium, *incolis* Perugia, *ditionis Pontificiæ civitas episcopalis et Umbriæ caput est.*

i *Est hic Franciscus Borgia, patria Hispanus, cujus Acta ad hunc ipsum, quo colitur, et Romano Mrl, inscriptus est, diem dedimus supra.*

CAPUT XV

A

CAPUT XV.

Instructus Processus de miraculis a Sancto post mortem suam ante translationem corporis patratis, quæ hic referuntur.

CAP. XXII. *Instruitur processus de miraculis ejus, quæ biographus,*

Deus hunc benedictum Patrem non solum, dum vixit, plurimis illustravit donis, prophetiæ scilicet, discretionis spirituum, linguarum et miraculorum, sed post ejusdem obitum honorare perrexit, multis beneficiis per illius intercessionem variis personis collatis. Hinc factum est, ut hujus civitatis *a* magistratus, Jurati appellatus, die XXIX elapsi *b* mensis Novembris apud patriarcham et archiepiscopum nostrum multis institerit, ut juberet instrui processum de miraculis, quæ per illius opem quotidie fiebant; itaque patriarcha id commisit domino Michaëli de Spinosa, episcopo Marrocchiano *c*, in cujus prudentia multum confidebat. Ex hoc Processu atque aliquot aliis particularibus relationibus, ab iisdem, qui in isto examinati fuerunt, acceptis, deprompta sunt pene omnia sequentia miracula, quæ fideliter referam, postquam duos vulgi errores confutavero.

a *b* B *c*

post refutatos binos

268 Primus est, quod putent, nulla nostris temporis miracula in mundo fieri, isque error manifestus est; cum nondum septuaginta octo anni sint, ex quo mortuus est S. Franciscus de Paula, Minimorum pater, eumque Sanctis adscripserit Ecclesia *d*; ac proinde, ipsum miracula patrasse, necesse sit. Similiter nondum ultra annos septuaginta et octo obiit B. Osanna Mantuana, de eaque tamen cum summi Pontificis facultate ecclesiasticum Officium legitur *e*, atque adeo fecit miracula. Eadem licentia abhinc paucis annis ab Apostolica C Sede facta fuit in gratiam multorum aliorum Beatorum, quod tamen nisi propter insignia miracula, non solet concedi. Egomet ad hoc propositum possum affirmare, me vidisse Romæ Processum, a patribus nostris Polonis eo allatum ad postulandam a Sanctissimo Domino nostro Papa Gregorio XIII solemnem canonizationem unius e sociis S. Dominici, Hiacynthi *f* appellati, de quo nihilominus in ista provincia dici potest Officium ex facultate a Papa Clemente VII, die 2 Februarii anni MDXXVII concessa. In hoc processu reperi, ipsum præter miracula vetera, ab anno MD usque ad MDX, patrasse (ut ita dicam) infinita, de quibus processus publici instructi fuerunt tempore Leonis X et Adriani VI *g*, et examinatos fuisse testes quadringentos et novem, qui multa ejusdem Sancti miracula asseruerunt. Idem, imo etiam plus dici potest de nostro patre S. Gonzalvo de Marante *h* Lusitano, cujus Officium Pius IV *i* legi permisit in toto dominio Lusitano.

d *e* *f* *g* *h* *i*

269 Denique, qui dicunt, non fieri nostris temporibus miracula, compellantur ire peregrinatum ad S. Mariam Lauretanam, vel ad Annuntiatam Florentiam, aut ad B. Mariam Virginem de Quercia apud Viterbium; aut, si nolint ex Hispania excedere, eant ad Montem Serratum, vel Aquas Lupias, vel ad B. Mariam Lanciæ Oppidanæ *k*, aut ad alia hujusmodi loca, et brevi videbunt, an etiamnum fiant, nec ne. Aliud, quod quidam sibi imaginantur, est, oportere, ut vera miracula subito, non autem lapsu temporis, fiant: quæ opinio nititur quodam Venerabilis Bedæ dicto in caput IV Lucæ. Ast non tam generaliter id dixisse credendus est, quasi id numquam, imo non sæpissime accidisset: nam Christus Redemptor noster, dum cæcum natum sanavit, non sanavit illum in unico momento, sed paulatim *l*; idque fecit, uti Cardinalis Caietanus in ultimo suo Jentaculo recte observavit, ut doceret, non omnia miracula in momento fieri, ut quidam volunt. Ad propositum nostrum revertamur.

A. V. J. ANTISTIO. *quorumdam errores, incipit recensere.* *k* *l*

Vir gravi narium malo multis annis afflictus, *m*

270 Primo: Gaspar Gari, Valentiæ habitans, sed natus Lucenæ *m*, ex quadam infirmitate in pueritia sua odoratum penitus amiserat, ita ut ne fœtorem quidem olfaceret brutorum, quæ in plateis mortua putridaque jacebant. Ha- E bebat præterea in naribus velut fontem perpetuo pure taboque manantem, ut admodum fastidiosum esset cum eo agere vel loqui. Jam triginta sex continuis annis eo malo laboraverat, quo interim tempore necesse fuit aquas fortes aliaque acria medicamenta ter in dies singulos adhibere; nec tamen tam molesta terribilique distillatione potuit liberari. Porro dum pater Ludovicus nostri conventus Prior erat, vir iste honestus venit ad cellam ejus, ac quater petiit, ut manum illius osculari sibi liceret, sed numquam obtinuit; de qua repulsa doluit, veritus, ne eam peccatis suis meruisset.

Sancti mortui manus osculans subito sanatur

271 In hac tam gravi permanens infirmitate, cui nullum reperire erat humanum remedium, ut intellexit, patrem Ludovicum obiisse, venit ejusdem manum osculaturus, et ingressus ecclesiam duabus personis, qui ipsi aderant, dixit: Ego volo hujus sancti Patris manum osculari, ut ipse me adjuvet; sicque accessit ad funebre feretrum, atque ambas manus osculatus est, interna voce eum precans hoc modo: Pater frater Ludovice, ego credo, te esse in F cælo; obsecro te, ut, si non volueris me consolari, dum viveres, velis nunc me consolari, dum mortuus es, orando Deum, ut me tam gravi malo liberet. Eodem autem momento temporis sensit magnam fragrantiam, magnumque levamen in capite, in naso et in oculis; nec eam infirmitatem, qua ultra triginta et sex annos laboraverat, umquam deinceps passus est, hodieque omnes sentit odores, nec cuiquam fastidio amplius est fœtore, qui ex ea fistula olim prorumpebat

Febris, dolor dentium,

272 Francisca Ferrera, uxor Michaëlis Joannis Benedetto, viri nobilis in hoc regno, eodem die, quo hic pater mortuus est, venit eum visura, ejus corpus venerandi gratia: quæ cum domi reliquisset filiam suam Viucentiam, prægravi febri continua ac vehementi pectoris angustia laborantem, reversa domum ejusdem digito inseruit annulum, quem dictus Pater, nescio, quo tempore, ob infirmitates suas portaverat; moxque febris eam dimisit, et angustia pectoris cessavit. Ursulæ, Antonii Joannis Salastre conjugi, jam triduo intolerabili dentium

A. V. J. Antistio.

tium dolore cruciatæ, ad januam illius veniens cæcus quidam dixit, se beati fratris Ludovici corpus veneratum fuisse, et habere sudarium, quod ad Servi Dei manus vultumque fuerat admotum. Accepit hæc illud ab eo, eodemque vultum suum leviter fricuit, ac mox dolor omnis abscessit. Uno mense post idem malum eamdem corripuit; sed reordata, se habere Coronam Marianam, quæ sudarium istud attigerat, eamdem sibi applicuit, et spatio, quo quis bis terve symbolum Apostolorum recitasset, eo malo libera evasit.

tuber, apostemata, oculi malum, sanguinis fluxus

273 Joannæ Villalba, puellæ annorum octodecim, sub aure dextra enatum fuerat tam fœdum carnosum tuber, ut altera auris esse videretur; jamque tribus quatuorve mensibus laboraverat illud sub sua calantica celare. At ipso, quo Pater humatus fuit, die postquam illa ipsius pedes semel, manus autem quater osculata fuerat, ejusdem manum ad malum admovit, idque extemplo cessavit. Deinde vero post aliquod tempus deprehensum sub ejusdem puellæ sinistro brachio tuber est magnitudinis mali cotonei, quod quatuor mensibus ante cœptum fuerat. Sed cum ipsa frustulum vestimenti Servi Dei eidem applicasset, mitigari cœpit, et illa quindecim dierum spatio plane incolumis evasit. Cumque deinde etiam aliud tuber simile priori in sinistro *n* brachio excrevisset, eodem usa remedio sanata fuit. Isabella Esserila graviter laborabat ex oculo dextero, sed manum Servi Dei eodem, quo sepultus fuit, die osculata, eodem momento sanata fuit. Quædam vidua, appellata l'Arenosa, fluxum sanguinis triennio passa, post datum die sepulturæ Patris manui soculum confestim pariter incolumis facta est.

ac vomitus curata: infans periculo exemptus.

274 Sperantia, filia Petri Tudo, sanguinis vomitu laborans, nullum reperiebat tanto malo remedium; sed postquam Dei Servi pedi oscula fixit, stetit sanguis deinceps, cum malum istud antea octodecim mensibus passa fuisset. Eodem die in Musero Vincentius Matthæus, puer duorum annorum, naribus suis inseruit Chufam (est quædam radix dulcis, quæ in hoc regno gignitur) itaque ipse e matutino tempore usque ad vespertinum in maximo cruciatu fuit, nec mater, nec avia, post multa tentata ullum, quod prodesset, repererunt remedium. Puero itaque in summo versante periculo, pater ejus Simon Alvarado recordatus est patris Bertrandi, cujus mortem tunc intexellerat, dixitque: O pater frater Ludovice, si tu sanctus es, ut ego credo, noli permittere, filium meum sic mori; ac subito vidit chufam istam e pueri naribus prodeuntem; isque omni periculo exemptus fuit.

Papulæ, variaque alia

275 Gregorius, filius Joannis Marci notarii, puer quatuor annorum, cum jam triginta dies puerilibus papulis laborasset, quibus in vultu totoque corpore erat plenus, nec videre posset, nec loqui; tandem etiam crura sic contraxit, ut genua pectori admoverentur. In latere quoque sinistro tantum patiebatur dolorem, ut nequiret quiescere, sed diu noctuque clamaret. Cumque nulla salutis spes affulgeret, non deerat, qui ejusdem mortem a Deo precaretur, ut cessaret pati. His mota soror ejus, dicta domina Anna, tertii Ordinis S. Francisci, patre fratre Ludovico freta, postridie sepulturam illius vesperi frustum tunicæ, in qua sepultus fuerat, lateri pueri applicuit, recitans interim Pater noster et Ave Maria; atque ita pro ratione applicati centonis cessavit dolor, noctuque ille extendit crura, non secus atque nihil mali passus fuisset, ac postero mane a nemine adjutus, per domum incessit. Quam ob rem soluerat puer iste dicere, se a patre fratre Ludovico sanatum fuisse; et quotiescumque aliquem ejus doloris pruritum sentiret, advocabat sororem, ut illius reliquias parti, quæ dolebat, applicaret; quo facto, mox erat incolumis, idque sæpe evenit. Denique jam omnino sanatus voluit eum tunicæ centonem semper penes se habere.

mala, usu laciniæ vestis illius

276 Eadem infirmitas cum gravissima febri ejusdem Gregorii fraterculum annorum septem postea invasit (vocabatur hic Blasius, et S. Dominici habitu induebatur) maximeque circum oculos gravabat. Prædicta itaque soror aliquid ex patris Ludovici vestibus ipsi imponens recitavit Pater noster et Ave Maria, vovitque, fore ut etiam altero anno eumden habitum gestaret: nec mora siccatæ sunt papulæ circum oculos, cessavit febris, et reliquæ papulæ sine ulla febri eruperunt. Paucis diebus post mortem Patris dominus Joannes Buil de Arenos, toparcha de Alsasar, tradidit dominæ Isabellæ, filiæ suæ, frustum tunicæ patris Ludovici conservandum. Quod cum audivisset quædam illius serva, gravissime infirma, dixit dominæ Isabellæ: Domina, illudne est ex habitu illius boni Fratris, quem dicunt obiisse? Et, affirmante illa, serva eo in manu accepto caput et vultum suum perfricuit; et dolor omnis confestim recessit, ipsaque convaluit. Hoc audito, quidam puer rustici de Alsasar, in eodem lecto e gravi tertiana febre decumbens, eodem se frusto attingens, subito evasit sanus.

a variis abacta

277 Idem dominus Joannes quodam vespere domum reversus, offendensque nutricem unius filiarum suarum oculis tam graviter afflictam, ut oporteret, eam semper in obscuro loco morari; eodemque malo etiam teneri ejusdem nutricis filiam, quæ decem circiter annorum erat, alteram insuper ipsius domini Joannis eodem morbo cœpisse conflictari; ipsemet duas puellas iisdem reliquiis attigit, et illius filia nihil amplius mali sensit; altera, quæ nutricis erat, mox oculos aperuit, et postridie omnis mali expers fuit; nutrix vero, quæ servum Dei non noverat, non curavit eisdem reliquiis uti; totaque nocte sequenti, quamquam medicinam aliquam adhibuisset, præ gravi oculorum dolore clamavit. Postero mane ait illi dominus Joannes: Nutrix, exigua tua fides et parva devotio, quam erga hunc sanctum Virum concepisti, fecit, ne sanata sis, sed, si recitaveris Ave Maria, ego per devotionem, qua in ipsum feror, te sanabo: itaque eodem tunicæ frusto ab ipso tacta cœpit convalescere, ejusdemque diei vespertino tempore omnis mali expers fuit. Hisce ita gestis, cum ejusdem filia Isabella gravi unius genu malo torqueretur, ex quo non poterat, nisi difficillime, se movere, et interluniis etiam immobilis hærebat; nec cessaret plangere præ vehementi dolore, nec medici ullum huic malo scirent remedium, maritus illius Dassier, Valentinæ civitatis syndicus, eam memorem fecit prædictarum reliquiarum patris Bertrandi, quas simul atque illa sibi applicavit, nullum amplius dolorem sensit.

278 Dominus

A *ab alio item malum oculorum usu conspicilli ejusdem*

278 Dominus Balthasar Escriva ex uno oculo laborabat gravissime, et jam duobus mensibus nequiverat domo egredi, aut aliquod levamen reperire; nataque in eodem oculo periculosa albugine, cœpit etiam dolere ex altero. Domina Catharina mater ejus pro certo habebat, eum cæcum futurum; sed Franciscus Aguilar, presbyter beneficiatus in S. Joannis, geminum conspicillum, quo pater Ludovicus usus fuerat, ei attulit, quod ille osculatus suis oculis magna cum devotione sæpe imponens cœpit subito sentire levamen, neque ullum aliud volens admittere remedium, quatriduo omnino factus incolumis est.

alter, facto ipsi voto, grande periculum evasit:

279 In vigilia Omnium Sanctorum cum Melchior Josephus de Castro scalam in modum cochleæ factam ascenderet, hæc sub ejus pedibus rupta est, et ipse suis manibus suspensus hæsit ex uno graduum, qui jam motus erat et velut avulsus a pariete; quare ipse in magno labendi discrimine versabatur; habebatque præterea crus gravissime læsum a lapidibus, qui deciderant. Ita ille constitutus vovit Deo, se visurum fratris Ludovici sepulcrum, ibidemque oblaturum imaginem ceream, si istud periculum evasisset, et convaluisset a vulneribus. Post hæc ingressus lectum est, admodum fatigatus ex labore, plagisque et metu, quo correptus fuerat. Postridie autem mane expergefactus vidit quemdam in cubiculo suo splendorem, et confestim sanus effectus est, nullo etiam superstite plagarum vestigio; sed solum deprehensum est, ipsum in somnis multum sanguinis fudisse.

B

alia dolore lateris, alia fluxu sanguinis.

280 Mense Novembri tantus lateris dolor Mariam Annam Benedetti corripuit, ut manus pedesque subito fierent frigidissimi, et totus vultus mutaretur; sed imposito ipsi a matre sua Francisca Ferrera hujus sancti Viri annulo, de quo supra memini, extemplo restituta sanitati fuit. Euphemia Fontana, Philippi Fusero conjux, ex continuo terribilique fluxu sanguinis se habebat pessime. Quam maritus ejus jam admodum debilem mortique propinquam conspicatus, dedit ipsi frustum vestis Servi Dei, quod devotissime recipiens, sese ipsi lacrymabunda commendavit, eodemque momento sensit, sibi reddi vires suas, nihil amplius sanguinis emisit, et postridie e lecto salva descendit.

C

altera angore mentis, liberata

281 Soror Anna Marca Tertiaria, Ordinis S. Dominici, non poterat in animum inducere, ut pro patre Ludovico, sicut pro aliis defunctis fieri solet, oraret; sed multo magis semetipsam commendabat, illi, ut pro se Deum precaretur. Qua ex re quæpiam persona ipsi injecit scrupulum de peccato mortali, asserens, quod, quia ille nondum erat inter Sanctos ab Ecclesia relatus, non liceret ipsum invocare. Quo audito, ipsa vehementissime doluit, nullamque animi quietem inveniens, sese ad Patrem convertit his verbis usa: Pater mi, ego credo, te esse in paradiso beatum, tibique promitto, me ad tuum sepulcrum portaturam cor argenteum, si me hac tanta amaritudine liberes: nec mora, liberam se hilaremque sensit. Quod vero ad scrupulum pertinet, aptius in ultimo capite loquemur.

Similium reliquiarum usu malum brachii, surditas,

282 Angela Melchiora Garzia, puella triginta duorum annorum, gravi dextri brachii dolore affligebatur, ut eo vix uti posset; cumque lavisset linteum, nequiit amplius tractare, timuitque, ne ejusdem usu penitus distitueretur: sed quia laborabat cum aliis, non poterat sibi parcere. Quam ob rem dedit ei domina Beatrix Diffar frustum scapularis hujus sancti Viri, quod ipsa suo brachio devotissime applicuit et post triduum sanata fuit. Hæc eadem asserit, se, cum tantum sibi dolerent oculi, ut viderentur e capite prosilire debere, eos iisdem reliquiis tetigisse, et subito sanatam esse. Catharina Occagna, puella ætatis annorum sedecim, facta fuerat omnino surda, itaque per octiduum mansit gravissime afflicta semperque dolens et plangens, quod reliquo vitæ suæ tempore sic esset permansura. Hinc pater ejus tantum contristatus est, ut pro ea sananda, quidquid possidebat, libenter fuisset expensurus. Sed quodam vesperi arcessiverunt patrem fratrem Joannem Ferrero, conventus syndicum, qui ipsi Euangelia legit, ejusdemque fronti paululum e vestibus patris Bertrandi admovit; et frustum fasciolæ, qua ipse plagam cruris sui obligare soluerat, applicuit auribus, formato cum eodem frusto signo Crucis. Confestim puella cœpit audire, retulitque, quæcumque illi dicebant. Paucis diebus post eadem gravissime doluit e capite, impositoque ei earumdem vestium frusto, sine mora convaluit.

A. V. J. Antistio.

E

et ab illustri adolescente scrofulæ ablatæ

283 Dominus Michaël Sanz, adolescens annorum tredecim, totum collum suum ulceratum habebat scrofulis, quibus uno anno ac dimidio cruciatus fuerat: avia autem ejus, domina Castellana Sanz, multa in medicos et medicamenta expenderat sine fructu. Venit tandem adolescens ad hanc domum, ibique de peccatis suis confessus frustum tunicæ patris Bertrandi suo collo apposuit; nocteque subsecuta cœpit melius se habere: deinde ter legit Officium Defunctorum ad sepulcrum illius, ac postridie, quæ erat Vigilia Nativitatis Domini, omnia ista colli foramina conclusa et bene sicca comperit. Quod sane ingens miraculum fuit.

Insignis duarum feminarum sanatio.

284 Quædam mulier, elocatæ sibi domus domini Joannis Mugnozzo inquilina, Saia nomine correpta malo fuit, quod hic Valentiæ Pelo di mammella o appellatur, biduoque acri febri laboraverat cum acutissimo dolore pectoris, in quo admodum durum tuber patiebatur; ac præterea brachiorum alterum sic contractum erat, ut id nequiret extendere. Verum cum domina Magdalena Mugnozza Borgia paulo ante simili malo laborasset, sanataque fuisset usu frusti vestium patris Bertrandi, suasit hæc domina, ut ipsa eodem remedio uteretur. Fecit hoc illa libenter, et, quo temporis spatio Symbolum Apostolorum recitari potest, cessavit dolor, potuit extendere brachium, et febris quoque paulo post eam deseruit, resolutoque deinde dicto tumore, omni ex parte incolumis facta est. Hoc advertens domina Magdalena cœpit angi scrupulo, quod, ut soluerat, istas reliquias tam sancti Viri collo suo appensas haberet, ideoque inde sustulit, alioque in loco servavit; sed pristinus ei dolor rediit, ac propterea ipsa quoque eas resumpsit, et denuo convaluit.

o

F

Cuidam fluxus e capite, alteri vulnus curatur

285 Mense Decembri anni MDLXXXI Francisca Ferrera, uxor Michaëlis Joannis Benedetto, cum nullum invenisset vehementi distillationi, multo cum dolore e capite procedenti, remedium, frustum scapularis dicti Patris eidem imposuit, et subita sanatione gavisa fuit.

Cum

A. V. J. Antistio. Cum Petrus Monclus, litterarum studiis operam dans, qui supra dictam Coronam Marianam penes se habebat, forte veniret circa domum, ubi erat quidam vir graviter ac periculose vulneratus in capite, rogatus a nonnullis, ut ægrum inviseret, accessit, factaque Coronæ mentione, æger eam inflicto vulneri cum pio animi sensu imposuit, eo cum successu, ut subito cœperit convalescere, promteque incolumis, mirantibus chirurgis, evaserit.

ab aliis mala uberum, 286 In die Innocentium Gaspar Periz reliquerat domi suæ Joannam Vasquez optime se habentem; sed eodem reversus mortuam potius, quam vivam, comperit; vehementi quippe correptam febri, gravique pectoris et unius mamillarum dolore, et contracto insuper brachiorum altero. Qua de re vehementer attonitus rogavit eam, ut sese patri Ludovico commendaret; verum illa eo non contenta, curavit sibi præterea afferri particulam habitus ejusdem Patris, ac confestim se melius sensit, obdormivitque, et post somnum plane sanata fuit.

B Angela Vera, conjux Corvo notarii, tribus vicibus, quibus peperierat, semper graviter laboraverat ex mamillis, ut velut fureret præ dolore, nec, nisi una mamma prolem suam umquam lactare potuerat. Peperit quarto ante festum Nativitatis Domini proxime elapsum, idemque solitus pectoris dolor eam quinque vel sex dies cruciavit. Quare filius ejus illam tam afflictam videns, ait : Mea mater, cum tam multa dicantur de patre Bertrando, commenda te ipsi : repertumque paululum e scapulari ejusdem in illius pectore deposuit. Ita dolor simul et infirmitas subito cessarunt, potuitque ipsa utraque mamilla suum filium commodo lactare.

ab illis morbi oculorum aliæque infirmitates 286 Mater soror Agullona Tertiaria, Ordinis S. Francisci, postquam aliquot annos laborasset ex oculis, eaque de causa plus ducenties (quod, etsi fieri nequiisse videatur, certum tamen est) detractus ei sanguis fuisset, visum amisit, ita ut pene nihil amplius videret, et admodum male se haberet. Sortem illius miseratus episcopus, dominus Michaël Spinosa *p*, signavit oculos ejus ora cinguli patris Bertrandi; ipsaque

p

C confestim cœpit videre, nec amplius oportuit sanguinem ex ejus oculis elicere. Die x Februarii domina Maria Costa post sumptum medicamentum vehementer commota tantoque malo correpta fuit, ut, impedita lingua, nullum posset verbum proferre, totaque tremeret; accessit etiam tantum animi deliquium, ut nec sciret, quæ dicerentur, nec ipsum, quo affligebatur, malum adverteret. Hæsit sic circiter duabus horis, post quas Servi Dei recordata, arculam, in qua erant quædam reliquiæ leviri sui, nutibus petiit. Itaque maritus ejus Jacobus Bertrandus eidem procumbenti in genua et gemebundæ, utque poterat, Patrem invocanti frustum tunicæ illius ad guttur admovit; nec mora, ipsa recte et distincte locuta est, desiitque tremere, mirantibus omnibus, ac peculiariter doctore Reguart, factumque pro grandi miraculo habentibus.

graves simili remedio depelluntur. 287 Domina Anna Guasco, matertera *q* Servi Dei, graviter decumbebat ex febri quotidiana; sed etiam magis affligebatur ex intensissimo dolore, quæ intra decem dies eam omni sensu in dextra parte capitis privaverat. Ut huic malo mederentur, absciderant ei capillos, et octies detraxerant sanguinem sine ullo profectu; imo

q

se mori et deficere, sentiebat. Accessit ad eam, D ejusdem confessionem excepturus, unus e patribus hujus conventus, qui miraculum, quod paucis diebus ante pater Bertrandus patraverat, ei enarravit. Hinc ipsa ex consilio mariti sui Galeranni Bou, non solum illius opem invocavit cum voto offerendi, si sanaretur, capitis argentei, verum etiam caput suum pileolo Servi Dei tetigit. Quo tempore bis recitari posset psalmus Miserere, diminutus est dolor, et nocte penitus cessavit. Contigit hoc die x Februarii.

Varia beneficia collata illustri puero, 288 Ultima die Octobris dominus Joannes de Castelvi, puer trium annorum et dimidii, erumpentibus cum acri febri puerilibus papulis, totus contremuit, nec pedibus consistere potuit; quam ob rem illius amita domina Maria de Castelvi imaginem S. Michaëlis, quam pater Bertrandus soluerat in Breviario suo circumferre, illius capiti imposuit, isque mox quievit. Cum deinde post biduum triduumve magno dolore brachiorum cruciaretur, instanter rogavit, an iis in locis non fuisset tactus. Tunc iis involutis fascia, facta ex linteo, quo E Pater in postremo morbo suo usus fuerat, omni dolore statim liber fuit. Post aliquot dies jam febris expertem suis vestibus induere voluerunt, sed eum media sui parte deorsum captum comperere, maxime pedibus et cruribus, quibus dum insistere jubebatur, dolebat flebatque amarissime. Adverterunt insuper, in dextro ejusdem lumbo os quoddam notabiliter prominere, quæ res admodum difformis apparebat. Recordantes ergo prædictæ fasciæ, ea pedes obvolverunt, moxque se melius sensit. Interea vero dum sanaretur, dixit matri suæ : Domina, liga pedes meos fascia sancti Patris; fortasse sanabit pedes meos, ut sanavit brachia. Nec spe sua puer iste falsus fuit; nam intra paucos dies non solum potuit incedere, sed, ut ante, currere; nec ullo alio adhibito remedio, os quoque illud suo repositum loco compererunt. Diligenter etiam observarunt, easdem fascias, mundandi causa bis lotas, numquam amisisse fragrantiam, quam contraxerant, ex quo Pater in eo linteo dormiverat:

in cujus familiam ille etiam alias fuit beneficus. 289 Multa præterea alia miracula aliis ejusdem domus personis contulit, ac peculiariter dominæ Mariæ, ad quam illius, dum viveret, dicta juverit observasse. Nam aliquando ipsam in adversis consolans, ei ait : Domina mea, utere mea opera; quotiescumque volueris, semper me invenies paratum ad solandum te; cumque ipsa illum, dum vixit, nihil umquam rogasset, voluit ille post obitum suum eidem benefacere ejusque preces exaudire. Dominæ Raphaëlæ de Castelvi grandi dolore in una aurium cruciatæ die xviii Martii is etiam in altera tam vehementer crevit, ut jam nihil penitus audiret; indoluitque, quod ab ipsa juventute sua surda maneret; sed recordans, se habere quamdam Patris fasciolam, quam ob alias infirmitates soluerat circa cor suum gestare; unam ejusdem oram uni auri, alteram alteri admovit, cum ex earumdem altera multa sanies subito manavit, ipsaque penitus salva mansit. Triduo post eodem usa remedio est adversus sanguinis fluxum ex suo oculo dextro; atque hic quoque Servi Dei opem experta fuit.

Oppilatio stomachi et surditas curatæ 290 Laborabat dominus Joannes Vives de Canamas tam gravi stomachi oppilatione, ut nec cibum digerere, nec aquam frigidam bibere

A re posset, ac proinde in senectute sua vehementer affligeretur : verum ejus filia, domina Hieronyma, dedit ei bursam, quæ Patris fuerat, eaque imposita stomacho sine mora ille melius se habuit, et cessante oppilatione omnino incolumis factus est. Cum domina Ludovica Borgia, domini Joannis de Cardona conjux, multo tempore surda fuisset, curavit novem Missas ad sepulcrum Servi Dei fieri, quæ nondum omnes lectæ erant, quando jam optimo auditu gavisa fuit.

A. V. J. Antistio.

CAPUT XVI.

Sacri corporis translatio, et miracula vel beneficia aliquot, per illius invocationem post translationem obtenta.

Cum hujus Servi Dei miracula in dies singulos multiplicarentur, antequam novum illius sepulcrum perfectum esset, studuit pater Prior ejusdem corpus transferre, ne intromittendi in chorum essent, qui Missas ibidem celebrandas commissuri continue accurrebant. Decrevit autem hanc translationem secreto exsequi in nocte Vigiliæ Annuntiationis B. Mariæ Virginis, non pluribus, quam viginti aut triginta, iisque omnibus illustribus personis præsentibus; sed nescimus, qua ratione id consilium per universam civitatem sparsum fuerit. Hinc cœpit magna hominum multitudo confluere, ut non licuerit ei facere, quod volebat; maxime quod patriarcha minus recte se haberet. Quapropter cum ejusdem bona gratia remissum negotium fuit in diem posterum; sed, cum jam multi prævidissent, id futurum noctu, et adesse statuissent, patri Priori expedire visum est eos prævenire, idque paulo ante meridiem circa horam prandii facere, quod crederet, ea hora neminem illic affuturum præter eos, qui peculiariter advocati fuissent, nec numerum triginta essent completuri.

CAP. XXIII. *Differtur translatio in diem crastinum,*

292 At populus conspicatus, ejusmodi hora patriarcham intrasse per portam conventus, et per ecclesiæ portam proreginam, dominam Lucretiam de Gralla et de Moncada, cum minori, quam solito, comitatu, subito intellexit, quod res erat. Cum patriarcha nulli veniebant, quam episcopus et aliquot famuli et domestici ejus; cum proregina vero filius ejus, dominus Gasto, pedissequæ, dominus Hieronymus Ruiz de Corella, ejusdem gener, et aliquot famuli : sed non potuere tam cito occludi fores, quin plures quingentis vel sexcentis personæ adessent, atque inter eas multi nobiles et illustres viri, multæque dominæ et doctores.

quo coram magna populi turbine

293 Aperto sepulcro corpus inventum est integrum, omnis corruptionis ac fœtoris expers; itaque inde exemptum est non sine uberrimis lacrymis circumstantium, dum illud viderent; vique ac verbis contendentium id osculari et Coronas Marianas eidem admovere. Postquam vero patriarcha et episcopus noster magna cum humilitate, devotione ac spirituali gaudio illius pedes osculatus fuerat, illud sollicite et difficulter, veriti, ne quemadmodum antea duo resecti fuerant digiti, tota manus abscinderetur, ad novum portavimus sepulcrum. Postero die statim post meridiem, cum sepulcrale saxum male aptatum esset, oportuit illud amoveri, eaque occasione corpus secundo inde extulimus; quod quamvis tam secreto agitatum fuisset, ut id eo usque difficulter sciverint aliquot conventus fratres, adfuere nihilominus

corpus integrum transfertur : postridie iterum levatur e tumulo

ANNOTATA.

a *Valentiæ scilicet, ubi Antistius scripsit.*

b *Nempe proxime elapsi, dum scribebat biographus.*

c *De quo supra jam crebra facta est mentio.*

d *Obiit S. Franciscus de Paula anno* 1507, *anno* 1518 *a Leone X Sanctis adscriptus, colitur die* 2 *Aprilis, quo ejusdem insignia gesta ac miracula in Opere nostro legere est.*

e *De B. Osanna Andreasia, Mantuana;*
B *egerunt Majores nostri ad diem* 18 *Junii, ubi ostenditur illa anno* 1505 *defuncta esse, et anno* 1515 *a Leone X permissa coli.*

f *Hujus quoque Sancti, a Clemente VIII sanctorum Confessorum Catalogo adscripti, gesta ac gloriam posthumam illustrata apud nos habes ad diem* 16 *Augusti, quo colitur.*

g *Horum prior Leo X Universæ Ecclesiæ præfuit ab anno* 1513 *usque ad* 1521; *Adrianus VI, ejusdem proximus successor, ab anno* 1522 *usque in* 1523.

h *De hoc Beato etiam actum apud nos est ad diem* 10 *Januarii.*

i *Pius IV summum Pontificatum tenuit ab anno* 1555 *usque* 1559.

k *De hisce celebribus sanctissimæ Dei Genitricis sacrariis hæc pauca accipe* : Lauretum, *incolis* Loreto, *parva Italiæ civitas episcopalis est, ditionis Ecclesiæ in Marchia Anconitana* : Florentia, *Italis* Fiorenza, *ampla et elegantissima Etruriæ civitas archiepiscopalis, Magnique Ducis sedes* : Viterbium, *vulgo* Viterbo, *episcopalis item civitas est in ditione Ecclesiæ, et Patrimonii caput* : Mons
C Serratus, *vulgo* el Montserrat, *in Catalonia, Hispaniæ principatu* : Aquæ Lupiæ, *vulgo* Guadaloupe, *oppidulum Hispaniæ in regni Legionensis provincia Extremadura : ac denique* Lancea Oppidana, *vernacule* la Pena di Francia, *in regno item Legionensi. Ceterum hæc loca omnia sanctissimæ Virginis cultu ac miraculis celeberrima sunt; sed non est hujus loci de iisdem agere.*

l *Lege caput* 8 *Marci; quamquam cæcus ibidem a Christo sensim curatus non dicatur* cæcus natus *fuisse.*

m Lucena *Hispaniæ oppidum est in Vandalitia.*

n *Fortasse aut hic vel supra legendum est :* dextero.

o *Mamillarum morbus est.*

p *Episcopus Marrochianus scilicet, de quo jam aliquoties superius facta est mentio.*

q *Vel* amita, *seu* patris, *seu* matris; *Italice enim est* : Seconda zia.

A. V. J. Antistio.

plures ducentis sæculares; fuitque spectaculum multæ devotionis, cum omnes sigillatim perfusi lacrymis manus ejus osculantur, Deo gratias agentes : quod etiam fratres conventus devotissime fecerunt.

et abscinditur ab eo digitus, moribundæ mox salutaris.

294 Quia vero die sequenti, quo minimus alterius manuum illius digitus ruptus jam fuerat jussit me Prior eumdem resecare, ut aliquæ illius reliquiæ haberentur; accidit, ut, dum hunc digitum abscinderem, thecæ argenteæ includendum, audiverim, dominam Isabellam de Escriva in periculo proximo mortis versari, medicosque velut omnem de ejusdem salute spem abjecisse. Proinde rogatus ab illius matre eumdem digitum ipsius capiti imposui, cœpitque ipsa illico convalescere, ut intra paucos dies lectum reliquerit.

Auctoris de incorruptis vestibus observatio,

295 Nunc referam aliquid, quod post translationem contigit. Pater Provincialis et pater magister, frater Joannes Vitale, ipso, quo ille
B translatus fuit, die primum sepulcrum ingressi in eo paulo minus media hora permanserunt, exuentes corpus vestibus, in quibus fuerat humatum, quæ erant omnino laceræ et incisæ (quod factum ab iis fuerat, qui easdem voluerant ex devotione sibi rapere) illudque aliis candidis mundisque induentes : neque ullum ibi olfecerunt odorem; quod ipsos plurimum exhilaravit. Contra dum vespere post translatum corpus eas veteres vestes inde amovebamus, ipsissimo infectæ odore erant, qui vestium cadaverum esse solet; erantque plenæ vermibus albis et nigris, quod non exiguam mihi admirationem movit. Nec dubito, quin hoc ex divina providentia factum sit, ut adverteremus, magnum esse miraculum, quod corpus manserit tam integrum fœtorisque expers in loco, qui cum propter perpetuo in eum stillantem aquam humidus sit, potuit putrefacere vestes, nec tamen putrefecit carnem, quæ naturaliter facilius putrescit; quodque vermes, quorum innumeri illius vestimenta comederant, se non paverint corpore. Magna denique admiratione dignum est, quod eædem vestes intolerabili suo putore omnia inficerent, ita ut, dum in nostræ cellæ horto explicatæ erant, nullus ad eas valuerit accedere; ac nihilominus prædicti
C patres, quamdiu in illius sepulcro fuere, nullum senserint fastidium, nullum fœtorem, nullamque immunditiam in iisdem contrectandis compererint; imo non solum nullum olfecerint putorem, sed etiam aliqui, dum sepulcrum aperiebatur, suavissimum odorem experti fuerint.

et pia admonitio.

296 Ego tam hosce, quam illos, qui in illius obitu splendorem viderunt, atque etiam istos, qui cantus audierunt, ac denique omnes alios, quibus Deus voluit aliquid peculiare, quod ad hujus sanctissimæ animæ gloriam spectet, monstrare, moneo, ne propterea sese aliis præferant : neque enim id a majori vel minori merito solet procedere, sed ab arbitrio Omnipotentis : at studeant hujus sancti Viri imitari humilitatem, patientiam, amorem solitudinis, modestiam, corporis castigationem, ac denique puritatem et castimoniam; ne de ipsis dici possit, quod Christus dixit apud S. Matthæum et S. Lucam : « Væ tibi, Corozain; « væ tibi, Bethsaida : quia, si in Tyro et Si« done factæ essent virtutes, quæ factæ sunt « in vobis, olim in cilicio et cinere pœniten« tiam egissent *a*. » Modo aliquot miracu-

a

la, quæ post translationem contigerunt, subjiciamus. D

Sanctus apparens virum malo manus,

297 Quidam officialis, Portero nomine, in Alventosa natus, jam viginti duobus annis in carpo manus suæ velut vesicam magnitudinis nucis mediocris gestaverat, quæ frigente aëre plurimum inflâbatur tanto cum dolore, ut laborare nequiret. Huic die festo S. Vincentii Ferrerii *b* in mentem venit de sanctitate patris *b*
Bertrandi, et postquam peccata sua apud patrem fratrem Hieronymum Gasco, Ordinis Minimorum, confessus fuerat, oravit patrem Bertrandum, ut per amorem Dei in cælo sui recordaretur, et sanitatem sibi impetraret. Post duas noctes somniavit, intrasse in cubiculum suum illum benedictum Patrem, in eodem corporis habitu vultuque benigno, qualem ipsum viderat, dum ejusdem defuncti manum osculatus fuit. Dum autem sic dormiret, manum versus Patrem extendit, sensitque vesicam illam a digito admodum molli sibi rumpi a parte inferiori; quod dum fieret, experrectus est, seque unico temporis momento perfecte E
sanatum comperit, nullo ejus mali relicto vestigio : quod subitaneum miraculum fuit.

mulierem periculoso morbo,

298 Catharina Augustina Borgia die III Aprilis cœpit terribilem infirmitatem sentire, quam suspicabatur, fortasse quamdam rabiei speciem aut saltem initium esse; propterea precabatur Deum, ut tam intensum dolorem levaret, aut se mori permitteret. Dominica sequenti, quæ Olivarum *c* fuit, venit in tempore ad ecclesiam *c*
nostram, ut pro more suo benedictioni olivarum interesset; sed tam conturbata, ut, dum stabat, sedere vellet; dum sedebat, se erigere in pedes. Statuit ergo redire domum, dumque id facere vellet, offendit aliquos ad beati Patris sepulcrum orantes, taciteque sibimet dixit : Oportet, istum Fratrem sanctum esse, cum illum invocent : ac proinde et ipsa quoque eumdem precata fuit, ut sanitatem sibi a Deo obtineret. Reversa nihilominus domum est, ut venerat, id est, eodem dolore afflicta.

pariter apparens subito liberat.

299 At nocte subsequenti, postquam sese Patri denuo commendaverat, obdormivit, dormiensque vidit in cubiculo suo tantam claritatem, ut solaris huic comparata valde exigua ipsi videretur, conspexitque sanctum patrem fratrem Bertrandum, qui manum ipsius capiti imposuit, tria verba proferens, sed admodum submisse; et idcirco, ait, se illa non intellexisse, maxime quod tota in eo esset, ut ipsum, quique ex ipso prodibat, ingentem splendorem, et alterum ejusdem comitem intueretur. Aliquanto post ista lux magna evanuit, ipsaque suis sensibus reddita omnino incolumem se deprehendit. Interrogata eadem domina, an illum Patrem cognovisset, dum viveret; negavit : sed asseruit, eumdem sibi tunc probe notum fuisse, quamvis nesciret, qua ratione. Ait insuper, ab eo tempore, quotiescumque illius meminit, se multa cum consolatione suspirare, nec posse assuescere, ut eumdem Fratrem Bertrandum, sed bene ut Sanctum Bertrandum appellet. F

Altera ab angina, altera ab apostemate subito convalescunt;

300 Magdalena Meca solita multum ex angina pati, ex qua in discrimen vitæ adigebatur, et in Hebdomada Sancta easdem sentiens ingruere angustias, in magna afflictione metuque versabatur; cum Matthæus Comes, notarius

A rius ejus, eam admonuit, ut se beato patri Bertrando, qui tanta miracula patrabat, commendaret, et aliquas ejusdem vestium reliquias collo suo alligaret: quo facto, ipsa paulo post sanata fuit. Testatur eadem mulier, se, invocata ejusdem Servi Dei ope, etiam duabus aliis infirmitatibus liberatam fuisse. Joanna Angela Spina, puella duodecim vel tredecim annorum, laborabat tumore in ventre, qui deinde totus niger factus est, creabatque ipsi vehementem dolorem et febrim, neque ullam permittebat quietem. Pater materque hinc graviter solliciti mandarunt ei, ut patrem fratrem Bertrandum invocaret, et Coronam Marianam, quæ ipsius fuerat, ex illius collo suspenderunt. Obsecuta puella cœpit preces suas pie recitare; subitoque matri dixit, se nullum amplius malum doloremve sentire. Inspexerunt ergo illam, et apostema illud apertum, multoque pure fluens deprehenderunt. Nec mora, sine aliis emplastris plane convaluit, et egressa e lecto est, in quo jam ultra quindecim dies decubuerat: quodque miraculum etiam certius facit,
B nulla in ipsa cicatrix, nullum mali vestigium reliquum fuit.

item alter, de cujus vita desperabatur.

301 Vincentii Chenco filius, ætatis quindecim sedecimve annorum, jam multis diebus ægrotaverat, et, malo semper crescente, eo fuerat perductus, ut die ultima Aprilis doctor Ludovicus Almenara ejusdem matri dixerit, non superesse spem ullam in remediis humanis, desperatam filii vitam esse, eumque Deo et alicui Sanctorum commendandum. Hoc audito, cœpit ipsa plangere, maxime quod in filio suo manifesta indicia eorum, quæ medicus dixerat, conspicaretur; sed recordata, se modicum e patris Bertrandi tunica habere, accepit illud et panno candido involutum filio obtulit, dicens: Fili, habe fiduciam in sancto patre Bertrando, fore ut te sanet: at adolescens cœpit flere. Mater igitur illud ejusdem fronti alligavit; ipse autem illico dixit, jam se melius habere, et postridie venit ad ecclesiam nostram Deo gratias acturus, non sine admiratione vicinorum, qui ejusdem infirmitatem noverant.

Mulieri lac concessum: viri paralysis,

C 302 Catharinæ Dazza, Petri Andreæ, lini mercatoris, uxori, paulo post partum desiccata sunt ubera, et integro mense lacte caruit, prole interim commissa nutrici. At postea certa de causa voluit recipere infantem suum; dolensque, quod sibi lac deesset, vovit patri Bertrando, curaturam se novem Missas celebrandas; itaque in uberibus lac recepit. Petrus Cyprianus auriga ultra annum paralysim in brachiis passus, deinde in tantum aggravatus eo malo est, ut, licet posset uti manibus, brachia nequiret amplius movere; et, si vel capillus decidisset in terram, non poterat, nisi procumbens in genua vel prostratus humi, tollere. Die XVI Aprilis, quæ fuit feria secunda Paschæ *d*, audiens, quam multa de patre Bertrando narrarentur, decrevit venire ac conventum nostrum, sperans, fore ut sepulcrum tangens sanaretur. Venit igitur, tactoque, ut potuit, sensit, sibi crepuisse brachia, etantequam domum suam reversus esset, omnino fuit incolumis. Mirati sunt vicini, quod brachiis suis sanorum more uteretur.

d

303 Macciana Morilla, puella annorum decem vel undecim, filia Pauli Morillo, infirmitate oculorum triennio afflicta, ut nonnumquam etiam non videret, quid manducaret, post multa adhibita remedia ad purgandum corpus, et post diminutum sanguinem, nihil, quod prodesset, experta fuit. Verum quædam bonæ vitæ femina suasit ei, ut novem Missas ad B. Bertrandi sepulcrum fieri curaret. Facit id ipsa, iisdemque discalceata interfuit: atque ita peractis Missis, salva evasit. Anna, filia Antonii Vasquez, postquam graves in manu dextra continuos dolores biennio passa fuisset, nec eam movere posset propter tuber, instar nucis grande, in eadem enatum, videns, nihil prodesse medicamenta, magna cum devotione arripuit Coronam Marianam, quæ Servi Dei fuerat, dumque eam eadem manu teneret tractaretque, malum istud abactum fuit.

A. V. J. Antistio.

puellæ oculorum morbus; alterius malum manus curantur;

304 Isabella Joanna Sapena spinam a tredecim aut quatuordecim diebus in faucibus transversam habens, quam nec eximere, nec ferre poterat, timere cœpit, ne suffocaretur, maxime quia totum collum inflammabatur. Tandem a bonæ vitæ muliere inducta collum suum modico frusto scapularis patris Bertrandi tetigit, eademque nocte omnis doloris expers dormivit, dumque expergefacta fuit, collum suum E omni inflammatione liberum deprehendit, nec eam spinam umquam sensit, ignara, quo hæc devenisset. Die XIX Martii filius dominæ Stella, Marcus-Antonius nomine, laborabat febri lethifera, et colli inflammatione tanta, ut medici magnopere timerent, ne suffocaretur: fuitque biduo sine cibo, præter modicum lactis e cochleari in os infusum. Eo tandem perductus fuit, ut ipsum sacro oleo inungendum confestim curaverint. Deinde eum profundissimus somnus corripuit, vidensque ejusdem avia et mater, puerum humana ratione desperatum esse, quemdam patruum *e* ejus, litterarum studiosum, sine mora miserunt, qui facem ad benedicti patris Bertrandi sepulcrum accenderet, voveretque imaginem ceream, ipsumque puerum habitu S. Dominici induendum. Quo facto, expergefactus puer, omni febri et tumore liberatus fuit.

spina faucibus inhærens eximitur: puer pene moribundus sanatur:

e

305 Quædam puella grandem habebat tumorem in collo, quem chirurgi secare volebant: sed Matthæus Comes notarius suasit matri ejus, ut frustum scapularis Servi Dei collo illius apponeret; et postero mane sana fuit. Navarra Albizia, cujusdam piscatoris uxor, cum F triduo nequivisset urinare, se Patri commendavit, eo malo libera mansit. Eadem mulier testatur, quemdam puerum, ætatis annorum quatuor, velut hydropicum fuisse; sed post impositam ejusdem ventri fasciam, qua pater Ludovicus usus fuerat, nihil amplius mali sensisse; atque alterum puerum, istius fratrem, nequivisse incedere; sed, facto ipsi scapulari habitus S. Dominici *f*, sanatum fuisse et cœpisse incedere.

ab aliis tumor colli, urinæ difficultas, hydropisis, pedum incommodum,

f

306 Domina Hieronyma Vives de Canamas, dum gradus ascenderet, phialam vitream manu tenens, instar plumbi prolapsa est, impacto in quamdam arcam capite; cumque manus naturaliter soleant periclitanti capiti succurrere, ipsa brachium suum sic extendit, ut caput in manum impulsum eam phialam vitream fregerit, et armilla aurea, quam in eodem brachio gestabat, in tres partes disrupta sit: unde et frontem ab isto vitro læsam, et magnum in capite tuber retulit. Quam ob rem, cum non solum a læsione, verum etiam a consternatione illius vitæ timeretur, sine mora doctor

plaga frontis e lapsu,

A. V. J. Antistio.

doctor Hieronymus Garaia arcessitus fuit. Interim ipsa curaverat capiti suo imponi quædam frusta vestium Patris, quæ penes se habebat; dumque adveniens prædictus medicus læsam partem detegeret, velut nullum læsionis vestigium invenit; cum nihilominus certum sit, non potuisse tumorem istum tam brevi tempore dissolvi.

malum brachii et periculosum apostema depulsa,

307 Ultimo die Paschatis quædam vetula uno brachio contracta, sepulcrum Patris invisit, ipsumque precata, brachium istud ferreis clathris ibidem applicuit, et illico illud extendere cœpit, et digitos movere. Raphaëla Almenara, puella annorum undecim, acri febre grandique colli tumore laborans, vitæ suæ verebatur, sed multo magis ejusdem pater, doctor Ludovicus Almenara, cui periculum erat perspectius; maxime quod chirurgi decrevissent tumorem istum postridie incidere. At cum hic Servum Dei, quem in omnibus infirmitatibus suis inviserat, pio affectu prosequeretur, eumdem enixe invocavit; quod pariter fecit mater infirmæ, quæ frustum cilicii patris Bertrandi
B super eumdem tumorem posuit. Postero mane, cum jam incidendum apostema esse, et abactum tumorem: quod illi vehementer admirati fuere, quia ejusmodi apostemata ordinarie aperiuntur cum periculo eorum, qui ea patiuntur.

Multa alia hic præterit auctor, quod non sibi de hisce constaret,

308 Multa etiam alia miracula fecit hic Servus Dei, sanando cæcos, surdos et membris captos; et recurrentes ad se liberando febribus, apostematibus, melancholia, aliisque adversis et periculis mortis; quam ob rem ad sepulcrum ejus multa centena votiva donaria visuntur, sed, cum de hoc argumento nullum abhinc quinque mensibus fuerit institutum examen, nec instituendum sit, nisi post festum S. Lucæ, atque ego jam hac conscribenda Historia, aliisque negotiis a Superioribus meis mihi commissis occupatus, non potuerim in eadem indagare; quemadmodum (quantum humana fragilitas, quæ errori semper obnoxia est, mihi permisit) de ceteris, quæ scripsi, me certiorem facere conatus fui, quapropter licet potiora jam relatis supersint, ea tamen præteribo
C ex metu errandi, vel in substantia, vel in adjunctis *g*. Utinam intra breve tempus liceat mihi hoc Opus iterato edere, multis aliis auctum; maxime, si Deus annuat, ut ad nos perferantur aliquot bonæ notæ relationes de rebus, quæ ab hoc benedicto Patre in Indiis gestæ fuere *h*.

g

h

Sanctumque similem S. Vincentio Ferrerio pronuntiat

309 Omnia hactenus dicta probant, quam recte de illo pronuntiaverit pater Micon, eum Valentiæ alterum S. Vincentium futurum: nam in vita quidem studuit illum, quantum tamen per infirmitates suas ipsi licuit, imitari; et post obitum summam sui reliquit existimationem, quæ assidue etiam crescet. Nec mysterio caret, quod per resectionem decem dierum ex mandato Sanctissimi Patris Gregorii XIII factam *i*, nondum integro a die obitus illius usque ad XIX Octobris diem elapso anno tam late per totum orbem terrarum divulgatum sit nomen ejus, atque ipse in patria sua tanta in veneratione habeatur; quamquam certum sit Christi dictum, nullibi prophetam minus, quam in patria sua honorari. Hæc eadem ratione satisfit quæstioni, quam Servus Dei soluerat nonnumquam proponere, dum novitios juvenesque Religiosos, suæ curæ commissos, adhortaba- D
tur; nam postquam quædam S. Vincentii mirabilia narraverat, honoremque ac gloriam, quam ille huic conventui totique civitati contulit, verbis exornaverat, adjunxit hæc: Videamus modo, filii mei, quis nostrum illius futurus sit socius: ex prædictis enim præsto est responsio, hunc illum ipsum esse. *k*. *k*

i

ANNOTATA.

a *Matth.* XI, ℣. 21; *et Lucæ* 10, ℣. 13.

b *Id est, die* 5 *Aprilis.*

c *Sive* Palmarum, *quæ anno* 1582 *incidit in diem* 8 *Aprilis.*

d *Recte: nam anno* 1582, *de quo hic agitur, Pascha die* 15 *Aprilis celebratum fuit.*

e *Vel* avunculum: *Italice enim est* zio, *quæ vox et* patruum *et* avunculum *significat.*

f *Ex voto similiter* S. Ludovico *nuncupato; ut sanatio huic accepta referri queat.*

g *Si omnes Sanctorum biographi eadem in scribendo cautela usi fuissent, non tot fabulis oneratas Sanctorum Vitas haberemus.* E

h *Re ipsa idem Antistius Additiones ad hanc Vitam deinde scripsit, edidilque anno* 1593, *uti num.* 3 *Commentarii prævii dictum est, quæ ad manus nostras non pervenerunt; verum jacturam hanc resarciet Vita subdenda. Vide Commentarium prævium num.* 15.

i *Indicat vulgo notam Calendarii correctionem, qua Gregorius XIII Papa, ut æquinoxium vernum lunamque* XIV *Paschalem suis locis restitueret, anno* 1582, *quo scripsit Antistius, decem dies e mense eximi jussit, sic ut dies* V *Octobris dies* XV *computaretur.*

k *Sequitur hic apud Antistium* Caput ultimum, in quo respondetur ad quædam dubia circa honorem huic Servo Dei post mortem exhibitum; *quod caput cur prætermittam, lectorem monui in Commentario prævio num.* 13.

VITA AUCTIOR,

Auctore Bartholomæo Avignono, Ordinis Prædicatorum, procuratore causæ canonizationis. F

Ex versione Italica, ipso auctore curante, Romæ edita.

PROLOGUS.

Primus, qui vitam ac miracula B. Ludo- CAP. I. *Biographus, cur post Antistium et Rocam*
vici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, conscripsit, fuit pater magister frater Vincentius Justinianus Antist *a*, olim Prior conventus Prædicatorum in civitate Valentia, vir admodum religiosus sanctorumque morum, et ob virtutem suam doctrinamque magni æstimatus: utque

a

A utque B. Ludovicus Bertrandus eum in Religione erudierat, ita ille sese semper bonum ac devotum filium ipsi exhibuit; multaque ex visu gesta Dei Servi cognovit. Composuit eam Vitam anno MDLXXXII, qui fuit proximus post mortem ejusdem Beati; cumque mirabilia et miracula, quæ Deus per ipsum patrabat, continuarent, aliquot ad eam Additiones fecit anno
b MDLXXXIII *b*. Multiplicatis deinde per totum
c mundum miraculis, allatisque ex Indiis *c* aliquot relationibus, multa notabilia continentibus, Pater præsentatus, frater Balthazar Rocca novam illius historiam multis testimoniis rebusque scitu dignis auctam anno MDCVIII excudit
d *d*, quando servus Dei a Paulo V sanctæ memoriæ Beatorum numero adscriptus fuit. Sed quia processus hic Romæ erant, non potuit, is auctor omnia, quæ in iis tunc legebantur, scire, ut suo Operi insereret.

hanc Vitam scribat, 2 Ego opportunitatem nactus omnes istos Processus multis annis pervolvendi *e*, et advertens multa non contemnenda in iis legi, quæ
e
B non habentur in Vitis, quas prædicti auctores scripserunt, necesse esse duxi, ut inde colligerem, quæ illi non tradidere, ceterisque jam excusis adjungerem, ut palam fiat, quantopere Deus Dominus noster Servum suum honoraverit. Ut autem hujus Historiæ veritas magis elucescat, adscripsi in margine locos, in quibus singula leguntur, vel in Processu, vel in libris auctorum, quos nominavi. Ut vero laborem hujus Historiæ componendæ aggrederet, impulit me librorum de vita Beati nostri Romæ et per totam Italiam penuria; et quamquam liber, a magistro Justiniano Antist scriptus, in sermonem Italicum versus fuerit, variisque in locis excusus, non tamen ibi reperitur, multæque personæ Beato pie addictæ conquestæ sunt de negligentia in curando, ut ejusdem Vita denuo edatur. Proinde ego pro meo, quo velut procurator canonizationis ipsius obstringor, debito studui illis satisfacere per hanc Historiam, ex Hispanico in nobilium Romanorum sermonem a domino Julio Cæsare Cavalier Bottifango conversam, tam pro magna sua erga Beatum devotione (conjuncta cum
C longissimi temporis obsequiis, ab eo in officio secretarii domino Cardinali de Asculo, ex Ordine nostro episcopo Portuensi, honoratissimæ memoriæ exhibitis) quam ad postulationem personarum magnæ conditionis; sed tanta cum diligentia propter speratam proximam canonizationem, ut eam ipse (aliis etiam rebus occupatus) nondum elapsis duobus mensibus absolverit.

ejusdemque partitionem exponit. 3 Partitum hoc Opus est in quatuor libros. In primo agitur de illius vita usque ad postremam infirmitatem, in eo non comprehensam: in secundo de virtutibus, dono prophetiæ, et miraculis in vita et morte usque ad sepulturam: in tertio de aliis miraculis, quæ mox, ut sepultus fuit, ac sequentibus annis contigerunt; neque omnia referuntur, quod fere impossibile esset; imo prætermissa sunt multa, ex iis, quæ sunt in Processibus, ne liber supra modum cresceret. In quarto denique narrantur breviter, quæ pro illius beatificatione et canonizatione, a Sancta Sede Apostolica obtinenda, gesta fuerunt; recensitis Brevibus Decretisque in hac causa expeditis; una cum postulatis eodem spectantibus serenissimorum Catholicorum regum, Philippi II, tertii et quarti, hodieque gloriose regnantis. Summopere cavi digressiones a proposito argumento, ut historia continue procedat, nec prolixitate sua fastidium pariat. Sunt in hoc Opere multi et magni defectus; quod a me compositum sit: sed quia illud solum scripsi ad gloriam Dei (qui mirabilis est in Sanctis suis) utque B. Bertrandus cognoscatur, fidelesque in necessitatibus ad ipsum pro solatio et remedio recurrant; mihi facile poterit condonari.

A AVIGNONE.

ANNOTATA.

a *Cujus Opusculum præmisimus.*

b *Additiones anno* 1593 *typis editas signant litteræ excellentissimi magistratus Valentini, sæpe laudatæ in Commentario prævio num.* 3; *verum illas ad manus nostras non pervenisse, jam monui.*

c *Per* Indias *designari* Occidentales *seu* Americam, *Hispaniarum regi subditam, in Commentario prævio, et in Annotatis ad Vitam primam jam dixi; quod hic semel monuisse suffecerit.*

d *Alibi* Roca *dictus, qui scripsit Vitam Hispanice, quam habeo.*

e *Procuratorem causæ canonizationis ejusdem* S. Ludovici *Avignonus Romæ egit ab anno* 1617; *hanc Vitam vero a se Hispanice conscriptam, et a Cæsare Cavalier Bottifango Italice versam, typis vulgavit anno* 1623; *non potuit tamen canonizationis solemnitatem in eadem exponere, quia illa primum anno* 1671 *a Clemente X perfecta fuit.*

E

LIBER I.

VETUS CAPITUM PARTITIO.

CAPUT I. De parentibus et nativitate illius.
II. De pueritia et piis moribus.
III. Quomodo habitum S. Dominici induerit in conventu Valentino.
IV. Quomodo professionem nuncupaverit, et de ejusdem admirandis virtutibus post profes- F
sionem.
V. Quomodo creatus sit presbyter, et quæ postea fecerit.
VI Quomodo constitutus sit magister novitiorum.
VII. De iis, quæ illi acciderunt, dum præfuit conventui S. Annæ de Albayda.
VIII. De aliis, quæ eidem acciderunt, dum habitabat in conventu de Albayda.
IX. Quomodo reversus sit ad conventum Valentinum.
X. Quomodo profectus sit in Indias.
XI. De mirabilibus, quæ fecit in Indiis.
XII. De gestis ab eo Carthagine Nova.
XIII. De gestis ab eo in Tubara.
XIV. De gestis ab eo in Cipacoa.
XV. De gestis ab eo in Sepencoa, in Petoa et aliis locis.
XVI. De gestis in Tenerife.
XVII. De gestis in Monpoix.
XVIII. De miraculis, quæ Deus per illius intercessionem fecit in Indiis.
XIX. Quomodo B. Bertrandus in Hispaniam reversus sit.
XX. Quomodo

A. AVIGNONO.

xx. Quomodo constitutus fuerit Prior conventus S. Onuphrii.
xxi. Quomodo reversus sit Valentiam, ibique magister novitiorum constitutus.
xxii. Quomodo constitutus sit Prior conventus Valentini.
xxiii. De aliis rebus, quæ ei acciderunt, dum in eadem civitate Valentina Prior esset.
xxiv. De illius gestis post absolutum prioratum.

CAPUT I.

Sancti parentes, nativitas, fratres ac sorores, pia pueritia et adolescentia, vitaque ante susceptum Dominicanum habitum acta.

B

Sancti pater Joannes Ludovicus Bertrandus,

In nobili civitate Valentiæ in Hispania vivebat anno MDXXV Joannes Ludovicus Bertrandus notarius, vir bonis sanctisque moribus præditus, suæque professionis admodum peritus; quam ob rem multa magnaque variorum baronum ac nobilium hujus regni virorum negotia agebat, ab iis sibi commissa; qui, cum eum justum Deique timentem cognoscerent, secure illa ejusdem virtuti ac peritiæ committebant, tantique eumdem æstimabant, ut pio Patris nomine ordinarie appellarent. Eadem ratione etiam sanctæ Inquisitionis officia obiit. Fuit præterea multis annis procurator conventus Portæ-cæli, Ordinis Carthusiani, quatuor leucis Valentia dissiti. Habitabat in ædibus suis in foro de Almodia prope ædes magistri Rationalis *a*, ubi ejus filius, Jacobus dictus postea habitavit. In conversatione sua tam erat mansuetus et benignus, ut numquam ex ore ejus auditum sit verbum cholericum aut indignabundum.

a

C

cujus insigne eloginm beneficiaque

2 Tam sincerus erat et verax, ut judices, dum cum his ageret, eum peculiariter venerarentur, etiam propter bonam famam, quæ de eo circumferebatur. Amabat plurimum conversari cum Religiosis, multumque devotus erat S. Vincentio Ferrerio *b* ob duas gratias ab eodem Sancto ipsi collatas. Harum una est, quod, cum adhuc adolescens in vigilia S. Dionysii (multum solemni Valentiæ) missiles e pulvere pyrio ignes pueriliter tractaret, accensusque a delapsa favilla pulvis totum vultum ejus adussisset, ac velut mortuum reliquisset; cumque ejusdem avia, Ursula Ferreri *c*, propterea velociter currens ad ecclesiam Prædicatorum, genibus ibidem coram altari S. Vincentii (cui erat ipsa sanguine juncta) humi positis, hunc Sanctum pro salute vitaque nepotis sui ferventissime orasset, eumdem domum redux omni periculo defunctum reperit; quamvis ignis suffecisset ad eum exanimandum, aut saltem ad assandum caput, et ad instar cadaveris deformandum.

b

c

3 Altera gratia multis annis contigit, postquam ille primam duxerat uxorem; quando paulo ante feriam IV Majoris hebdomadæ tam graviter decumbens, ut jam funebria illius pararentur, improviso oculos aperuit, et vestes suas petiit; dicentibusque circumstantibus, ut quiesceret; neque enim sui esse compotem; Bene mei compos sum, respondit, addiditque, apparuisse sibi S. Vincentium Ferrerium, sanctumque Brunonem, fundatorem Carthusianorum, dicentes, se non moriturum ex eo morbo, et feria IV illius Hebdomadæ sanctæ ad divina Officia ad ecclesiam iturum, uti apprime evenit. Quo miraculo Joannes Ludovicus divino servitio tam addictus, et erga S. Brunonem tam pie affectus permansit, ut singulis annis festum ejus in cartusia Portæ-cæli celebraret, eoque die conventui exhiberet convivium. Anno autem MDXLVI quædam pretiosa donavit in præmium eorum, qui in S. Brunonis laudibus tam Hispanice, quam Latine cantandis excelluissent; fecitque pro majori altari velum fieri e panno holoserico operis Damasceni, eoque in medio turrim pro insignibus gentilitiis acu pingi.

a SS. Vincentio et Brunone eidem collata hic referuntur

a

4 Post defunctam deinde primam conjugem ibat ad Portam-cæli, ut Carthusianorum habitum indueret: sed per viam duo supra dicti Sancti ei denuo apparuerunt, qui cum dicerent, non esse voluntatis divinæ, ut Religiosus fieret, remansit in sæculo. Hosce favores suo patri præstitos B. Ludovicus Bertrandus Religiosis interdum narrabat ad honorem S. Vincentii, eosque ad ejusdem venerationem excitandi gratia. Secundas nuptias Joannes Ludovicus Bertrandus contraxit cum Joanna Angela Exarch *d*, admodum devota muliere, bonique exempli in conversando, ac solitariæ vitæ tam amante, ut nisi ad Missam ceteraque divina Officia, ac nonnumquam ad visitandas quasdam Dei famulas, apud ecclesiam S. Andreæ simul habitantes, raro alio egrederetur; sed assidue erat domi suæ, ejusdem regimini prudenter invigilans. Tam pacifica tamque benigna erat, ut numquam inter illam et maritum suum illa nata displicentia sit; proindeque illi sancta pace tranquilloque statu gauderent. Erat huic dominæ frater Carthusianus, appellatus Donnus Exarch, Religiosus virtute et spectatæ sanctitatis, qui multis annis Portæ-cæli Prior præfuit.

secundis nuptiis duxit pium mulierem, Joannam Exarch,

d

E

F

5 Ex hac Joannes Ludovicus Bertrandus quatuor proles masculas, ac totidem femineas suscepit. Primus fuit Ludovicus, quem velut primogenitum Deus sibi vendicavit, natusque est primo die anni MDXXVI, baptizatus in ecclesia parochiali S. Stephani, atque in eodem sacro fonte, in quo gloriosus pater S. Vincentius etiam fuerat ablutus; eique nomen Joannis Ludovici impositum fuit; quamquam postea solum Ludovici nomen ipsi adhæserit. Fuerunt in hac familia viri spectabiles probatæque fidei, ac nominatim Petrus doctor, qui fuit unus e novem deputatis ad declarandum ad quem pertinerent regna Aragoniæ, per mortem regis Martini vacantia *e*. Secundus filius fuit Michaël Hieronymus; et ipse quoque bonis et integræ vitæ dotibus præditus, qui propterea cum beneficiatus esset in ecclesia majori Valentiæ, a capitulo accepit officium subsacristæ, ibi valde honorificum, nec concedi solitum, nisi personis perspectæ virtutis ac fidei. Decessit hic e vita anno MDXCIV, die IV Julii, ætatis annorum LXII, et humatus est ante sepulcrum B. Bertrandi, quo etiam translata fuere corpora parentum illorum

ex qua anno 1526 S. Ludovicum, ac post hunc

e

6 Tertius,

A *tres alios filios et quatuor filias genuit.*

6 Tertius, Joannes Baptista dictus, pariter Religiosus fuit Ordinis Prædicatorum, quorum sacrum habitum induit in eodem conventu Valentiæ anno MDL, professus anno sequenti, die v Octobris coram venerabili patre magistro Joanne Micone, tunc illius conventus Priore, dum ibidem magister noviciorum erat frater Ludovicus, ejusdem Joannis Baptistæ germanus. Is studiorum causa profectus Bononiam *f.* dum hinc per mare rediret Valentiam, vi tempestatis in Sardiniam insulam pulsus est, adeo fractus viribus, ut, accedente febri, ibidem diem suum obierit Calari *g* in conventu S. Dominici. Natu minimus filius appelatus fuit Jacobus, ab integritate vitæ ac virtutibus laudabilis, qui post obita varia civitatis officia (fuit enim quater Juratus, bis Rationalis, aliisque magistratus muneribus functus, in quibus se semper admodum prudenter strenueque gessit) a rege Catholico designatus fuit quæstor generalis vectigalium regiorum civitatis et regni Valentiæ. Uxorem duxit dominam Mariam Costa, mulierem B magnæ pietatis et devotionis erga beatum fratrem Ludovicum, cognatum suum, ex qua suscepit unam filiam, nuptui traditam domino Petro Escriva. Obiit Jacobus iste die IV Octobris anno MDCXIV, et in paterno sepulcro humatus. E quatuor filiabus natu maxima vocata Joanna fuit, nuptaque N. Pastori; secunda Hieronyma Vincentia, nupta N. Ximeno; tertia Ursula Magdalena, matrimonio juncta N. Cutanda; quarta, Raphaëla innupta obiit.

f

g

IX *Puer, visis sacris iconibus, plangere cessabat,*

7 Videtur Deus in ipsa Ludovici Bertrandi pueritia portendere voluisse, quam hic magnus Servus suus esset futurus; quia a prima illius infantia, dum plorabat, nihil ad eum sedandum noverant efficacius, quam si sacras imagines spectandas ei exhiberent, eratque tam pronus in lacrimas, ut pene existimari possit, placuisse Deo melancholicam ipse indolem dare, ut velut alter Jeremias toto vitæ suæ tempore peccata mundi ploraret. Proinde, ut a lacrymando cessaret, oportebat ipsum ad archiepiscopalem aliamve ecclesiam ferre, ubi non modo desinebat flere, verum etiam magnam præferebat lætitiam: C et si forte ecclesiæ fores obseratæ essent ostensis, quæ ibi sunt, Apostolorum statuis, mox reprimebantur lacrymæ: quod non ambiguum præsagium fuit, futurum ipsum peculiarem cultorem Sanctorum, hosque illius perpetuos consolatores.

pietatis ac litterarum studiis mire erat deditus.

8 Quantum ille crescebat, tantum crescebat ejus cura parentibus, qui pro ratione illius teneræ ætatis magno illum cum amore et timore Dei educarunt, cœperuntque ad scholam mittere, et ibat ille tam libenter, ut ex profectu facile se proderet ejusdem ardens desiderium virtutis, et odium desidiæ. Inter septimum octavumque suæ ætatis annum tantopere addictus erat orationi, ut ab eo tempore recitare cœperit. Officium beatæ Mariæ Virginis, quod posthinc numquam prætermisit; tamque solitudinem amare, ut omnia, præter sancta, colloquia fugeret. Numquam auditus fuit jurare; et si quis coram illo juraverat, reprehendebat eum magno cum zelo, uti etiam eos, qui otiose vivebant. Vesperi, quam primum poterat, recipiebat se in cubiculum; foresque intus claudebat: observantesque per rimam seræ domestici, viderunt eum majorem noctis partem traducentem in precibus, quietem vero capientem in solo, vel arca, numquam autem cubantem in lecto, quem, ne famulæ adverterunt, evertebat, quasi in eo dormivisset; sed candor linteaminum, quæ, dum mutabantur, non aliter, quam dum primo posita fuerant, inveniebantur, detegebat illius puerilem sanctamque cautelam. A. AVIGNONO.

Ejus acibis abstinentia, obedientia, modestia, ad Sacramenta accessus,

9 Raro volebat matutinis temporibus, ut ceteri pueri, admittere jentaculum, exigui cibi naturaliter appetens, sed ex virtute abstinens; atque exin cœpit jejunare. Erga res divinas tam pie afficiebatur, ut omnis ejus voluptas esset interesse Missis et Vesperis, et Religiosas domos invisere, e quibus præcipue frequentabat conventum Prædicatorum. Parentibus suis semper obsequebatur, adeo ut nullam eis umquam tristitiæ causam dederit: imo si aliquando, ut pueris sæpe accidit, ipse ploraret, nutu jussus silere, illico silebat. Grandiusculus factus, si videret matrem adversum ancillam aliquam ira concitatam, incipiebat pium aliquem librum prælegere, ut illius choleram sedaret. Supra modum fuit verecundus et amans honestatis, E oculis passim ad terram versis cum diligenti custodia sensuum, in præsagium multarum virtutum, quæ in ipso postea magnopere splenduerunt. Cum ad annum ætatis quintum decimum pertigisset, cœpit sanctissima Sacramenta frequentare, nactus sibi a sacris confessionibus insignem Dei servum, fratrem Ambrosium a Jesu appellatum, concionatorem celebrem Ordinis Patrum Minimorum: tantæ vero erat humilitatis et prudentiæ hic sanctus Juvenis, ut, ne quis continuum suum in frequentandis Sacramentis studium adverteret, varias adiret ecclesias, sacram Eucharistiam modo in ecclesia S. Francisci, modo in S. Sebastiani Patrum Minimorum, modo in S. Mariæ de Jesu, ac sæpe in Patrum Prædicatorum suscipiens.

studium orationis et obsequium in nosocomiis.

10 Mortuo deinde patre fratre Ambrosio, confessarium habuit patrem magistrum, fratrem Laurentium Lopez d'Ocagna, boni exempli Religiosum, qui postea fuit Prior conventus S. Dominici Valentiæ, cujus sacris colloquiis Ludovicus magis magisque roboratus in rebus divinis, et in sanctissimis Sacramentis sæpius frequentandis. Qua de causa benedictus Juvenis F cum aliis litterarum studiosis, qui Deo servire vere desiderabant, post exceptas lectiones accedebat ad dictum magistrum Lopez, qui de rebus spiritualibus cum ipsis conferebat, docebatque eos modum, quo in virtutibus proficerent, et in sancto Dei servitio perseverarent. Ita pius Juvenis in dies singulos progrediebatur feliciter in exercitiis spiritualibus, in eorumdem Patrum Prædicatorum ecclesia longo temporis spatio precibus insistens. Visitabat frequenter infirmos in nosocomiis, multas integras noctes exigebat, eis inserviens, et, quibus poterat, rebus succurrens. In hisce officiis (quibus ordinarie occupabatur) erat ille speculum virtutum et pœnitentiæ omnibus, qui eum noverant.

Peregrinaturus clam discedit, sed a patre,

11 At cum sibi persuaderet, posse se fervens Deo servire procul ab ædibus paternis, in quibus reputabat se nimium delicate vivere; statuit (volens SS. Alexium et Rochum imitari) omnia relinquere; eoque animo, confessus prius peccata sua, sacraque Eucharistia refectus, peregrini habitu clam discessit, profecturus, ubi a nemine agnoscendus esset, possetque

A. Avignono. setque suum sanctum propositum exsequi, terrenis omnibus rebus expeditus. Cum vesperi ejus diei, quo discesserat, non compareret domi suæ, nec moneri jussisset, (ut consueverat) se adiisse nosocomium, intellexerunt, ipsum discessisse. Sed brevi post accepit pater epistolam sine die locoque signatam, per quam discessum suum indicabat : in qua cum spiritus ipsius in ea tenera ætate eluceat, ejusdem apographum hic appono; quale sequitur.

ex epistola, ejus quæ hic datur,

12 Jesus Maria. Certo novi dolorem, quem tua dominatio, dominaque mater senserunt ex consilio, quod cepi; sed vere non debuissetis sentire, cogitantes, hanc esse voluntatem Dei. At petent, quomodo sciam ego, hanc voluntatem Dei esse : cogitare possunt, me non sic discessurum fuisse, jam inchoata hyeme, cœptisque litterarum studiis derelictis, nisi id omnino divinæ voluntatis fuisset : qua de re vestra dominatio non debet constristari animo revolvens, Redemptorem nostrum descendisse e cælo inmundum frigidissima anni tempestate; ac venisse moriturum, ut vitam nobis ingratis donaret. Quanto magis debeo ego peccator relinquere mundum, et ire, quo divina ejus Majestas me vocat, ut agam pœnitentiam de tot peccatis a me contra Deum meum commissis. Discessus meus tanto majorem creaverit luctum, quanto majori in discrimine domina mater versatur; sed nec hinc vel leviter dolendum mihi est. Legat sanctos doctores, qui asserunt, beatam eam animam esse, quæ in hoc mundo patitur dolores; quia indicium est, Deum habere oculos suos super ipsam. ac velle remunerare in gloria bona opera, quæ hic deorsum fecit. Sunt etiam, quorum bonum, quod agunt, remunerat in hac vita, ut deinde malum, quod fecerunt, castiget in altera. Propterea patienter acceptanda hæc perturbatio est, divinaque Majestas oranda, ut me sua sancta manu sustineat, ducatque, uti duxit Magdalenam, ac denique a malignis inimicis servet.

B

in edocto.

13 A N. et N. accepi aliquos denarios mutuos in hoc iter, non ut prodigam, sed ut iis utar, si forte Deus voluerit me inflicta pro peccatis meis infirmitate aliqua visitare; quamquam divina illis Majestas sit verum auxilium et medicina omnium malorum. Dignetur dominatio vestra dictam summam restituere *h*, ut secura sit conscientia mea. Ne labores scire, ubi sim; quod frustra faceres; et quamquam etiam me reperturi essent, confido, fore ut Deus meus ac magister Jesus me in meo conservaturus esset firmo proposito. Commendet me dominatio vestra divinæ Matri ejus, oretque, ut me eo conducat, ubi ipsi melius serviam. Consoletur dominatio vestra matrem meam, dicatque ei, ut, cum alios filios habeat, iis se soletur, memineritque, me sibi a morte sublatum esse, dum me peperit. Nec aliud addam, nisi ut Pater et Filus et Spiritus sanctus sint cum dominationibus vestris, serventque, et sint semper mecum. Amen. Eamque nobis concedant gratiam, ut ei serviamus in hoc mundo, et æterna quiete gaudeamus in altero *i*.

C

h

i reduci curatur, et vestem clericalem induit.

14 Pater, hac accepta epistola, diligentissime inquisivit, quam viam teneret sanctus Juvenis, qui, ut singulari sua modestia rarisque moribus, quocumque incederet, tam bono erat exemplo, ut omnium in se oculos raperet, ita ex talibus indiciis lumen aliquod de ejusdem itinere affulsit. Missi ergo a patre, qui eum investigarent, repererunt ipsum apud quemdam fontem prope Bugnuolo, locum septem *k* leucis Valentia dissitum; utque ei reditum persuaderent, finxerunt, matrem ex dolore, quem ex illius discessu conceperat, jam morti proximam esse; quo astu eum domum suam reduxerunt tanto patris gaudio, quantum exigebat recuperatio amissi Filii tam boni et cari. Advertens autem pater, eum in solas res ecclesiasticas animum propensum habere, talari clericorum veste illum induit. Ita ipse in suis devotis exercitiis, jejuniis, charitatis officiis et litterarum studiis perseverans tempus exegit, donec Religiosum Ordinem ingressus est; cum personis piis interim semper conversans magnaque cum diligentia fugiens consortia earum, quæ non erant ejusmodi.

D

k

ANNOTATA.

a *Id est, regiis rationibus præfecti.*

b *De S. Vincentio Ferrerio, Ordinis Prædicatorum, jam crebra facta est mentio in Vita prima et Annotatis ad eam : at meminerit lector, me ad hanc secundam Vitam nihil de personis, locis, aliisque occurrentibus, de quibus in Annotatis ad priorem jam egi, (nisi quid peculiare occurrerit) annotaturum, ne Vitam satis prolixam frustra augeam. Poterit lector ope Indicum ad calcem hujus tomi de more adjiciendorum, si quam eorum notitiam desideret, eam in Vita prima exquirere.*

E

c *Per hanc fuit* S. Ludovicus *ex supra dicti S. Vincenti Ferrerii familia.*

d *De nomine hujus secundæ conjugis vide dicta in Commentario prævio num.* 20.

e *Vide Annotata ad Vitæ primæ cap.* 1, *lit.* c.

f *Indicatur celebris ditionis Ecclesiæ civitas, Italis* Bologna, *ut multis aliis titulis, ita etiam litterarum ac liberalium artium academia illustris.*

g Calaris, *Italis* Cagliari, *Sardiniæ, maris Mediterranei insulæ, civitas est, regnique caput.*

h *Haud dubie loco litterarum* N. et N. *sanctus Juvenis indicavit personas, a quibus nummos acceperat mutuos, et quibus eos a patre reddendos desiderabat.*

F

i *In margine notat Avignonus, se hanc epistolam accepisse ex Vita per Rocam scripta, de qua consule Commentarium prævium num.* 14 *et seq.*

k *Antistius lib.* 1 *Vitæ, cap.* 1, *num.* 5 *hujus loci a Valentina civitate distantiam multo majorem notat. Adi Annotata ibidem ad lit.* c.

CAPUT

A

CAPUT II.

A parentibus primo impeditus, ne Dominicanum habitum susciperet, deinde clam illis induit, iisdemque tandem consentientibus, professionem emittit; virtutibus ac doctrinæ acquirendis studet.

CAP. III. *Ab ingressu Ordinis Prædicatorum a patre prohibitus,*

Ex familiaritate, quam Ludovicus Bertrandus cum patre magistro fratre Laurentio Lopez, confessario suo, aliisque bonis Valentini conventus Prædicatorum Religiosis coluit, accensum ei tam vehemens desiderium est Ordinem S. Dominici in eodem conventu profitendi, ut decreverit ejusdem habitum petere. Fecit id instantissime apud priorem, qui tunc temporis erat pater magister, frater Jacobus Ferran, vir litteratus solidæque virtutis, qui e Turco genitus *a*, præcipuis Prioratibus provinciæ Aragoniæ functus fuit, bisque eamdem provinciam rexit, qui prompte pollicitus est, eum sui desiderii compotem facere. Sed, cum hoc eodem die, quo vestiendus erat, ad aures patris Ludovici pertigisset, accessit hic Priorem, et debiles sui Filii vires infirmitatesque exponens, effecit, ut ille, quamdiu ibidem Prior fuit, eumdem nullo modo admiserit: quod bono Juveni tanto fuit dolori, quanto tenebatur desiderio videndi se sacro illo habitu indutum.

a

in proposito perstitit,

16 Non propterea tamen prætermisit frequentare conventum, ad quem, elapsis studio præstitutis horis, accedebat, nihilominus confidens, Deum sibi aliquando concessurum, ut, quod tantopere desideraverat, sanctum propositum suum exsecutioni mandaret. Eo duce, ibat
C sæpe ambulatum extra civitatem a porta marina ad regiam, inter quas situm est S. Dominici monasterium; ibidemque fixit in illos sacros muros oculis, fiebat cum tenero affectu, quod non liceret sibi tot bonorum Religiosorum sancto consortio ibidem frui. Id pariter factitabat, dum audiret æra campana conventus ad divina Officia pulsari. Ita ipsemet postea narravit in quodam colloquio, in dicta tirocinii domo cum novitiis habito, aliquot mensibus, antequam moreretur. Visus tunc aliquoties est magnam aquæ copiam ex puteo horti cellæ S. Vincentii Ferrerei hausisse, qua malorum aureorum arbores rigabat; et aliquando a fratre Joanne Perez rogatus, cur adeo se fatigaret tanta aquæ copia haurienda; Ad irrigandas, reposuit, hasce benedictas malorum aureorum arbores, ne arescant. Hinc collige humilitatem et piam simplicitatem, qua jam ab illa ætate benedictus Juvenis ornatus fuit.

17 Post evolutum Prioratum patris magistri, fratris Jacobi Ferran, in ejusdem locum electus est venerabilis pater magister, frater Joannes Mico, vir tantæ sanctitatis, ut et in vita et in morte multis miraculis honoratus fuerit. Apud hunc Ludovicus frequenter importune institit, ut sibi habitum concederet; et quamquam alii litterarum studiosi eumdem quoque ab ipso peterent, hisce tamen sanctus Prior suadebat, ut alteri Religioso Ordini nomen suum darent; sed Ludovicus ab ipso, non sine singulari cælesti providentia, magno eum gaudio admissus fuit. Verum antequam eam vestem indueret, desiderans Juvenis audire pias exhortationes, quas Prior diebus Veneris ad novitios in capitulo habebat; dum fratres cantarent Completorium, abscondit se in quodam sacello claustri, jamque illis ingressis in capitulum, ex insidiis clanculum prodiens, inter fenestras in genua procubuit, ibique attente pieque sermonem auscultavit, quem dum ad finem vergere advertit, raptim inde se recepit, ne deprehenderetur, et domum reversus, semper magis magisque ad serviendum Domino Deo impellebatur, mature expendens salutaria monita, quæ audierat.

A. AVIGNONO. *tandemque ejusdem habitum induit*

E

anno 1544, insciis parentibus; patrisque

18 Ludovicus postquam deinde cum dicto Priore de concedendo habitu secretissime, ne id patri innotesceret, ac denuo impediretur, egerat, a vespere usque in matutinum tempus pernoctavit in ecclesia S. Dominici, Deum ac beatissimam illius Matrem, Sanctumque loci patronum precatus, ut sine impedimento in eum Ordinem admitteretur, in eodemque perseveraret; cujus preces exauditas fuisse, docuit eventus; nam die XXVI Augusti anni MDXLIV, ætatis suæ anno XVIII, mense VII, ac die vigesimo sexto *b*, tam diuturni voti sui factus est compos, per manus ejusdem venerabilis Prioris Miconis indutus habitu gloriosi patris nostri S. Dominici cum communi omnium istius conventus patrum assensu et gaudio. At parentes, intellecto, ipsum religiosa veste jam indutum esse, supra modum doluere, tum quod illum singulariter diligerent, tum etiam quod vererentur, ne ab istis Religiosis ad id inductus esset; tum denique quod Filius suus ob ordinaria sua incommoda et debilitatem virium non videretur ipsis satis aptus ad litterarum studia; quas Ordo Prædicatorum profitetur.

b

F

ipsum ad seculum revocantis, argumenta

19 Quam ob rem aptiorem accommodatioremque ipsi censebant Ordinem Cartusianum, vel S. Hieronymi; eaque ratione inducti extrema tentarunt, ut a proposito suo dimoverent. At quanto magis isti moliebantur propositum illius enervare, tanto magis ipse firmabat. Simul atque Ludovicus vidit se eo benedicto S. Dominici habitu vestium, magis animis cœpit sese in omnibus virtutibus exercere, specialiter in obedientia, humilitate et oratione; sanctique nostri fundatoris, et sancti Vincentii et aliorum Sanctorum Ordinis nostri gestis expendendis. His ducibus tantum in divino proficiebat servitio, ut omne bonum, omneque gaudium suum in conversando cum divina Majestate constitutum haberet. Et licet pater ejus ante expletum secundum illius tirocinii mensem de ejusdem consilio questus ei scripserit, nequiit eum a proposito revocare; imo ipse cum magna constantia eidem respondit hoc modo.

per epistolam,

20 „ Jesus Maria. Litteras dominationis ve-
„ stræ accepi, in quibus recte expensis video,
„ summatim duo contineri. Unum est, cum

A. Avignono. „ velim Religiosam vitam profiteri, placere ti-
„ bi, ut in Ordine Cartusiano vel S. Hiero-
„ nymi Deo serviam. Alterum est, opinari te,
„ persuassisse mihi hujus ædis Religiosos, ut
„ suus essem. Quod ad primum attinet, patien-
„ ter ferat dominatio vestra; quia ego alias
„ numquam contentus vivam. Quod autem ait,
„ cibos, jejunia et labores in hac Regula præ-
„ scripta mei corporis constitutioni non conve-
„ nire; et quia ego ad contemplacionem incli-
„ nor, id me commodius facturum in prædictis
„ Ordinibus, quam in hoc, in quo Religiosi
„ tantopere occupantur studiis litterarum, nec,
„ nisi litterati, æstimantur; meminerit, obse-
„ cro, dominatio vestra dictum S. Pauli, re-
c „ gnum Dei non consistere in cibo vel potu *c*;
„ et reprehendi ab illo eos, qui ventrem suum
d „ sibi Deum fecere *d*. Itaque, cum ego non
„ credam, regnum Dei esse escam et potum,
„ nec ventrem meum pro Deo habeam, parum
„ me terrere possunt jejunia et labores. „

quæ hic datur, 21 „ Cumque hujus Ordinis Religiosi con-
B „ cionentur et confessiones excipiant (quæ offi-
„ cia non recte sine contemplacione exercen-
„ tur) certum est, in hoc ordine amplum ad
„ contemplandum campum patere; quod domi-
„ nationi vestræ manifestum est, eritque aliis,
„ qui voluerint inquirere. Parum ab hominibus
„ æstimari, non displicet mihi; imo id cupio,
„ et ita suadet mihi S. Paulus his verbis: Mihi
„ pro minimo est, ut a vobis judicer, quia,
e „ qui me judicat, Dominus est *e*. Proinde per
„ amorem Dei supplico dominationi vestræ, ut
„ in bonam partem accipiat, quod Spiritus San-
„ tus fecit; illius hoc opus est, non meum;
„ et contrarium facere, esset ipsi resistere. Cer-
„ tus sum, me hac ratione salvandum, futu-
„ rumque solatio dominationi vestræ, dominæ-
„ que matri et fratribus meis. Atque hic cum
„ Psalmista dico: Hic requies mea in seculum
„ seculorum; hic habitabo, quoniam ipsemet
f „ elegi *f*. „

egregie refutat, 22 „ Quod ad alterum spectat, nempe exi-
„ stimare dominationem vestram, id factum esse
„ ex persuasione horum patrum; crede mihi
„ (verum dico) eosdem mihi etiam fuisse con-
C „ trarios, maxime magistrum novitiorum, non,
„ quod displiceret ipsi me admittere sed quod
„ ei quoque, uti dominationi vestræ, viderer
„ destitutus idoneis viribus ad sustinenda one-
„ ra, quæ ibidem subeunda sunt: sed tandem
„ mea importunitate constantiaque perpensis,
„ judicavit, restiturum se Spiritui Sancto, si
„ meis precibus non annueret. Ut autem domi-
„ natio vestra hac de re certior fiat, sciat,
„ quædam mihi concessa esse, quæ non solent
„ aliis novitiis concedi; puta, ut possim ego ad
„ dominationem vestram scribere, ab eaque re-
„ cipere litteras, imo loqui cum eo, cui ipsa
„ mandavit, ut me viseret. Nunc igitur, cum
„ jam manifesto constet dominationi vestræ,
„ me, quod in hac re feci, mea sponte fecisse,
„ non ex suasione aliorum, non decet, me ista
„ facultate ulterius uti, sed ad aliorum novi-
„ tiorum legem conformare. Idque ego etiam
„ ipsemet rogavi patrem magistrum, qui nihilo-
„ minus dixit, concessurum se, ut vestra domi-
„ natio mecum sola loquatur, si ipsa huc vo-
„ luerit accedere. „

eosque securos esse jubet; 23 „ Ceterum tam crudeliter ille me tractat,
„ ut me propter infirmitates meas in optima ti-
„ rocinii cella collocaverit, terque in hebdo-
„ mada cœnare jubeat invitum; propter præsens D
„ vero frigus sibimet abstulit pallium, quo ege-
„ bat, ut ego eo utar; ut adeo in me sit mi-
„ sericors, et in se ipsum crudelis; atque ipse
„ incedat nudus, ut ego vestiar. Hisce de cau-
„ sis soletur se dominatio vestra, certaque sit,
„ me in animo meo magno solatio frui: quod-
„ que ad exteriores vires pertinet, validiorem
„ esse, quam umquam alias. Videat, ne de
„ sua dominatione dicatur, quod dixit rex Da-
„ vid: Trepidaverunt timore, ubi non erat ti-
„ mendum *g*. Gratia Spiritus Sancti custodiat g
„ dominationem vestram cum domina matre et
„ omnibus; quod ego diu noctuque oro. E con-
„ ventu Prædicatorum, VI Octobris *h*. „ h

hique tandem consentiunt. 24 Hæc omnia videns sanctus Prior Micon, ut liqueret, perseverantiam fratris Ludovici Bertrandi ex nullo humano respectu oriri, eum quodam die advocavit, et coram patre suo dixit: Præcipio tibi, quantum possum secundum Deum, ut mihi libere edicas, an in Ordine contentus vivas; et an vires in te sentias, ut in eo possis persistere. Affirmavit sanctus Novitius, dixitque, se potius moriturum, quam E
inde umquam egressurum: utque paternas suasiones fortius oppugnaret, sciens sibi a Priore factam esse licentiam cum eo loquendi, vovit Deo, se in eodem Ordine victurum ac moriturum. Hac ratione, ac matre etiam semel a Priore visitata, manserunt parentes illius tanto repleti solatio, ut ambo ad ecclesiam S. Dominici accesserint ad agendas Deo gratias, quod filius suus frater Ludovicus tam bonum statum elegisset.

In tirocinio omnibus virtutibus emicans 25 Tantum creverunt virtus et sanctitas benedicti fratris Ludovici anno novitiatus sui, ut non amplius tiro, sed veteranus videretur. Erat ipse abstinentissimus ciborum, sibique destinatæ portionis majorem partem semper dabat pauperibus, quod etiam per totum vitæ suæ decursum observavit; consilium S. Vincentii Ferrerii secutus. Erat admodum taciturnus, ac silentii et solitudinis amantissimus, humillimus omnium singularis in eo fuit continentia sensuum exteriorum, ac major etiam internorum: nec enim satis ipsi erat consuetas in hac sancta
æde horas devotioni impendisse, sed curabat F
mentem suam semper ad Deum elevatam habere. In communibus Ordinis Officiis fuit exactissimus, nullo temporis puncto otiosus: exhibebat se admodum pœnitentem et austeræ vitæ amatorem; et quamquam in paragendis omnibus, quæ novitii solent, plene satageret, non solum nulla hinc ei oboriebatur mentis evagatio, sed magis magisque accendebatur in amore divino.

futuræ sanctitatis suæ manifesta præbet indicia. 26 Multum studii posuit in ceremoniis Ordinis discendis, et cognocendis constitutionibus, quas deberet servare, et in earumdem observantia exactissime procedebat, uti in omnibus semper patuit. Suspiciebant Religiosi conventus virtutes, quæ in bono Novitio splendebant, et quanto plura in eo videbant sanctitatis indicia, tanto magis lætabantur, quod eum admississent ad habitum. Aliquando tentantes, an sibi esset constaturus, observabant oculos ejus, quos, dum in Crucifixum intentos habebat, expedito videbatur visu destitutus; notabant ejus verba, mensurabant passus, et omnes actiones subtiliter rimabantur; ac in hisce omnibus compererunt, unde ipsum magis amarent, laudarentque; nihil, unde arguerent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A rent. Tale summatim dedit specimen virtutis suæ, ut, elapso anno tirocinii, totus conventus exultaverit, quod ille ad professionem procederet; cum ex indiciis in novitiatu ab illo datis pro certo haberetur, fore ut insignem splendorem, non solum huic sancto conventui, sed etiam universo Ordini Dominicano adderet.

IV. *Professus anno 1543 novis animis*

27 Anno MDXLV, vicario generali Ordinis patre magistro, fratre Francisco Romeo Castellioneo, post mortem Generalis, fratris Alberti de Casaus Hispani, anno MDXLIV, die XXVI Novembris Vallisoleti *i* defuncti; Provinciali autem Aragoniæ patre magistro, fratre Melchiore Pou Catalano, Priore vero conventus S. Dominici Valentiæ venerando patre magistro Micone, frater Ludovicus Bertrandus professionem suam die XXVII Augusti cum magno suo ejusdemque conventus Valentini gaudio nuncupavit. Qua re agnoscens se novo debito, tribus scilicet sollennibus votis, obedientiæ, castitatis et paupertatis, additaque præterea sa-

B crarum Constitutionum observantia, ad serviendum Deo obstrictum, omnem vitam præteritam pro negligentia et mœrendi materia reputabat. Proinde toto animi affectu cælestem opem implorabat, ut inciperet bonus esse: quia quo quis melior est, eo amplius sibi credit deesse, ut bonus sit. Volvebat semper in animo, se ad hunc statum a Deo vocatum esse, ut inciperet illum amare, arguebatque suam desidiam, velut in ea via hactenus nesciret ambulare, in qua tunc oportebat currere.

in omnium virtutum studium incumbit,

28 Maximi faciebat exactum esse in promissa obedientia, ac propterea voluntatem suam in omnibus et ad omnia superioris nutui subjiciebat; quod Religiosæ vitæ fundamentum est; tantamque in hac virtute exercenda facultatem acquisivit, ut, quemadmodum ex Processu constat, magnam devotionem excitaret videntibus, quam prompte majoribus suis pareret; nec talis solum fuit in principio vitæ suæ Religiosæ, sed semper mansit obedientissimus. Curavit omnimodis, ut puritatem mentis et corporis servaret intactam, utque omnes cogitationes suas continue in Deum defixas haberet,

C eum assidue obsecrans, ut tam bellum candorem sibi illæsum servaret. Pergebat magis, quam umquam antea, mundana omnia contemnere, ea nihili faciens, vilissimaque ac se indigna reputans; sed contra inæstimabiles divitias ac pretiosum thesaurum esse censens servire Jesu Christo, cui agebat gratias, quod hic per votum paupertatis teneret illum iis solutum vinculis, iisque cogitationibus liberum, quæ felicissimam servitutem suam potuissent turbare.

optimos quosque sibi sequendos proponens.

29 Elegit sibi ductores patrem suum S. Dominicum, aliosque Ordinis Sanctos, ac peculiariter S. Vincentium Ferrerium, ex cujus consiliis, in Tractatu de vita spirituali ab eo consignatis, se dirigebat; neque solum mirabatur exempla Sanctorum, qui obierant, sed etiam studebat, imitari virtutes maxime in his provectorum, qui vivebant; quorum in ea sancta æde magna erat copia. Unius itaque charitatem erga proximum; alterius solitudinem, aliorum corporis habitum; horum assiduitatem in orando; istius pœnitentiam et corporis castigationem imitans, formabat sibi indumentum pulcherrimum, quo se ornaret; tamque studiose curabat augmentum virtutum, ut intra breve temporis spatium perfectum sanctitatis exemplar evaserit, quod omnes poterant utiliter contemplari, ex eoque uberes fructus referre. A. AVIGNONO.

Ex nimis austera vitæ ratione in morbum lapsus alio mittitur;

30 Speciatim vero tantopere assueverat cum Deo agere, ut aliquoties raperetur extra se, ita ut ipsemet nesciret discernere, utrum in terra, an in cælo versaretur. Proinde petiit semel a patre Micone, ut sibi diceret, quid causæ esse posset, quod aliquando, dum orabat, non esset sui compos, cui ille respondit: Redde Deo gratias, quod eo pertigeris; hæc enim felicitas est, quæ non omnibus obtingit. Factum hoc ipse frater Ludovicus narravit patri, fratri Joanni Alarconi, dum in conventu S. Annæ de Albayda de oratione conferrent; advertit tamen pater Alarcone, Ludovicum, postquam hæc manifestaverat, dictorum suorum pœnituisse, quod in suam laudem ea possent, redundare. Tantopere desiderabat opera pœnitentiæ facere, ut multa, quæ faciebat, pauca ipsi viderentur. Nec contentus erat observandis jejuniis, quæ Constitutiones præscribunt, E nisi his etiam adderet altera, dempta sibi majori parte alimenti sui; totque corporis flagellationes afflictationesque ceteris adjungeret, ut in gravem inciderit morbum: qua de causa *k* necesse fuit, eum transmittere ad conventum S. Matthæi *k*, locum salubrem, in quo cara *dumque convaluit, solita resumit exercitia* sanctitatis suæ vestigia reliquit.

et litteris operam dat:

31 Postquam ab hac infirmitate convaluit, solita exercitia resumpsit: nec enim erat instar aliorum, qui, si faciendo pœnitentiam ægrotaverint, ab ea imposterum abstinent. Ut autem ea, quæ in tirocinio docentur, usui sunt non solum tempore novitiatus, sed toto vitæ spatio; ita frater Ludovicus ad mortem usque observavit substantialia et necessaria, quæ novitius didicerat; puta, vota paupertatis, castitatis et obedientiæ, ceremoniasque Ordinis etiam minimas; ac speciatim modestiam et habitum corporis, ut nullus novitius ei fuerit comparandus. Eamdem modestiam præferebat in verbis, aliisque omnibus ad Religiosam professionem spectantibus, semper quamdiu vixit: verum hæc paulatim manifestiora fient suis locis, dum se obtulerint occasiones. Quamquam vero Servus Dei ab adolescentia F sua contemplatione mirifice delectaretur, ac viderentur ipsi scholastica studia mentem ab eadem avocare, gnarus tamen, eum solere esse dæmonis astum, ut in fœdos errores inducat eos qui volunt se sine scientia contemplationi tradere, litterarum studiis impigram navavit operam, eademque semper adamavit, ac libenter conversabatur cum viris doctis, quibuscum passim conferebat, quæ legerat; et ne a vero aberraret, plurimum deditus erat doctrinæ S. Thomæ Aquinatis; dumque postea Prioratum gessit, diligentissime curavit, ut subditi sui studiis intenderent; eademque diligenter promovit.

ANNOTATA.

a *Adi Annotata ad Vitæ primæ cap.* I, *lit.* n.

b *Hosce ætatis annos mensesque completos computandos esse, liquet ex Annotatis ad Vitæ* I *cap.* I, *lit.* q; *annum igitur ætatis suæ decimum nonum, jam octavo mense inchoatum, agebat, dum Ordinis Prædicatorum tironibus adscriptus fuit.*

c *Ad Rom. cap.* 14, ŷ. 17: Non est enim regnum

A. AVIGNONO. regnum Dei esca et potus; sed justitia, et pax et gaudium in Spiritu Sancto.

d *Ad Philipp. cap.* 3, ŷ. 19: Quorum Deus venter est.

e *Epist.* 1 *ad Cor. cap.* 4, ŷ. 3 : Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer etc.; *et* ŷ. 4 : Qui autem judicat me, Dominus est.

f *Psalm.* 131, ŷ. 14 : Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.

g *Psalm.* 13, ŷ. 5 : Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.

h *Has litteras, ab Antistio non recensitas, ut alias priores, accepit Avignonus ex Vita Hispanica.*

i Vallisoletum, *incolis* Valladolid, *Hispaniæ civitas est in Castella Veteri.*

k *Situs is conventus erat in oppido S. Matthæi in regno Valentino, teste Diago in Historia provinciæ Aragoniæ lib.* 2, *cap.* 96; *quod ad Vitam* 1 *non annotavi.*

B

CAPUT III.

Ordinatur presbyter : mittitur in Lombay : Valentiam redux præficitur novitiis ; ejusdem gesta ibidem.

CAP. V. *Sacerdos creatus anno* 1547 *primitias offert* 25 *Octobris ;*

Cum B. Ludovicus tanta sanctitate ac virtutibus splenderet, decreverunt patres, ut sacris Ordinibus initiaretur. Proinde sacerdos creatus primam Missam suam cantavit die XXIII Octobris anni MDXLVII Valentiæ in conventu Prædicatorum. Qua nova dignitate adeo se ad perfectionem assequendam obstrictum agnovit, ut nullum tempus sufficere crederet ad sui corporis afflictationem aliaque pœnitentia opera exercenda, ut edomaret carnem, spiritumque
C ad Deum elevaret, angelicam puritatem desiderans ad tam excelsum ministerium obeundum. Missam tanta cum pietate celebrabat, ut eam vehementer accenderet in circumstantibus; et, priusquam ad altare accederet, parabat se diligenter, ut majori cum fame hunc sanctissimum Cibum sumeret, quo spiritum suum in servitio et amore divino roborabat : nam ut ipsi familiare erat dicere, Per sanctissimum Sacramentum servi divinæ Majestatis, velut naves prospero vento, navigant. Propterea suadebat etiam aliis, quibuscum agebat, ut sæpius communicarent, dumque id facere non possent, saltem se in ecclesia coram divina Eucharistia sisterent.

virtutum studio incumbit, 33 Post susceptum sacerdotium Ludovicus intimam contraxit familiaritatem cum aliquot religiosioribus patribus, nominatim cum venerando patre magistro Micone, patre fratre Michaële a S. Dominico, natione Navarro, magistro Laurentio Lopez, et patre fratre Raphaële Castello, quibuscum conferebat de negotiis animæ suæ, quod magnam in illis sanctitatis speciem videret; ac proin, ad modum apis ex illis, velut totidem floribus cælestem rorem colligebat : fuitque semper amicus servorum Dei, quique Dei servi esse desiderabant. D

periculum amici prævidet ac prædicit 34 Nocte quadam post dictum Matutinum orationi insistens, vidit in spiritu laudatum patrem Castellum (qui insigni sua bonitate magnam partem habuit in tam felici emendatione provinciæ Aragoniæ) ad collum usque immersum aquis cum præsenti periculo submergendi. Cumque dictus pater profecturus esset ad insulam Majoricam *a*, frater Ludovicus ei visionem *a*
suam narravit; quam eventus veram esse probavit. Etenim, dum pater Castellus e Majorica rediret navi, in qua etiam erat proregina, vidua domini Philippi de Cervellone, ejusdem insulæ proregis, tanta repente tempestas Majoricam inter et Ebusum orta est, ut pater Castellus minus periculi in scapha esse æstimans, in eam descenderit, nihil secum ferens, nisi scapulare et tunicam; paulo post navis submersa est cum proregina; scapha autem transversum in Ebusum impulsa fuit : quam ob rem pater Castellus, antequam, sæviente mari, potuit prosilire in terram, diu sub aquis fuit, ut ei prædixerat E
B. Ludovicus; sed, miserente Deo, vivus evasit. Referebat B. Ludovicus, hunc soluisse orare prostratum humi, brachiis in formam crucis extensis; multisque revelationibus cælestibus honoratum fuisse.

habitans in Lombay instantem patris sui mortem edocetur, 35 Cum dominus Franciscus Borgia *b*, dux Gandiæ, conventum Sanctæ Crucis de Lombay *c* fundasset, quem bonus iste servus Dei ædificaverat ex zelo animarum subditorum suorum qui tunc novi erant Christiani *d*, ejusdem loci Prior mense Septembri anni MDXLVIII electus fuit pater Micon, qui insignes virtutes et sanctitatem B. Ludovici probe perspectas habens, curavit, hunc sibi comitem dari, ut bonis principiis ea instituta domus postea in sancta observantia et religione semper proficeret, uti factum est. B. Ludovicus, licet huc libenter se contulerit, brevi tamen tempore ibidem potuit consistere. Etenim initio Novembris ejusdem anni oranti apparuit suus genitor, velut moribundus : quam visionem confessario suo mane narravit, ac paucis post horis adfuit nuntius ad eum missus, ut quam mox rediret Valentiam si vellet patrem suum videre vivum, qui eum F
in desperato suæ vitæ statu videre et apud se habere desiderabat summopere.

b
c
d

quare Valentiam reversus eidem morienti assistit ejusque in purgatorio 36 Discessit velociter B. Ludovicus, moribundum patrem invisit, lætissimeque exceptus ab eo inter lacrymas hæc audivit : Fili, a me summe dilecte, mihi in hac vita fuit molestissimum, quod te viderim Fratrem *e*; idque ipsum est, quod nunc me potissimum solatur : commendo tibi animam meam. Perstitit B. Ludovicus apud ipsum reliquo exiguo tempore infirmitatis illius usque ad mortem, quæ contigit die VII dicti mensis Novembris, ut dicitur in Processu canonizationis, in quo exstat capitulum, ex codice Cartusiæ Portæ-cæli acceptum, in quo notata sunt suffragia, quæ per totam Cartusiam pro illius, velut in eam munifici, anima collata fuere. Placuit autem Deo revelare Servo suo cruciatus, quos illa in purgatorio sustinebat; nimirum, quod modo ex alta turri præcipitaretur deorsum, ex quo lapsu ossa ejus minuebantur; alias vehementissime percutiebatur; audiebatque Ludovicus eam lamentantem, seque ipsi commendantem, ut succurreret *f*. *a*

f

37 Hæc

A 37 Hasce visiones spatio octo annorum frequenter habuit, quo interim tempore semper dolebat, quod patrem suum in tantis videret cruciatibus, studebatque ei succurrere per Missas, Psalteria, Rosaria, jejunia et proprii corporis flagellationes, quas sibi sæpe infligere solebat, et habebat hunc in finem opportuna quædam in conventu loca. Noctu flagellabat se in sacellis ecclesiæ maxime obscuris, vel in parva sacristia sacelli misericordiæ intra claustrum, quem locum huic exercitio accomodatissimum ait : sed magno ipsi animo opus erat, quod locus iste terribilis esset. Nam aliquando ad illum tendens, invenit ibi prostratum humi ac semimortuum patrem Castellum, quem flagellantem se dæmones pessime percusserant. Hæc sacristia nunc in oratorium a patre magistro fratre Vincentio Gomez conversa est.

pœnis cognitis liberare nititur,

atque octennio post liberatum videt.

38 In fine octennii vidit B. Ludovicus patrem suum in pulcherrimo horto hilarem : quam visionem Servus Dei, jam infirmus, uno ante mortem suam anno fratri suo Jacobo, et cuidam alteri familiari suo lachrymabundus B narravit : causamque rogatus, ob quam pater suus tanta passus fuisset, respondit, se credere id factum esse, quod ille in obsequiis cujusdam e magnis horum regnorum proceribus versatus fuisset *g*. Neque vero incredibile appareat, patrem, quamvis vir pacificus bonique exempli fuisset, et moriens adstantem sibi habuisset filium suum, fratrem Ludovicum (qui multum laboraverat, ut divinam amicitiam ipsi conciliaret) tam dura tamen tamque diuturna passum esse; Deus enim librat metiturque opera nostra, atque ipse solus novit præmium et pœnas, quæ meremur.

g

VI. *Etsi junior, novitiis magister datus,*

39 Licet in Ordine Prædicatorum consuetudo ferat, ut officium magistri novitiorum, utpote maximi momenti, nulli, nisi maturæ ætatis Religioso conferatur; quia a bona institutione novitiorum pendet omne bonum Ordinis; et quia iidem jam obedientia ceterisque virtutibus imbuti manent sub diciplina magistri, non modo annuo spatio tirocinii, verum etiam post professionem, donec primam Missam celebrarunt; convenit, ut magister novitiorum non solum sit vir religiosæ vitæ, sed etiam C gnæ prudentiæ et experientiæ. Tanti nihilominus fiebat apud omnes alumnos Valentini conventus B. Ludovici sanctitas et virtus, ut ipsum, quamquam juvenem, omnes elegerint magistrum novitiorum, firmiter freti, fore ut delectum ætatis ejusdem pietas et virtus cum magno Ordinis emolumento pensarent. Nec spe sua frustrati fuere : tam enim insigniter illud munus administravit, ut ad id natus videretur; et ab hac prima, aliisque sex vicibus, quibus id muneris gessit, prodiere multi Religiosi, qui sua virtute et exemplo Ordinem plurimum illustrarunt.

eos non minus opere, quam verbis,

h

40 Prima ipsius ad magisterium novitiorum electio contigit die XXI Septembris anni MDLI *h*; primumque, quod ipse ad munus suum recte exercendum curavit, fuit, ut in servitio divino semper omnium primus esset : exempla enim superiorum vehementer movent inferiores. Erat proinde in oratione assiduus, temperans, humilis, et Constitutionum observans, nulla harum, etiam minima, admissa violatione. Utque ipse totus ardebat zelo amoris Dei, ita omnimode studebat, ut novellæ istæ plantæ crescerent omnibus ornatæ virtutibus, et tempore suo suaves bonorum operum fructus ad gloriam Dei et Ordinis honorem proferrent. In hunc finem reprehendebat, obsecrabat, monebat omnes, plus opere quam verbis. Solebat esse in iis, quæ ad observantiam constitutionum spectant, exigendis severior, quia, qui hisce assueverint, iis postmodum minime novi apparebunt Ordinis labores. A. AVIGNONO.

41 Quemadmodum ille semetipsum, et mundana omnia summopere contemnebat, sic eumdem contemptum in discipulis suis mirabiliter excitabat, eorumque corda omnium creatarum rerum amore exuens, volebat eos ergastellam librosque ex amore Dei affectos, ut, si omnia a superiore tollerentur, nullam sentirent molestiam. Laudabat commendabatque illis obedientiam; et, si quis eam violasset, perquam severe castigabat. Persuadebat, ut Sacramenta frequentarent, ac sæpe per hebdomadam confiterentur peccata sua, etiam crebrius, quam præcipiat Regula. Docebat eos, quo modo se armare deberent passione Christi, in qua invenitur refugium adversus omnes molestias, robur in tribulationibus, et flamma amoris ad E vilipendenda creata omnia. Inde (subjungebat) addiscent charitatem, obedientiam et humilitatem cum ceteris insuper virtutibus omnibus; ac propterea necesse esse, aiebat, ut Religiosus in cella sua habeat imaginem Crucifixi, quo se recreet, et ad quem in necessitatibus suis recurrat, maxime in tentationibus; nam in illo reperitur vera requies et omne bonum, quia isti post Crucem absconditus Christus est. Atque hæ sunt illius admirabiles lectiones, per quas Sanctorum scientia comparatur.

omnibus virtutibus erudit.

42 Habebat itaque B. Ludovicus semper in cella super mensa librorum Crucifixum; et aliquando interrogans fratrem Joannem Baga, an ipse aliquam Crucifixi imaginem haberet; cum id hic negasset, reposuit : Nequit esse Frater S. Dominici, qui Crucifixum non servat in cella; et exsurgens sublatum e pariete Crucifixum donavit ei, dicens : In hoc invenies, quidquid desideraveris. Bonus Magister omni studio curabat, ut novitii sui semper et ubique divino amore accensi essent, talesque se exhiberent; et in ea re tam erat ingeniosus, ut F fratribus in horto se recreantibus ex industria occurreret, vultuque benigno diceret : Diligamus, fratres, diligamus Dominum Deum; tamque pio animi sensu hæc aiebat, ut illi, missa facta recreatione, quamvis constitutum tempus nondum effluxisset, sese in cellas suas reciperent toti accensi ardore verborum ejus. Efficacissime inculcabat, ut omnia opera sua ac labores dirigerent facerentque ex amore Christi nostrum amantissimi, ita ut eorum jejunia, preces et corporis flagellationes non alium scopum peterent.

maxime amore Dei,

43 Docebat eos puritatem conscientiæ, et sinceritatem cordis fuci nesciam, atque omnis simulationis expertem : confortabat debiles, animabat infirmos, exponens, quantum possent mereri, licet exiguæ vires pauca facere permitterent; modo rectum finem sibi proponerent in animo, et amorem Dei foverent in mente. Professos volebat diligentem litterarum studio operam impendere, negans, litteras adversari sanctitati; imo experientia constare, aiebat, in ordine S. Dominici doctiores magis religiosos

puritate cordis ac sinceritate, reliquis præ-iens humilitate

A. Avignono. religiosos esse, magisque Dei timentes, et solitudinis amantiores. Tam clara luce viam cæli illustrante, novitii magnis procedebant passibus vim sibi inferentes, ut sequerentur Magistrum, qui opere magis, quam verbis, eam monstrabat, exorsus ab humilitate, quæ tam profunda erat in B. Ludovico Bertrando, ut se hominum omnium, qui viverent, pessimum reputaret. Propterea præterquam quod sibi pectus suum sæpe percuteret, precabatur juvenes istos, ut pro se, tamquam maximo mundi peccatore orarent. Hortabatur eos, ut liberrime dicerent omnes defectus, quos in illo observaverant, promittens ei, qui ipsum fidelium accusasset, in præmium se remissurum aliquam pœnam debitam, atque insuper aliquid muneris largiturum.

in corpus suum sæviebat flagellis,

44 Sed maxime mirabile erat videre vehementes continuasque flagellationes, quibus se lacerabat; quæque, licet conaretur eas sibi infligere in secretis locis ac temporibus, quibus minime percipiendas rebatur, multis tamen modis in notitiam venerunt. Contigit aliquando, ut dum se aspere flagellasset, oblitus fuerit cellæ ostium claudere, eamque ingressus Pædagogus *i*, tunc frater Franciscus Alemanni (qui postea magister et Prior et insignis concionator fuit) non solum pavimentum, verum etiam parietes recenti sanguine inbutos invenerit *k*. Altera vice, quod novitium velut sine causa flagellari jussisset, semetipsum sic flagellavit, ut duo novitii, viso copioso sanguine, quem fuderat, vehementer obstupefacti, inventum, quod ille absconderat, sanguinolentum flagellum eidem reddere recusaverint. Passim vero cella ejus respersa sanguine spectabatur; cumque quidam novitius ei diceret, se id relaturum Priori, Tace, fili, per amorem Dei, inquiebat B. Ludovicus; ego enim me emendabo; quæ quidem emendatio ea futura erat, quam ipsemet cuidam amico suo, divinis rebus plurimum dedito, clam indicavit, quod ipse se semel flagellaverit cinctus linteo, ne sanguis defluerit in solum, eaque ratione a nemine observaretur.

B

i

k

vel minimos novitiorum defectus castigabat severe :

45 Ut vero semet libenter flagellabat ita etiam facile levibusque de causis flagellabat suos subditos, etiam defectus parvi momenti castigans *l*. Diebus Veneris media nocte, dum in novitiatu celebrabat capitulum, exhibebat speciem extremi judicii; quamlibet violationem silentii, parvum in somno excessum, commissum in choro errorem, aut qualemcumque defectum in officiis puniens, aspereque redarguens. Cum duo novitii de quodam consilio, quod S. Vincentius Ferrerius in Tractatu vitæ spiritualis dedit, disputarent, et eorum alter hoc, alter alio modo id interpretaretur, tam graviter tulit B. Ludovicus, inter novitios utcumque minimam altercationem subortam, ut eos in capitulo severe corripuerit, jusseritque aliorum novitiorum pedes osculari, adjectis minis de tollendo illis habitu, si tale quid imposterum commisissent. Diligenter curabat, ut modeste incederent, nec oculis umquam sublatis; utque inquireret, quomodo hæc ab iis observarentur, consueverat eos spectare ex cella S. Vincentii, quoties accedebant ad chorum, vel inde redibant: si autem casu quispiam hac in parte deliquisset, non solum is aspere reprehendebatur, sed etiam luebat pœnam.

C

l

46 Aliunde quoque erat admodum sollicitus, ut bene provideret novitiis, quacumque re illis opus esset: nam quamdiu vixit, pectus semper nobile ac liberale gessit. Ut vero æquum non est, arcum semper tensum esse; sed aliquoties remitti, ne rumpatur, solet in bene ordinatis religiosis Ordinibus concedi, ut certis temporibus quadam religiosa recreatione fruantur; ea data occasione, B. Ludovicus novitiis suis multa procurabat cupedia; nec tantum iis temporibus acceptabat, quæ a Religiosorum parentibus dono mittebantur, et in commune omnibus reponebat, verum etiam, ut mitteret, inducebat matrem suam, a qua ei copiose providebatur.

iisdem etiam paterne prospicit.

47 Habebat tamen B. Ludovicus in mediis recreationibus cogitationes suas de more fixas in Deum, ita ut quodam die, dum novitiis cænulam partiretur, improviso cœperit lacrymari; quod licet dissimulare conaretur, coactus tamen fuit se in cellam recipere. Secutus ipsum pater frater Thomas Arenas, intima ei familiaritate conjunctus, repetitis vicibus flendi causam rogavit: cui ille post aliquantum silentii tandem hæc verba reposuit: Comedimus et confabulamur; et ego nescio, quæ mea futura sors sit: nescio, an non æternum damnandus sim. Hisce dictis, rursum in lacrymas prorupit metuique indulsit. Hujusmodi cogitationibus non raro anguntur, qui Deum vere amant; atque ipse sæpe similes angores passus est. Cuidam familiari amico suo semel secreto indicavit, sibi aliquando noctu expergefacto per vivam memoriam Domini Dei, ejusque præsentiæ tandem ossa tremuisse; recitatbaque illud Jobi capite IV: „ Quando solet sopor occupare „ homines, pavor tenuit me, et tremor, et om- „ nia ossa perterrita sunt *m*. „ Crebro etiam versabat in ore suo ista Salomonis Proverbiorum capite XXVIII: „ Beatus homo, qui semper „ est pavidus. „

Timore Dei mire percellitur :

E

m

48 Facili negotio reddebat vestimenta mundana novitiis rogantibus, ut redirent ad sæculum: dicebatque ceteris, quod olim Christus discipulis suis: „ Numquid et vos vultis abire „ *n*? „ Ut enim sanctum est, libenter vivere Religiose, ita res magni periculi est, ex metu vel pudore religiosum Ordinem ingredi. Simili facilitate tollebat habitum iis, qui non recte incedebant, et exiguam proficiendi spem faciebant. Cum quidam novitius bono Magistro diceret, sibi factam esse insignem revelationem, quam cum eo vellet communicare, respondit ille: Itane, jam nunc tibi obtingunt revelationes? deferes habitum; nec multis diebus post in sæculum rediit, ut vitam anachoreticam duceret, quod tamen non fecit. Non placebant fratri Ludovico revelationes tironum in servitio divino, aiebatque, oportere prius multum temporis impendi vitæ activæ ad castigandum corpus, quam per contemplationem volare; eam enim esse ordinariam viam Sanctorum, præceptis sanctorum doctorum conformem.

in dimittendis novitiis facilis est, improbatque eorum contemplationes.

n

F

49 Semel quatuor novitiis seorsum convocatis dixit: Filii mei, parate vos; uni enim vestrum moriendum hoc anno est; ac vere contigit, ut infra tres menses unus eorumdem obierit ceteris tribus superstitibus. Inter alios habebat duos novitios in recitando Officio ecclesiastico, aliisque similibus scrupulossissimos; quam

Vaticinatur : studiorum causa Salmanticam pergens,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A quam ob rem cuidam alteri novitio, fratri Christophoro Escriva, inquit : Vides, quam hi duo filii sint scrupulosi ? Scito, et unum et alterum Ordinem deserturos : et ita evenit. Cum B. Ludovicus litterarum studia faceret maximi, jam secundo præfectus novitiis, rogavit patrem Generalem, ut facultatem sibi concederet navandi iis operam in celebri conventu Salmanticensi. At pater Mico conabatur illum ab hoc proposito avocare, asserens, ipsum a Deo vocatum ad Ordinem esse, non ut doceret litteras, sed ut Christianos mores exemplis suis et piis consiliis aliis persuaderet.

per viam monitus redit Valenciam.

50 Assecutus nihilominus est desiderium suum, et profectus in Castellam est, quo cum pervenisset usque ad villam Escusam de Haro, obvium habuit quemdam patrem valde spiritalem, qui ei ait, non esse hanc illam viam, ad quam terendam illum elegerat Deus, ac proinde rediret ad conventum suum, ibidemque perficeret, quæ superiores mandaverant. Expenso hoc monito, B. Ludovicus statuit, Deum
B per duos hos servos suos voluisse sanctam suam voluntatem indicare, rediitque Valentiam, ubi festive receptus fuit a bonis illis Religiosis, qui, ut ipsum ob suam insignem virtutem summopere amabant, ita etiam ægre ferebant tam pii fratris absentiam. Illuc vix advenerat, quin superiores idem tirocinii regendi pondus illi imposuerint ex spe ingentis fructus Ordini accessuri : quo officio multos annos functus fuit ; licet ex desiderio majoris solitudinis et quietis superiores rogaverit, ut tantum sibi oneris eximerent.

ANNOTATA.

a Majorica, *alias* Mallorca, *et* Majorca, *major Balearium insula est in mari Mediterraneo.*

b *Fuit hic S. Franciscus Borgia, Gandiæ dux, postea tertius Societatis Jesu Præpositus generalis, cujus gesta hodie illustrata sunt.*

c Lombay, *vel* Llombay, *vicus vel oppidum regni Valentini est, paucis milliaribus Valentia distans ac marchionatus titulo gaudens.*
C *Fundationem dicti conventus laudato S. Francisco, loci marchioni, pariter adscribit Diagus lib.* 1 *Hist. provinc. Aragoniæ, cap.* 290. *De eodem ipsemet S. Franciscus in Vita sua, Hispanice per Ribadineiram scripta et per Andream Schottum Latine versa, lib.* 1, *cap.* 17 *sic loquitur ad Carolum natu maximum filium suum :* Tria tibi cœnobia, tamquam majorum monumenta, in manus trado ; Lombayae sodalium S. Dominici, Gandiæ sociorum, et D. Claræ virginum, in quibus soror est, et amitæ.

d *Sic Mauros Judæosque ad Christianam fidem conversos Hispani vocitant.*

e *Id est, Religiosum Ordinis Prædicatorum.*

f *Adi Annotata ad Vitæ primæ cap.* 1, *lit.* x.

g *Ac nimirum huic nimium assentatus propter hujus gratiam Deum offendisset.*

h *Consule Vitæ primæ cap.* 2, *et Annotata ibidem ad lit.* a

Italice est : Il Pedagoge ; *quæ tamen vox an sensu obvio, aliove hic accipienda sit, nescio.*

k *Consonant supra Antistius in Vita prima, et Auditores Rotæ romanæ, quorum verba dedi ibidem in Annotatis ad cap.* 2, *lit.* b. A. AVIGNONO.

l Ne *scilicet, ut habet Antistius in Vita prima cap.* 1, *noxas illas alioquin luere deberent in purgatorio.*

m *Consule Vitæ primæ cap.* 2, *et Annotata ibidem lit.* c.

n *Joannis cap.* 6, ỳ. 68.

CAPUT IV.

Mors patris Miconis, ac matris S. Ludovici : hujus habitatio, præfectura, gestaque in conventu S. Annæ Albaydæ.

E

CAP. VII. *Mors Miconis ; ac Sancti matris : alterius anima e purgatorio liberata.*

Anno MDLV, die ultima Augusti *a* placuit Deo ad se evocare insignem servum suum, magistrum fratrem Joannem Miconem, de cujus laudibus supra meminimus, virum tantæ sanctitatis, ut multis a divina Majestate miraculis fuerit honoratus ; et anno subsecuto obiit mater B. Ludovici Bertrandi, cui morienti ipse adstitit : quo tempore Valentiæ regnum valida vexabat fames, quæ usque ad annum MDLVII tenuit ; cujus anni æstate deinde in civitate Valentina exorta pestilentia est, quæ per totum regnum serpens incolas usque ad annum MDLX afflixit. Eo malo in conventu Valentino obiit frater Clemens Benetti, qui, postquam animam suam generali confessione apud beatum fratrem Ludovicum Bertrandum eluerat, eidem pollicitus est, fore ut suum in altero mundo statum indicaret. Apparuit ergo ipsi eadem nocte, dixitque, se pro quibusdam levibus defectibus in purgatorio detineri, petiitque, ut patrem Priorem ea de re certiorem faceret, utque is pro eo preces fratribus suis indiceret. Obsecutus est B. Bertrandus, celata visione ; ac E
dehinc post sex dies quidam de peccatis suis apud eumdem confitens ait, ea nocte se vidisse terram aperiri, ex eaque scissura exeuntem fratris Clementis Benetti animam, instar stellæ splendidam, et per aëra ascendentem in cælum.

a

Urgente peste, ad conventum Albaïdæ missus eidemque præfectus,

52 Invalescente posthæc Valentiæ peste, correptus fuit Prædicatorum Prior, frater Michaël a S. Dominico, Religiosus magni meriti, qui ex mandato patris magistri, fratris Petri Salmanticensis, filii ejusdem conventus Valentini, et tunc temporis istius provinciæ Vicarii generalis, multos e fratribus suis ad alios regni conventus transmisit, ne periclitarentur omnes. In hac partitione B. Bertrando obtigit conventus S. Annæ de Albayda, cui majori parte temporis præfuit cum titulo Vicarii, quod monasterium istud tunc nondum Prioratu gauderet. Quia vero is conventus in loco solitario erat, admodum erat aptus consuetis B. Ludovici exercitiis ; quippe qui ibidem poterat pro arbitrio suo precibus et contemplationi vacare ; solebatque cum magna animi voluptate nudis pedibus in vicinum conventui

A. AVIGNONO. ventui collem ascendere, in eoque ad exemplum Christi Domini nostri longas moras trahere.

divinum amorem transfundebat in alios,

53 Tanto æstuabat divino amore ut verba ejus focus ardens viderentur uti patuit quo dam die, quo frater quidam conversus, Joannes Perez nomine, dum in eodem conventu parabat se ad confitendum B. Bertrando, audivit magnos planctus et singultus patris Alphonsi Godoy, qui apud eumdem B. Bertrandum confitebatur, quique paulo post inde recedens lacrymabundus ait : O frater Joannes, unus carbo accensus accendit alterum ! Quod aiebat de inflammatis verbis B. Bertrandi, quibus ad plangendum motus fuerat. Consueverat insuper idem ille frater Joannes asserere, se, quoties apud B. Bertrandum confitebatur, vel unica ipsius voce audita, ad contritionem et lacrymas commotum fuisse. Id ipsum testatus etiam est Hieronymus Abeglia, qui, quoties ipsi confessus fuit, semper magis in divino servitio accessus ac cælestibus dives favoribus ab eo recessit.

B *mirus illius in orando fervor, et in castigando corpore severitas ;*

54 Tantus erat illius in orando et meditando spiritus fervor, ut is nonnumquam redundaret in corpus. Quam ob rem quodam hyemali die, tempestate frigida patri Alarconi de tam intenso frigore conquerenti B. Bertrandus respondit : Pater, si frigeas, confer te ad orandum, et non senties frigus. Idne tu numquam expertus es? Tractabat se ipsum rigide, aspero cilicio indutus, seque, ut jam dictum est, sæpe flagris cruentans. Hinc scapulas habebat laceras, quibus manus suas blandiendi gratia aliquando imponente patre Alarcone, ille corpus suum vehementer contorsit ; ex quo satis intellexit Alarco, quid rei esset ; et dissimulavit : verum alio die in cellam ejus ingressus, inventum in ea vetus sudarium, ex flagellatione totum sanguine tinctum, furtim abstulit, et pro sacris reliquiis servavit viginti ac pluribus annis, antequam B. Bertrandus moreretur.

sacræ Eucharistiæ pia fames ; fervor in concionando ; eleëmosynas colligendi studium ;

55 Missam devotissime celebrabat, cumque ad Communionem pervenisset, morabatur diu cum sanctissimo Sacramento in manu lacrymans ; tuncque sæpe visus fuit magno splendore micare, ut suo loco dicetur. Ex singulari, quo Eucharistiam prosequebatur, affectu ordinarie celebrabat quotidie : si vero impediretur, precabatur prædictum patrem Alarconem, tunc sacristam, ut sibi eam porrigeret ; eoque superiore id facere recusante, repulsam ex magna humilitate ac obedientia ferebat patienter *b*. Exercitia, quæ B. Bertrandus et socii ejus in hoc conventu obibant, erant incumbere prædicationi, et consolandis animabus insistere, quæ præter divinas laudes diu noctuque cantandas, huic sacræ Religioni sunt propria. Primum ex sermonibus, quos in hoc conventu commorans habuit, dixit in vico Palombara *c*, quem ille magni æstimabat, quod patria esset sui boni magistri Miconis. Priusquam ascenderet in cathedram, consueverat se recipere in sacristiam, ubi tam ferventer orabat, ut crebro visus fuerit inde regredi vultu splendente. Ibat pedes per istam viciniam prædicaturus, et finita concione, colligebat eleëmosynas fratribus suis, amplam peram humeris impositam gestans.

56 Aliquando ab habita concione rediens a S. Maria d'Agres *d* invenit pastorem, qui gregem suum servabat, vidensque ipsum, procubuit in genua oraturus ; deinde ad pastorem accedens, indicavit ei suas secretas cogitationes, quodque tot jam anni elapsi essent, ex quo ipse non fuerat confessus, utque adeo quam primum confiteretur ; cum jam proxima instaret mors. Obsecutus est pastor, ac paucis diebus post ad alteram vitam concessit. Mandabat fratribus, ut prompte audirent omnes, qui ex circumjacentibus locis confitendi gratia ad eos venirent ; dumque præ nimia multitudine non potuerant omnes matutino tempore absolvi, nolens, quemquam sine solatio dimitti, jubebat reliquos, quantum permittebat ejus sancti loci paupertas, cibis refici, lauteque haberi : proinde omnes pie affecti hilaresque domum redibant. Propensissimus erat in dandas eleëmosynas, dabatque ordinarie, quotquot peterent, et mendicos, quos in plateis invitabat ad conventum. Magna enim erat illius fiducia in Deum, quippe qui optime noverat, Deum non defuturum hominibus, cum nec desit animalibus ratione expertibus *e*.

mira in pauperes largitas

e

copiose a Deo compensata ; charitas peste infestis innocue exhibita :

57 Quamquam is conventus, quo tempore B. Bertrandus ei præfectus vicarius fuit, admodum egeret, nec haberet pecuniam in promptu, nec spem ejus obtinendæ, imo multis obstrictus debitis esset, in novo loco rebus omnibus necessariis instruendo contractis, cœpit Servus Dei tam generoso animo eleëmosynas elargiri, velut ista ædes fuisset ditissima. Sicut autem ipse per charitatem suam quasi prodigus erat in inopes, ita videbantur conventus subsidia prodigiose augeri, ut intra breve tempus omnia debita exstinxerit, manifesto indicio, quod, quo munificentior ille esset in pauperes, eo magis augerentur res conventus sui, quem omnibus necessariis opportune instructum semper habuit. Et licet propter sepultum in ea ecclesia aliquem, qui ex peste mortuus repertus fuerat, illi multis diebus prohibiti fuerint per ea loca mendicare ; nihil tamen iis defuit necessarii : quia, quemadmodum bonus Vicarius suam suorumque Religiosorum vitam in sepeliendis peste exstinctis exponebat periculo, sic Deus non solum illos omnis contagii expertes servavit, verum etiam iisdem, quidquid opus habebant, ministravit, ne ex hac tribulatione inopiam paterentur.

F *fiducia in Deum : revelata ipsi mulieris indigentia.*

58 Cum, rupta conventus campana, procurator ad novam conficiendam nummos colligeret, contigit, ut B. Bertrandus pro suo prælati officio iis in rem alteram opus haberet. Quam ab rem procuratori prompte mandavit, ut omnem pecuniam, quam habebat, sibi traderet. Hinc ille vehementer contristatus est, veritus, ut deinde esset, unde pretium campanæ solveretur, in eoque primo motu cholerico tacita mente dixit : O benedicte Deus, quam terribilis est iste ! Beatus vero Bertrandus illico subdidit : Probe scio, pater, te dicere : O benedicte Deus, quam terribilis est homo iste ! Da mihi tamen pecuniam : Deus enim providebit. Mandavit aliquando procuratori culinæ, ut duos regales daret lotrici, quos procurator pannis sordidis involutos eidem misit. Bona mulier, eos casu inveniens, tanta amplius admirata fuit, quod eo ipso die maxime egeret. Venit ad conventum et Servo Dei dixit : Quid est hoc, Pater, quod inter pannos inveni? Cui ille. Abi, respondit, filia : eo enim indiges.

A ges. Ad quod responsum ipsa etiam magis obstupuit, maxime quod indigentiam suam nemini revelasset.

VIII. *Secreta novit ac prædicit:*

59 Peste grassante Valentiæ, degebat in loco, Belgida dicto, et media leuca a conventu S. Annæ dissito, quidam nobilis Valentinus, nomine Hieronymus Abeglia *f*, vir magnæ prudentiæ et timens Deum, qui multis annis Juratus Valentiæ *g* fuerat aliisque functus officiis. Hic singulis diebus Dominicis, ac fere etiam omnibus festis, ad conventum S. Annæ ibat, de peccatis suis confessurus, qua in re utens B. Bertrando, intimam cum eo contraxit amicitiam, eumdemque supra modum dilexit, quod insignem illius perfectionem et eximias virtuses probasset. Cumque multa singularia de ejusdem abstinentia pœnitentiaque ac denique eximia vitæ sanctitate audisset, ac propterea majorem cum eo familiaritatem conjunxisset, mira minimeque ordinaria ei contigerunt. Sæpius decreverat de rebus animæ suæ cum Servo Dei conferre; sed priusquam id ei vel verbulo B indicasset, imo priusquam cœpisset loqui, B. Ludovicus ad singula plenissime respondit, non secus atque longum de iis sermonem cum eo habuisset. Quodam die eidem prædixit, tale vel tale quid ei eventurum, quod plane, uti vaticinatus fuerat, annis viginti post eidem evenit; quid tamen id fuerit, numquam voluit Hieronymus manifestare; quod sua propria causa esset.

f

g

parturientis felicem partum prænuntiat.

60 Domina Isabella de Beluis, prædicti Abegliæ sorore, partus doloribus correpta, obstetrices multis horis præstolabatur; sed cum illa ex defectu virium nequiret eniti, rogavit fratrem suum, ut obsecraret B. Bertrandum, ne negligeret in eo mortis periculo sine mora ad se venire. Accepto nuntio, Servus Dei illuc adveniens, nullo præterea verbo facto, ait Abegliæ, Aperi mihi hanc portam (quæ oratorii erat) positisque ibidem ante Crucifixum genibus, Matutinum Officium Nativitatis Domini recitavit. At Abeglia, cum ille nimis diu ibi morari videretur, exploraturus illuc accurrit: is vero ex oratione consurgens ait: istæ obstetrices non norunt artem suam; nam nimis in- C tempestive dominam ad pariendum disposuere: nihilominus illa ante mediam noctem pariet filiam, quæ cum matre vivet: atque ita omnino contigit.

Pio viro nobili uxoris suæ obitum præsagit

61 Quadam vice dictus Abeglia ad conventum S. Annæ accessit. ubi, postquam apud B. Bertrandum confessus, sacraque Eucharistia refectus fuerat, cum eo paucisque aliis ad illius cellam se contulit; quam ingrediens Pater, apertis brachiis, ei dixit: Frater mi, para te; Deus enim tibi tollere vult, quod in hac vita tibi est carissimum. Triduo post die festo Abeglia ad S. Annam rediens in medio via occurrit B. Bertrando, Belgidam misso, ut prædicaret, et confessiones exciperet, uti soluerat, qui Abegliam salutans, ait: Domum tuam vado, ut dominas istas spiritualiter consoler. Cum illuc igitur advenissent, post breve colloquium Abeglia cum sua conjuge aliisque de peccatis suis confessus est, sacramque Eucharistiam suscepit. Post prandium, dictis Deo gratiis, famulisque dimissis, conversus Pater ad Abegliam et uxorem ejus ait: Domini, quid si Deus vellet nodum, qui vos conjungit, dissolvere? moxque mutato sermonis argumento, cœpit de Deo disserere; ac deinde ad conventum suum reversus est.

A. Avignono.

mortuxque salutem declarat ac futurum filiorum statum vaticinatur:

62 Triduo post, die Mercurii circa vesperam domina insolita vehementique febri correpta fuit, die Veneris sequenti absortum passa est, ac postridie, vix absoluto prandio, mortua: tumque demum intellexit Abeglia, quod Servus Dei, velut jocando ipsi sæpe insinuaverat. Dominica subsecuta primo mane egressus e conventu B. Bertrandus cum patre fratre Martino Suarez, ut iret in Belgidam, obviavit homini ad conventum eunti, qui priusquam verbum protulisset, ait B. Bertrandus: Jam scio causam itineris tui: redi: uxor domini tui obiit. Hinc pater Suarez intellexit, eam mortem per revelationem B. Bertrando cognitam fuisse. Cum Belgidam pervenissèt, ingressus defunctæ domum, oculos bono temporis spatio in cælum elevavit, dixitque: Hæc defuncta bona domina erat una e purioribus ac simplicioribus animabus, quas ego umquam tractavi: et nihilominus quinque diebus detinenda in purgatorio est. Peractis exequiis, sepultaque mortua, B. Bertrandus adhortatus Abegliam est, ut filios E suos probe educaret, nam majorem illorum partem Religiosos fore: quod et evenit: ex quinque enim tres Societatem Jesu ingressi sunt; alter habitum gloriosi patris Francisci induit; natu minimus duxit uxorem.

Imminentem servulæ interitum præscit: ejus rigor in cubando.

63 Alio tempore B. Bertrandus existens Belgidæ in domo dominæ Isabellæ Beluis, intento in quamdam servam oculo, ait dominæ ejus: Placeat tibi hoc mancipium quam primum vendere; sed cum perseverans pestis omne impediret commercium, subsequentibus quindecim diebus id fieri nequiit; in quorum fine infelix ista serva ex alta pergula in præceps desiliit et desperabunda obiit; tuncque intellectum est, cur bonus Servus Dei venditionem illius tantopere ursisset. Cum in supra dicto vico Albayda ratione cujusdam jubilei ad excipiendas confessiones cum patre Alarcone exiisset, numeroso populo audiendo tamdiu occupati fuere, ut multo serius esset, quam ut possent ad conventum suum redire. Jussit ergo dominus Joannes Milani, loci comes, eis lectum parari; at B. Bertrandus nulla ratione induci potuit, ut exutus vestibus decumberet, idque solum ab eo F obtentum est, ut post longas preces suas vestitus in eo cubaret. Simili modo in domo supra dicti Abegliæ, dum aliquoties compulsus fuit in ea pernoctare, numquam voluit cubare in lecto, sed super quamdam arcam. Tantummodo in Moncada *h* semel, dum erat infirmus, importunis precibus victus sic vestitus in lecto invitus recubuit.

h

Dæmonis fraudes detegit: parturienti succurrit.

64 Cuidam mulieri Albaydæ, quæ parvulum filium habebat sibi carissimum, apparuit ad fores suas quidam habitu peregrinantis, qui ait: Ego vado ad S. Jacobum; si velis mihi hunc dare filium, ego eum magnum virum efficiam. Mulier, quamquam non displiceret promissio, petiit sibi diem unum ad deliberandum dari; atque illico B. Bertrandum consultura accessit; qui eam monuit, ut, si rediret peregrinus, illum juberet in malam rem facessere; dæmonem enim esse. Postero mane adfuit peregrinus responsum quæsiturus, reposuitque mulieri: Major dæmon est frater Bertrandus, qui hoc tibi consilium dedit: ut autem scias, me posse multum; specta illum, qui

A. Avignono. asino huc advehitur, is præ foribus tuis mortuus corruet; itaque reipsa contigit; et peregrinus non amplius apparuit *i*. Aliud huic simile evenisse Valentiæ, suo loco narrabimus. Quadam nocte velociter vocatus fuit ad dominam Blancam, dicti comitis, domini Joannis Milani, conjugem, in partu vehementer periclitantem. Ivit ille promptissime, et appenso ad collum ejus Rosario, oravit; et comitissa illico peperit.

Magna illius æstimatio : multi peste exstincti Valentiæ.

65 Præter hæc referri possent multa alia ab B. Bertrando patrata, quo tempore ille in dicto Albaydæ conventu habitavit; qualia sunt miraculum ignis, ac splendoris, quo ille micasse sæpe visus fuit; verum hæc dicentur alibi. Tantum dicam, tam celebrem fuisse eo loci ipsius famam, ut, licet juvenis esset ætatis annorum non plurium, quam triginta trium circiter, in tanta tamen fuerit veneratione apud populum locorum omnium circumjacentium, ut concionantis aliquando in Palombaria capucium pro sacris reliquiis proscissum fuerit. Morante B. Bertrando in conventu S. Annæ, e patribus B Prædicatoribus Valentiæ peste exstincti fuere viginti duo, atque inter hos benedictus Prior frater Michaël a S. Dominico, dum peste infectis serviret, eisdemque sepeliendis, velut alter Tobias, insisteret. Oranti autem B. Bertrando apparuit dictus Prior gloriosus, et ejus frontem osculans ait, sese eo ipso temporis momento obiisse, et ad fruendum Deo procedere *k* ....

ANNOTATA.

a *Adi Annotata ad Vitæ primæ cap.* 2, *litt.*n et o.

b *Vide hæc ex Relatione Auditorum Rotæ confirmata in Annotatis ad Vitæ primæ cap.* 3, *lit.* f.

c *Lege Annotata ad Vitæ primæ cap.* 2, *lit.* q.

d *Hunc locum quatuor milliaribus Albaïda dissitum scribit Antistius in Vita prima cap.* 3, *num.* 50.

e *Hæc quoque in Bulla Canonizationis memoratur.*

C f *Alibi* Abella *scribitur.*

g *Italice* Giurato, *quidam apud Hispanos magistratus est.*

h *Regni Valentini oppidulum, vel vicus est, ad Sucronem, Hispanis* el Xucar, *fluvium.*

i *Consule Vitæ primæ caput* 3, *num.* 44 *et seq.*

k *Subditur hic ejusdem reverendi patris Michaëlis elogium, quod, velut a Vita hac alienum, omitto.*

D

CAPUT V.

Novitiis rursus præest Valentiæ, ejus gesta ibidem : profectio in Americam, vitaque Apostolica ibi ducta.

Cessante tandem pestilentia, a superioribus suis jussus est B. Bertrandus anno MDLX redire Valentiam, ubi secundo præfuit novitiis, in pristinis suis sanctis exercitiis persistens. Eo tempore quidam novitius, frater Joannes Lescano nomine, noctu deliberabat de mundanis suis vestibus repetendis. Bonus Magister ad ipsum ante auroram accedens ait : Frater, dormi; vah, visne tu abire? Ipse vero tentationem suam dissimulans, repondit : Et quo ego eam, Pater? Tum ille : Quo tibi placet; addiditque : Atque ita etiam facient aliqui alii : post quæ verba eum ad sanctam perseverantiam amice exhortatus recessit. Sic novitius iste tentatione sua omnino liberatus fuit ac solatio repletus : ac post paucos exinde dies duobus aliis sacrum habitum deserentibus, intellexit, quid dicta sibi a Magistro verba significassent. Cuidam Religioso ejusdem conventus Valentini dolenti, quod tot patres in eo mortui essent, Consolare, inquit B. Bertrandus; quia Deus illos splendore et gloria plenos cuidam fratri ostendit : ex adjunctis autem colligebatur, fratrem, cui ista revelatio obtigerat, ipsummet esse B. Bertrandum.

CAP. IX. *Valentiæ novitiis denuo præfectus vacillantem erigit :* E

67 Dum hac vice Valentiæ habitabat, priusquam in Indias proficisceretur, egit cum eo Hieronymus Abeglia de matrimonio, inter neptem suam, dominam Annam Beluis, et quemdam virum nobilem contrahendo. Respondit ei B. Ludovicus : De hoc matrimonio bis tractabitur sine conclusione; neque convenit, istud fieri; quia multa ex eo incommoda tuæ nepti F orientur. Ita plane contigit : bis enim tractari cœptum est, sed non perfectum ob gravem infirmitatem equitis, propter quam ille vovit religiosum Ordinem ingredi, uti fecit; sed miser factus insanus est. Subsecuta Quadragesima prædicavit in vico Alcoy, ubi de more omnibus optimo exemplo fuit, vestitus dormiens super storea e juncis marinis contexta, soloque pane et aqua multis diebus pro lucrandis Deo animabus victitans; probe gnarus, quantum intersit, si prius opere, quam verbo doceantur. Conferebat se nonnumquam in vicum Cocentayna in gratiam dominæ Beatricis de Mendoza, feminæ magnæ virtutis Christianæ, quæ ob multa, quæ de ipso ex multis, ac nominatim ex magistro Jordano, sanctæ vitæ clerico, intellexerat, eum plurimi faciebat, eoque a sacris confessionibus utebatur. Mandaverat ipsa, commodum cubiculum parari; sed, ut pater frater Petrus Mico (tunc sæcularis, cui curam Servi Dei comitissa commiserat) testatus est, numquam ibi in lecto dormivit; et utut sollicitus esset dictus Mico, ut summo mane

quoddam matrimonium dissuadet : per Quadragesimam alibi concionatur.

A mane surgeret, semper ipsum flexis genibus orantem invenit.

Mauri piratæ ejus precibus puniti :

68 Verno tempore duæ biremes Maurorum Valentiam appulerunt cum ingenti præda, multisque mancipiis ea in ora captis; de quibus redimendis, nummisque hunc in finem colligendis dum ageretur, earumdem præfectus, aliquot Mauris stipatus, quodam die festo Valentiam perambulavit : qua de re B. Bertrandus vehementer contristatus fuit. Quapropter vesperi, dum novitii erant in horto, postquam horum singuli aliquid de festo ejus diei dixerant, ille sancta accensus ira cœpit dicere : Qui ferri potest, filii mei, inimicos Christi, post tantum illatum damnum, ivisse hodie tanta cum pompa per civitatem, atque etiamnum ire jactabundos? Ad nos, ad nos, filii, hæc res pertinet. Agite dum, omnes genua humi ponamus, et ad mare conversi unum psalmum contra hos Mauros devote recitemus. Fecerunt illico novitii ea devotione, quam Deus eorum animis instillaverat : ac paulo post intellectum est, Mauris, factis velis, a littore aliB quanto remotis, vehementissimam ortam esse tempestatem, quæ eos omnes submersit. Quod B. Bertrando pro solita sua simplicitate deinde scrupulum movit, ne forte peccasset faciendo, ut novitii (quorum meritis hunc prodigiosum effectum adscribebat) adversus Mauros istos divinam vindictam tam ferventer expetissent. Psalmus, quem tunc recitaverant, fuit centesimus octavus, cujus initium est : DEUS, LAUDEM MEAM NE TACUERIS *a*; ac vulgo Psalmus maledictionis vocitatur.

a

conjux ad frugem conversus aliud Sancti vaticinium.

69 Dolens quædam mulier, quod maritus suus mortali peccato inhæreret, recurrit ad dominam Annam Beluis, ut ipsa B. Bertrandum induceret ad orandum pro illo, ut Deus eumdem eo malo expediret. Paucis exinde elapsis diebus, dixit Pater Hieronymo Abegliæ, ut suæ nepti dominæ Annæ indicaret, Deum marito dictæ mulieris inflicturum pœnam grandem, per quam ille emendandus esset : evenitque, ut brevi post filii hujus perversi hominis in morbum inciderint, et ex iis obierit, quem maxime diligebat. Quo casu ad sanam mentem reversus C est, et a suo peccato abstinuit. B. Bertrandus, antequam ad Indias pergeret, Angelæ Vives, Francisci Joannis Abegliæ uxori, prægnanti dixit : Filii, hactenus ex te geniti, tibi erunt consortio; sed quos paries, debentur cælo. Ita factum est : peperit enim filium, qui brevi post obiit.

Ad prædicandum Americanus incenditur: b

70 Eo tempore advenit quidam Indus, habitu Fratris *b* indutus, cum fictis litteris ad conventum S. Dominici Valentiæ, nec sine divina providentia, cum ex colloquiis, quæ cum ipso habuit B. Bertrandus, hujus cor tanta charitate in proximum exarserit, ut omnino decreverit ad Indias *c* proficisci; ad quam expeditionem aggrediendam ipsum etiam magis animabant ea ipsa, quæ minus robustos ab eadem possent deterrere; nimirum quod magni labores a prædicatoribus Evangelii iis in partibus subeundi essent, ut referebat Indus, feræ istæ gentes barbara in eos crudelitate sævirent; cujusmodi atrocia facta quo plura ille audiebat, eo plus in ejus pectore invalescebat ardens sitis martyrii, quippe qui optime noverat, non posse charitatem esse majorem, quam ut amicus pro amico vitam suam det, ut docet Christus Dominus noster *d*. Hanc sanctam cogitationem in corde aluit, donec ex Indiis Occidentalibus duo Religiosi advenere cum facultate Prædicatores ad novum regnum Granatense *e* conducendi : quibus magnam Evangelicorum ministrorum in istis oris penuriam apud Servum Dei exaggerantibus, renovavit propositum suum de procuranda salute animarum, quæ veri Dei notitia destitutæ in mille peccatis volutantur.

A. AVIGNONO.

c

comitari volenti alia prædicit

71 Eodem tempore pater frater Castiglioni ex Ordine gloriosi patris S. Francisci, tunc temporis vir etiamnum in sæculo vivens, et amicitia B. Bertrando conjunctus, mentem suam de amplectendo S. Dominici Ordine sæpe illi indicavit : is vero laudavit eum, et ad virtutem et ad perseverantiam in bono proposito adhortatus est. Deinde intellecto, B. Bertrandum velle Indias petere, optimam opportunitatem ratus, rogavit eum, ut se comitem adsciscret. Verum ille reposuit : Existimas quidem, te Ordinis S. Dominici futurum; sed non eris; nec videbis Indias; manebis enim in hisce regionibus, atque in alio admodum sancto Ordine habitum indues. Cumque Castiglioni tam contrarium suæ menti responsum miraretur, Ne dubita, adjecit, quin futurum sit, quod tibi dixi : et ita quoque contigit : mansit enim ille Valentiæ, et Ordinem S. Francisci professus est.

E

x.

dissuadentibus omnibus in proposito persistens,

72 Tam firmum fuit B. Bertrandi Evangelium Indis prædicandi propositum, ut nec suorum fratrum et sororum, aliorumque cognatorum lacrymis ab eo revocari potuerit : nec plus effecerint Religiosi hujus conventus, qui præsagientes, quantum sibi nocitura esset tam boni Patris absentia, omnibus modis conati sunt id ei dissuadere, causantes infirmitates ejus, debilem corporis constitutionem, et itineris longinquitatem ac discrimina. Suas etiam preces addidit Prior, frater Jacobus Serrano, qui ipsum a juventute educaverat; cumque hic quoque nihil proficeret, negavit, se illi daturum viaticum ad id iter faciendum. Cum sciret B. Bertrandus, non posse se *f* tantum itineris pedibus conficere, præmisit comitem suum Hispalim, exspectans occasionem proposito suo opportuniorem. Sed triduo post, prima feria VI Quadragesimæ anni MDLXII, post habitam apud moniales tituli Conceptionis concionem, tanto F urgebatur scrupulo, quod, socio deserto, ibidem permansisset, ut eo ipso vespere fratres tirocinii sermone spiritu pleno ad probam Ordinis observantiam exhortatus fuerit; veniamque ab iis humillime precatus, si forte eorum quemquam offendisset, iisdem valedixerit, et suam sanctam benedictionem impertitus sit. Verbis exprimi nequeunt lacrymæ hac occasione fusæ, ac doloris vis, quæ omnium istorum filiorum illius corda occupavit ex talis sancti Patris et boni Magistri amissione.

f

discedens Hispalim in via socium invenit

73 Facto mane, discessurus benedictionem petiit a Priore, qui humanitus multum reluctatus, eamdem impertiit, in ea persistens animi afflictione, quam res exigebat; ut loqui nequiret præ lacrymis. Discessit ille solus, bina pera collum oneratus, in quibus paucos libellos et panniculos ferebat, ivitque celebraturus Missam in conventu S. Mariæ de Jesu, Ordinis S. Francisci, extra muros civitatis posito, quam ibidem dixit eo spiritu, quem quisque sibi potest imaginari, iter suum Deo commendans, offerensque, quæ in tam longa ac laboriosa via erat passurus. Finita Missa, nimias divitias

A. Avignono. divitias ac nimis commoda reputans, quæ secum tulerat, ad conventum remisit, pauca illa, quæ apportaverat. Deinde per viam regiam gradiens, cum ad Crucem Xativæ, media leuca Valentia dissitam, pervenisset, vidit socium suum præcedentem, quem triduo ante præmiserat, sed qui ob gravem infirmitatem unius cognatorum suorum non nisi tunc e civitate egressus fuerat, ita disponente Deo, ne B. Bertrandus tam loginquum iter sine socio conficeret.

Hispali navigans graviter læsum,

74 Ut audierunt fratres ejus, illum discessisse, magna cum diligentia insecuti eum Scœtabi uno die itineris Valentia distantis offenderunt, multisque argumentis, ut ab incepto itinere desisteret, permovere conati sunt; at, cum nihil efficerent, jumentum ei comparaverunt, quod cernerent, ipsum ob debilem sui corporis constitutionem viæ pedibus faciendæ imparem esse. Valedixerunt demum illi non sine fusis lacrymis; ipse vero perrexit Hispalim, ubi se navi commisit in prima classe, quæ versus istas oras solvit. Brevi cognorunt navarchi et naucleri, quem thesaurum veherent: B mox enim observarunt ejusdem probos mores, vitæ austeritatem, sermones, modestiam et humilitatem; quibus de causis in magna omnes eum veneratione habebant, ortaque procella, recurrebant ad ipsum, velut ad tutum refugium, salvos se rati, dum prope ipsum essent. Accidit, ut cuidam fratri Dominicano, in armamentario biremis, ubi B. Bertrandus morabatur, in alta meditatione defixo, pars tabulæ e carchesio in caput decidens ita læserit, ut is instar mortui jaceret.

adhibita aqua, sanat.

75 Accurrentes illico medicus et chirurgus cœperunt capillos coronæ ei præscindere; at B. Bertrandus rogavit, ne facerent, daturum enim se aquam, quæ per gratiam Dei ipsum sanatura esset. Persuasit ea, quam de bono Bertrando habebant, existimatio, ut aqua ab eo data istius caput laverint; eoque falciis diligenter obligato, eumdem in cubile transtulerunt, in quo mansit usque in posterum mane, destitutus sensibus, ut antea; quos tunc recipiens videt Dei Servum caput suum suo admoventem: C nec mora erexit se in pedes et in aulam biremis progressus est: ubi navarchus eum conspicatus alta voce mandavit, ut rediret ad cubiculum suum, nam in periculo vitæ eum versari. Sed frater admirans respondit, se sanum esse; et audito sui capitis vulnere, manus suas eidem admovit, fasciasque avulsit; atque ita omnes agnoverunt magnum istud miraculum, quod nullum in eo esset vulnus, imo nec minimum cicatricis vestigium *g*.

g

Carthagine Indiarum habitans, ad varia loca mittitur: h

76 Appulit classis in portum Carthaginis, civitatis Indiarum *h*, et B. Bertrandus ibidem moratus est in conventu S. Josephi, qui patrum Prædicatorum est provinciæ S. Antonini, quamquam situs sit in Peruvia et pars sit novi regni Granatensis, ac sub gubernio Carthaginis, Fani S. Marthæ *i* et Venetiolæ *k*. In ea æde vixit ipse conventualis; indeque missus fuit ad varios populos, ut Indos doceret; constat enim, illum fuisse in Tubara, Cipacoa, Paluato, Mompoix *l*, Serra S. Martæ, Turvaio, Tenerifa, aliisque in locis. Quamvis autem Deus per B. Bertrandi patrocinium multa mirabilia in Indiis operatus est, pauca eorum ad notitiam nostram pervenerunt, quorum aliqua, quæ hic relaturi sumus, ipsemet narravit, D alia inde huc perscripta fuere.

i k

l

77 Beato postrema sua infirmitate laborante, Religiosus quidam ex Indiis Valentiam adveniens, notatu digna de eo narravit; ac primo quidem, illum esse istum Prædicatorem, qui uberiorem ceteris fructum in iis regnis protulit; quia, licet sermone Hispanico in suis concionibus uteretur, intelligebatur tamen ab Indis, quod non contingebat aliis prædicatoribus, qui interpretibus opus habebant. Ratio autem, ob quam ei Deus hoc donum concesserit, prout ipsemet aliquando familiaribus suis narravit, hæc erat, quod, cum ipse aliquando usus esset interprete, qui, sive ex ignorantia, sive ex malitia, dicta sua male exposuerat; precatus Deum sit, ut vernacula sua lingua, sicut olim S. Vincentius Ferrerius, intelligeretur. Auditus et exauditus fuit *m*: eaque gratia *m* tam copiosum fructum retulit.

xi. *Hispanice prædicans ab Indis intelligitur:*

78 Exposuit insuper prædictus Religiosus gravia incommoda, quæ bonus pater Bertrandus per istam regionem iter faciens passus fuit, fame, siti, calore, frigore et vestium aliarumque E ejus generis rerum penuria, quæ ipse quoque Servus Dei nonnullis ex eo scire aventibus, quæ in tam remotis oris ipsi contigissent, narravit; sed semper cum voluptate et lætitia. At magis dolebat, quod, cum in vastissima provincia pauci essent conventus, et hi procul ab invicem dissiti, Priores, ut Indorum necessitati providerent, consuevissent Religiosos suos per diversa loca partiri, sic ut eorum unus habitaret a conventu leucis decem, alius viginti, alter triginta, qui, ut possent de peccatis Sacramentaliter confiteri, conveniebant utrimque usque in medium viæ spatium: quod B. Bertrandus, cum tantopere delectaretur Sacramento Pœnitentiæ, ut olim quotidie bis confiteri soluisset, ferebat ægerrime: solabatur tamen se fructu, quem ex ista gente copiose referebat.

inter incommoda se animarum fructu solatur:

79 Quidam Hieronymus Cardiglia Valentinus, cum in illas oras pervenisset, ac B. Bertrandus agnovisset, aliunde omni adjutore destitutus, ipsum velut popularem suum comitatus est, dum in loginquas terras ibat prædicaturus, quo semper pergebat nudis pedibus; Hieronymus autem officio servi fungens, ferebat F peram, in qua nihil præter Sacram Scripturam et Breviarium continebatur. Quocumque advenirent, erant acceptissimi, et cum ingentis amoris indiciis recipiebantur: abituris autem offerebantur alimenta in viam; sed Pater nihil volebat acceptare, nec permittere, ut Hieronymus quidquam acciperet; quod ille ægre ferebat, quia in longis istis desertisque viis sæpe fames et sitis tolerandæ erant. Quodam die dum a via aberrassent, Hieronymus, rodente stomacho, multum de Beato conquestus est, quod peram alimento vacuam portare se juberet; ille vero pro solita sua mansuetudine eum ad patientiam exhortatus est, utque paululum ex amore Dei cum firma in eumdem fiducia pateretur, admonuit. At quo magis Beatus ei hanc commendabat virtutem, eo minus is eamdem volebat discere, pergebatque semper murmurare.

Deo fretus itineris socium multa conquestum

80 Videns ergo Beatus, ipsum nimia cholera correptum, ait: Agedum, divertamus paululum huc, signataque, unde recedebant, via, in spissam ingressi silvam sunt, in quam parum

mirabiliter pascit, et ab eo deseritur:

A parum procedentibus occurrit arbuscula pulchris maturisque malis onusta (neque altera in tota silva videbatur) ad ejusque radicem aqua limpida et chrystallina, velut ebulliens scaturiebat in medio fonte rustico, a natura formato, atque æque frigido et gustui grato, quam visui accepto et elegante. Hinc Hieronymus totus hilaris, postquam comedit bibitque, quantum libuit, saturatus fuit et contentus : et quia poma ista sapuerant, et penuriam fuerant, expertus, in futurum prospiciens, volebat sibi providere, aliaque ex iis poma carpere ; sed accurrens Beatus prohibuit : at ipse nihilominus aliquot furtim collegit et in peris abscondit ; quæ paucis passibus inde Beatus suis manibus apprehendit, ipsoque acriter reprehenso, abjecit. Ea res tantam rudi isti homini iram movit, ut, cum ad primum vicum pervenissent, turpiter recedens Beatum solum reliquerit ; qui ipsi dixit : Frater, doleo, quod non habeam, quod tibi dem : abi, Deo propitio ; sed magis doleo, quod semper misere victurus et moriturus sis : quod vaticinium impletum fuit.

B Huic Beatus contulit miraculum, lethale vulnus capitis ejus sanando, uti lib. III, cap. 1 dicetur.

durat ejusdem itinerandi ratio : ferocia animantia signo Crucis cohibet.

81 Quod supra dictum est in ipsius more iter pedibus faciendi, sic observavit, ut, cum ex Tubara alio evocatus esset ad Sacramenta administranda, et propter infirmitatem ejus vellent ipsum cogere, ut equo uteretur, nulla ratione id ei persuadere potuerint, licet via saxosa esset, et molestis clivis plena. Quidam operarius, nomine Hieronymus Fernandez, et ipse quoque Valentius, qui ipsum pariter paulo plus septem mensibus in Indiis comitatus fuerat, narravit, dum per regionem pergerent, B. Bertrandum cum socio suo aliquoties (sese interim exspectare jusso) in silvas secessisse ; et, quia id passim sæpius feriis sextis, quam aliis diebus faciebant, suspicatum se esse, eos sese flagellis cædere ; idque ita esse, suis oculis conspexisse. Idem Fernandez retulit, sibi, dum cum ipso per istos montes silvasque incederet, terribiles tigres aliaque ferocia animalia frequenter occurrisse, hisque territum dixisse : Quo me ducis Pater ? Visne, ut hæc

C monstra me devorent ? Ipsum vero respondisse : Ne timeas, fili ; Deus enim nobiscum est : factoque per ipsum versus feras signo Crucis, hasce, deposita omni nativa ferocia, permisisse, ut viatores, non modo illæsi, verum etiam securi cœptum iter perficerent.

ANNOTATA.

a *Antistius in Vita prima cap.* 3 *eadem referens, dubitavit, idemne Psalmus, an* 82, *cujus initium est,* Deus, quis similis erit tibi, *ab iis tum lectus fuerit.*

b *Id est, Religiosi Dominicani, qualis non erat ; sed impostor. Vide Vitæ primæ cap.* 4 *ab initio.*

c *Per* Indias *(ut jam alias monui) in Vitis* S. Ludovici Occidentales, *seu Americam semper designari memineris.*

d *Joannis cap.* 15, *v.* 13.

e *Novum regnum Granatense ampla Americæ Meridionalis regio est, cujus præcipua civitas est Fanum sanctæ Fidei de Bogota.*

f *Scilicet Valentia Hispalim, unde navim ascensurus erat.*

g *Hæc, pro quibus Avignonus in margine laudat Rocam, in Bulla Canonizationis sic legere est :* Hispali navem ingressus omnibus ædificationi, solatio et auxilio in opportunitatibus fuit, in qua sui Ordinis Religiosum, a cadente ponderosa trochlea gravissime læsum, vulnere aqua loto, sic sanitati pristinæ restituit, ut postridie, mirantibus cunctis, nec vestigium quidem cicatricis apparuerit. A. Avignone.

h *Vulgo etiam* Carthagena Nova *appellatur, quæ Americæ Meridionalis civitas est in Terra Firma ad oram Maris Septemtrionalis, ad quam Hispanæ naves solent appellare, estque episcopatu insignita, ac nomen suum adjectæ regioni tribuit.*

i Fanum S. Marthæ *Americæ Meridionalis civitas episcopalis est, suæque cognominis regionis caput.*

k *Vulgo* Venezuela *Americæ item Meridionalis episcopalis civitas et provincia est.*

l *Aliis scribitur* Mopoix *et* Mopox, *quod ejusdem Americæ Meridionalis oppidum est, cujus pariter sunt loca mox præmissa ac subdenda.* E

m *Consonat Bulla Canonizationis his verbis :* Orationibus a Deo obtinuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat, evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis.

CAPUT VI.

Alia ab eodem Sancto variis locis in America gesta.

Beatus Bertrandus, dum a Superioribus suis non mittebatur alio, ordinarie habitabat Carthagine in conventu S. Josephi, in quo, uti et omnibus aliis in locis, insignia suæ sanctitatis indicia edidit ; eaque movendi vi illius pollebant verba, maxime dum prædicabat, ut etiam durissima corda emollirentur, et omnes etiam urgentissima negotia seponerent, ut dicentem audirent : adeo placebat. Sermo tamen die Veneris sancto in dicto conventu ab illo F habitus præ reliquis memorabilis fuit propter pium affectum, quo ista dolorosa mysteria exposuit, ac pœnitentiam lacrymasque, ad quas auditores suos omnes excitavit. Ratiocinia ejus non erant hominis mortalis, sed spiritus angelici, tamque suavia erant verba, ut quoslibet raperent, ac semper magis magisque allicerent ad auscultandum. Ut paucis dicam, ipsum velut hominem e cælo missum suspiciebant. Quæ causa fuit, ut quidam, quorum intererat propterea lætari, eum tanti æstimari videntes, lethifera invidia moti persecutiones ei excitaverint, ac sæpius sugillaverint, injuriosis verbis Hypocritam appellantes. At Servus Dei mansuetissimus ferebat omnia patienter, et sibi mala facientibus retribuebat bona. CAP. XII. *Carthagine ob communem applausum aliquorum invidiam incurrit:*

83 Cum vellet ejusdem conventus Prior, magister frater Petrus martyr cœptam fabricam prosequi, consilia contulit cum Servo Dei, et Præsentato fratre Hieronymo de Barros, qui omnes tres erant sequenti Quadragesima concionaturi ; videlicet in Veragua *a* Prior, in *a* Rio della Acha *b* Præsentatus, et B. Bertrandus in Nome de Dio *c*, Finito consilio, B. *b* Bertrandus *c* *triplex edit vaticinium :*

A. Avignono. Bertrandus appertissime dixit Priori : Is pater, qui tam libenter vadit ad Rio della Acha, inde non redibit ; Paternitas autem tua et ego ad extrema vitæ perducemur : non tamen ex ea infirmitate moriemur. Ita evenit : nam pater Hieronymus in Rigo della Acha obiit ; Prior vero et B. Bertrandus morti proximi decubuerunt, et ex contracta debilitate ad dictum conventum difficulter reversi sunt, ubi vires suas brevi post restaurarunt.

item alia d

84 Beatus Bertrandus Carthagine Beraonam *d* profectus, ut Missam ibi celebraret, ut cognovit, quam indigne miseri isti Indi a suis gubernatoribus tractarentur, dixit Andreæ Martini : Deus infelices istos magna calamitate liberabit, quia unus istorum gubernatorum intra paucos annos morietur. Post B. Bertrandi abitum, Martini ea, quæ Servus Dei dixerat, aliis narravit ; quæ cum ad aures Ferdinandi dell'Alle (qui unus duorum gubernatorum erat) et dominæ Ines de Mendozza, illius uxoris, pervenissent, ii vehementer contristati sunt ; ac propterea Ferdinandus ea de re beatum Ber-
B trandum convenit. Respondit hic, non eum esse, qui moriturus erat, sed ejusdem majorem-domus, crudelem Indorum tyrannum : et vaticinium ejusdem mors biennio post probavit. Uxorem Petri Barros monuit, ut Deum sibi conciliaret ; propinquam morti esse ; quantumvis tunc prospera valetudine uteretur. Post paucos dies correpta morbo excessit e vivis.

In diversis locis prædicit.

85 Cum equitem Parafan de Ribera, phrenesi graviter laborantem, ad mortem properare adverterent, qui ipsi aderant, rogarunt B. Bertrandum, qui eum invisit, tamque miserandum in modum phreneticum conspicatus, atramentarium poposcit, et quasdam sacras voces scripsit in charta, quam illius fronti filo illigavit. Eodem tempore tota domus tanto strepitu et horribili stridore personuit, ut omnibus terrorem incuteret ; et eques sanum sensum sic recepit, ut B. Bertrandus varias aliorum præ sentiscens autem Bertrandus varias aliorum de eo strepitu cogitationes, ac nonnullos suspicari fuisse damnationis equitis indicium, jussit illos securos esse ; indicium enim salutis ejusdem esse, idque tam certis rationibus probavit,
C ut satisfecerit omnibus, omnesque exhilaraverit. Priore ac Subpriore conventus S. Josephi graviter decumbentibus, ab aliquibus rogatus B. Bertrandus, quid futurum esset, repondit, ambos eodem die morituros ; uti evenit ; fueruntque simul sepulti.

CAP. XIII. *Tubaræ commorans austere vivit e*

86 A superioribus suis B. Bertrandus Tubaram *e* missus, ut eum populum ad veri Dei cultum adduceret, solita sua hunc in finem opportuna ratione usus est, apostolicam vitam ducens. Numquam apud se servare voluit qualiacumque alimenta, aut acceptare magistris sacræ doctrinæ et parochis debita ; sed omnia committebat majori-domus Indiarum, qui curabat ipsi de victu prospicere ; et illo (Francisco Ribera dicto) absente a loco, miser sæpe usque ad vesperam perstabat jejunus. In victu solitam suam servabat percimoniam, solitaque pœnitentiæ opera exercebat ; sed pro flagris ferreas catenas adhibebat. Inhabitabat parvulam casam potius, quam cubiculum, dormiebatque super lignis, fere in modum craticulæ dispositis, sine culcita, sine linteo, sine pulvinari. Laboravit plurimum in doctrina Christiana rudi isti populo tradenda, adeo ut nullus prædicator ibi tantum fructum retulerit, D quantum ille.

omnes loci infideles convertit, dæmonem repellit

87 Convertit in Tubara omnes, quotquot erant infideles, ut in libro Baptismali annotatum est. Prædicabat tanto cum spiritu, ut nullam concionem haberet sine lacrymis et cordis contritione ; multique publico peccato lethali impliciti, illius sermonibus et bonis exemplis moti, abdicata prave videndi licentia, divino servitio se dedebant. In dies singulos magis magisque stupebant, quod non caperent, qua ratione fieri posset, ut ipse, licet homo, eo vivendi modo humana a se removeret. Quam ob rem a dæmone instigati, per callidam malignamque mulierem Indam eum tentando, virtutem ejus experiri voluerunt, prout dicetur in capitulo de castitate ejusdem. Devotissimus erat S. Mariæ de Rosario, ideoque in concionibus suis semper commendabat hanc devotionem ad quam ut animos magis accenderet, consueverat insigne aliquod miraculum narrare. Videns dæmon sibi damnum ex tot Indorum ad sanctam fidem conversione a B. Bertrando inferri, apparuit ei habitu eremitæ, suasitque, E ne se tantopere cruciaret in ea gente convertenda ; omnem enim operam cassam fore ; se vero illius misereri ; ac multis rationibus persuadere conatus est, quod volebat : sed a Servo Dei agnitus magno cum clamore et horrendis ululatibus ex oculis evanuit.

infantem ab idololatra patre allatum feliciter baptizat.

88 Primis diebus a B. Bertrandi in istum locum adventu, dum in Vigilia S. Michaëlis solus esset in ecclesia, ecce, ingressus in eamdem est Indus, infantem in ulnis bajulans ac vehementer clamitans ; quem cum non intelligeret Beatus, ex interprete audivit, ipsum isti infanti moribundo Baptismum petere. Respondit Beatus, cur ille, qui indololatra esset, id peteret. Quia (subjungebat Indus) supra in isto monte quidam spiritus bonus dixit mihi, te propterea in has terras advenisse, et, si tu aquam in infantem effuderis, eum salvandum. Baptizavit itaque illum B. Bertrandus et Michaëlem appellavit, magnas Deo gratias agens, quod primus, quem in India baptizaverat, ad cœlos evolasset *f*. Narravit hæc aliquoties B. Bertrandus, quando de mirabilibus divinæ prædestinationis effectibus habebat sermonem. F

f

plurimos baptizat, idola exurit, magna pollet auctoritate.

89 Eximia vivendi ratio B. Bertrando magnæ sanctitatis opinionem sanamque apud istos populos conciliavit, Deusque tantam verbis ejus addidit efficaciam, ut triennii spatio converterit baptizaritque suam manu ultra mille et quingentos, qui ex ejusdem consilio quasdam casas stramineas, in quibus eorum idola servabantur, publice incenderunt ; utque etiam alia loca, in quibus idola abscondita latebant, Servus Dei detegeret, utebatur opera puerorum, qui blanditiis allecti ea ipsi indicabant. Quadam nocte ipse cum socio suo duas ejusmodi idolorum casas exussit, quæ numquam reædificatæ fuerunt : quæ res Indos ad tantam iracundiam excitavit, ut omni studio laboraverint incendiarium detegere. Similia faciebat B. Bertrandus, quoties poterat, ne conversis occasioni essent ad idololatriam redeundi. Ea vero erat horum in ipsum observantia, ut, cum aliquando e cauponula, in qua congregati erant, magno cum impetu egressi essent, ut majorem-domus trucidarent, isque eorum manus effugisset in ecclesiam, in qua erat B. Bertrandus, hic periculum advertens, iisdem, qui plures

ducentis

A ducentis erant, iverit obviam, et solus sua præsentia atque auctoritate eos retinuerit, tumultum sedaverit, et major-domus mortem evaserit.

Tentatam ab impuro Indo eadem

90 In quadam concione B. Bertrandus acriter increpuit quemdam Indum, magnæ conditionis virum in Tubara, sed idololatram; gentisque, ut ibi fert mos patriæ, tempore pacis ducem. Conveniebat ad conciones et ad Doctrinam *g*, et, licet esset uxoratus, impudicum habebat commercium cum Inda alteri viro nupta : quod, præterquam quod legi naturæ adversetur, etiam Indorum placitis erat prohibitum. Delictum erat publicum, omnesque dolebant, offendebantur et detestabantur, quod apud illos quoque matrimonium inviolabile censeatur : utque iste erat inter eos princeps, ita peccatum ejusdem notabilius. Hunc igitur Beatus acriter reprehendit, et ob perniciosum exemplum etiam in publicis concionibus dixit, ipsum, quamvis Christianus non esset, minime exemptum esse legibus naturæ, quæ adulteria vetant, et expresse prohibent, ne quis alterius

g

B uxorem usurpet.

imperterritus evadit : multa a dæmonibus patitur :

91 Ille vero hisce vehementissime commotus, et iracundia excandescens, non exspectato sermonis fine, se erexit in pedes, arreptumque militare instrumentum, quod ex palma confectum eorum lingua Macana dicitur, ambabus manibus in Servum Dei, qui supra * ecclesiæ portam pedibus insistens erectus concionabatur, intorsit; verum illud (existimante impio, in ejus caput impactum fuisse) prope Beati pedes in terram decidit tanto impulso (quia Indus iste multum viribus valebat) ut ejusdem cuspis sat profunde infixa solo fuerit, Beato penitus illæso et omnis mali experte; quod pro insigni miraculo habitum fuit. Servus autem Dei tam inusitato facinore nihil perterrefactus, pacato, ut soluerat, animo, post aliquas fusas preces Missam celebravit, quasi tam præsenti necis discrimini minime fuisset expositus. Multa B. Bertrandus in ea gente convertenda passus est non solum ab hominibus, verum a dæmonibus, a quibus immaniter vapulavit, ac nominatim, dum convertit et baptizavit quemdam ducem senem moribundum. Propterea enim dæmones

* *an* sub porta

C ipsum pessime cruciarunt, atque ipsum etiam Indum; quo de magnis molestiis, quas maligni isti spiritus creabant, apud Beatum, dum ab eo visitabatur, conquerente, is crucem e cannis formatam ibidem statuit; nec amplius illi ausi sunt eidem molesti esse; imo nec intrare locum, in quo Indus ille morabatur.

divinitus præscius amico naufrago succurrit :

92 Dum B. Bertrandus etiam in Tubara versaretur, ex divina revelatione didicit, quemdam amicum suum in regno Valentiæ, Jacobum Raphaëlem Frances nomine, qui veloce vectus mari versus Carthaginem Indiarum navigabat, naufragium passurum. Quare Servus Dei, comparatis vestibus cibisque, accessit ad littus, ubi ipsum mortuo, quam vivo similiorem invenit. Impulsa enim versus littus navi, ille sese B. Mariæ Rosarii commendans, uno die ac duabus noctibus natando evaserat, duplici miraculo, tum quod non fuisset submersus, tum quod præ fame et angustiis non interiisset, nec devoratus a monstris marinis in eo mari frequentibus; et nisi etiam opportuna ista refectio a Beato ibidem præstita fuisset, certo fuerat moriturus, omnibus viribus ex iis, quæ passus fuerat, et ex labore ac metu destitutus. Certiorem fecit Jacobus fratrem suum Joannem Robles, rectorem Engueræ in regno Valentiæ, de eo, quod sibi acciderat, deque ope sibi collata a Bertrando, cui vitam suam servatam referebat : isque rector Beato Valentiam, reduci pro præstitis suo fratri beneficiis gratias rependere studuit; sed ille precatus, ut sileret; ne tamen celaretur beatissimæ Virginis de Rosario miraculum, permisit vulgari.

A. AVIGNONO.

quanti Sanctus in Tubara factus fuerit.

93 Indi aliquando casu ingressi in exiguam casam, quam B. Bertrandus inhabitabat, conspexere illum in ecstasi elevatum a terra, ex qua re (quæ eos in admirationem rapuit) aliisque, quæ ab eo continuo fieri videbant, tantam erga ipsum concepere devotionem, ut, quoties ex superiorum suorum mandato alio pergere debebat, omnibus modis contenderent, ne ex Tubara excederet. Dum vero nihilominus inde discesserat, planxerunt amare; ejusque tam chara sanctaque apud eos perstitit memoria, ut eumdem precibus invocarent *h* : apparetque, populum istum, eodem patrocinante, in Christianæ legis officiis sincere perseverasse. Tam E pie quoque erga ipsum affecti permanserunt, ut pauperculum illius tugurium in eremitorium converterint, in quo non soli Indi, verum etiam Hispani, presbyteri ac Religiosi, cælestes ab eo favores expetebant.

h

In Cipacoa et Paluato prædicans

i

94 Misso B. Bertrando ad sanctam fidem in Cipacoa et Paluato *i* prædicandam, voluit præfectus Franciscus Sanciz, velut regionis administrator, quemadmodum aliis sacris præconibus facere solebat, Indas Indosque juvenes, qui ipsi servirent, addicere; at noluit Pater, causans, se pauperculum fratrem esse, cui non esset ad instar sæcularium alenda familia; ac solum permisit, ut duo juvenes Indi venirent visum, si qua re indigeret; qui cum observassent, ipsum se flagellis frequenter cædere, maxime diebus, quibus a carnibus abstinebat, ac propterea solito debiliorem pallidumque esse id renuntiarunt. Recusabat semper eleëmosynas pro Missis oblatas, quas quidem celebrabat ad intentionem rogantium; sed eas eleëmosynas jubebat pauperibus distribui. Pari modo nihil volebat acceptare pro collato Baptismo, jungendis matrimonio, celebrandis exsequiis, Missisque pro defunctis, nec gallinas, nec ova, nec quæcumque alia dona a parochianis suis admittebat. Proinde is populus videns, ipsum nulla prorsus in re sui commodi rationem habere, FRATREM DEI communiter appellabat.

XIV.

F

vitæ sanctitate omnes sibi devincit :

95 Præfectus Sanciz perpendens extremam paupertatem vitæ, quam ducebat bonus Pater, eumdemque, quod in æde sua nollet feminas, quæ servirent, quamdam ipsummet servitutem pati, fecit, ut ille in sua præfecti domo imposterum semper manducaret; dumque ipse domi aderat, ad suam propriam mensam convivam adhibebat; dum vero aberat, mandaverat, ut ipsi opportune provideretur. Sed bonus Pater, si non sponte daretur cibus, ne petebat quidem : cibus autem ejus erat parcissimus; potus parum aquæ vino leviter dilutæ, adeo ut omnibus, qui id adverterent, prodigiose vivere videretur. Non solis diebus Dominicis ac festivis, sed etiam aliis per septimanam Cipacoæ et Paluati incolæ diligenter accurrebant, ut interessent Missæ, Catechismo et Concionibus, ipsum auscultare gestientes; gaudentesque

A. Avignono. dentesque ecclesiam præter solitum frequentare.

pluvia divinitus obtenta, uberem messem procurat:

96 Cum quodam anno tam arida esset tempestas, ut magna annonæ penuria timeretur, Cipacoæ dominus idololatra cum aliis multis infidelibus et Christianis in Vigilia S. Catharinæ virginis martyris ad B. Bertrandum recurrit, supplicans, ut pro opportunis pluviis a Deo impetrandis oraret, ne fame perirent. Confidite, respondit Beatus, Deo et Sanctæ, cujus festum cras colimus, quæ multum valet apud Deum, quamque orabimus, ut nobis in hac necessitate patrocinetur. Proinde facite mundari viam hinc usque ad montem in conspectu maris, ibique ædiculam e ramis struite, et in ea altare erigite; quo die crastina, Deo propitio, procedemus in agmine supplici, et ego ibi celebrabo Missam: ita factum est, convenientibus illuc circiter mille personis. Post celebratam Missam habuit sermonem, in quo fraudes quibus a dæmonibus decipiebantur, exposuit, ac deinde mirabilia istius magnæ Sanctæ gesta narravit, hortatusque ad certam fiduciam est, B fore ut Deus abundantem pluviam concederet. Sic evenit: nam paucis horis post cœpit cælum turbari, nubesque continue magis magisque densatæ obscurari. Ad suas itaque domos omnes redierunt; neque usque ad medium viæ spatium pertigerant, cum jam pluviam imminere viderint; vix in vicum suum advenerant, quin copiose cœperit pluere; pluitque triduo tam ibi, quam in vicinis circum locis. Hac ratione arentibus campis opportune madefactis, adeo fœcundatæ sunt segetes, ut uberrima messis secuta sit.

fluvium feliciter transit: pluviam arcet: k l

97 Cum vellet B. Bertrandus aliquando equo trajicere Cienagam *k* de Mansaniglio *l*, retinuit eum præfectus Sanciz, quod fluvius nimium intumuisse videretur; utque experimentum caperet, ipsemet inter duos nigros nudos equo insidens ingressus est. Non multum processerat, cum equus mergi cæpit, et ipse natatu in adversam ripam pertigit, ex qua alto clamore suasit Beato, ne se tanto periculo exponeret, promittens fore, ut ei cymbam procuraret; verum ille alio in loco transiturus, signato Cruce fluvio, in alteram ripam C feliciter pervenit. Cum aliquando iter faciens in *m* angulum Icaciorum *m* pervenisset, et præfectus Sanciz et frater Jacobus Sciaveria, ejusdem Beati socius cibum sumere vellent, imminente gravi pluvia, cœpit Beatus orare; cumque nonnihil moraretur, ab iisdem vocatus, ut se simul reficerent, respondit: Ego precor B. Mariam Rosarii, ut eam pluviam a nobis arceat; qui non habeo, quo me tegam. Fuitque exauditus: nam ubi illi erant, nulla decidit gutta: circumcirca vero copiosa ruerat pluvia, cujus manifesta vestigia iter prosequentes conspexere.

m

XV

Propter ablata impii ossa furentium manibus erepto

98 Indis ad radices Montis S. Marthæ *n* prædicans B. Bertrandus, ex iis plus quindecim mille ad Christianam fidem adduxit ac sacro fonte abluit. Post hos pervenit ad duos populos Cariborum *o*, Sapenco et Petua *p* dictos, adorabant ossa cujusdam sacerdotis, cujus in iis partibus antiquissima erat memoria, et ex persuasione dæmonis credebant, cælum in sua capita ruiturum, si iis ossibus privarentur: quæ causa erat, quod ea servarent et honorarent mirifice, festa sua cum ridiculis cæremoniis coram iisdem celebrantes. Postquam B. Bertrandus sæpius, sed frustra, tentaverat cæcis istis errorem suum eximere, doluit, eos tam D miserabiliter a dæmone delusos teneri. Ast, dum Deo placuit, clam abstulit arculam, in qua ossa servabantur: quod ubi Indi resciverunt, decreverunt illum occidere: sed, qui jam ad fidem conversi erant, ipsum tutati sunt, et salvum conduxerunt in locum alterum quatuor leucis inde dissitum, quo ille eadem ossa secum asportavit.

n

o p

toxicum propinatur; nec ille moritur, sed ossa invalido

99 Delusi Indi videntes, se prohiberi a conversis, qui magno erant numero, eumque amabant plurimum, ne Patrem publice trucidarent, convenerunt cum quodam impio sene sacerdote idololatra, ut Patri toxicum propinaret. Fecit id scelestus, moxque Dei servus correptus fuit lethifera febri, quæ stomachum totumque ventrem urebat. Aderant ipsi duo nigri, quos ad Christianam adduxerant fidem, qui eum adjuvabant in isto tormento, quod ferebat hilariter, mortem lætus exspectans. Unicum erat ei (aiebat Pater) dolori, quod non adesset presbyter, qui sibi Sacramenta conferret: solabatur tamen se imagine Crucifixi, quam Rosario suo affixam E gestabat, et animam suam inter lacrymas Deo commendabat. Dum in hisce augustiis versabatur, ecce, advenerunt quinque duces Maurorum cum vexillis suis, arcamque cum ossibus abstulerunt. Quinto, postquam venenum hauserat, die serpentem per miraculum evomuit, itaque plane salvus evasit.

auferuntur, itaque furentium telis denuo eripius

100 Hoc miraculum B. Bertrandus amicissimis suis, ac nominatim magistro Natali, rectori in Torrente, postea referens, magnum præferebat dolorem, quod non fuisset sanus, dum ossa auferebantur (nam e gravitate mali destitutus erat sensibus) aiebatque, se, si valetudo permisisset, potius mille expensurum vitas fuisse, quam ista sibi tolli permissurum. Incusabat quoque toxicum, quod ex eo non esset extinctus, et addebat: O beatam mortem, per quam sperare poteram palmam martyrii! et felicem patrem Carmelitam, qui ab eodem sacerdote infectus veneno, intra paucas horas sublimi ista sorte potitus fuit! Indi, intellecto, Beatum a malo suo convalescere, supra trecentos convenerunt, armati telis, ut eum occiderent: quare unus e supra dictis nigris, ejusdem amantior animosiorque, quam cautior, tubum belli- F cum ferreum pulvere nitrato oneravit, ratus, sic illum defendi posse; at Beatus jussit a cœpto abstinere.

multos eorumdem convertit ac baptizat:

101 Post hæc quidam dominus præcipuæ inter eos conditionis, quem Servus Dei converterat, intercedens, eum huic periculo subtraxit: ac proinde Beatus prodiens, advocatis istorum præcipuis, solito sui spiritus fervore cœpit disserere, dolorem suum de eorum damnatione exponens, monensque, ut imposterum agnoscerent fœda dæmonis mendacia; cum nec cælum in eos ruerit, quamquam iis ossibus orbati fuissent; nec quidquam passi ex omnibus aliis malis, quæ ille fuerat minatus. Hisce monitis, compertoque, toxicum, cujus vim per experientiam optime noverant, in ipsum non valuisse, adeo molliti animis fuere, ut impii facti pœnitentes, simul coram Beato prostrati, emendationem spoponderint. Beatus igitur opportuna adjiciens monita, magnam eorumdem partem ad Christi fidem adduxit, et sacro fonte lustravit.

varios alios

102 Rogavit alias Beatus quemdam dominum, cur conciones suas frequentare prætermitteret,

A mitteret; respondit is, quia dæmon suus minatus fuerat ipsum et uxorem et filios suos occidere, si eis imposterum interfuisset. Tum Beatus, Agedum, eamus, inquit, et experiamur, quam parum iste possit, accedensque ad idolum, pedem illi impegit, nec ullum in eo signum, nullus motus apparuit. Idem experimentum sæpius repetiit Beatus, atque ita convertit Dominum illum, quem vitam ipsi salvasse, supra diximus.

instruit ac sacro fonte abluit

103 Accesserunt ad Beatum aliquando simul ultra mille et quingentos Indi e quodam loco, ubi non nisi duos convertere potuerat, et instanter petierunt, ut se in Christiana fide instrueret. Causam vero hujus rei rogati responderunt; cum festum quoddam, cui dicti duo Indi baptizati intererant, celebrarent, ac pro more suo dæmonem invocarent, apparuisse illum, horribilem visu, et dixisse : Quid me invocatis, dum duo inter vos hic adsunt Christiani ? Tollite eos hinc. Interea autem prope dæmonem comparuisse hominem, Christianorum more vestitum,
B qui ait, se a Bertrando missum, ut eis exponeret, quantum a dæmone deciperentur : cumque aliquo tempore disputassent, convictum hæsisse dæmonem, et ambos ex oculis evanuisse : hac de causa se venire, ut Christiani fierent. Lætus igitur B. Bertrandus eosdem prævie instructos baptizavit.

atque inter hos decrepitum sacrificulum,

104 Baptizaverat Beatus Indum decrepitæ ætatis et infirmum, assistebatque ei, ut bene moreretur; sed vix ab eo recesserat, quamdiu opus erat, ut domum suam adiret, cum redux reperit ei assistentem Indum alterum, qui eumdem pervertere nitebatur. Expulit hunc Beatus; et infirmus confirmatus, in sacra fide Christiane defunctus est. Multum laboravit B. Bertrandus ad sacerdotem Indum, magni judicii virum, convertendum, ratus, hujus ad Christum accessionem, ad multos alios convertendos valituram. Ad hanc rem Dei opem sacrificiis et sui corporis afflictationibus per biennium imploravit; quo elapso tempore, quo hic minime rebatur, Indus iste, ex gravi morbo decumbens, misit, qui ipsum arcesseret. Rogatus autem ab eo Indus, quid sibi vellet, respondit, se credere, omnipotentem Deum misisse
C in mundum Filium suum, ut homines viam ad cœlum doceret; hunc que in cruce mortuum esse, ut eosdem liberaret peccato et potestate dæmonis, ac propterea velle se esse Christianum. Beatus illum in fide bene instructum agnoscens, eum baptizavit : quo facto, cœpit tremere, et causam rogatus ait, dæmones ferocium bestiarum specie minari se discerpere, quod, cum illi ipsum, dum vixit, maxime honoraverint, ceterisque ejusmodi sacerdotibus omnibus majorem effecerint, ipse eos in fine vitæ suæ desereret. His auditis, Pater formavit e juncis crucem, lectoque apposita, recessit. Postmodum reverso narravit Indus, dæmonem præ foribus ululasse, sed numquam amplius ausum ingredi.

aliumque e præcipuis virum

105 Converterat etiam alium e præcipuis, qui, cum incidisset in morbum baptismum a Beato petiit; sed dum hic crucem extra ejus ædem figeret, dixit Indus, nil opus esse. Quo dicto obstupefactus Beatus verebatur, ne Indum propositi sui pœniteret; perrexit tamen crucem manu gestans ipsum adhortari, ut in sancta fide constanter perseveraret : Indus vero manu certum demonstrans locum, ait, in eo sibi apparuisse crucem, proptereaque se dixisse, nil opus esse, ut poneretur altera. Baptismum ergo denuo petenti Beatus contulit. A Avignono.

ANNOTATA.

a Veragua *provincia Americæ Septentrionalis est in nova Hispania.*

b Rio de la Hacha *Hispanis, Latine* Facis fluvius, *Americæ Meridionalis fluvius est cum cognomine Urbecula et Præfectura in Terra Firma.*

c *Seu Hispanice* Nombre de Dios, *Latine* Nomen Dei, *urbs (nunc destructa) Americæ fuit in provincia Terræ Firmæ ac in ora maris Septentrionalis.*

d *Hunc locum frustra in Lexicis quæsivi.*

e *Nec hunc locum potui reperire.*

f *Nam, ut habet Antistius, quem hic laudat Avignonus, iste infans paulo post susceptum baptismum obiit.*

g Doctrinas *vocant ædiculas missionariorum cum sacellulis, in quibus Indi Christianis* E *præceptis imbuuntur.*

h *Consonat Bulla Canonizationis his verbis* : Ad cujus hospitium, in oratorium commutatum, etiam nunc et Indi et Hispani ad divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt.

i *Nec hæc loca vel regiones in Lexicis reperi.*

k Cienagam *in nullo quoque Lexico reperi; sed apud Blaevium in Descriptione Præfecturæ Carthagenæ occurrit palus prope hanc urbem vulgo* la Cienaga *dicta, quæ an hic indicetur, non ausim asserere.*

l *Ignotus item hic mihi est locus, forte quod tam hic, quam alia loca fluviique jam præmissa subdendaque aliter Hispanis, aliter Americanis appellentur.*

m *Italice est* : Nella punta delle Scaci ; *quibus quid indicetur, fateor, me non dispicere.*

n *Id est, montium provinciæ ac præfecturæ* S. Marthæ, *quæ ab Occidente finibus præfecturæ Carthaginensis adjacens, ad Orientem habet præfecturam fluminis* de la Hacha, F *a Septentrione Oceanum, et a Meridie Novum Regnum Granatense.*

o *Seu* Caribarum *vel* Caraïbarum, *qui ex insulis Antillarum, quas olim occupaverant, ab Europæis pulsi in continentem Americæ Meridionalis se receperant.*

Sive hæc populorum, sive (quod potius videtur) locorum nomina sint, in Lexicis frustra quæsivi.

A. Avignono.

CAPUT VII.

Alia ejusdem gesta, ac miracula ab eo ante et post obitum in America patrata.

cap. xvi. *Tenerifæ varia cuidam nobili matronæ a*

Vicarii ac parochi munere B. Bertrandus functus etiam est in terra Tenerifæ *a*, ubi cum solita sua diligentia et sanctitate vitæ studuit eam gentem convertere ad Christum, et apud quam exhibendo, prout concionis opportunitas ferebat, Crucifixo singulariter profecit. Habitabat tunc temporis ibidem Isabella Mexia, Joannis Bernal, loci præfecti, uxor, quæ suæ animæ noxas apud Beatum solebat eluere, et in angustiis ad eumdem recurrere; dumque id facere
B vellet, accedebat in tempore, ut ejusdem Missæ prius posset interesse. Semper autem, quando ea mente illuc iverat, Beatus, post finitam Missam, non vocatus, rogabat, quid vellet. Unde ipsa advertit, eum spiritu prophetico pollere; ac proinde cupiens scire finem viri sui, ludo perdite addicti, consuluit ipsum, asserens, se hinc afflictissimam miserrimamque totius mundi mulierem esse. Respondit ille humaniter, ne id inter afflictiones suas reputaret, sed alia ei eventura, incomparabiliter majora. Uti illa reipsa gravissima passa est; atque inter hæc toxico infecta, quam ob rem sacro oleo uncta fuit, non tamen mortua.

prædicit.

107 Eadem domina, cum multos menses imprægnata Carthagine versaretur, precata Beatum est, ut sibi diceret, an feliciter, et utrum masculum, an feminam enixura esset. Subridens ille respondit, primum, qui in terra natus est, virum fuisse; significans, masculum fore; qui ab ipso quoque baptizatus fuit. Aliquot inde mensibus denuo ea domina petiit, quid de isto puero futurum esset; reposuit, brevi tempore victurum; ut factum est, Deo illum in-
C tra breve tempus ad se evocante. Habebat eadem domina in Tenerifa famulam, Hieronymam nomine, cui, quoties cum domina sua ad ecclesiam accedebat, Beatus signum Crucis formabat in fronte; domina id diligenter observante. Contigit, ut Beato ad confitendum itinere bidui alio profecto, famula ista in morbum lapsa moreretur; intraque paucos dies inde reverso domina suæ famulæ mortem narraret. Cui ille: Cur igitur, inquit, existimasti, me frontem ejus signasse, nisi quod eam et morti et æternæ saluti vicinam viderem.

Rediturus in Hispaniam tempus discessuræ classis prænoscit,

108 Quo tempore B. Bertrandus eam temram excoluit, habitavit in tugurio prope ecclesiam, soluitque prandere in domo cujusdam nobilis viri, amici sui singularis. Is eumdem in suo in Hispaniam reditu illac transeuntem in domum suam recepit, donec pararentur victus aliaque ad iter marinum necessaria. Secundo ab adventu ejus die, Carthagine illuc nova allata fuere, discessum classis fixum esse intra proximos octo dies, quorum tribus elapsis, dixit vir iste nobilis Hospiti suo: Pater frater Ludovice, parata sunt omnia, feliciter perge Carthaginem, priusquam classis vela det, Cui ille D
respondit: Dominus Deus, qui mihi facultatem concessit redeundi in Hispaniam, non permittet, classem discedere sine me. Ego dicam tibi diem discessus mei: hisque dictis, permansit ibidem.

atque instantem cuidam nobili mulieri mortem,

109 Intra quindecim dies peperit uxor ejusdem equitis, cujus confessionem Beatus exceperat, prolemque baptizavit; domoque egressurus mandavit, ne puerperam solam relinquerent; quod mulieres, quæ aderant, parum curantes, ut ipsam dormientem conspexerunt, ab ea recessere, immemores moniti de ea non deserenda. Illa vero pavide expergiscens ex magno strepitu, quem in eodem cubiculo unus e crassioribus, quos in istis agris reperire est, serpens humanæ coxæ par excitabat; tam horrido conspectu tremefacta, e lecto nuda prosiluit, et ingenti cum clamore fugiens, modo hac, modo illac per domum usque in atrium inferius cucurrit; quo tempore cum frigidus ventulus spiraret e mari, ipsa eo lethaliter confecta fuit. Tunc demum mulieres accepti a Beato moniti de non relinquenda sola memi- E
nerunt: illa vero, mortuæ, quam vivæ similior, in alio lecto deposita, post quatuor horas exspiravit.

ejusdemque viduo, ni caveat, divinam vindictam vaticinatur.

110 Postridie tumulatum ejus cadaver est, et Beatus pro ejusdem anima Missam celebravit, et sermonem ad populum habuit, absolutisque funebribus justis, cum viduo hospite suo reversus est domum, ubi inter prandendum eidem ait: Dominus Deus hic me detinuit, ut dominationi tuæ pretium præparati mihi victus persolverem, uti feci: excepi enim confessionem dominæ, adstiti ei morienti, ad ejusdem cadaver hac nocte vigilavi, Missam pro ea celebravi, in ejusdem laudem ad concionem dixi, et infantem baptizavi; aliam monetam, qua beneficia mihi præstita persolvam, non habeo. Quod præterea mihi occurrit, est, ut dominationem vestram moneam, ne ullo modo permittas domum tuam intrare quamdam feminam, quæ intra paucos dies ad te accessura est; alioquin tu cum illa offendes Deum, ipsaque brevi post sua morte luet. Hæc omnia ita prorsus evenerunt. Comparuit enim ista mulier, ipse permisit ingressum, cum eaque F
lapsus est (quodque pejus est, commater illius erat) petiitque dispensationem, ut eam sibi matrimonio copularet: sed antequam dispensatio allata fuit, Deus morte mulieris suam ultus offensam est ante finem anni, quo comminatio facta fuerat.

Tenerifæ pro Sancto habetur uti et in Mompoix,

111 Tanta vero fuit estque Tenerifæ populi erga B. Bertrandum devotio, ut nominatim Ludovicus Vasquez de Guevara, ordinarius gubernator, cum nihil aliud e rebus illius obtinere potuisset, procurarit sibi deferri librum Baptismalem, in quo erant multæ subscriptiones propria illius manu exaratæ. Hac occasione ipse etiam aliquot phyliras ex eo decerpsit, et pro sacris reliquiis servavit; at numquam voluit restituere, nisi coactus excommunicationis sententia: eæque hodiedum cum capituli consensu in sacristia multa in veneratione servantur. Prædicavit etiam Beatus in Mompoix *b*, ubi solita suæ vitæ sanctitate verba sua commendavit, eaque ratione mirabilia patravit. Tantam sibi ibidem comparavit famam, ut non alio, quam Sancti vocabulo veniret. xvii. *b*

112 Capitaneus

A 112 Capitaneus Bernardus de Bentacourt, cum audisset ipsum concionantem feria sexta de Lazaro, accessit ipsum versus horam noctis secundam, rogitans, ut de peccatis suis confitentem postridie mane audieret; et cellæ januam paulatim parum aperiens, vidit in ea lucem magnam, velut multorum cereorum, et ante oratorium suum B. Bertrandum, flexis genibus incumbentem : vidit insuper duos venerabiles ac majestate spectabiles dominos, vestibus solis instar radiantibus; cumque vellet hanc visionem accuratius intueri, nec progredi, nec retrogradi potuit, totusque tremefactus stupebat. Sed, pulsata nonnihil ex vi, qua movere se nitebatur, janua, B. Bertrandus, conversus ad strepitum, erexit se processitque visurus quis adesset, sciretque, quid posceretur. At capitaneus, totus tremens ac sui impos, in ea perturbatione nesciebat, quid esset responsurus ; ac, nisi Beatus adjuvisset illum, ut e domo excederet, non invenisset egressum. Sancti ab eo visi videbantur ei fuisse SS. Ambrosius et Thomas B Aquinas, interrogatusque, cur duos hosce Sanctos fuisse opinaretur, respondit, quod similes essent illorum pictis imaginibus, quas sæpe viderat, quodque viginti annorum spacio ea opinio suæ menti inhæsisset.

miro lumine in duorum Sanctorum consortio coruscare

113 Idem capitaneus vidit B. Bertrandum, dum Missam celebraret, post consecrationem ecstasi inhærentem, existimansque, se recte facturum, voluit, arrepta ejusdem planeta, eum monere. Cuidam juveni ex Espeleta, haud procul a Mompoix, annorum quadraginta, vaticinatus est, eum ad annos quinquaginta per venturum, at non superaturum; ac revere contigit, ut anno vitæ suæ quinquagesimo correptus morbo obierit. In loco, Turvaco dicto, convertit quemdam juvenem, et in Baptismo Ludovicum nominavit, qui ab eo sancte educatus eidem in Missa ministrare solebat. Quod dæmon plurimum dolens, dum ab Indis rogabatur, ut sibi Maix (quod illorum frumentum est) concederet; per idolum respondit, se id numquam concessurum, nisi Ludoviculum immolassent. Qua de causa opperientes, donec Beatus abesset, ipsum rapuerunt et immolarunt. Reverso autem et de C Ludovico suo inquirenti persuadere tentarunt, eum devoratum esse a Caymanes, quæ animalia sunt crocodilis similia, quæ e flumine sæpe prodeuntia viatores devorant; at Beatus, probe gnarus malitiæ dæmonis, hinc vehementer doluit; inde vero lætatus est de merito ejusdem animæ innocuæ.

atque alias etiam in ecstasi conspicitur : vaticinatur : pueri cædem dolet:

114 Prædicante ipso in insula S. Thomæ *c* sub umbra platani, aderat ibi in ea magna concione multitudo impiorum Indorum, qui saxis armati volebant illum lapidare; qua de re admonitus a quodam ecclesiastico, qui cum ipso erat, suadebatque, ut a concionando desisteret, respondit : Ne metue; non enim tantum roboris habent, non solum ut in me vibrent lapidem, sed etiam ut mihi vel minime noceant. Perrexit ergo concionari, eamque vim verba ejus habuerunt, ut non modo eum non læserint, verum etiam plures ducentis eorum, finito sermone, pie secuti, ab eodemque conversi ac baptizati fuerint.

in insulis S. Thomæ c

115 In alteram insulam, Promontorium S. Vincentii *d* dictam, cum multis baptizatis aliisque progressus est, ubi dum ad frequentissimam concionem in spatiosa planitie sermonem haberet, advenit quidam e primoribus, rubra talari veste indutus, nudis cruribus pedibusque, et inaures gestans. Is ad Beatum, finito sermone, accedens, quæsivit ab eo, quæ ea essent, quæ de Cruce prædicabat, et quæ res Crux esset, quam videre cupiebat. Beatus ut eum recte instrueret, se ad densum truncum unius arborum, quæ locum coronabant, extensis in modum crucifixi brachiis, applicuit : dumque ab eo recessit, truncus iste imaginem sanctissimæ Crucis impressam servavit : quo miraculo omnis iste populus in magnam admirationem raptus, altis clamoribus applausit. Prædictus vero vir præcipuus, confestim domum suam repetiit, ex qua paulo post regressus ad locum, ubi erat Beatus, et in genua provolutus, manum ejus prior apprehendit, eumque domum suam perduxit, in qua ille cum socio suo Hieronymo Fernandez novem dies commoratus est; quo tempore eumdem virum cum multis e familia ejus, aliisque probe instructum baptizavit; recedensque, quod etiam alibi consueverat facere, ei Articulos sanctæ fidei, Præcepta Decalogi, aliasque preces magis necessarias, litteris consignata reliquit.

et S. Vincentii uberrimos fructus refert, d

A. Avignono.

E

XVIII.

In testimonium veræ Fidei venenum innoxie bibit :

116 Quamquam multa e mirabilibus, quæ B. Bertrandus operatus in Indiis est, jam retulerimus, hoc tamen caput peculiariter destinavimus ad memoranda miracula, quæ ab eodem tam ante, quam post obitum facta, in iisdem partibus scripto annotata fuere. Dixit Christus Marci capite ultimo, prædicatores suos in nomine suo ejecturos dæmonia, locuturos variis linguis, expulsuros serpentes, et si venenum sumpserint, mansuros illæsos, ac denique, infirmos, quos manibus suis attigerint, sanatum iri. Has gratias Bertrando, velut prædicatori Apostolico, a Deo concessas fuisse, certum est ex multis, quæ jam diximus, atque etiam manifestum fiet ex dicendis in hoc et sequentibus capitibus. Dominus Raphaël Figueroa, in Indiis commoratus asseruit, publicam iis in oris famam esse, B. Bertrandum, ut quempiam ex ejus gentis optimatibus converteret ad fidem, in testimonium veritatis fidei Christianæ, falsitatisque superstitionum Indicarum, obtulisse se ad exhauriendum calicem toxico infectum et hausisse innoxium *e*. Indicavit hoc etiam ipsemet Servus Dei patri fratri Andreæ Cabrerizo; addens, F Deum sæpe hujusmodi miracula patrare per magnos peccatores, ut sanctum ejus nomen agnoscatur ac laudetur.

e

usu cinguli sui desperatæ puerperæ partum procurat :

117 Inda, Marinitta dicta, quam B. Bertrandus baptizaverat, ad eumdem recurrit dolens, quod soror sua infidelis jam a triduo ex infelici partu moribunda esset, quia fœtus transversim cubabat; nec omnino eam posse eniti ac vivere, pro certo habebatur. Beatus, eam consolans, jussit spem suam in Deo reponere, fore ut soror sua feliciter pareret; dedítque ei cingulum suum, quo sororem cingeret; ipse vero pro infirma interim orationi incubuit. Eo ipsa cincta pulchrum sanumque filium peperit; cujus rei Marinitta intra mediam horam B. Bertrandum certiorem fecit; eoque miraculo infantis pater et mater cum avis paterno maternoque, aliisque multis eorumdem sociis moti, ab eodem B. Bertrando sacro fonte abluti fuere.

sudario suo et signo Crucis strumas sanat,

118 Altera Inda, nondum baptizata, strumis pessime afflicta, ita ut per plagas, quibus tota fere cervix circumdabatur, conspicerentur nervi ejus, coram Beato procumbens dixit : Ego te vehementer obsecro, ut sanes me. Ille, post

A. Avignono. post factum super collo illius signo Crucis, cervicem ejus suo sudario circumdedit, dixitque : Vade Deo propitio; confide, te ab illo sanandum, et cras revertere. Reversa illa est postridie, et amoto sudario, experta est se sanam, quasi numquam ullo malo laborasset, nullo etiam morbi indicio superstite. Quod insigne miraculum conspicatus socius, Pater frater Ludovice, inquit : Hoc magnum est miraculum! Cui ille : Tace, ait, frater charissime, hoc opus Dei est : a me enim nihil boni fit; idque ideo divina operatur Majestas, ut isti Indi convertantur. In quodam ejusdem regionis portu quædam puella, per solum signum Crucis formatum, eodem, quo infecta erat, malo liberata fuit.

et febrim : naufragium evadit, periculose ægrotantes reddit incolumes.

119 Domina Agnete de Mendoza, dum octennis erat, jam per duos menses in confinibus Tubaræ in domo aviæ suæ laborante, ivit vetula B. Bertrandum precatura, ut illuc accederet (uti fecit) Missam celebraturus; qua finita, legit super eam Evangelium, et cruce signavit
B infirmam, quæ eodem die immunis febri fuit. Dum cum aliis quantuor vel quinque personis
f per magnum flumen Magdalenæ *f* navigabat, tam sæva exorta tempestas est, ut, inversa cymba, omnes immergerentur aquis : sed, Beato Deum precante, restituta cymba est, omnesque ad ripam appulit, in quam, apprehensa arbore evaserunt. Simili modo Indiam peragrans in variis populis multos invenit ex quodam morbo, catarrho simili, morientes; adeoque is contagiosus morbus erat, ut pestis videretur. Proinde lustrabat ille singulas casas, bene precans infirmis; nec quisquam eorum, quibus suam impertitus fuerat benedictionem, ex eo malo mortuus est. Eodem deinde morbo laboranti uni e sociis suis quidam Indus ait : Cur non vadis ad sanctum Patrem, ut te sanet?

Creditur etiam puellam mortuam
g

120 Religiosus, cujus supra meminimus *g*, ex Indiis reversus, in conventu Valentino retulit, se, dum per Indiam iter ageret, ex multis intellexisse, Beatum in quodam vico suscitasse a morte quamdam tenellæ ætatis puellam, filiam Indæ, quam ipse baptizaverat. Rogatus postmodum sæpius ipsemet Bertrandus, verene Deus
C per ejus patrocinium puellam mortuam revocasset ad vitam; nec affirmare visus est, nec negare; unde creditus est id reipsa fecisse; qui bene noverat, mendacium in ejusmodi rebus Deo graviter displicere. Sed quod rem certiorem facit, illud est, quod graviter infirmus quærenti cuidam civi, ipsi addicto, an in Indiis puellæ mortuæ vitam reddidisset, responderit : Quantum id esse putas? Deus agit instar fabri ferrarii, qui ferram facere meditans, ex multis laminis ad id operis idoneis, quas coram se habet, pro suo arbitrio hanc eligit præ alia : hisque dictis, tacuit. Quibus verbis quoad substantiam dixit : Noli me pluris, quam alios facere, quod Deus me ad prodigium istud patrandum usus sit.

vitæ restituisse in America.

121 Confirmatur hæc opinio ex ejusdem B. Bertrandi dictis ad quamdam spectabilis conditionis personam, cui ille Rosarium Marianum donans, jussit illud in magna veneratione haberi, quia versus Indias navigaturus illud acceperat a patre fratre Thoma Arenas, prædicatore celebri, ac magni spiritus viro, cui ipse suum pariter dederat; addiditque : Hoc Rosarium in Indiis sanavit infirmos, convertit peccatores; atque insuper puto, resuscitasse mor- D
tuos : illud magna in veneratione habeto. Quin et ipse quoque Pater tanti illud æstimabat, ut aliquoties ad se mitti petierit, ægrorum capiti imponendi gratia. Alteri etiam devotæ personæ dixit : Deus mihi hanc fecit gratiam, ut hoc Rosario resuscitaverim mortuos. Ejusdem usu etiam post illius obitum multa miracula obtenta fuere, ut dicetur lib. III, cap. IX.

Quædam ex miraculis post mortem ejus

122 Post mortem quoque B. Bertrandi Deum multa per ejusdem patrocinium miracula in Indiis patrasse, compertum est. In Tubara Martinus Campanero Indus gravi lethargo correptus erat, et ad extrema deductus, ac loquela visuque destitutus; quodque pejus erat, non fuerat sua peccata confessus, quia loquendi facultatem repente amiserat. Illius miseratus Franciscus Lopez Cabrera, clericus et parochus Tubaræ, dolensque, quod sine prævia confessione morereturur, eumdem B. Bertrando, velut Indorum istius loci Patri, commendavit, excerptumque folium ex libro Baptismali, Beati manu conscripto, devote magnaque cum fide collo infirmi applicuit; qui intra diem et medium, E
nullo prorsus adhibito remedio, loquelam recepit, apud parochum confessus fuit, ac multis annis superstes incolumis vixit. Idem Franciscus Cabrera testatus est, se ad quamdam Indam, Franciscam nomine, postquam hæc plures integros dies partus doloribus cruciata fuisset, nec posset parere, advocatum fuisse, ut ejusdem confessionem exciperet, quod non dubitaretur, quin in partu moritura esset; et postquam eam confitentem audierat, jussit eamdem istam chartam a Beato inscriptam eidem applicari; atque ita ipsa infra quinque horas peperit, ac incolumis mansit.

per ejusdem patrocinium in America impetratis.
h
i
k

123 Pater magister frater Augustinus d'Avila Padiglia, Ordinis Dominici Mexici *h* insignis concionator, ac deinde insulæ S. Dominici *i* archiepiscopus, dum habitabat in collegio S. Ludovici patrum Prædicatorum in loco dicto Puebla *k* in Indiis versus Mexicum gravi infirmitate fluxionis labotans in lingua, auditis B. Bertrandi miraculis, datam sibi ex ejusdem vestis fili particulam ori suo imposuit, diglutiitque, et sanatus fuit.

ANNOTATA. F

a Tenerifa, *vulgo* Teneriffe, *de qua hic, Americæ Meridionalis oppidum est in præfectura S. Marthæ ad ripam fluminis Magdalenæ.*

b *Aliis, ut jam monui,* Mopoix et Mopox, *quod aliud est Americæ Meridionalis oppidum, in ejusdem, ad quod Tenerifa, nec procul ab hoc, fluminis Magdalena ripa situm.*

c *Una est ex Antillis, Hispanis* las Antillas, *Gallis* les Antilles, *Americæ in mari Septentrionali insulis, inter Portum Divitem seu* Porto Rico *et Americæ Meridionalis continentem positis.*

d *Est et hæc una ex Antillis, continenti propior.*

e *Hoc plus vice simplici fecisse in Bulla canonizationis suæ legitur hoc modo :* Pluries in testimonium Fidei mortiferum quid bibens innoxie discrimen vitæ superavit.

f *Hispanis* el Rio de la Madalena, *Americæ Meridionalis fluvius est, qui supra Popajanam*

A *janam ortus indeque per Novum Regnum Granatense labens flumini S. Marthæ in S. Marthæ præfectura se jungit.*

g Andreæ Cabrerizo *meminit supra num.* 116,

h *Nomine notissima est totius Americæ amplissima civitas in America Septentrionali, ac regionis cognominis, Novæque Hispaniæ caput.*

i Insula S. Dominici, *alias* Hispaniola *appellata, ampla Americæ Septentrionalis insula est in mari Boreali, cujus insulæ præcipua civitas,* Dominicopolis *dicta, archiepiscopatu illustrata est.*

k *Fortasse designatur* Angelopolis, *Hispanice* la Puebla de los Angelos, *quæ Americæ Septentrionalis ac Novæ Hispaniæ civitas epicopalis est sub metropoli Mexicana.*

CAPUT VIII.

B *Causa revertendi, reditusque in Hispaniam : tempestas maris sedata : habitatio Valentiæ : Prioratus in conventu S. Onuphru ab eo gestus.*

CAP. XIX. *Crudelitatem quorumdam in Indos non ferens*

Septennio commoratus in Indiis B. Bertrandus deliberavit de suo in Hispaniam reditu, quod ægre ferret quorundum præfectorum crudelitatem, qui non solum levibus de causis inique perimebant Indos, verum etiam impediebant sacras conciones. Nonnumquam etiam aliqui præfectorum, prædicante Servo Dei, in concionem irrumpebant, et verbis impiis, fustibusque impactis, auditores ex ecclesia pellebant *a :* cumque ea misera gens inermis sit, imo etiam plane nuda (sunt enim in ista provincia loca, in quibus nullum prorsus vestimentum in usu est) prorumpebant illico ex C ecclesia, et Beatum in suo pulpito relinquebant. Præ ceteris tamen persuaserunt ipsi reditum litteræ, quas acceperat à domino fratre Bartholomæo de las Casas *b*, qui non modo, dum adhuc esset clericus sæcularis, varia itinera ex Hispania in Indias, et Indiis in Hispaniam confecerat, sed etiam post assumptum S. Dominici habitum, paulo minus quinquaginta annis, quibus eum gestavit, perpetuus fuit Indorum patronus, utque huic operi impensius incumbere posset, renuntiaverat episcopatui Chiapensi, redieratque in Hispaniam, ubi tantam eorum curam apud multos gessit, ut plurimos iisdem favores a rege Philippo II obtinuerit, uti etiam a Carolo V imperatore gloriosæ memoriæ impetraverat.

licentiam redeundi in Hispaniam a Generali sui Ordinis petit ;

125 Quamquam autem propter adversa aliqua, quæ bona illius desideria, dum erat clericus, frustrabant, et ob ingentem, dum Religionem jam professus fuerat, zelum in procurando, ne Indi inique tractarentur, reprehensus fuerit ab aliquot historicis *c*, qui adulabantur malevolis ; nihilominus honorem Dei semper habens præ oculis, opportune et importune impugnabat arguebatque aliquorum violentiam, et intercedebat pro Indis ex omnibus, quæ in lege naturæ regiisque sanctionibus iisdem favebant. Litterarum vero, quas hic episcopus ad B. Bertrandum dedit, hæc summa erat, ut ipse in convertendis Indis strenue laboraret, prudenterque procederet in audiendis absolvendisque confitentibus belli ducibus et præfectis, qui privilegiis regiis non contenti tyrannice tractabant indigenas contra expressam regis voluntatem. Quapropter Bertrandus, cum hasce litteras magni faceret, vehementer desideravit in Hispaniam reverti, ut se levaret scrupulis, quos eadem de causa patiebatur. Scripsit ergo Servus Dei ad fratres suos in Hispaniam, cum iisque mentem suam communicavit. Ipsi vero ex desiderio, quo tenebantur, tam boni Fratris revisendi, miserunt illico ad reverendissimum patrem Ordinis Generalem, qui tum temporis residebat in Hispania, eratque pater magister frater Vincentius Justiniano (quem Pius V Papa Cardinalem creavit) et post multas importunas preces tres patentes pro facultate redeundi litteras diversis viis ad ipsum transmisit. A. AVIGNONO.

E *interim jussus Prioratum conventus S. Fidei admittere* d

126 Interea accidit, ut, sparsa miraculorum B. Bertrandi fama, Provincialis S. Antonini in novo regno Granatensi juberet, B. Bertrandum eligi Priorem conventus S. Fidei *d*, quæ istius provinciæ metropolis est, asserens non decere, ut Vir tantæ virtutis ac sanctitatis in vulgaribus locis commoraretur, sed oportere, ipsum in civitate Sanctæ Fidei habitare, in qua sedes archiepiscopalis et tribunal regium fixa erant. Electores igitur communi consensu Servum Dei elegerunt, eamque electionem cum ejusdem confirmatione et censuris, nisi ille acceptaret, Provincialis per quemdam fratrem destinavit ad conventum Carthaginensem, quo a Priore evocatus B. Bertrandus, ut confirmatam sui ad Prioratum electionem, censurasque a Superiore suo intentatas audivit, vehementer indoluit ; semper enim honores fuerat aversatus ; etquantum potuit, recusavit, ut vitaret vanam gloriam, cui occasionem dare poterat prælatura, plaususque sibi faciendos, quod per totam regionem Sanctus diceretur, et velut talis in civitate Sanctæ Fidei exspectaretur. Hæc itaque eum magnopere affligebant.

F *illuc navigat, sed, acceptis per viam*

127 Compulsus tamen ex obedientia istud officium humillime acceptavit, et ad iter eo versus se accinxit. Sed antequam abiret, asseruit, se quidem proficisci ad civitatem Sanctæ Fidei, non tamen illuc perventurum, nec functurum eo officio ; qui Deus aliter decreverat. Discessit Beatus Carthagine versus Tenerifam, appulitque ad Barrancam *e*, magni fluminis Magdalenæ portum, ubi se commisit cymbæ *f*, quam quidam mercatores oneraverant, mittebantque cum aliis sex cymbis. Navigatio per illud flumen *g* ordinarie perficitur intra dies viginti quatuor et viginti sex, nisi civitatis Mariquitæ *h* portum intrent ; ea vero, quæ Beatum vehebat, cymba ne triginta quidem diebus perficere potuit medium itineris spatium, quod aliæ expedite percurrebant. Murmurantibus propterea nautis Indis adversus navarchum suum, quod non fuisset conatus simul cum aliis properare, causatus ille est magnam aquæ copiam, in cymbam illapsam, quæ obstabat celeri navigationi, non sine ducrimine submersionis.

128 Quindecim diebus post assecuta est illam

A. Avignono. Generalis litteris, Carthaginem redit, indeque revehitur in Hispaniam,

lam altera cymba, in qua vehebatur peculiaris B. Bertrandi amicus, mandatum reverendissimi Generalis ei ferens, ut regrederetur in Hispaniam (quæ cymba unico die pertigit usque ad eam, in qua Servus Dei erat) rogansque à longe, an in ea veheretur pater Bertrandus, Prior Sanctæ Fidei, acceptoque responso, ita esse, adductis cymbis, Beatus destinatas sibi ex Hispania litteras accepit, gratiisque ab eo actis Deo, ista ejus cymba eadem velocitate, qua altera, processit. Inde pertigerunt usque ad portum de Angostura, quod fretum fluminis est; ubi Beatus constitit scripsitque ad Provincialem et fratres Sanctæ Fidei, ut certiores faceret de mandato a Generali accepto, addito apographo ejusdem mandati, et abdicatione Prioratus. Inde triduo post advenit in Teneriffam, ubi accidit, quod supra narravi de nobili equite ejus amico, a quo hospitio exceptus fuit *i*; atque hinc, cum dato sibi ab eodem in viam victu, trium dierum spatio Carthaginem, ubi classem, quæ non nisi ipsum exspectare B videbatur, paratam invenit; vix enim ipse in eam descenderat, quin illa vela fecerit versus nostram Hesperiam.

Crucis signo tempestatem sedat.

129 Per viam horribili exorta tempestate dilaceratum variis in locis velum est, ruptæ antennæ, ac parum abfuit, quin etiam avelleretur gubernaculum; totaque navis modo hac, modo illac jactabatur, prout impellebant fluctus, qui cum horribili fragore modo velut altissimi montes eam evehebant ad cælum, modo apertis profundissimis vallibus, præcipitabant in abyssum. Qua de causa B. Bertrandus in eam navigii partem, quæ ab undis maxime impetebatur, se recipiens, signum Crucis adversus eas identidem formavit, eædemque, velut sanctissimi signi vim agnovissent, quo propiores navi fiebant, eo lenius ipsi illidebantur. Verum ea ex re B. Bertrandus vanam gloriam veritus, permisso fluctibus navigio, in aliam partem recessit. Sed simul atque inde recesserat, infervescente mari, et navigio magis, quam antea periclitante, confestim ad eum accurrerunt nautæ, summis precibus absecrantes, ut ad desertum locum rediret; ubi illo prius C istud remedium adhibente, mare non tantum minus sæviit, verum etiam tranquillum placidumque redditum fuit. Cum Beatus hæc aliquando referret, adjecit, quod etiam alias dixerat, videlicet, ex hujusmodi factis non argui sanctitatem, sed fidem; et ad id propositum adjunxit: Deus plus luminis concessit Lucifero, quam mihi; et ille tamen damnatus est; plusque auctoritatis Judæ, qui postea seipsum suspendit. Id mihi quoque potest contingere; cum scriptum sit, neminem in hac vita scire posse, utrum in fine ejusdem futurus sit odio, an amore dignus.

in Hispaniam appulsus in Valentino conventu habitat: k

130 Anno MDLXIX, die festo S. Lucæ *k*. B. Bertrandus in Hispaniam appulit, nec diu Hispali commoratus, profectus Valentiam est, quo vespertino tempore adveniens, compulsus fuit pernoctare in horto fratris sui, extra muros urbis prope monasterium S. Mariæ de succursu Ordinis S. Augustini sito. Postridie summo mane, sparsa B. Bertrandi adventus fama, pater magister frater Laurentius Lopez Prior auctoritate sua indiguit, ut retineret fratres, ne omnes ad ipsum accurrerent, revisendi illum et benedictionem petendi gratia: nam ex ingenti gaudio, quo illius reditus omnes incesserat, ardebat quisque eum primus videre; D atque ipse Prior non capiebat se præ lætitia, considerans, quantum Deus suo tempore huic domui beneficium præstaret redendo talem Filium, qui vitæ sanctitate et exemplis eamdem maximopere erat illustraturus. Conventum ingrediens Bertrandus ait, se jam velle incipere Deo serio servire, et pro novitio haberi; idque etiam præstitit tam humiliter se gerens ut omnes raperet in stuporem.

XX. conventui S. Onuphrii præfectus Prior sancte gubernat fratres

131 Non licuit Beato solitudine suæque cellæ quiete diu gaudere: nam patres conventus S. Onuphrii, duabus ferme leucis Valentia dissiti, illum sibi prælatum optantes, quod persuasum haberent, conventum suum illius opera, tam spiritualibus, quam temporalibus, auctum iri, eumden unanimi voto magno cum gaudio Priorem elegerunt. Desiderabat quidem id muneris excusando declinare, sed obedientia constrictus acceptavit, et sub finem Octobris anni MDLXX obire cœpit, pro more suo, ingenti cum fructu, optima præcepta tradens et exemplo præiens, in servitio divino vigilantissimus. Exhortabatur patres istos, ut, quem- E admodum locus iste quo magis erat solitarius, eo majorem devotionem movebat ad eumdem accedentibus, ita conarentur illi eo magis excellere in obsequiis divinæ Majestatis, et præcellere aliis Religiosis, alibi habitantibus. Utque erat ipse observantissimus constitutionum et Regulæ (quod primo omnium loco habebat) ita curabat, ut subditi sui eamdem prompte et hilariter servarent, tanto magis, quanto ipse eosdem majori cum charitate regebat, atque omnia eis necessaria procurabat liberalius.

et liberaliter alit: ædificium exstruit: succurrit pauperibus

132 Cumque prudenter gubernaret, non obstantibus sterilibus annis et obærati conventus debitis, erat fratribus abunde prospectum. Nec solum conventus debita persolvit, sed etiam in eodem notatu digna composuit, exercens talentum a Deo acceptum, nominatim in ædificio, Crux cooperta dicto, juxta conventum in termino viæ, pulcherrimis cupressis utrimque consitæ: quam in rem cum cuidam visus esset nimium impendere, respondit, etiam plus a Lutheranis ad destruendas Cruces in Germania Franciaque *l* expendi. Fecerant ibidem nomen ejus in memoriam conditoris apponi; F sed ille humanam gloriam exosus illud fecit aboleri. Erat largus eleemosynarius, nec pauperem sine solatio remisit, etiamsi importuno tempore accederet; singulis panem et vinum liberaliter distribuens, sæpiusque fratri Jozepho Viudes dispensatori repetens: Da, frater, eleemosynam; ne pigeat te Domino Deo nostro largiri, illudque Davidicum Psalmo XL allegans. „ Beatus, qui intelligit super egenum et „ pauperem etc. „

divinitus intellecta nobilis matronæ egestate,

133 Ultra communes eleemosynas, quæ ad conventus portas solebant distribui, B. Bertrandus largiebatur etiam alias secretas personis verecundis in domibus suis; ut testatas est Angela Bayarri de Museros, bona servo Dei, quæ apud ipsum confiteri consueverat. Hujus enim opera succurrebat ille multis indigentibus, ac peculiariter cuidam dominæ præcipuæ conditionis, quæ in quodam vico, haud procul a conventu dissito habitabat, et onerata filiis parvulis acerbam patiebatur egestatem, adeo ut sæpius, cum deesset panis, herbam miseris illis coqueret; et, si panem haberet, sed non omnibus sufficientem, eumdem partiretur in singulos, ipsa

A ipsa a pane abstinens, crebroque in ea egestate constituta paucis siccis ficis cum suis victitaret. Quam quidem paupertatem, cum nobilis ac honorata esset, nulli cuiquam mortalium indicere voluit, verita, ne id fecisse aliquando noceret.

eidem eleëmosynam mittit, et vaticinatur.

134 Dum quodam die in hujusmodi augustiis versaretur, accessit ad illam Angela Bayarri, certam denariorum summam ei afferens; quam ut vidit bona domina, petiit, an sibi ab aliquo conscientia ducto restitueretur. Respondit illa, non ita esse, sed in eleëmosynam mitti. Si eleëmosina sit (reposuit illa) sine dubio mihi mittitur a beato fratre Ludovico Bertrando, cui Deus meam inopiam revelaverit. Fassa Angela est, id verum esse, sed vetuit, ne cui diceret, a quo missa esset. Tunc nummos acceptavit domina, dicens: Vere Deus angustias meas Servo suo revelavit; quia impossibile erat, ut alias sciret; gratiasque Deo de tam opportuno succursu persolvit. Eidem dominæ prægnanti B. Bertrandus dixit, eam filium pariturum, monuitque, ut sedulam ejusdem curam gereret, futurum enim magnum virum; idque etiam repetiit, postquam ille jam B natus esse, ac jubente matre, ad conventum S. Onuphrii allatus eidem Patri ostendendus.

Deum mirifice liberalem experitur.

135 Quemadmodum liberalis erat Beatus in pauperes et egenos, ita fidelium mentes movebat Deus, ut ei eleëmosinas æque largiter darent; atque hinc divinitus instruebatur omni re necessaria, prout ipsemet narravit patri fratri Vincentio Ribera, dicens, se vere nescire, qua ratione aliquoties invenisset in cella sua regales *m*, qui unde illuc allati essent, non capiebat. Testatus item est Vincentius Garriga bibliopola, a quo B. Bertrandus libros credito pretio emebat, sibi, quoties vellet, ab eo accurate solutum fuisse; sibique semel in ejusdem cellam ingresso eumdem dixisse: Per amorem Dei condona mihi, frater, quod oblitus fuerim pecuniam mihi comparare; se vero respondisse, se non alia de causa venire, quam visitandi gratia, ac reposuisse Beatum: Age, ergo, sede, colloquamur paulisper, dum Deus provideat; et in medio colloquio, extensa in vicinam mensam C manu, dixisse: Cape pecuniam tibi debitam: tantamque accurate summam ibidem repertam esse, quanta debebatur. Qua re vehementer obstupuit bibliopola, quia nullam in eadem mensa pecuniam ante viderat.

m

Per viciniam concionaturus dum licet, incedit pedibus,

136 Circuibat Beatus loca circum conventum S. Onuphrii sita prædicaturus, ac ordinarie pedes, etiam dum pergebat Valentiam, quamvis difficulter, quia in altero crurum plaga laborabat. Ne vero a patribus reprehenderetur, quod pedes incederet, solebat equo insidens conventu egredi, ac paululum inde iter pedibus prosequi, suas preces interea recitans, quod pari modo faciebat in reditu. Quodam die Veneris Sancto pergens prædicaturus Moncadam, ubi Quadragesimales sermones habebat, equo insidens egressus e conventu est, sed mox non solum ex eo desiliit, verum etiam calceos exuit, itaque discalceatus ivit usque ad loci ingressum: idemque fecit, dum post habitum sermonem rediret Valentiam, cui appropinquans, dum agnosci poterat, calceavit se, et in equum resiliit. Velut bonus prioratus sui pastor, tantopere desiderabat domi residere, ut eo ordinarie eodem die rediret.

137 Jam meminimus supra, quam bene ille populos, quibus prædicabat, exemplis suis, humilitate, pœnitentia ac pietate imbutos relinqueret. Porro in Moncada post finitum sermonem in hospitium suum se recipiens, absterso sudore, in vicem quietis secedebat in oratorium precaturus, donec vocaretur ad prandium in quo tam erat abstemius, ut aliis admirationi esset; nec volebat ullas sibi delicias cibosve offeri, nisi parcos ac vulgaris pretii. In vico Liria, tribus leucis a conventu S. Onuphrii dissito, quo ad concionandum in Nativitate Domini iverat, in domo Rectoris hospitans, cum intellexisset, omnes alios jam dormire, ex viva in intellectu suo repræsentatione nativitatis Domini nostri Jesu Christi, lecto, velut in eo dormisset, incomposito relicto, descendit in stabulum, et ad præsepe accedens, ibidem vigilavit cum amantissimo puero Jesu, qui illa nocte natus, in præsepi repositus cubavit.

A. Avignone. *variaque edit exempla virtutum:*

subditorum suorum

138 Quidam Religiosus conventus S. Onuphrii, a sancto Priore petiit facultatem eundi Valentiam, eaque obtenta, non ivit illuc, sed ad conventum Portæ-cæli fratrum Cartusiano- E rum. Inde reduci post impertitam benedictionem ait beatus Pater: Qui te gessisti apud patres Cartusianos Portæ-cæli? Ac respondenti, se nec ad Portam-cæli ivisse, nec vidisse fratres Cartusianos, reposuit Prior: Vide, quid dicas: triduo enim, quo abfuisti ab hoc conventu moratus es in Porta-cæli, et interfuisti illorum Officio matutino, et habitum eorum Ordinis postulasti a domino Bellot; sciasque, te velle fieri fratrem Cartusianum, gravem esse tentationem a dæmone. Stupefactus hæsit Religiosus, agnoscens, illum nil nisi verum dixisse, ac specialiter de habitu, quod secretissime tractatum fuerat. Alteri Religioso, fratri Andreæ Cabrerizo nomine, sæpius dixit occultissima, quæ nequiverant sciri, nisi ex revelatione divina, et speciatim, cum semel illius cellam adiisset, Servus Dei dixit, ipsum talem rem commisisse, et benigne reprehendit; sed cum ea res occulta esset, et a nemine posset sciri, negavit ille audacter: at Beatus eadem cum benignitate adjecit: Hoc ego, non nisi in tuum emolumentum, dico tibi, utque, dum peccata tua confessurus es, memineris te de eo F accusare. Dum vero ille ipse apud Ludovicum confessus fuit, nullum ea de re verbum ab eodem Beato audiit.

aliorumque secreta divinitus cognoscit,

139 Eidem fratri Cabrerizo quodam die egresso e cella, ut ad chorum pergeret, occurrens B. Bertrandus dixit, ut cogitationes, quibus inhærebat, expelleret e mente, quæque eæ essent, exposuit, reprehenditque, ut ille adverteret, quid faceret, quidque conveniret pro divino servitio. E choro deinde egressus frater Cabrerizo vidit B. Bertrandum loquentem cum quodam Religioso, qui Breviarium in manu tenens orabat ante refectorium conventus S. Onuphrii: post quod colloquium Religiosus iste totus attonitus ait fratri Cabrerizo, dixisse sibi B. Bertrandum, ut emendaret aliqua, valde secreto facta, ac mandasse, ut serviret Deo, nec timeret, inde sibi quidquam damni eventurum. Cum quidam Religiosus hospes accessisset ad conventum S. Onuphrii, et, ut moris est, benedictionem peterct a Priore, cui multi aderant Religiosi, dixit servus Dei hospiti, arma et scutum Religiosorum esse Rosarium.

Mirantibus

A. Avignono. Mirantibus circumstantibus verba, quæ non capiebant, et interrogantibus hospitem, quid illa sibi vellent, respondit, se sub veste sua habere magnum cultrum venatorium ; sed impossibile esse, ut id ei innotuerit sine revelatione divina.

et absentia intelligit :

140 Vocavit quadam nocte beatus Prior janitorem, jubens conventus fores aperire, quod Religiosus, quem nominabat, veniret Valentia plenus pavore ac metu, quia eo in itinere tres illum homines agressi fuerant, solum quidem terrendi gratia, sed quos ipse latrones sicariosque existimaverat. Aperuit frater fores, prospisciensque vidit comparentem Religiosum, totum tremebundum ; qui apertam portam reperiens, rogavit, quem expectaret, et qua de causa tam sero ibi consisteret. Cumque audisset, id fieri ex mandato Prioris, vehementer admiratus est, prorsus singulare existimans, Priori jam tum innotuisse, quod sibi in monte acciderat.

illustri feminæ virum suum discrimini, in quo versabatur eripiendum, prædicit.

141 Anno MDLXXII cum quidam ex optimatibus horum regnorum magnis molestiis implicatus esset, ejusdemque uxor graviter afflicta, B. Bertrandus ad eam consolandam accedens monuit, ne doleret ; neque enim esse, cur id faceret. Quo pacto, inquit illa, non sit, cur ego doleam, marito meo tam graviter afflicto ? Quia, respondit ipse, Dominus noster eum solabitur, et tu, domina illustrissima, videbis illum vivum, suumque statum gubernantem. Post sex elapsos menses existimabat illa, maritum jamjam e suis molestiis liberandum ; at B. Bertrandus asseruit, id non tam cito, sed post tres annos futurum. Ita autem exacte contigit ; quod tamen nullo modo poterat humanitus præsciri. Notatu autem dignum est, ante ista omnia, prædictum dominum cuidam Religiosæ Carmelitanæ, sorori Teyeda nomine, in monasterio Incarnationis, apprime spiritali, servæque Dei, visum fuisse in periculo submersionis ; quod significabat discrimen, in quo eum paulo inde visura erat. Vidit præterea eumdem ex eodem periculo evasurum, quia auxiliabatur ei B. Bertrandus per sua sancta signa : qua re indicabatur, ipsum absentem signo sanctæ Crucis a Beato e cella sua quotidie fuisse signatum, quamdiu, ille eodem in periculo versabatur, uti ejusdem uxori promiserat.

C

Alia ab eo ibidem gesta usque ad finem Prioratus.

142 Duo Religiosi, collectores eleëmosynarum pro conventu S. Onuphrii, cum quadam hebdomada multas collegissent, statuerunt, ut alter Realem de quatuor, alter ducatum aureum servarent, ut, si forte sequenti septimana rariores futuræ essent eleëmosinæ, eos adderent, itaque solitam summam afferrent. Antequam igitur ad conventum appropinquarent, eorum unus Realem suo calceo inseruit, alter ducatum suæ manicæ. Cum pervenissent ad Priorem et eleëmosynas tradidissent, mandavit Servus Dei, ut omnem collectam pecuniam sibi traderent ; ac respondentibus, se dedisse omnem, quam acceperant, ait ille : Da mihi, tu Realem de quatuor, quem calceo sinistri pedis tui imposuisti ; et conversus ad alterum : Tu vero produc ducatum, quem habes in manica. Quibus auditis, illi admirabundi hæserunt. Porro advertentes Religiosi, nihil omnium, quæ agerent, ipsum latere, dixerunt Hieronymo Abella : Vere, domine, nescimus, quid nostro Priore facturi simus, qui surdus et myops est, et nihilominus novit omnia, quæ agimus. Quidam Religiosus paulo post emissam professionem de totius vitæ suæ peccatis apud B. Bertrandum confitens, cum ad certum factum pertigisset, cœpit ex verecundia hærere : cui ille ait : Esne tu Judas ? quare non arguis te de tali peccato ? quodque ille commiserat, indicavit. Hisce aliisque mirabilibus, infra etiam recudendis, ibidem patratis, B. Bertrandus in fine biennii ejusdem Prioratus sui reversus Valentiam est, relinquens conventum omnibus necessariis abunde instructum, ac spiritalibus temporalibusque bonis auctum. D

ANNOTATA.

a *Id agebant crudeles isti exactores suo lucro inhiantes, ut miseros Indos longe ultra, quam edicta regia permittebant, ad servilia opera compellerent.*

b *Vide, quæ de hoc Chiapensi in Nova Hispania episcopo, et illustri Occidentalium Indorum, verbis scriptisque editis, patrono, ex Echardi Bibliotheca Prædicatorum annotavi ad Vitæ primæ caput* 5, *lit.* l. E

c *Quem inter ceteros hac in parte adversarium sibi habuerit, dixi loco mox laudato lit.* m.

d *Id. est* Fani S. Fidei, de Bogota *cognominati, de quo jam meminimus alibi.*

e *De hoc loco sic legitur apud Blaevium in Descriptione præfecturæ Carthaginensis :* Baranca de Malambo, ut Hispani vocant, tantum telonium est ad hujus præfecturam pertinens, situm ad ripam fluminis Magdalenæ, triginta ab urbe Cartagine leucis, viginti ab oppido S. Marthæ, sex denique ab Oceano Septentrionali ; hic omnes merces Europeæ aliæque e majoribus navigiis exponuntur, et uniligneis lintribus adverso flumine subvehuntur ad Novum regnum Granatense. *Eo itaque ex loco* B. Bertrandus *lintri commissus Teneriffam Fanumque S. Fidei de Bogota versus adverso flumine navigare cœpit, ut superioris mandato obtemperaret, quamvis ex divina revelatione certus, se ad præstitutum locum non perventurum.*

f *Seu lintri, versimiliter Americanorum more ex unico arboris trunco excavatæ.* F

g *Nimirum a portu Baranca usque ad Fanum S. Fidei de Bogota.*

h Mariquita *oppidum adverso, ut dictum est, flumine Magdalenæ navigantibus ad dexteram occurrit.*

i *Supra num.* 108.

k *Id est, die* 18 *Octobris.*

l *Indicat illius temporis Lutheranos in Germania, et Huguenottos, seu Calvinistas iconoclastas in Gallia.*

m Regalis *certa moneta Hispanica est, vulgo* Real *dicta.*

CAPUT

A

CAPUT IX.

Tirocinio denuo præfectus Valentiæ, quæ egerit : Prior conventus ibidem constitutus virtutibus suis prælucet : mira Viri fiducia in Deum et egenos liberalitas.

CAP. XXI. *Novitiis denuo præest Valentiæ, frustra frendente dæmone.*

Nec tunc quoque successit B. Bertrando, ut tantopere desiderato sacro otio posset gaudere. Paulo postquam Valentiam advenerat præcepit ei Prior, magister frater Onuphrius Clemens, vir magnæ virtutis ac scientiæ, et insignis concionator, ut novitiorum magiste-
B rium susciperet; ac proinde æque tunc, quam antea, eo munere diligentissime functus est. Docebat eos et factis et verbis hilariter ferre jugum Religionis; et quemadmodum fratres isti in consortio tam boni Magistri multum in divino servitio ac regulari observantia proficiebant, ita sese in omni virtutum genere exercebant. Hæc non ferens dæmon, totis viribus conatus est illi molestus esse; proinde quadam nocte Religiosus in æde novitiorum expertus est aliqua, quæ judicabat non potuisse a mortali homine proficisci, ac propterea sancto Magistro indicavit. Respondit ille : Scias, fili, circuire per hanc ædem dæmonem, qui nititur vos perturbare; sed ne metue. Addiditque : Ex quo commissum mihi hoc officium est, versatur hic quidam maurus, qui, licet totus oneratus catenis sit, nihilominus admodum agilis est, et ego ipsum vidi.

Arcana mentium cognoscit, *a*

144 Hoc tempore Valentiam advenit quidam pater, dictus frater Michaël Ferreri, Ordinis Prædicatorum, qui veniebat ex Catalaiud *a*
C cum desiderio B. Bertrandum cognoscendi, a quo cum gaudio exceptus fuit, cum eoque aliquantisper per hortum tirocinii ambulavit, de Deo interim disserens. Priusquam ille ab eo recederet, B. Bertrandus ejusdem frontem (uti multis, qui cum ipso agebant, facere consueverat) cruce signavit, dixitque : Pater, memineris confiteri tale peccatum; reduxitque eidem in memoriam defectum, quem commiserat quadriennio antequam Religionem ingressus esset, nec ipse umquam meminerat confiteri. Confitebatur apud B. Bertrandum frater Andreas Cabrerizo, jamque finierat peccata sua recensere, cum Beatus ei inquit : Nostine, quæ res sit Confessio? Dic mihi, cur non accusas te de perverso consilio, quod dedisti fratri tuo; dissuadendo ingressum in Religionem, suadendoque, ut notarius fieret in adjutorium senis patris tui?

ac variis indicat;

145 Quamquam autem id vere factum esset, fuerat tamen tam secretum, ut a nemine audiri potuerit; neque ipsemet frater illius de eo umquam fuerat locutus, imo B. Bertrandum hactenus non viderat : ut adeo neutiquam sciri potuerit, nisi per revelationem divinam. Quam ob rem frater iste Andreas vehementer admiratus fuit; quamquam B. Bertrandus etiam aliis vicibus in conventu S. Onuphrii secretissima occultissimaque eidem revelasset, sicut in præcedenti capitulo dictum est. Tam erat ipsi ordinarium occulta cognoscere, ut multi verentur cum illo loqui, ne eorum peccata penetraret; fassusque est pater frater Franciscus Clemens, se aliquoties illius colloquium vitasse dum non erat ante confessus. Et Violanta Juncar aliquando ei inquit : Pater, nollem ego apud paternitatem vestram confiteri : quia, priusquam incipio confiteri, et errores meos exponere, vestra paternitas jam novit eos. Responditque ille : Tace, filia. Ecquis hæc dicat mihi? Bonus quoque pater, frater Nicolaus Fattore *b*, numquam ad illum visendum accessit, nisi ante confessus, prout ipsemet in quadam epistola ad eumdem S. Bertrandum data scripsit.

b

Brigianio verbo et exemplo prædicat, *c*

146 Anno MDLXXIV B. Bertrandus Quadragesimales conciones habuit in vico Brigiana *c*, unius diei itinere dissito Valentia, solitis sanctæ vitæ suæ exemplis prælucens, hospitatusque in domo Jurati majoris *d*, Andreæ Androuer, cui æque, ac omnibus aliis, admirationi fuit illius severa abstinentia, et parcus victus; quodque numquam vellet consentire, ut sibi aliquid peculiaris obsonii pararetur. Si quando autem appositum fuisset, ne delibabat quidem, sed poscebat, sibi solas herbas ac legumina dari; nec alio cibo victitavit per totam Quadragesimam; tamque parco alimento prorsus erat contentus. Solitudinem quoque ibidem severe coluit, numquam egressus domo, nisi mane ad ecclesiam, dicturus Missam, et concionaturus; nec aliis egit cum personis, quam cum domesticis, neque cum hisce etiam, nisi tempore refectionis, ac breviter, moxque in cubiculum solum se recipiebat, neque reliquo totius diei tempore præterea a quoquam videbatur. Hac tam singulari norma vivendi, tam mirabiles in animis fructus seminabat, ut secundum relationem Juratorum Brigianæ (quemadmodum in Processu legitur *e*) explicari nequeant. In hoc vico Beatus grande patravit miraculum in homine, qui ex oliva lapsus sine prævia confessione moriebatur, sicut in libro secundo, F cap. 10 *f* dicetur.

d

E

e

f

Mors fratris Bartholomæi Paviæ.

147 Eodem anno MDLXXIV in Octava Ascensionis Domini in conventu Valentino obiit pater frater Bartholomæus Pavia, oriundus ex vico de Cervera magistratus de Montesa *g*, atque aliquot ante mortem diebus tam graves stomachi ventrisque cruciatus passus fuit, ut commiserationem moveret omnibus, qui ejusdem acerbos planctus audiebant, inter quæ alta voce clamabat : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Hinc plorabant Religiosi, quod in tantis doloribus cernerent unum e benignioribus ac mansuetioribus hominibus, quos cognoverant umquam; inde vero mirabantur, quod idem ille in aliis morbis, in quibus adhibenda fuerant ferrum et ignis, non magis se commovisset, quam si fuisset agnus, neque ullum protulisset verbum, præterquam quod unica vice nomen Jesu invocaverit. Accedens ad eum B. Bertrandus Euangelium legit, ac deinde in cellam suam reversus pro infirmo precaturus, vidit in spiritu illum, Deo permittente, a duobus dæmonibus cruciari, corpus ejus ad majus ejusdem meritum gloriamque fe-
52 rientibus;

g

A. Avignono. rientibus; eamque causam esse, ob quam ita clamaret, et acerbissimos dolores sentiret.

Dæmonis fraudes Sanctus detegit.

149 Quædam mulier inter confitendum dixit ei, solere sibi apparere juvenem extraordinariæ pulchritudinis ac luce circumdatum, eumdemque a se subinde conspici per plateas et fora admodum splendentem in essedo, sibique præclara narrasse de futura vita, et mira secreta revelasse. Cui Beatus respondit, ut caveret sibi; non enim angelum, sed dæmonem esse. At illa nihilominus perseverabat asserere, angelum esse; atque ab eo recessit. Altera vice iste eidem mulieri apparens, ait : Probe scio, fratrem Ludovicum Bertrandum tibi multum adversari, sed ejus dicta nil cura, sed mea consilia, qui tibi vera dico, sequere; utque vera esse experiaris, vides istum juvenem, sanum et vegetum per plateam incedentem, sequere illum oculis tuis, et videbis illico mortuum corruentem. Ita factum est, ipsaque in suo errore magis, quam ante, confirmata ad B. Bertrandum rediit, et, quod contigerat, narravit. Verum hic nihilominus illam instanter
B monuit, ut sibi caveret : ea enim diabolica opera contigisse : et quamvis mulier Servo Dei tunc non adhibuerit fidem, postea tamen suum agnovit errorem. Simile quid relatum superius est capitulo VIII *h*.

h

Sparsum de Mauris rumorem inanem esse, docet.

148 Spargebatur Valentiæ ingens rumor, magnam Maurorum multitudinem in ejusdem civitatis perniciem adventare. Quam ob rem ut adversus eos prospiceretur, magna armorum ceterarumque rerum necessariarum copia congesta fuit, multique deliberarunt de conjugibus liberisque suis e civitate et toto regno alio avehendis. Inter hosce Michaël Joannes Beneyto, nobilis eques, uxorem suam Franciscam Ferreri monuit, ut pararet se ad proficiscendum Manzaneram in regno Aragoniæ, ubi dictus eques habebat fratrem, in cujus domum poterat illa se recipere. Quo audito, domina valde afflicta B. Bertrandum confessarium suum consolationis gratia adivit; et, postquam narraverat, quod factum fuerat, eamdem ille solatus est, dicens, ne turbaretur, nec a domo sua recederet; Mauros enim minime venturos Valentiam.

IX

Constitutus Prior Valentiæ. S. Vincentii opem implorat.

150 Postquam pater magister, frater Onuphrius Clemens suum conventus Prædicatorum Valentiæ Prioratum absolverat, electus illi successor est beatus frater Ludovicus Bertrandus cum ingenti studio et lætitia omnium istorum bonorum Religiosorum, qui illius sanctitatem suspicientes, eumdem sibi prælatum expetebant. Solus ipse tristabatur, utque ægre ferebat sic honorari, ita nihil prætermisit, ne id oneris susciperet; sed omnia frustra tentavit, compellente obedientia. Quapropter ægro animo se sentiens, solatii expetendi gratia ad addictum sibi S. Vincentium Ferrerium recurrit, et ejusdem Sancti cellam, quæ in inferiori conventus dormitorio sita est, ingressus, procubuit in genua, lacrymisque perfusus coram illius imagine sic precatus est : Pater sancte Vincenti, me hujus conventus Priorem immeritum constituerunt, et ego me tanto officio imparem sentio. Proinde prioratum in te transfero, precorque, gloriose Sancte, ut tu velis hujus sanctæ ædis Priorem agere, ego ero supprior, regamque secundum mandata, quæ mihi injunxeris. Deinde dum inclinaret se, ut sacræ iconis pedes oscularetur, inclinavit se icon, beatumque Bertrandum complexa levavit e terra.

151 Factum hoc ferebatur per conventum, sciri tamen nequivit, quis vidisset aut publicasset. Verumtamen frater Conversus Antonius Bagliester et frater Ludovicus Primo, qui ei serviebat, decreverunt ex ipsomet, data opportunitate, id exquirere. Dum igitur ille postremo morbo suo laboraret, accesserunt ambo ad lectum ejus, cum eoque pia colloquia miscentes, sermonem de magna sanctitate patris Vincentii Ferrerii injecerunt; qua occasione eorum alter ipsi ait : Pater, verumne est, in hoc conventu fratrem esse, quem volentem pedes imaginis S. Vincentii osculari, illa ipsamet amplexa fuit? Respondit B. Bertrandus : Verum est. Paulo post dixit alter : dicitur præterea Paternitas vestra esse : ipse vero inclinato nonnihil capite, humilibus verbis sese asinæ Balaami comparavit, pietatem et benignitatem sibi a S. Vincentio exhibitam, pro nullo merito suo redditam, dicens, sed eo fere modo, quo Deus locutus fuit per Balaami asinam *i* absque ullo merito hujus animalis.

cujus sacra icon illum amplectitur.

i

152 Prioratum suum Servus Dei iniit die XV Maii anni MDLXXV absolvitque anno MDLXXVIII et in ejusdem muneris exordio hanc inscriptionem verbis S. Pauli litteris majusculis in cella sua posuit : « Si hominibus placerem, servus Dei non essem *k* : » id est, Si ego curarem satisfacere hominibus, dum hæc voluntas non est conformis divinæ, Jesu Christi servus non essem. Paucis diebus post cœptum prioratum ipsi tres Veronicæ *l* oranti simul apparuerunt, quam visionem patri Justiniano referens, adjecit, hisce significari molestias, quas eo triennio passurus erat; uti factum est. In humilitate sua semper perstitit : numquam voluit a subditis suis Paternitatis titulo appellari, quod hunc nimis honorabilem reputaret. Neque altissimæ contemplationes umquam obstiterunt, quin ille omnes accuratissimi prælati partes expleret, imo etiam abundantius, quam ceteri. Mandabat aliis, et ipse difficillima quæque primus exsequebatur.

Soli Deo placere studet : humilitate.

k

l

153 Nec, quia prioratu fungebatur, solitam abstinentiam, et pœnitentiæ opera corporisve flagellationes prætermisit : eodem enim modo, quo antea, visebatur cella ejus conspersa sanguine, ac sæpius auditus fuit tam aspere se flagellis cædere, ut ejus scapulis mederi oportuerit. Ac peculiariter postremo prioratus sui anno vidit illum pater frater Joannes Baga semel una hora ante mediam noctem in S. Vincentii cellam intrantem, in eaque diu duriterque se flagellantem; observavitque, eumdem dum egrederetur, nonnihil substitisse in porta, ut inquireret, an quis esset in dormitorio, a quo posset deprehendi : nam dictum Religiosum nequivit videre, quia is absconditus latebat prope januam cellæ, ex quo loco etiam vidit ipsum redeuntem ad cellam suam, ingressumque audivit vehementer suspirantem. Chorum diurnis nocturnisque temporibus frequentabat, nec inde umquam abfuit, nisi morbo impeditus. Sæpe post finitum Officium Matutinum remanebat in choro innixus genibus, donec signum daretur ad Primam : dumque eum sic urgeret infirmitas, ut ex debilitate nequiret inter chori functiones suis pedibus consistere, volebat saltem sedens divinis interesse Officiis.

corporis castigatione ac Regulari observantia præluceat omnibus :

F

154 Primis prioratus sui mensibus cœpit e cruribus laborare; at nihilominus voluit semper

in

laborat cruribus : sui commodi negligens aliorum studiosus,

in communi triclinio vesci; nec nisi invitus se in valetudinarium contulit, quod sciret, ejus loci curatores nimis benignos esse, eosque de sua in vescendo parcitate conquesturos; neque sibi integrum fore, portionem suam, ut consueverat, cum pauperibus partiri, sed compellendum se ad vires suas cibis restaurandas. Coactus tamen fuit eo se conferre; unde post refectionem suam accedebat ad commune triclinium, ut videret, an Religiosi sui bene nutrirentur. Multum invigilabat, ut litterarum studia diligentissime promoverentur, curabatque, ut subditi sui alii confessionibus excipiendis, alii aliis exercitationibus sacris, continuo vacarent. Volebat, omnes solitudini addictos, eratque severus exactor, ne quis sine urgenti necessitate egrederetur e conventu; ac proinde dum quis eam facultatem peteret, recusabat frequenter. Simul ac audierat, in conventu suo quoddam esse lolium, sine mora conabatur radicitus evellere, ne pullularet.

benignus in omnes, maxime in probos.

155 Plurimi faciebat in subditis suis puritatem conscientiæ, ideoque admodum parcus erat in casibus reservandis, sed liberalissimus
B in concedenda facultate confessarios eligendi; dicere solitus, malle se hac in parte esse liberalem, quam cuiquam occasionem dare non integre confitendi. In Religiosos virtuti addictos erat benignissimus, eosque animabat semper, ut magis magisque proficerent. Consuetam adhibebat curam, ne quid fratribus deesset, non solum in victu, quem ipsis omnino bonum religiose præberi voluit, verum etiam in vestitu, aliisque ejusmodi rebus. Nam, uti summa diligentia utebatur ad promovendum servitium divinum, ita pariter studebat domui opportuna omnia providere, et quidem abundanter, licet tres Prioratus sui anni fuerint steriles, et conventus exhaustus esset, et ante contractis debitis oneratus. Solebat in hanc rem dicere, si Religiosi laboribus suis procurent eleëmosynas, æquum esse, eas in eorumdem usum expendi.

atque omnibus omnia factus,

156 Erat porro par ejus in omnes benignitas; omnes in eo agnoscebant conversationem fratris, amorem patris, consilium prudentis, perfectionem Sancti, ac denique virtutum omnium collectionem. Erat plenus charitate ac
C misericordia in proximum, ita ut, si quem deprehenderet negligentem, corriperet amanter; sed nec prætermitteret, si ita res exigeret, eum castigare, cum zelo tamen paterno. Quam ob rem plus proficiebat monitis suis, quam alii castigationibus. In capitulis, quæ celebrare solebat omnibus festivis diebus, sancta Religiosis suis dabat monita, omnes ad virtutem et timorem Domini exhortans, monensque, ut caverent sibi ab ira Dei, pœnisque, quas ille improbis paravit. Commendabat abstinentiam, utque e cibis sibi appositis portionem aliquam subtraherent, pauperibus Christi erogandam. Suadebat paupertatem spiritus, ut terrenis rebus expediti semper essent conjuncti cum Deo.

pia monita dat ad virtutes fortiter incitat, eorumque famam tuetur :

157 Urgebat eos, ut agerent pœnitentiam de peccatis suis, omnemque delinquendi occasionem vitarent. Sed præ ceteris diutius perorabat, ut obedientiam et subjectionem prælatis debitam persuaderet. Aiebat paupertatem, quam Deus maxime æstimabat, eam esse, quando homo propriam relinquit voluntatem. Exponebat hujus aliarumque virtutum perfectionem tanto cum spiritu, iisque argumentis, ut convicti omnes paratique manerent ad officium suum omni ex parte libenter explendum. Ægre ferebat Religiosorum suorum honori famæque detrahi, eosque defendebat. Cum semel quosdam fratres parum contristasset, iique vellent Servum Dei ex generali regula exceptum, noluit ipse eo privilegio gaudere, et prophetæ Eliæ verbis respondit: « Neque enim melior sum, « quam patres mei *m.* « A. AVIGNONO.

m

infirmos sedulo curat, pauperibus liberaliter succurrit

158 Infirmos sua solita pietate complectebatur, curabatque, ut iis diligenter prospiceretur. In pauperes quoque erat liberalissimus, ita ut ordinarias hujus conventus eleëmosynas, quæ non exiguæ erant, multum augeret, præcipiens venerando patri, fratri Dominico Anadon, ejusdem ædis ultra quadraginta annos magna cum charitate bonique exempli eleëmosynario (cujus sanctitas ac miracula jam multis in Hispania per typos innotuerunt) ut præter consuetas eleëmosynas augeret panem, quo ad succurrendum pauperibus opus habebat. Adde, quod, licet multa ad conventus portam distribueret mendicis, multo tamen plura, et in majori quantitate, secreto largiretur personis honoratis, quas premebat necessitas. Si vero cuiquam videretur in largiendo modum exce- E dere, solitus erat patris fratris Michaëlis de S. Dominico (de quo supra facta fuit mentio) dictum referre; tempore famis anni MDLVI multum crevisse ejusdem conventus eleëmosynas. Admirantibus nonnullis, quo pacto possent Fratres tam copiosas eleëmosynas largiri, aiebat: Si multum per domus januam efferatur, multo plus infertur per portam ecclesiæ. Hac fiducia sanctus Prior tot et publice et secreto eleëmosynas distribuebat; et quamquam ex mendicis studiosisque supra trecentos quotidie juvaret, numquam tamen ei deerat, quod daret; quia, si multa largiebatur propter Deum, Deus multo plura dabat ipsi, tam spiritualia, quam temporalia.

Patres capitulares, Deo donante, laute tractat.

159 Anno MDLXXVI mense Maio celebrata sunt in conventu Valentino comitia provincialia, et propter magnas, ut in similibus solet, expensas faciendas copiosæ eleëmosynæ B. Bertrando collatæ fuerunt, a quibus ille minime exspectabat, atque inter hasce ea, quam narravit pater domnus Laurentius Zamora Cartusianus: nempe, dum ipse dicti capituli tempore F ingressus esset in cellam B. Bertrandi, comparuisse aliquem, qui eidem, nescio quid, in usum tum temporis opportunum afferebat; cui Beatus ait: Non minus, quam centum libras affers: rogantique latori, quis hoc ipsi indicasset, digito in Crucifixum extento, Ecce, respondit, qui id mihi indicavit. Tam copiosis eleëmosynis a Deo donatus capitulares omnes tam lauto excepit hospitio, ut post absolutum capitulum singuli certarent abundantiam rerum benignum hospitium, et Prioris charitatem, quam possent maxime, laudare; at ille nihilominus pro sua solita humilitate, inclinato corpore, petebat ab omnibus veniam, quod eos non pro meritis tractasset.

occultum mendacium arguit.

160 Quodam die B. Bertrandus cuidam Religioso commisit negotium aliquod cum certa persona perficiendum; quem hic intractabilem fore reputans, regressus sancto Priori dixit, se cum ista persona egisse, sed negotium non potuisse perficere. Ad quem Beatus appropinquans, frontem ejus Cruce signavit, et subridens dixit: Scio quidem, re non ex malitia prætermisisse istud facere; sed pro nulla recreata

creata tibi licebat mentiri. Testatus autem idem Religiosus est, ipsum nulla prorsus humana ratione scire potuisse, verumne an falsum dixisset.

ANNOTATA.

a Calatayud *rectius legendum, monui in Annotatis ad Vitæ primæ caput* 6, *lit.* p, *in quo capite idem istius Fratris Michaëlis Ferreri ad* S. Ludovicum *accessus narratur.*

b *Est hic B. Nicolaus Factor Ordinis S. Francisci Minorum de Observantia, die* 23 *Decembris anni* 1583 *defunctus, de cujus cum* S. Ludovico *sancta amicitia mentio infra recurret, et cujus epistolam recitat Avignonus lib.* 2, *cap.* XI.

c *Adi Annotata ad Vitæ primæ cap.* 6, *lit.* r.

d *Magistratus officium est in Hispania.*

e *Laudat hic in margine Avignonus* Processum parte 2, fol. 2350.

B f *Secundum partitionem ejusdem libri cap.* 5.

g *Alias* Montesa, *de quajam alibi.*

h *In mea partitione cap.* 4, *num.* 64.

i *Vide Numerorum cap.* 22.

k *Sic etiam legitur in Bulla Canonizationis; sed apud Antistium pro* Dei *ponitur* Christi *corformius ad textum S. Pauli ad Galatas cap.* I, ℣. 10 : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

l Cum tribus sacris vultibus, *Christi Domini scilicet, addit Antistius supra in Vita* S. Bertrandi *num.* III.

m *Lib.* 3 *Regum, cap.* 19, ℣. 4.

CAPUT X.

Cetera ab eo gesta tempore Prioratus sui in conventu Valentino.

CAP. XXIII. *Animam e purgatorio liberat :*

Multa insuper alia notatu digna B. Bertrando contigerunt tempore prædicti prioratus sui. Quadam nocte post Officium Matutinum in choro precibus intento apparuit anima alicujus Religiosi, cujus a pueritia spiritalis pater Beatus fuerat, isque ipse erat, a quo idem, nondum Prior, pro ignorante habitus responderat, Luciferum scivisse multa, et tamen damnatum esse. Apparuit anima ista circumdata flammis, aitque : Condona mihi, Pater, quod dixi tibi tali die; non enim vult Deus, ut ascendam in cælum, donec tu hanc mihi culpam dimittas, et unam Missam celebres pro me. Respondit Beatus, se libenter condonare, et illucescente die Missam celebravit, ac subsecuta nocte vidit eamdem circumdatam gloria : a qua cum petisset Beatus : Pater, nostine, quo ego loco apud Deum sim, responsum tulit : Stude Deo servire, nam divinæ Majestati plurimum cordi es.

justos ac peccatores interim modo discernit :

162 Quadam occurrente occasione, ait Servus Dei patri magistro Francisco Alemani : Nescio, quid sibi velit, quod quarumdam personarum conspectu tantopere exsultem, ut vellem eas amplexari; aliarum vero notabiliter contrister. Hujus rei causam didicit laudatus magister experientia; quia, pulsante fores cellæ Beati quodam perversæ vitæ homine, ipse mox turbatus fuit, eoque subito dimisso, retrocessit, nulla apparente ratione, cur sic ageret. Proinde ipse pro certo habuit, Servo Dei notum fuisse, quod alter iste occultabat in animo. Huic congruit aliud, quod quidam prælatus Valentinus patriarchæ narravit; ecclesiasticum quemdam, dum B. Bertrandum inviseret, ab eo aspere fuisse dimissum; eaque re perpensa, causam peccato suo attribuisse; cumque illud contritione eluisset, seque emendasset, ad Sanctum rediisse; itaque læto vultu ab eo susceptum, bonoque temporis spatio cum eodem familiariter collocutum fuisse. Hinc etiam confirmatur et aliud cujusdam doctoris, quem a quodam jubileo, in quo sacræ Confessionis et Eucharistiæ Sacramenta perceperat, reducem, in ipso cellæ ingressu Beatus paululum tacitus miratus est, deinde vero ei dixit : Cave, ne muteris, nunc enim te recte habes. D

occultum consilium detegit : divinitus recreatur :

163 A prorege Valentiæ secreto rogatus doctor Rodericus Salzedo *a*, an vellet in servitio regis fungi officio assessoris sub gubernatore Oriolæ *b*, post habitum cum unica persona secretum consilium annuit. Deinde vero cogitans, quod hac super re non consuluisset B. Bertrandum, hunc adiit, precaturus, ut oraret Deum, an ipsi placeret, ut id muneris admitteret. At Pater subridens ait : Jamne tempus est? Quo dicto doctor stupefactus hæsit, certus, non potuisse ipsi humanitus innotescere, quod decreverat. Die S. Catharinæ virgini martyri sacra *c*, quodam pio viro Vitam ejusdem Sanctæ coram B. Bertrando in cella legente, ille oculos suos subito levavit in cælum, altaque voce exclamavit : Ah! ah! Hinc perterrefactus, qui legebat, quid causæ esset, rogavit. Respondit ille lacrymabundus : Bene erit : bene erit : alteroque prædicto instante, ut, quid esset, exponeret, dixit : Vidi magnam lucem in cælo, ex eoque mirabili ac jucundo splendore processit vox, mihi dicens : Quamvis ego nunc vivam in tenebris, futurum aliquando, ut fruar luce et splendore. a b c

ægrum primo affatu sanat : alterius mortem prædicit :

164 Sequentis tempore Adventus Domini vesperi pater Gaspar Valpedrosa, Societatis Jesu, gravibus imbribus compulsus in Valentino Prædicatorum conventu pernoctare, correptus quodam malo, quod nullum ei permittebat somnum, tanto dolore capitis afflictus fuit, ut id sibi dissilire putaret, et videndi facultate destitueretur. Quam ob rem petiit a socio suo, ut ad B. Bertrandi cellam portaretur : quam ingredientem rogavit beatus frater Ludovicus, quomodo se haberet, eodemque temporis puncto ille omni se malo liberum expertus fuit. Quod pater Jesuita pro magno miraculo habuit. Sabbato sequenti post Epiphaniam anni MDLXXVIII Angela Cimarra, uxor Josephi del Campo mercatoris, adiit B. Bertrandum, orans, ut neptem suam Beatricem, graviter ægrotantem, inviseret, quam etsi Beatus numquam vidisset, ait, vestram neptem? caput versans, acsi diceret : Parum ipsi proderit meus ad ipsam accessus. Idque tam manifeste insinuavit, ut mulier suæ sociæ dixerit : Mea neptis obiit. Precata nihilominus Patrem est, ut eam visere dignaretur : et postquam se multis excusasset, ejusdem precibus denique motus invisens vesperi infirmam, consolatus est matrem ejus, asserens,

ita

A ita esse voluntatem, divinam, idque etiam repetiit post lectum cum patre Euangelium, quasi jam fuisset mortua. Hinc illi admodum admirati et contristati fuere, quia morbus nondum eo pertigerat, et quamvis illa phthisi laboraret, credebatur etiam aliquot mensibus posse supervivere. Sed nocte subsecuta tantum aggravata fuit, ut at alteram vitam transierit; tuncque recordata est mulier, quando precabatur Beatum, ut, si eo die non posset, postero inviseret infirmam, eumdem respondisse, si eo ipso die non posset, non adfuturum se in tempore.

periclitanti puerperæ succurrit:

165 Cum Francisca Ferreri, Michaëlis Beneyto, nobilis equitis, uxor, gravida esset et partui appropinquaret, aliquoties lapsa fuit, unde timebatur, ne infeliciter parturiret. Ingruentibus deinde partus augustiis, eo usque redacta fuit, ut timor iste cresceret. In hisce tormentis illa versante, ecce, advenit B. Bertrandus, qui eam pro magnitudine periculi consolatus, jussit Deo confidere, fore ut feliciter pareret, postulatisque ad scribendum necessariis, scripsit Antiphonam; « Nesciens Ma-

B *d* « ter Virgo virum » etc *d*, mandavitque, ut hanc scedam sic inscriptam cum cereo accenso in manu teneret. Quo facto, eodem temporis puncto, enixa est prolem, sed ex prædictis lapsibus tam male affectam, ut obstetrices medicique consentirent, fieri non posse humanitus, ut recte posset vivere. Illico baptizata igitur fuit, et intra biduum evolavit ad cælum.

defuncti gloriam et fusas pro se preces divinitus edocetur:

166 Mense Februario in conventu Valentino velut subitanea morte obiit frater Petrus Glioret Conversus, et licet hic pridie sacra Communione fuisset refectus, dolebant Religiosi tali morte, maxime pater Prior. Post mensem hic magna cum lætitia aliquot Religiosis ait, se quidem per plures dies ex fratris Petri obitu afflictum fuisse, tunc vero a Deo accepisse solamen; alteri autem apertius dixit, Deum ejusdem fratris gloriam ostendisse cuidam fratri conventus; qui ipsemet B. Bertrandus fuit, quippe qui in ejusmodi casibus eo loquendi modo solebat uti. Ultimo prioratus ipsius anno Auditori Salzedo ex ejusdem cella

C egredienti quidam senex sæcularis ait: Domine, esto amicus huic Fratri, qui sanctus est; rogatusque, unde id sciret, reposuit, se semel post mediam noctem orationi mentali intentum, ferventer orasse pro ipso; cumque deinde eum inviseret, audisse ab illo: Frater, magnas tibi gratias ago: Petentique sibi: Quam ob rem, Pater? ab eodem responsum esse: Quia tali hora orasti pro me, dumque orabas, brachia tenebas in modum Crucis extensa; idque etiam hodie fecisti in choro. Quæ quidem soli Deo nota esse poterant, cum vir iste id *e* fecisset, suo inclusus oratorio.

e

cælesti voce instruitur: tonsori suo

167 Festa S. Petri Martyris *f* luce anno MDLXXVIII Beatus post Officium Matutinum ad saum cellam rediens, supra naturalem vocem audivit, dicentem sibi: « Deo magis placet afflictio « cordis, contritio et tribulatio, quam dulcedo, « solatium et consolatio. » Rogatus postmodum a quodam amico suo, cui id secreto crediderat, an ex ea voce contristatus fuisset, abnuit; sed contra sensisse solatium in nonnullis molestiis et melancholia, quibus id temporis gravabatur. Frater Bartholomæus de Penaranda Cartusianus, dum adhuc sæcularis esset, tonsoris munere triennio functus fuit in conventu Valentino, eoque tempore suam operam tondendo capillos B. Bertrando sæpe præstitit, et insignem illius patientiam observavit, quando seu vitio obtusæ novaculæ, seu præ lassitudine manus ei aliquot leves incisuras faciebat: numquam enim vidit eum id ægre ferentem; sed semper sese, velut omnium novitiorum minimum gessisse affirmavit. A. Avignone.

Religiosum statum suscipiendum prædicit: Prioratum suum absolvit.

168 Cum idem Bartholomæus illius cellam aliquando intrasset, rogavit eum Beatus, an vellet Religiosus fieri. Respondit ille, id se minime in animo habere; tum Beatus subridens, dixit: Cave: scio enim, te Religiosum futurum. Et quamvis ille tunc nullo modo propositum haberet ejusmodi statum amplectendi, eodem tamen tempore Deus in ejusdem animo tantum desiderium excitavit, ut numquam quieverit, donec Cartusianoram habitu se indutum vidit. Perducto ad finem triennio prioratus, exultavit Servus Dei, qui dudum desideraverat curis absolvi, ut chara sibi cellæ suæ quiete posset gaudere. Sæpe etiam fratribus erat solitus dicere, ut pro se Deum orarent, ne E morereretur, dum erat Prior, sed dum animarum cura vacaret. Reliquit hanc ædem (uti fecerat alibi) bonis auctam spiritalibus ac temporalibus, et Religiosos omnibus, quibus opus erat, bene instructos.

XXIV.

Privatam vitam ducens proximi saluti inservit

169 Ex quo Servus Dei finierat prioratum suum, gessit se velut minimum fratrum, nullis conventus negotiis se immiscens, nisi instruendis novitiis ad quod a Deo factus videbatur. Erat continue in cella sua, vixque etiam a sumpto prandio cum aliis colloquebatur: sed fidelium pietas adamatam solitudinem ejus subinde turbabat, ad confessionalem sedem sæpe evocando: nec erat, ut ita dicam, in civitate infirmus, qui eum solatii causa non expeteret; quibus ille proinde prælegebat Euangelia. Alias vocahatur consilii petendi gratia in rebus arduis; alias ejusdem sancta conversatione fruendi ergo: erat enim commune refugium et solatium afflictorum.

cælesti visione recreatur

170 Anno MDLXXIX in solemnitate Resurrectionis Domini, post absolutam solitam in hoc conventu processionem, illucescente aurora, dum ad suam se cellam reciperet, paulo F post dixit socio suo: O frater, si hic adfuisses, spectasses aliquid, quod me maxima lætitia affecit; isthinc enim (indigitabat ædem fratrum de Jesu, Ordinis S. Francisci) advolabant aliquot pulcherrimæ aves, in quarum magno numero quædam insuper erant alterius generis, quam quas passim videmus. O si vidisses, quid supra istam domum contigerit! Non dubium est, quin B. Bertrando quædam angelorum, aliarumve cælestium rerum visio tunc fuerit oblata.

et alias SS. Francisci ac Dominici

171 Eodem anno, biduo triduove ante festum S. Francisci adivit B. Bertrandus domum Auditoris Salzedo pro nonnullis captivis deprecaturus, injectaque mentione de mirabili sanctitate S. Francisci, Ego, inquit, certo scio, quemdam fratrem Prædicatorum elapso festo S. Michaëlis, egressum ex Matutino, dum Hymnus Te Deum cœptus erat, sancto patri Dominico sanctoque Seraphico Francisco in claustro occurrisse, et ad S. Francisci pedes provolutum ejusdem dexteri pedis plagam osculatum esse; Franciscum vero interea ambabus manibus suis caput ejus sustinuisse ac palpasse; ac faciem

A. Avignono. faciem quoque suaviter perfricuisse, eumque de æterna salute sua bene sperare jussisse; postque hæc eumdem Fratrem etiam ad pedes S. Dominici, eos osculandi gratia sese inclinasse, huncque Sanctum manum suam porrexisse, cui ille mox os suum devote admovit. Auditor ex modo ac vi loquendi suspicatus, illum ipsum esse, cui ista obtigerit visio, Cur, quæso, inquit, pater iste tantis a Deo favoribus affectus, tamen semper mœstus est? Imo propterea, respondit Beatus, etiam magis quam ante est mœstus; et quamquam hujus dicti sui nullam tunc reddidit rationem, intellectum tamen postea est, eam causam fuisse, ut sui corporis molestiis majora sibi merita compararet ad summum illud bonum, quod sperabat, consequendum.

amico accessu, alias Christi crucifixi, divinæque Majestatis conspectu.

172 Domo egrediens Bertrandus vidit S. Francisci imaginem, fixisque in eam oculis paulisper hærens, submissa voce dixit: Vere hæc illi similis est: quæ verba Auditor Salzedo intellexit. Unde concludendum est, ipsum omni- B no esse, cui prædicti Sancti apparuerunt. Cum hæc Auditor Salzedo postridie patriarchæ, archiepiscopo Valentino, narrasset, petiit ille a B. Bertrando, ut, quid de ista visione esset, sibi diceret, isque repondit: Domine, ego tam clare vidi, quam nunc videam dominationem vestram. Laudatus Auditor Salzedo B. Bertrandum aliquando invisens, admodum hilarem invenit, causamque roganti Beatus reposuit: Quia Deus hodie mihi singularem gratiam concessit: nam paululum ante auroram, cum fenestram cellæ meæ apertam haberem, apparuit mihi Redemptor noster in cruce, eo modo, quo pependit in monte Calvariæ: quod me maximo solatio affecit. Rogatus a patre magistro fratre Petro de Salamanca Servus Dei, ut aliquid peculiare a Deo sibi revelatum narraret, retulit; dum festo Resurrectionis Domini nostri nocu ante reliquos fratres surrexisset e lecto, bono temporis spatio solus fuisset in choro, se ibidem subito inhorruisse, vidisseque Dominum nostrum in tanta majestate, ut cum eo comparatus mundus universus, nihil ac veluti exigua bulla, quæ ex aqua conficitur, appareret, conformiter ad id, quod de Benedicto scripsit Gregorius *g*.

g

C 173 Pater domnus Michaël de Vera Cartusianus, retulit, B. Bertrandum quodam die inter colloquendum cum persona, quæ in divino servitio plurimum profecerat, magna cum simplicitate imperato secreto, dixisse, se vocem audisse dicentem: Frater Ludovice, remissa sunt tibi peccata tua; ac mox corporeis oculis suis spectasse columbam, rostrum suum illius ori inserentem. Secretum prædicta persona tenuit, donec ille vixit. Ejusdem anni mense Novembri Dorothea Garzia, Christophori Perez de Almazan conjux, graviter afflicta erat, quod nihil novi audiret de viro suo, commorante in Sicilia. Solatii expetendi ergo accessit B. Bertrandum, precatura, ut pro salute conjugis sui Deum oraret; sed nondum hæc labia moverat, cum ille ait: Domina, ora pro marito tuo, qui opus habet. Quo dicto contristata mulier dixit: Ita, Pater? an fortasse obiit? Non, reposuit Beatus, redibit Valentiam, et revises vivum et sanum. Inde post mensem eadem domina a marito suo litteras accepit. quibus eam certiorem faciebat, quomodo ipse Panormo Neapolim navigans incurrisset

Peccata sibi remissa intelligit; absentia, futura

periculum in servitutem Maurorum incidendi, D atque in super cum tam vehementi tempestate colluctatum fuisse, ut a multis crederetur mortuus. Observato autem tempore, quo hæ litteræ signatæ erant. compertum est, ea eodem accidisse, quo Pater ista dixerat. Porro prædictus civis reversus Valentiam est, ac post aliquod tempus, mortua conjuge sua *h*, in Societatem se recepit. *h*

et secreta

174 Quidam homo, solitus B. Bertrandum sæpe invisere, morem Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentandi prætermisit propter simultates, quæ ipsum inter et aliquot alios intercesserant. Et utut sæpe rogatus a quodam doctore, ut pristinam bonam consuetudinem resumeret, noluit, donec, movente Deo cor ejus, cum eodem doctore invisit Beatum, a quo multis ac peculiaribus amicitiæ indiciis exceptus, causam tamen, cur veniret, siluit. Superveniente deinde visendi gratia Religioso Ordinis S. Hieronymi, B. Bertrandus ambos dimisit, dictusque vir jam egressus cella regalem doctori dedit, ut traderet Beato pro Missa in gratiarum actionem postridie celebranda. Re- E diit ergo doctor, Beatumque cum patre Hieronymiano discurrentem conspicatus, regalem ei tradit, nec per tempus ei licuit, aut fortasse oblitus fuit dicere, cujus iste regalis esset, et pro quo Missa dicenda. Quare circa eumdem locum substitit, donec id posset Beato indicare; cum ecce egressus hic cum Hieronymiano est; doctorque ad eumdem accedens, ait: Pater, oblitus sui indicare, pro quo et quam ob rem Missa debeat celebrari. Verum illi, Jam scio, inquit, dicenda est de B. Maria de gratiis, et pro isto tuo socio.

congnoscit ac prædicit:

175 Eodem anno, mane diei S. Stephani venit doctor Cosmas Clemens ad B. Bertrandum, cui erat multum devotus, precaturus, ut oraret pro conjuge sua, domina Hieronyma Centeglias, quæ septimo mense prægnans cœperat doloribus angustiari, nec sine manifesto periculo, ex judicio medici. Comperiens autem, B. Bertrandum suam Missam jamjam inchoare, vehementer doluit, quod cuperet, ut F ad suam intentionem diceretur. Sed solatus illum sacrista est, asserens, sui muneris esse eam Missam applicare, seque ei addicere, quam tunc celebrabat Bertrandus. Ivit ergo eam auditurus, et cum multis lacrymis pro vita uxoris suæ Deum precatus est. Dum vero elevabatur Hostia, doctor ingentem consolationem sensit, ut firmiter crederet, uxorem suam incolumem fore. Finita Missa, doctor afflictionem suam B. Bertrando narravit; qui jussit illum Deo gratias agere, Spoponditque, se pro illa oraturum. Domum reversus comperit, conjugem suam eo ipso tempore, quo sacra Hostia elevata fuit, filium mortuum peperisse; et (uti obstetrix testabatur) non sine miraculo, cum impossibile appareret, ut illa umquam pareret. Versabatur tamen adhuc in magno discrimine puerpera ex antecedente febri: qua de causa maritus ad B. Bertrandum denuo recurrit, qui eum de illius vita securum esse jussit; effectu brevi post secuto.

annum sterilem prædicit: concionatur Sæpe per Quadragesimam:

176 Ejusdem anni tempore hiemali B. Bertrando per fenestram cellæ suæ decidentem pluviam spectanti ait Alphonsus Emmanuël Palomeque *i*, cubicularius ducis Nageræ, pro- *i* regis Valentiæ, opportunum tempus esse seminando. Cui ille respondit: Imo parcissima erit messis

A messis propter multa peccata hujus civitatis. Quod vaticinium iste reputabat eventu minime comprobandum, cum tempestas semper favisset segeti, et copiosa exspectaretur vindemia. Sed ex effectu veritas patuit : vix enim frumentum vinumque collectum fuit, deficiente humore mense Aprili, et exundantibus fluviis mense Septembri, unde vindemia deperiit. Anno MDLXXX, k Jurati civitatis Sciativæ k desiderantes, ut Servus Dei Quadragesimales sermones apud se haberet, rogarunt ipsum per procuratorem; et quamtumvis Beatus, infirmitates suas allegans, sese excusaret, crederetque futurum, ut ne tres quidem sermones dicere posset, nihilo minus non potuit non annuere tanta cum devotione et constantia petentibus, et asserentibus, si non posset aliter fieri, satis sibi fore, si ipsum vel semel in cathedra sua conspexissent. Eo igitur ivit, et tantas ei Deus contulit vires, ut per totam Quadragesimam prædicaverit, nulla concione omissa.

amissa summi momenti scripta recipienda spondet.

B 177 Die secunda mensis Novembris prædicti anni dominus Jacobus Ferreri, regni Valentiæ gubernator, in maximis animi angustiis versabatur, quod, cum a concilio regio suæ fidei commissam accepisset arcam scripta maximi momenti complectentem, multisque inde annis post Nageræ dux, Valentiæ prorex, expeteret apographum duorum testamentorum, quæ in eadem arca deposita fuerant, hæc nulla ratione reperiri possent. Hinc tantum concepit doloris, ut maluisset se omnibus suis bonis privatum fuisse, tam ratione famæ suæ, quam ex metu aliarum adversitatum, quas inde orituras prospiciebat. In hisce angustiis, cum nullo altero re communicata, B. Ludovicum adiens, sollicitudinem suam aperuit, qui magnam ei spem fecit, fore ut, precando Deum, ista reperiret, et se quoque ferventer precaturum, promisit, adjecitque, ut quotidie novies recitaret hymnum MAGNIFICAT in memoriam novem mensium, quibus Christus Dominus noster in utero sanctissimæ matris suæ, Mariæ Virginis, inclusus fuit. Die postero, dum id pie peragaret, en tibi clericum ambo prædicta testamenta afferentem. Quam ob rem Dominus Jacobus ad agendas C Beato gratias ivit, eoque in conventu non reperto, exspectavit in claustro; quo Beatus cum patre Xuarez adveniens, priusquam dominus Jacobus verbum protulisset, dixit patri Xuarez : Jam dominus Jacobus invenit scripta, quæ quærebat.

Duo alia mirabilia, quæ de eo narrantur.

178 Quidam B. Bertrandum negotii causa accidens, invenit illum Missam celebrantem, et ante altare cadaver distentum. Post Missam petiit a Patre, quis iste esset defunctus. Respondit ipse, se pro defuncto celebrasse. Eo autem die nullus in isto conventu fuerat sepultus; sed exhibuerat Deus cadaver illius animæ, pro qua B. Ludovicus Bertrandus Sacris fuerat operatus. Dum cuidam homini sæculari, qui oblongis erat capillis, sanctissimum Sacramentum porrigeret, vidit ipsum facie subito muta, et capillos ejus horendum in modum erectos. Seorsum igitur ductum rogavit, ut diceret, quid sibi accidisset. Respondit sæcularis, ingentem e sacra Hostia effulsisse splendorem, qui animam suam ex tali conspectu sanctissimi Sacramenti mirabiliter simul ac jucunde affecerit, ac proinde sic se esse mutatum.

179 Quadam nocte in spiritu vidit Beatus, communem fratrum in cœmeterio hujus conventus sepulturam aperiri, in qua multa corpora integra videbantur, et quemdam hominem, qui in eam descenderat, illa admodum irreverenter hac illac versantem; notavitque Beatus, nullum ex iisdem cadaveribus putere; ac mirabatur, istum ausum fuisse tam parum decenter tractare corpora eorum, qui tam perfecti Religiosi fuerant. Suis sensibus redditus, mirabundus expendebat, quid hæc visio vellet, atque sub ortum solis petiit a janitore templi, an iis diebus sepultura cemeterii aperta fuisset. Quo negante, mandavit, ut, si forte eam aperturus esset, se moneret. Biduo post accidit, ut in ea cadaver humandum esset. Advocatus ergo B. Bertrandus accessit, et incumbens genibus super ostio sepulturæ, adhibito specillo, introspiciens, attente vidit ibi cadavera, quorum multa erant integra, licet locus admodum esset humidus, ac sæpe etiam aqua plenus. Cumque jam vellent sandapilam ibidem reponere, non potuerunt ob multudinem cadaverum : quapropter vespillo in sepulturam descendit, et corpora integra Religiosorum ad aliam loci partem transferens, aiebat : Vere ista integra corpora non fœtent, nec ullum spirant ingratum odorem. Tunc B. Bertrandus inquit janitori : Modo agnosce, fili, quod tibi nuper dicebam. Et vere non erat ibi reponenda ulla sandapila, cum non deceat, ea sancta corpora tam irreverenter tranctari; meritoque dolebat Beatus, quia eo in loco erant quædam corpora tam exemplaris vitæ tamque insignium Religiosorum, ut mererentur in peculiaribus honoratisque sepulcris reponi.

A. AVIGNONO. *ac ejus visio de Fratrum cœmeterio*

E

Mœstos solatur

180 Cum quidam notarius, nomine Girbau, ægrotaret, ejus uxor ad B. Bertrandum accessit, ut preces ejus pro viri sui incolumitate flagitaret. Servus autem Dei in sacello S. Vincentii eam adhortatus dixit, nullum illius marito (quamquam non vidisset) superesse remedium, sed ex eo morbo omnino moriendum. Quo dicto, mulier confixa dolore fuit, sed Beatus eam variis argumentis consolatus est, ipsaque divinæ voluntati se submisit, et post breve tempus viro suo viduata fuit. Anna Guttierez, uxor Joannis Cabrerizo notarii, vehementissime afflicta morte filii sui, quem insignem virum evasurum, speraverat, quod litterarum studiis addictissimus esset, jamque philosophiæ magisterio decoratus. Dolor hic plurimum ejus oberat saluti, ac quotiescumque de hac jactura loquebatur, toties velut vulnerabatur cor ejus; denique in lecto quoque suo sic agitatur, ut non solum nullam capere posset quietem, verum etiam sibi augeret tormentum. Tandem doloris impatiens ivit ad B. Bertrandum, eoque non reperto, rogavit maritum suum, ut ipse eum consuleret, quid id esset, et si forte defuncti filii anima pio suffragio indigeret. Dixit illi Servus Dei, a dæmone ista fieri eam turbandi gratia, ac proinde non prætermitteret illa solita pietatis exercitia, ac nominatim Rosarii recitationem : nam hac ratione illam non amplius perturbandam. Sic ipsa faciens, intra paucos dies plane libera evasit.

F

ANNOTATA.

a *Alibi* Salzado. *Vide Annotata ad Vitæ primæ caput* 7, *lit.* e.

b *Adi*

A. Avignono.

b *Adi Annotata loco mox dicto lit.* d.

c *Id est, die* 25 *Novembris.*

d *In hodierno Breviario Romano, in Hymno ad Laudes in Nativitate Domini, qui incipit.* A solus ortus cardine, *de beata Dei Genitrice legitur* : Intacta nesciens virum concepit alvo Filium *etc.*

e *Primum scilicet ; si secundum fecerit in choro.*

f *Colitur hic sanctus ex Ordine Prædicatorum Martyr die* 29 *Aprilis.*

g *S. Gregorius Magnus lib.* 2 *Dialogorum. Vide Operis nostri tom.* 3 *Martii, pag.* 587, *num.* 55.

h *Non ante annum* 1582, *quo illam in vivis superfuisse, testatur Antistius in Vita prima, quam eo anno edidit.*

i *Videtur hic ab Antistio* Palombo *appellari.*

k *Alias* Sœtabis, *de qua alibi.*

B

LIBER II.

VETUS CAPITUM PARTITIO.

Caput i. De profunda illius humilitate.
ii. De charitate et amore erga Deum.
iii. De charitate erga proximum.
iv. De ferventi oratione illius.
v. De severa sui corporis castigatione.
vi. De puritate et castitate ipsius.
vii. De persecutionibus, quas toleravit.
viii. De illius prædicatione.
ix. De dono prophetiæ et notitiæ spirituum, quo dotatus fuit.
x. De miraculis, quæ vivens operatus est.
xi. De testimoniis, quæ aliquot servi Dei de illius inter vivos degentis sanctitate dixerunt.
xii. De multis infirmitatibus, quas passus fuit.
xiii. De quibusdam mirabilibus, quæ ante illius obitum contigerunt.
xiv. De felici ipsius morte.
C xv. Quomodo Deus ejus gloriam mox ab obitu ejusdem declaraverit.
xvi. De ingenti populi concursu ad manus pedesque defuncti osculandum.
xvii. De miraculis a Beato, antequam sepeliretur, patratis.
xviii. De sepultura illius.
xix. De testimonio B. Nicolai Factoris de sanctitate et gloria B. Bertrandi post obitum.
xx, De Bertrandi corporis translatione.

D

CAPUT I.

Sancti humilitas, ac in Deum et proximum charitas factis probatæ.

Quantumvis ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile colligi possint insignes B. Bertrandi virtutes, juverit tamen de iisdem hic sigillatim agere *a*, ducto principio ab humilitate, quæ reliquarum omnium virtutum fundamentum est. Fuit hæc in ipso tanta, ut multi testium in Processu dicant, fuisse maximam ; alii addant, fuisse summam, quam in ullo umquam hominum viderint. Etenim omne illius studium, omnesque cogitationes eo tendebant, ut se reduceret in nihilum, maximumque totius mundi E peccatorem diceret, optaretque pro tali haberi. Curabat, ut despiceretur, et humilibus occuparetur operibus. In conversationibus se totius Ordinis Prædicatorum vilissimum abjectissimumque reputabat. Dum novitiorum magisterio fungebatur, mandabat iis, ut sibi suos defectus indicarent ; dumque indicabant, lætabatur magnopere, iisdemque monitoribus pœnas aliunde promeritas remittebat. Cuidam novitio, quem volebat flagello castigare, dicenti, eum nimis rigorosum esse, respondit : Recte ais, fili ; eidemque novitio, quia id dixerat, flagelli pœnam indulsit.

cap. 1. *Vir humilis etiam a novitiis argui gaudet,* a

2 Tantum gaudebat vilipendi, ut, teste venerabili patre fratre Dominico Anadon, ille (B. Bertrandus) in hujusmodi occasionibus regressus in cellam, janua et fenestris clausis, Deo gratias ageret, quod vidisset, se parvi æstimari. Quia vero nullus eum tam male tractabat, quam vellet, ipsemet, sibi ingerebat convitia, claudum, insanum, perturbatorem, zizania, omniumque malorum causam se vocitans. Dicebat, se esse titionem inferni, meritumque inter dæmones et cum Juda morari. Auditus aliquando est dicere istud Terentii : « Ego sum F « Davus perturbans omnia. » Aiebat etiam, causam, ob quam multi ad suam cellam venirent, eam esse, quod pro Ægyptio *b* reputaretur ; seque tamdiu blateraturum, donec tandem in verbis suis capiendus esset. Aliquando pedes pergens in Vetera *c* prædicaturus cum socio, fratre Josepho Viudes, cum loco appropinquasset, dixit ei : Si te rogent, quis concionaturus sit, responde, esse surdum, cæcum et gravem peccatorem.

studet ab omnibus despici, et pro maximo peccatore b c

3 In conventu S. Onuphrii a fratre Antonio Catalano interrogatus : Quis gravior peccator est, tu, an ego ? respondit : Pater, ego sum : perrexitque Beatus ferventer dicere : Verum est, me esse omnium, qui in mundo degunt, peccatorum maximum : eoque tempore percutiebat pectus suum dicens : O male surdum peccatorem ! Merito te Deus tenet tot compedibus constrictum. Compedes et pedum catenas vocabat infirmitates suas, quibus continue cruciabatur, ut dicetur inferius. Interrogabat nonnumquam fratres, an crederent, Deum defectus sibi remissurum, et se salvandum, ac simul

haberi ; honorari refugit ;

A simul eorum preces pro se postulabat. Admodum molestum ei erat ab aliis honorari; uti contigit, dum nobilis eques Franciscus Blanes, illi obvians, manum ejus osculatus est, et genu humi posuit : quare et ipse sese ad Francisci pedes prostravit, ac humillime petiit, ne sic secum ageret; rogitans, cur ille ita se humiliaret coram tam improbo ac perverso peccatore. Pari modo affligebatur, dum cum honorifico Paternitatis titulo nominaretur, ratus se honore isto indignum esse. Dumque prioratum gerebat, vetuit (ut supra dictum est) ne hunc titulum sibi tribuerent, ac si quis id nihilominus fecisset, reprehendebat. Id etiam vetuit aliis personis, causatus, se gravem peccatorem esse.

de minimis defectibus veniam petit,

4 Si quando videretur sibi aliquem defectum commisisse, sine mora eum confessione expiabat; si vero advertisset, se melancholia sua cuiquam malo exemplo aut molestum fuisse, illico prostratus in genua veniam precabatur : prout contigit, dum erat infirmus in Godeglia, ubi patriarcha Antiochenus archiepiscopus Va-
B lentinus ipsum propria manu sua cibabat. Nam, cum ibi adesset pater magister, frater Petrus di Salamanca, vir decrepitus, magnæ virtutis Religiosus et insignis concionator, isque etiam vellet exiguum aquæ scyphum tremula manu sua B. Bertrando porrigere, aquam effudit; dixitque ei Beatus, manum ipsi, ut linguam, tremere (erat enim balbus) sed veritus, ne hoc dicto illum offendisset, amplexus eumdem est, ac veniam petiit. Cum alias B. Bertrandus cum eodem magistro Salamanca colloqueretur, hicque visus ipsi esset tædio affici, veniam pariter petiit provolutus in genua; ast, cum laudatus magister id Viri simplicitati attribueret, censeretque, nihil ista deprecatione opus esse, noluit ipsum audire, abiitque, ne iste imposterum simili de causa id faceret.

Deo ipsi patrocinante : alia humilitatis

5 Verum nocte subsecuta Deus magistrum in somno acriter coarguit, quod Beatum noluisset audire; quod ipse expergefactus, somniumque expellens nihili fecit. Sed noctibus sequentibus secundo tertioque similiter correptus, mane Servum Dei adivit, et flexis ge-
C nibus, commissi veniam precatus est; et quamquam Beatum velut Servum Dei hactenus æstimasset, imposterum tamen multo pluris fecit. Quodam die Bertrandus confessionem excipiens domini Joannis Boil de Arenos, se de quodam iracundiæ sensu, quem ex cujusdam Religiosi de se dicto conceperat, accusantis, cogitabundus hæsit, aitque : Domine Joannes, dic mihi veraciter, sumne ego fortasse Religiosus iste, qui tibi malo exemplo fuit? Ut enim ego senex sum, fieri potuit, ut aliquoties non attenderim ad ea, quæ facerem, atque ita deliquerim. Respondit ille; nequaquam; nec eum umquam sibi sic locutum fuisse. Miratus ergo est dominus Joannes tantam beati Viri humilitatem.

exempla variis in occasionibus ab eo edita.

6 Ut vero erat tam humilis, non modo avebat audire sermones cujuslibet concionatoris, verum etiam eorumdem aliquibus addebat se socium, dum ibant ad concionandum, licet hi etiam ex minoribus essent, quas ipsemet constituerat. Dumque argumentum concionis ei multum placeret, obliviscebatur de expleto tempore monere concionatorem; at postea excessum in tempore advertens, orabat veniam

Numquam etiam concionatorem aliquem, quan- A. Avignono.
tumvis indoctum et parum idoneum, contempsit; nisi in eo superbiam et suimetipsius æstimationem advertisset. Humilitatem suam pariter probavit tempore morbi sui, dum a multis qui ipsum invisebant, expetebat manus ad oscula; et si qui recusarent, ferebat ægre, pergebatque precari, ut eas porrigerent, et Evangelia sibi prælegerent. Audito quemdam hominem simplicem quasdam preces super ægros recitare solitum, aliquosque sic sanare; ac proinde rogatus, an hunc vellet adduci, humillime annuit; paucisque istis diebus, quibus vir ille eum accessit et suas preces recitavit, devotissime se gessit. Si infirmorum curator cibos male conditos ei porrigeret, numquam id ægre ferre visus fuit; sed semper agebat gratias de officiis sibi præstitis, petebatque sibi ignosci, quod tantum ei laboris crearet.

Venam e divinis revelationibus gloriam

7 In revelationibus, quibus honorabatur a cælo, profundam humilitatem similiter ostendit. Anno MDLXXVIII in cella sua tribus quatuorve Religiosis, quorum unus erat pater magister, frater Vincentius Justinianus Anti- E
ste *d*, dixit : Nescio, quid sibi velit, quod *d*
per hanc fenestram viderim totum belli Lusitanici eventum. Respondit unus *e* e Religiosis *e*
illis : Pater, id proficisci potuit a Deo, et potuit a dæmone : quam ob rem oportet, id Deo pro viribus commendes. Tum vero Beatus, humeros constringens, oculosque in cælum elevans, ait : Oportet sine dubio, Deo ista commendare : nec solum non ægre tulit dictum Religiosi, verum etiam humiliter probavit asserens, ita sæpe contingere. Alias quoque cum quædam alia, quæ Deus dignatus fuerat ei revelare, cum patre magistro, fratre Hieronymo Baptista della Nuza, nunc episcopo Lobetano *f*, secreto communicaret, dictusque pater ma- *f*
gister ex industria diceret : Cave, mi Pater, ne isthæc imaginationis tuæ fœtus sint, non revelationes; tantæ fuit humilitatis, ut nihil inde omnino contristaretur, nec verbum ullum reponeret.

caute fugitabat

8 Ab amico suo passim rogatus, ut aliquid de favoribus, quibus a Deo honorabatur, sibi referret, postquam jam per aliquot dies re- F
spondit : Ego non scio quidpiam referre, quam peccata; eodem tandem replicante, id se propterea desiderare, ut litteris consignatum ad posteros transmitteret; dixit : « Habent Moysen et Prophetas »; id est : Jam habetis Evangelium, doctrinam, et exempla Sanctorum : hæc vobis sufficiant, nec aliud necesse est ex me audire. Adjecitque : Plura, quam ego, scivit Lucifer, et ejectus e cælo fuit; et Judas fuit Apostolus, atque miracula patravit; ac postmodum se suspendit, disruptus est, et sepultus in inferno; quæ ipsi solemne erat dicere. Replicavit amicus : Hæc non alteri servient, quam mihi, quia ego incipio Deo servire. Nihil aliud vis? inquit Beatus : Age, inclina te ad pedes Jesu Christi crucifixi; spondeo, me tibi plura dicturum, quam existimes; et scias, mirabilia, quæ scire cupis, mihil parum prodesse; cum nesciam, utrum in gratia, an in odio Dei sim. Solum dico, mihi quotidie mira accidere, sed nihil curo, quia nescio, a quo spiritu proficiscantur; imo scio, nisi Deus suam mihi misericordiam impendat, me condemnandum. Divina Majestas mihi hanc concedat

A. Avignono. concedat gratiam, ut post suscepta sanctæ Ecclesiæ sancta Sacramenta humiliter moriar.

solitus ingenti damnationis æternæ metu conculi : g

9 Asserebat insuper, se, quotiescumque legeret, audiretve ea S. Pauli verba : « Semper « discentes, et numquam ad scientiam veritatis « pervenientes *g* » semper sensisse pugionem in corde præ metu, ne unus ex istis esset. Affirmabat præterea, dum de favore sibi divinitus collato gaudere vellet, expertum esse, Deum sibi, velut duri oris equo, præcipitare se volenti, frænа contraxisse, ac vehementem verberis ictum inflixisse, incusso cordi horribili metu damnationis suæ ; tumque sibi re ipsa visam esse terram sub pedibus dehiscere, et ab inferno se deglutiri. Et quamvis servilis iste timor, velut singulare donum Dei, se a multis peccatis superbiæ immunem servaret, admodum tamen caro sibi stetisse, ut eumdem in amorem filialem converteret ; ex eoque timore solitam suam melancholiam et mœrorem procedere.

humilitatem etiam aliis opere ac sermone suadet.

10 Neque Servus Dei sua ipse humilitate contentus erat, sed eam efficacissime quoque suis, dum præerat, subditis persuadebat ; ac propterea studebat se omnium humillimum exhibere, gaudebatque cum personis ejusmodi ac vilipensis, etiam pueris, agere, solitus dicere, qui vult esse perfectus Frater, oportere, eum hæc quatuor habere : « Spernere se, spernere « nullum, spernere mundum, et spernere sper- « ni. » Aiebat, necesse esse, pectore nos semper gradi per terram, miseros nos ac fragiles reputantes, qui, si hodie boni simus, cras possumus esse perversi : quemadmodum S. Petrus, quando cum tanta audacia fiduciaque dixit, se, licet occidendus esset, non prætermissurum confiteri Christum, nec se umquam scandalizandum, quantumvis ceteri omnes essent scandalizandi ; et nihilominus paulo post illum ter negavit, ac denique, se illum non novisse, juravit *h*. Qua in re Petrus tam probe se expertus fuerat, ut, dum a Christo ter interrogabatur, an se diligeret, plus aliis, contristaretur, responderetque humiliter *i*, non ausus sese alteri præferre.

h

i

II. *Zelo gloriæ Dei, ejusque amore* C

11 In amore Dei sic excelluit B. Bertrandus, ut nonnumquam alter Elias videretur, divinæ Majestatis honorem zelando ; si qua ad aures ejus pervenisset divinæ legis violatio, dolebat vehementissime, et, si e subditis suis rei essent, castigabat severe. Is zelus eluxit in certis occasionibus, dum atrociora quædam in Deum delicta committerentur Valentiæ, quando ait, divinæ voluntatis esse, ut rigide corrigerentur peccata, tantamque in se excitabat sanctam iram, ut levatis in cælum brachiis cum S. Paulo I Cor. VII diceret : Puto, quod ego hac in re spiritum Dei habeam *k*. Loquebatur semper de Deo, nihil umquam de mundanis rebus sermoni suo immiscens. Non solebat loqui, nec auscultare novos nuncios. Omnia colloquia ejus eo tendebant, ut induceret auscultantes ad serviendum Deo et agendam de peccatis pœnitentiam ; adducebatque exempla e Vitis Sanctorum, et multos Sacræ Scripturæ locos proferebat ; monebatque minaciter, ut caverent sibi, ne in manus irati Dei inciderent.

k

mirifice ardens eumdem in aliis accendebat : l

12 Videbatur totus divino amore ardere ; cumque aliquando cum quodam amico suo pergeret ad fontem vicinum Rusaffæ *l* in campo cujusdam agricolæ, Petri Ximeni nomine, tam in accessu, quam in reditu semper tanto cum fervore locutus de Deo fuit, ut præsentibus res singularis appareret, et corpus ejus simul D cum anima cælestis flamma esse videretur. His congruit, quod ipsemet, data opportunitate, cuidam amico suo dixit, sæpe contigisse, ut, dum in divino amore tepebat, simulatque sanctissimum Sacramentum susceperat, tantum internum sentiret calorem, ut videretur sibi corpore et anima in ardenti fornace consistere. Hinc verba et sermones ejus mirifice excitabant devotionem, uti supra dictum est lib. I, cap. VII *m*, affirmaruntque multi testes, qui ab illius conversatione redeuntes semper novos ad serviendum Deo stimulos senserunt ; ac nominatim venerandus pater frater Joannes Alarconi, cum fama magnæ sanctitatis defunctus Talia erant illius Deo serviendi, eumque magis amandi desideria, quæ frequenter renovabat his verbis : Serviamus Deo, quia bonum Dominum habemus. *m*

Spiritu fervens magna martyrii,

13 Cum nuntiatum ei esset a fratre Ludovico Primo, quemdam fratrem novitium, Petrum Joannem Saragozza dictum, die XXIX Aprilis anni MDLXXXI Religiosam suam professionem nuncupaturum, exclamavit. O qui nunc esset novitius, ut frater iste, ac denuo profiteretur, inciperetque servire Deo, quod ego hactenus non incepi ! Omni vitæ suæ tempore ardenter desideravit martyrium, et quotidie in Missa, dum sacram Hostiam et calicem elevaret, recitabat eam S. Petri martyris orationem : Da mihi, Domine, ut ego moriar pro te, ut tu voluisti mori pro me *n*. Sæpe etiam versabat in *n* ore istas invictissimi Vincentii *o* inter tormenta *o* sua voces : Hoc est, quod semper desideravi ! Hoc est, quod totis viribus quæsivi ! Dumque hæc diceret B. Bertrandus, spectabat quamdam ejusdem S. Vincentii martyris imaginem, et aliquoties etiam lacrymas addebat. Alias inquiebat : O si tam felices essemus, ut pro Jesu Christo duceremur ad carcerem, et catenis vincti per has plateas raptaremur ! Tunc experiremur, quam dulce sit pro Christo pati : tunc probe caperemus, quod S. Lucas scripsit de Apostolis, dum a Judæis e concilio suo ejecti fuere : « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu « concilii, quoniam digni habiti sunt pro no- « mine Jesu contumeliam pati *p* ». Subdebatque *p* Beatus : At non sumus nos digni tanto benefi- F cio, quantum istud est.

cujus obtinendi gratia etiam in Americani navigaverat,

14 Dixit aliquando uni ex amicis suis : Non sum ego dignus martyrio, sed, si Deus hanc mihi gratiam concederet, libentissime admitterem, precarerque, ut maxima totius mundi (hic imitabatur patrem suum S. Dominicum) tormenta mihi subeunda essent : nec dubium est, quin tunc lætus moriturus essem pro illo et pro illius Ecclesia Romana. Imo certo, imo certo, imo certo : nullum est dubium. Fretus Deo hæc dico ; nam mihi neutiquam confido : Deus me solida firmaque fide interne roboravit. Hoc tam ardens martyrii desiderium persuasit ipsi, ut patriam, cognatos et conventum suum, in quo tantopere diligebatur ab omnibus, desereret, et proficisceretur ad Indias, quamvis infirmioris esset valetudinis, quam tantum iter requireret. Nec valuerunt ipsum detinere piæ dissuasiones fratrum suorum, nec impedimenta eumdem in finem a Religiosis objecta ; imo, postquam inde jam redierat, magnum prodebat dolorem, quod non placuisset Deo, ut ex dato sibi veneno moreretur ; hanc causam (sicut alibi dictum est) reddens,

A dens, quod, uti ea ratione fuisset vere mortuus propter prædicatum Evangelium, et propter eruendos ex infidelitatis tenebris Indos istos, ita fuisset vere martyr. At, quamquam ille martyrium ibi passus non fuerit, apprime tamen probavit insignem sui in Deum amorem, maximas tolerando molestias frigoris, æstus, nuditatis, aliasque ad convertenda tot animarum millia, quæ eximio zelo suo ad notitiam Dei adduxit.

desiderio flagravit.

15 Quando Valentiam allatus est nuncius de martyrio Jerosolymis tolerato a muliere, quæ ante susceptam peregrinationem suam apud B. Ludovicum fuerat confessa, hic ultra modum exsultavit; et quamvis tunc versaretur in articulo mortis, videbatur ipsi cor exsiliisse præ lætitia; aiebatque : O felicem mulieren, quæ, si verum est, quod de ea scribitur, tam insignem a Deo consecuta favorem est! Sed ego peccator tantam gratiam non mereor! Non minori cum gaudio accepit nuncium de martyrio, quod solinssima codistantia die XVIII mensis Maii anno MDLXXVII Algerii subiit pater

B frater Michael Arandiga Valentinianus, Ordinis Militaris S. Mariæ de Montesa *q* : omne enim desiderium illius erat pro Christo Jesu pati, et pro ipso fundere sanguinem suum.

q

m. *In proximi salutem perpetuo intentus, sui corporis cruciatu*

16 Amor, quo B. Bertrandus ferebatur in proximum suum, is fuit, ut cum tenerrimo affectu conaretur solari singulos, omnesque Dei servos efficere optaret. Hinc frequens erat in confessionibus audiendis mane et vesperi, ante et post Missam. Audito cujuslibet in peccatum lapsu, non solum dolebat plangebatque, sed semetipsum quoque flagellabat, pro infidelibus intercedens. Speciatim, cum quædam mulier ex spectabili familia cujusdam viri amore correpta cum eodem turpiter lapsa fuisset, ipse tam atrociter se ad sanguinem usque flagro cecidit, ut humeros suos omnino dilaceraverit; hoc mulieris scelus; utut secretum, ille per divinam revelationem cognoverat; et quadam vespera ivit eam invisurus, ubi virum istum invenit; mirabaturque mulier accessum illius, quod non soleret Beatus suam domum visere. Dixit autem Bertrandus eidem viro, ut abiret,

C quia habebat, quod cum ista domina communicaret. Isto abscedente, cœpit Beatus amare lacrymari, tanto cum sensu, ut stupefacta domina causam fletus exquireret.

mulierem lapsam solide convertit :

17 Siluit ille aliquantisper, præ lacrymis nequiens fari : tandemque in verba prorumpens, ait, causam esse peccata, quæ ipsa cum viro, qui tum abierat, ibi commiserat; digito monstrans locum, in quo scelus consummatum fuerat, addensque numerum et adjuncta peccatorum. Utque videas (ita prosequebatur) quanti mihi id constet, huc verte oculos; humerosque suos nonnihil denudavit : quos ut mulier sui causa ita laceros conspexit, audivitque crimen suum, propter quod Servus Dei tantopere lugebat, seseque tam aspere tractaverat, ab illo sibi revelari, in vehementem et inconsolabilem planctum prorupit, et animum vere pœnitentem præferens, fragilitatis suæ veniam a Deo precata est. Beatus autem illam roboravit, jubens spem suam in Deo collocare, fore, ut imposterum in simile peccatum numquam relaberetur, addiditque : Potes modo curare, ut celebrentur Missæ, quas pollicita es, si Deus te ex istis culpis educeret. Quo responso ipsa attonita hæsit, quia soli Deo votum istud notum fuerat, et tantundem contrita corde; adeo ut admodum Christiane imposterum vixerit, verumque esse constiterit, quod Beatus asseruerat, ipsam numquam relapsuram.

A. AVIGNONO.

puellam a lapsu prohibet : pauperibus, etiam tempore pestis, largiter subvenit

18 Huic fere simile fecit in altera occasione. Puella nobilis a viro quodam vehementissime sollicitata, tandem post aliquot elapsos menses decreverat ei assentiri. Noctu igitur misit ipsum arcessi; et ad fenestram suam adventum ejus tribus horis exspectavit, uti aliis noctibus venire soluerat : sed tunc non comparuit, quia nequierat reperiri. Perstitit illa in pravo proposito usque in mane, quando Beatus eamdem domi suæ convenit, aitque : Deus tibi dimittat, domina insana, quod me tota nocte tui causa vigilare coegeris, ut orarem Deum, ne labereris. Quam rem juvencula plurimum admirata est, et commissi pœnitens, studuit posthac Deo servire. Pari modo miserebatur proximi in necessitatibus suis, juvabatque, dum poterat. Idque maxime probavit largiendo eleëmosynas, ubicumque esset. Missis factis, quæ supra dicta sunt, sic ille in con- E ventu S. Annæ de Albayda tempore pestis, licet ea domus pauperrima esset, nihilominus visus est, quotquot in plateis repererat mendicos, ad conventum adduxisse : quod cum aliquando admiratus frater Joannes Perez petiisset, cur id faceret, cum probe sciret necessitatem fratrum; respondit cum magno animi sensu : Itane, frater : an Deus nobis deerit? Præterea exibat per loci plateas et montes, visurus, si quem reperiret e peste defunctum, ut sepeliret (sicut dictum est) nullum curans periculum.

ægris indefessus assistens multos sanat,

19 Quod ad infirmos attinet, tanta erat illius in hos charitas, ut, præterquam quod nosocomia ante ingressum in Ordinem (qua de re vide dicta superius) frequentaverit, numquam recusarit, quoties rogabatur, eos adire solandi gratia, ac tanto etiam libentius, quanto ei erat molestius charam sibi cellam suam relinquere. Solebat super illos legere Euangelium, et orationem S. Vincentii cum aliquot aliis devotis suis precibus. Oratio hæc erat : « Signa autem eos, qui crediderint, hæc « sequentur. Super ægros manus imponent, « et bene habebunt. Jesus Mariæ Filius, mundi F « salus, et Dominus, qui te traxit ad fidem « Catholicam, te in ea conservet, et beatum « faciat, et meritis beatæ Virginis Mariæ, et « sancti Dominici, Patris nostri, et beati Vin- « centii, et omnium Sanctorum, te ab hac « infirmitate liberare dignetur. » Tantæ vero efficiæ erant illius accessus et oratio, ut multi sanarentur, quemadmodum infra dicetur cap. x *r*.

r

ac nominatim unum, pro quo vitam suam Deo obtulerat:

20 Hæc Viri in infirmos charitas singulariter eluxit in gravissimo morbo patris magistri Francisci Alemani (Religiosi rarissimis dotibus præditi, et spectatissimi in Ordine scientia sua et singulari arte concionandi præ omnibus, qui longo annorum decursu auditi fuerant Valentiæ, ubi ille novem continuis Quadragesimis sermones habuit, eodem cum applausu in postrema, ac in prima, auscultatus) ita ut doctor Collado, in arte medica famosissimus, jusserit ipsum sacro Oleo inungi, et ad discipulos suos conversus submissa voce dixerit : Iste pater est, velut jam mortuus. At B. Bertrandus eumden invisens, ac sine sensu reperiens, illico pro eo Missam celebravit; eaque finita, rediit

A. Avignono. rediit hilaris cum reliquiis S. Petri Martyris, aitque infirmo sermone Latino : Ne metue, non morieris. Quibus dictis, accidit ægro aliquid, ut jam exspirasse crederetur; sed contrarium contigit : nam continuo cessavit febris. Quapropter medicus eum sic mutatum videns, jussit e lecto surgere, quod Deus patrasset miraculum. Dum post aliquos dies jam omnino convaluisset, Beatus illum intuens, bis lacrymatus est, et causam ab eo rogatus respondit : O! si scires, pater, quanti mihi constes. Scias, me, dum inter celebrandam Missam pro te, quando ægrotabas, sanctissimum Sacramentum in manu tenerem, intellexisse, tibi tunc moriendum esse, ac proinde precatum, ut Deus meam pro tua vitam acceptaret, dumque meas preces sæpe repeterem, dictum mihi esse, te victurum, sicut tibi significavi, dum eas sacras reliquias ad te attuli.

dissidentes conciliat : captivis patrocinatur.

21 Plurimum tristabatur Beatus, sicubi natas discordias audiret, totisque viribus laborabat, ut simultates componeret. Ita fecit in Albaya, ubi, fervente inter duos inimicitia, ex qua grandia mala oritura certo credebantur, sine ulla spe idonei remedii, Servus Dei sua solita charitate et prudentia reduxit eos in concordiam; atque omnis secuturorum malorum metus evanuit. Detentos quoque in carceribus consueta sua charitate adjuvabat, maxime cum eos injustis dubiisve de causis pati contingeret, eosdemque defendebat. Intelligens aliquando, velle judicem in quemdam virum nobilem ferre sententiam capitis amputandi, causa jam admodum promota, Beatus sine altero debito, quam charitatis, causam illius sic egit, ut judex pro sua erga Beatum observantia pœnam distulerit, et captivus etiam liber evaserit. Cum reus ad supplicium duceretur, utque complices revelaret, admoto sæpius faucibus cultro premetur, Beatus justa ira indignans dixit, hac ratione non semel, sed millies ei mortem infligi; hæcque eo spiritu dixit, ut judices, ut erant pii, neque vellent Deum offendere, reum ad carcerem reduci jusserint, ac tandem vitam ei donarint. In similibus apud judices, tam ecclesiasticos, quam sæculares, intercessio- C nibus, dum delicta non erant atrocia, vel non recte probata; uti et pro miserabilibus personis eximia eluxit charitate, multosque liberavit.

ANNOTATA.

a *Uti librum* 1 de Vita, *ita hunc secundum* de virtutibus B. Ludovici Bertrandi *inscripsit.*

b *Id est, opinor, pro uno ex istis ignotæ patriæ errabundis nugivendulis, qui Ægyptios se dicunt, ac futurorum scientiam profitentes, stolido vulgo imponunt.*

c *Dubito, an non sit* Verera; *at utroque vocabulo mihi ignotus est locus iste.*

d *Nimirum Vitæ primæ scriptor qui factum istud secundum partitionem meam cap.* 10, *num.* 195, *secundum suam autem in versione Italica cap* 16 *narravit; sed ad annum* 1581 *(nisi typothethæ error sit) reposuit.*

e *Antistius.*

f Lobotum, *nunc vulgo* Albarazin, *Hispaniæ in regno Aragoniæ civitas episcopalis est sub metropoli Cæsaraugustana.*

g *In Epist.* 2 *ad Thimoth. cap.* 3, ŷ. 7. D

h *Matth. cap.* 29 *et alibi.*

i *Joannis cap.* 21.

k *Loco assignato* ŷ. *ultimo* : Puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam.

l *De hoc fonte, cui* S. Ludovici Bertrandi *benedictio miram contulit morbos sanandi virtutem, peculiaris erit lib.* 3 *loquendi locus.*

m *Secundum meam partitionem ibidem cap.* IV.

n *Colitur hic sanctus Ordinis Prædicatorum martyr die* 29 *Aprilis, quo die de eo in Opere nostro actum est.*

o *Haud dubie indicatur S. Vincentius, celebris levita Cæsaraugustanus, ac martyr Valentinus, cujus Acta apud nos habes ad diem* 22 *Januarii.*

p *Act. Apost. cap.* 5, ŷ. 41.

q *Apud Antistium, a quo hæc accepit Avignonus, in Vita prima, num.* 182 presbyterum *fuisse additur; videsis, quæ de Michaële annotata sunt supra cap* x, *lit. f, pag.* 345.

r *Secundum meam partitionem cap.* 5. E

CAPUT II.

Sancti in orando assiduitas et fervor : severa corporis castigatio : virginalis castitas.

Inter insignes virtutes, quæ B. Bertrandum illustrarunt, admodum heroïca fuit altissima illius et assidua oratio; cui sic erat intentus diu noctuque, quasi nihil aliud agendum haberet. Suavissima illius conversatio dulcissimaque occupatio erat Deum orare continue, Singulis diebus horas quatuor impendebat orationi mentali, duas mane, duas alteras vesperi, præter mediam horam, quam in considerandis septem B. Mariæ Virginis gaudiis post prandium exigebat. Dumque erat infirmus, rogabat F valetudinarii ministros, ne certis horis matutinis ac pomeridianis, quemquam visendi gratia intromitterent, ne hæc sua impediretur devotio. Intrantes vero in cellam ordinarie inveniebant orantem. Noctu multis horis excubabat in ecclesia, tam ab ineunte nocte, quam post mediam, absoluto Officio Matutino; et nonnumquam ibidem perstabat usque ad Officium Primæ; et crebro auditus est flere.

CAP. IV. *Ejus in orando voluptas, assiduitas.*

constantia corporis habitus, modus et accuratio.

23 Observavit frater Joannes Perez, ipsum, quando ad Matutinum ibat; vix potuisse pedibus suis insistere, et præ lassitudine ac imbecillitate parieti innixum processisse, dum vero rediret ex ecclesia, fuisse validum et viribus concessis roboratum. Orationes suas persolvebat modo innixis genibus (unde ejus genua multum calli obduxerant) modo prostratus in pavimento, inclinato corpore in genua, et facie humi posita; modo etiam erectus stans, novam semper rationem orandi quæritans. Horas canonicas recitabat devotissime, et ante singulas præmittebat quasdam Antiphonas de aliquo Passionis Christi mysterio, quas ita partitus fuerat,

A rat, ut cuilibet Officii Horæ peculiare præmiteretur mysterium. Dum Breviarium sumebat in manu, dicebat :

« Rex Christe clementissime,
« Tu corda nostra posside,
« Ut tibi laudes debitas
« Reddamus omni tempore. »

Toto vitæ suæ tempore, non obstantibus multis occupationibus, numquam recitandi Officii tempora mutavit, sed semper illud servato accuratissimo temporis ordine persolvit.

In contemplando alienus a sensibus, ac corpore etiam

24 Tam assiduus erat in oratione, ut nonnumquam confusus animo et sui impos videretur, sæpeque contigit, ut interrogatus de re quapiam, de altera longe dissimili responderet. Ita accidit cuidam presbytero, uni ex maxime solitariis optimique exempli hujus regni viris, cui, cum hic Beatum in Monte d'Albayda invisens salutasset, et amplexus, de sua ipsum valetudine rogaret, ille facie tota hilari in cælum versa : respondit his verbis : Ah ! possumus esse filii Dei ! Unde presbyter intellexit, Beatum tunc altissimæ contemplationi intentum B fuisse, quod etiam sæpe alias contigisse, pater frater Andreas Cabrerizo testatus est. Sic ille contemplabatur ut aliquoties, non solum in ecstases raperetur, verum etiam ejusdem corpus elevaretur a terra ; uti factum est, dum e Moncada eodem, quo ibidem concionatus fuerat, die reversus est.

elevatus a terra, alias facie quoque

25 Relicto enim retro se servo, qui ejus equum ducebat, ingressus est agrum, alta frumenti segete plenum, in quo a famulo non poterat videri. Ibi tam serventer cœpit contemplari, ut corpus ejus supra omnes spicas tolleretur in aërem. Interim illac transivit quidam incola Moncadæ, Baptista Ferreri appellatus, qui a famulo petiit, quid ibi ageret. Respondit is, se exspectare Bertrandum : quo audito, homo curiositate ductus voluit ipsum videre, et in locum eminentiorem in ora plateæ insiliens, illum supra spicas segetis in aëra sublatum vidit. Simile quid conspexerunt quidam Indi in Tubara, qui ædiculam, in qua ipse hospitabatur, forte ingressi, spectarunt eumdem
a bene media ulna elevatum *a*, quemadmodum supra dictum est. Uti S. Lucas de transfigura- C tione Domini nostri loquens ait : « Dum ora-
b « ret, facta est species vultus ejus altera *b* ; » hoc est, orantis Christi vultum visum fuisse instar solis splendidum (quod erat rationis sanctitatem comprobare) ita ex Beati, dum oraret vel de Deo loqueretur, facie aliquoties splendoris radii processerunt ; idque sæpius factum est.

mire splendens

26 Eremita ex Cullera, Michaël Pons nomine, Valentiam adveniens, B. Bertrandum, quocum arctam colebat amicitiam, invisendi gratia ad januam cellæ ejus pulsavit : quam Beatus aperiens, visus est faciem magno splendore micantem habere ; quod eremitæ admirationi simul ac timori fuit. Christophorus Ferreri, notarius Valentinus, quadragesimus nonus testis in Processu, auctoritate Sixti V formato, asseruit, sibi sæpe accidisse, ut ; dum Beati cellam adiret, velletque eam ingredi, compulsus fuerit retrocedere, non ausus intrare propter ingens lumen, quod videbat. Id ipsum in eodem conventu expertus fuit pater frater Michaël Herrero. Erat tamen Bertrandus alias facie passim pallida et decolori, ut solent homines laboribus attriti. Pari modo in Moncada, cum strumas Sperantiæ Assensi sua lingua lambisset, illico in ecstasim raptus fuit, ejusdemque vultus resplenduit, sicut dicetur inserius. In conventu quoque S. Annæ in Albayda venerandus pater frater Joannes Alarconi sæpe per rimas januæ vidit eum supernaturali claritate fulgentem. A. Avignono.

et manibus etiam

27 Francisca Ferreri, equitis Michaëlis Joannis Beneyto uxor, feria IV Majoris hebdomadæ, uno anno ante obitum B. Ludovici, confitendi gratia ipsum adiens, eodem momento, quo ad ejusdem pedes procumbebat, vidit ipsum ita facie manibusque lucentem, quasi fuisset Sanctus, qui descenderat e cælo, sensitque odorem suavissimum e vestibus prodeuntem, ita ut post confessionem inde recesserit plena gaudio, ac velut surrexisset a pedibus Sancti, gloria jam donati. Aliud simile experta est Joanna Marachiglia, quo tempore B. Ludovicus hospitabatur infirmus in nosocomio sodalitii S. Mariæ Virginis, cujus curam gerebat frater illius dominus Hieronymus. Dum enim hæc ad præbendum ei quoddam remedium accederet cum famula domestica, accensum cereum, quod E cubiculum istud, undique clausum, lumine careret, manu gestante, eoque cereo extincto, locus admodum tenebrosus mansisset ; illumque denuo accensura iret, eodem momento tam lucidus ibi splendor eluxit, ut omnia clare conspectui apparerent : qui quidem splendor perseveravit, donec famula cum accenso cereo reversa fuit.

ac vestimentis cœlesti luce micare sæpius visus fuit,

28 Dum Beatus anno MDLXXIII, festo Ascensionis Domini nostri Valentiæ in ecclesia S. Michaëlis concionem habeat, illius vultum ac vestimenta lucida, ipsumque e cathedra sursum elevatum, quidam medicus pariter spectavit. In vico Monpoix in Indiis capitaneus Ferdinandus de Bentocout quadam nocte tugurium, in quo B. Ludovicus Bertrandus hospitabatur, ingressus, cum nec facem nec candelam penes se haberet, conspexit velut multarum candelarum ardentium lumen, ipsumque, flexis genibus ante oratorium suum procumbentem, duosque viros assistentes, prout superius memoratum est. Ingressus Servus Dei una cum beato fratre Nicolao Factore in cellam S. Vincentii Ferrerii, et ambo orationi intenti magna F luce coöperti fuere, adeo ut Lucas Portina, beneficiatus ecclesiæ cathedralis Valentinæ, et socius B. Nicolai, qui ibi aderant, accurrerint, ut splendorem viderent, videruntque, non tamen duos dictos Beatos, priusquam splendor ille cessaverat.

Quotidie utut debilis, Missam celebrat, aut communicat ;

29 Quamquam hactenus relata apprime probent illius in oratione fervorem spiritus, maxime tamen profecit, in devotione erga sanctissimum Sacramentum alteris ; propter voluptatem, qua fruebatur in Missa, quam numquam prætermisit celebrare, nisi nonnumquam gravi morbo impeditus. Hilarissime agebat diem Natalem Domini, quo tres Missas dicere licebat, uti et diem Defunctorum omnium, quo patres Prædicatores in universa provincia Aragoniæ ex speciali privilegio Julii III tres Missas celebrant. Præscriptæ B. Bertrando adversus surditatem ejus quædam potiones fuerant, mane ac vesperi sumendæ, quibus contendebat medicus noxios illius, utut acres, humores consumere ; non tamen prætermisit ille celebrare. Ast cum nihil hisce proficeret, suspicati sunt, fortasse ipse pro tempore noxium esse Missam dicere : verum

A. Avignono. verum ille nihilominus voluit in celebrando perseverare, asserens, se nihil curare valetudinem suam, quantum opus erat, ut eam posset dicere. Et quam ita viribus defecisset, ut post Missam pedes suos regere nequiret, et nonnumquam etiam corrueret in terram, nolebat tamen eo sacro solatio privari. Dum vero nimia vi mali prohibebatur, sumebat quotidie sacram Eucharistiam, utque cum debita animi puritate sanctissimum Sacramentum susciperet, solebat confessionem præmittere et pridie vesperi, et denuo ipso mane.

in Missa fervorem suum adstantibus aspirat, ac cælesti luce

30 Celebrabat autem Missam tanta cum devotione, ut eam etiam circumstantibus inspiraret, flebatque majori illius temporis parte, peculiariter a tempore Consecrationis usque ad Communionem. Solebat ei in hoc sancto Sacrificio sæpe ministrare fratre Joannes Perez, qui et asseruit, ipsum, quamdiu durabat Missa, facie admodum splendida fuisse. Hieronymus quoque Abella, toties hic nominatus, dum illius Missis interesset in conventu S. Annæ in
B Albayda, observavit, soluisse eumdem, quando non aderant in ecclesia alii, quam ipse cum suo ephebo, bona quarta horæ parte morari cum sanctissimo Sacramento in manu, priusquam illud sumeret in ore, atque interim semper flere; vultumque illius velut crystallinum fieri, et circum sanctissimum Sacramentum et caput Beati conspici magnum circulum splendoris. Quam ob rem eidem Abellæ inde Belgidam redeunti ephebus suus, qui erat ætatis annorum tredecim, et Melchior Magnez vocabatur, aliquando dixit: Vidistine, domine, splendorem, quo pater fratre Ludovicus faciem suam cinctam habuit, dum fleret cum sanctissimo Sacramento in manu? Tace, respondit ei dominus, et nihil dixeris ex eis, quæ vidisti. Idem iste Melchior Magnez postmodum relicto dicti Abellæ servitio, duobus annis servivit patribus in coventu S. Annæ, quo interim tempore B. Bertrando Missam celebranti ministrans, sæpe vidit candidissimam nubem super ipsum, dum sanctissimum Sacramentum teneret in manu, descendere, formarique quosdam arcus lucidos ad instar facium ardentium.

C *frequenter micat.*

31 Cum Joannes Marcus Corbera, sacerdos beneficiatus ecclesiæ S. Joannis del Mercato Valentiæ, conventum S. Onuphrii, dum ibi Prior erat B. Bertrandus, adivisset, ut generalem de peccatis suis confessionem apud eum institueret, uti fecit; ac postridie (qui dies erat Bacchanalium) antequam inde recessurus erat, vellet eidem Beato in Missa ad altare majus celebranda assistere, accidit, ut, dum ille sanctissimum Sacramentum in manu haberet, ejus vultus valde splendesceret, et quidam radii lucidi prodirent. Quod ipse admirans surrexit in pedes visurus, an quod ibi lumen esset, unde is splendor posset oriri. Sed nullo invento præter duos cereos altaris, et eos quidem ab ipso remotiores; cum ecclesiam quoque ob clausas fenestras obscuram esse observasset, vidit Beati vultum ad instar lunæ magnum istum splendorem circum spargentem; atque ipsummet Beatum, fixis in sanctissimum Sacramentum oculis, blande arridentem. Quo viso, sacerdos obstupuit, ac sibi dixit: Vere iste Homo suis oculis Deum videt!

32 Licet Bertrandus maximos e cælo favores reciperet, non tamen consuetum pœnitentiæ rigorem umquam prætermisit, quia, ut superius dictum est, cum sua sese humilitate involveret, iidem isti favores faciebant, ut se tanto minus æstimaret, tantoque graviorem peccatorem reputaret. Hinc semper vixit in horribili metu damnationis suæ, ac proinde tam severa et extraordinaria fuit ejus pœnitentia, ut vix exponi queat; neque hæc solum certo aliquo temporis spatio, sed, quamdiu vixit, duravit. Cœpit a teneris annis corpus suum jejuniis ac vigiliis macerare, eaque erat a cibis abstinentia, ut incredibile videatur, potuisse humanum corpus tam modico alimento sustentari. Non sufficiebant ipsi jejunia sui Ordinis, quæ septem mensibus observantur, a festo sanctæ Crucis mensisSeptembris usque ad PaschaResurrectionis Domini, ac præterea omnibus feriis sextis, aliisque certis diebus peculiaribus, sed jejunabat semper, contentus eo, quod concedebat Ordo, quodque valde modicum est, et ex portione sua etiam separabat partem, dandam pauperibus, ut dictum est.

jejunium perpetuum observavit

33 Ne gustui indulgeret, comedebat cibos sine sale, ac sœpe etiam aspergebat alöe; et interrogatus, quid ageret, aiebat, id sibi bonum esse. Cum aliquando cuidam sæculari diceret, se adeo nauseare cibos, ut, nisi sibi darentur quidam parvi panes *c*, ne bolum quidem diglutire posset; responsum accepit: Qui possunt Reverentiæ vestræ cibi sapere, si alöe aspergas? Quo audito, Beatus agnoscens secretum suum notum esse, vehementer erubuit, tacuitque. Tempore infirmitatis suæ nullas volebat delicias, et si quæ ipsi donarentur, eas ad valetudinarium mittebat, et utebatur eo, quod præstabat conventus. Semel, dum per Quadragesimam concionabatur in Moncada, prandenti in domo Josephi del Campo appositus fuit quidam piscis marinus; sed nulla ratione induci potuit, ut eum gustaret, causans, quod æquum non esset, ut, qui prædicabat abstinentiam, ipse comederet Pagelum (sic vocatur piscis iste) ac pari modo etiam alibi fecit, non nisi legumina herbasque admittens.

cibos suos insipidos reddens nec, nisi vilioribus vescens.

c

34 Vigiliæ illius erant productissimæ, quia majorem noctis partem exigebat orando, sero se recipiebat ad somnum, surgebat valde mature, semper intererat Officio matutino, post quod
F frequenter perseverabat in ecclesia usque mane; et, si rediisset ad cellam suam, incumbebat studiis; aut, si non permitteret sopor, brevissimo quiescebat tempore, diligenter solitus mature surgere. Lectus ejus erat scamnum vel arca cum duobus libris vice cervicalis; nec umquam cubabat in lecto, quem semper revolvebat, velut in eo jacuisset; idque pariter faciebat, quando prædicandi gratia foris aberat a conventu. Quin etiam nimis molle reputans super arca dormire, fecit sibi e rudi asperaque tela fasciam nodis implexam, qua cinctus, in quamcumque partem se verteret, cruciabatur. Coactus autem a medicis ratione gravis morbi exutus decumbere in lecto, invenit modum, quo vel sic exutus ageret pœnitentiam, non sinens miserum corpus suum ulla quiete frui.

Vigiliis intentus, lecto non utitur; uti coactus

35 Hinc paulo ante mortem suam eum visens pater frater Joannes Lescano, cum manum illius, quam sub torali tenebat, osculandi ergo sibi porrigendam expetiisset, illeque ex modestia recusasset, obstinatus animo manum suam torali supposuit, deprehenditque laterem, quem ille subter humeros suos carnem inter ac tunicam

corpus in eo aliter cruciat.

A cam inseruerat. Quam ob rem admirabundus dixit: O pater, frater Ludovice, quam hoc facis, dum male te habes? Pater mi (respondit ipsis Vir sanctus) jamjam appropinquat dies, teque oportet brevi transire ad cælum; sed obtestor te, ne id cuiquam hominum, qui in mundo sunt, reveles. Præter prædictas corporis castigationes induebatur cilicio, quod, licet quam secretissime posset, faceret, dum tamen lavandam dabat tunicam suam, in ea semper aliquot setæ inhærebant. Adhæc certis temporibus cingebat se asperrima catena ferrea, dumque ad Indias profectus est, aperta arcula, quam in cella habebat, repererunt magnam flagellorum aliorumque pœnitentiæ instrumentorum copiam, quæ semper habebat in promptu. Reprehensus aliquando ab amico suo, cur sese tam severe flagellaret, hilari vultu reposuit: Quid vis, ut ego hac in re faciam, si fatuus sim? Hac ratione omnem repellebat inanem gloriam, quæ hinc sibi potuisset obrepere.

vi. Castitatis eximius cultor,

36 Cum Bertrandus a pueritia sua semper magno cum timore Dei processerit, et angelicam vitam duxerit, facile colligi potest, quæ fuerit ejusdem puritas et castimonia, cum numquam de re alia, quam de cælestibus loqueretur. Proinde non solum fuit castus, sed etiam virgo. Numquam ex ore ejus processit vox, quæ non foret honestissima; dumque de castitate sermonem haberet, tanto eam cum ardore persuadebat, ut castissimam mentem suam proderet foris. Hæc omnia testatus est Laurentius Perpignano notarius, qui Beatum cognovit ab ætate illius annorum quinque, cum eoque familiaritatem coluit, tam ante, quam postquam ille Religionem professus est, et in multis itineribus ejusdem comes fuit; idemque pro certo habuit, illum ipso, quo obiit, die æque virginem fuisse, quam quo natus est. Sed et alii quoque insignem illius puritatem admirantes eum angelum potius, quam hominem, reputarunt.

eidem servandæ caute invigilat,

37 Tam singularis erat honestatis, ut, si quid infirmitatis in corpore suo contraxisset, nollet ei a quoquam manus applicari. Numquam cum mulieribus familiaritatem coluit, et quando loquebatur cum eis, id agebat, vel ut aliquid C spiritalis solatii in angustiis impertiretur, vel ut easdem in viam divini servitii conduceret. Atque in hisce insuper tam erat moderatus, ut post pauca verba recederet: si vero illæ replicarent, quo eum diutius audirent loquentem, Abite, filiæ, aiebat, ego non obliviscar Deum orare pro vobis; atque ita dimittebat. Fuit hoc maxime observatum in Indiis, ubi nullam umquam mulierem in obsequio admisit; cum illis in partibus soleant mulieres Indæ Christianæ doctrinæ doctoribus, seu parochis, inservire. Affirmant præterea multi e principalioribus personis, numquam se conversatos fuisse cum homine modestiori, et in quo puritas candorque animi magis eluceret; qua de causa in singulari habebatur honore, et Sanctus audiebat.

immissam ad eam violandam mulierculam verberibus abigit:

38 Insigne hujus rei argumentum habemus ex occasione, quam inter Indos ei dæmon obtulit. Nam hi irreprehensibilem boni Patris vitam et amorem solitudinis suspicientes, voluerunt in Tubara honestatem ejus tentare, submittentes astutam callidamque feminam, quæ ipsum ad offendendum Deum incitaret. Quæ cum illum callide ad fores evocasset, ac diabolico artificio ad peccandum provocasset, Beatus arrepto cingulo, quo utebatur, inflictis verberibus repulit. Tum, Ignosce mihi, inquit mulier: non enim ego hoc mea sponte incœptavi; sed violenter adacta: exposuitque, quo modo ad hoc facinus subornata fuisset ab Indis. Hos vero iste eventus tam pie affecit, ut non tantum bona illius inter ipsos fama confirmata fuerit, verum etiam creverit. A. Avignone.

et alteram ab honorato viro, cujus libidinem Sanctus reprehenderat,

39 Alterum casum archiepiscopus Insulæ S. Dominici refert in Historia Mexicana Ordinis Prædicatorum *d*. Nimirum: prædicante B. Ludovico in Novo regno Granatensi, quidam ex præcipuis viris, eidem admodum deditus, nec minor ejusdem sanctitatis admirator, ac conversationis amans, inordinato affectu erga quamdam honestissimam feminam exarsit; cujus valida honestatis arce per astutam diligentiam, prodigaque sagacis amatoris promissa, insidiose ac continue impugnata, tandemque victa, ambo in peccatum lapsi sunt, eoque peseverarunt. Beatus hac re ultra modum perculsus, ut suo fungeretur munere, perversum amasium E fortiter redarguit; verum hic, velut harum voluptatum mari incaute nimium immersus, parum ipsi auscultavit. Reverso deinde Beato zeli pleno, ac reprehensiones, primo molles, deinde acres iterante, cœpit perversus homo fastidire; eoque processit illius cæcitas, ut, qui illi assentiri, ejusque sana consilia exsequi debuerat, inierit aliud a dæmone suggestum, castissimi Patris sanctitatem violare conatus. *d*

eumdem in flammam subornatam.

40 Hunc in finem bonam denariorum summam cuidam impudicæ juvenculæ donavit, ut hæc detestandis suis artibus candorem purissimi Religiosi contaminare niteretur. Erat illa pulcra et mirabiliter venusta, et eum eleganti levitate fastose ornata: sperabatque fore, ut ob pretiosas vestes suas majoris fieret, et reprehensionibus minus exposita, atque in omnem eventum spectabilis conditionis credita, velut persona alicujus auctoritatis Beatum præ metu facinus suum tacere compelleret. Accessit audax mulier, quo tempore ille maxime solitarius degebat, circa mediam noctem, et portam hospitioli ejus clausam inveniens, tintinabulo sonuit. Vigilans pius Pater ex importuno tempore suspicatus, se ad audiendam confessionem, aliave urgenti de causa evocari, ad portam cum lumine accurrit; sed antequam aperiret, petiit, quis adesset, et a quo missus; et illa nefarium propositum suum, quam potuit, optime indicavit. F

acerrima sui flagellatione et ad Deum fusis precibus,

41 Hoc, ille, audito, totus exhorruit, frontem suam pectusque sæpe cruce signavit, ostioque diligenter obfirmato, recessit in ecclesiam, ubi se severe et inusitato cum rigore flagellavit, tam vehementer sonantibus ictibus, ut curiosa mulier, nondum omni spe abjecta, eorum strepitu impelleretur ad videndum, quid id rei esset. Accessit ergo ad ecclesiam, et per rimas studiose speculans, causam strepitus vidit, Patremque post diuturnam sui flagellationem diuturnis pariter precibus insistentem, ut Deus se (prout ipsemet postea asseruit) diabolicis technis liberaret. Fert ibidem fama, Beato post flagellationem deliquium passo et humi extenso SS. Mariam Magdalenam et Catharinam martyrem apparuisse, corroborantes eum, et ab iis, qui cum muliere aderant, visas,

A. Avignono. visas, et ex earumdem insignibus cognitas fuisse.

uti et virum, qui eam subornaverat ad pœnitentiam adduxit.

42 Post trium horarum spatium Pater ad sui hospitii portam reversus eamdem mulierem invenit, quanto antea pervicacem in malo, tanto nunc mutatam, tamque timoratam, ut non ausa fuerit domum suam reverti. Cui Pater ait : Vade, filia, in pace, et cave, ne quid simile imposterum tentes, ne Deus te, dum minime putes, castiget. Ipse quoque incentor sceleris tantum doluit, ut postridie ad pedes Patris procumbens perfusus lacrymis flagitaverit commissi veniam, paratumque se exibuerit ad quæcumque ille imperaret. Suscepit illum solita sua mansuetudine benedictus Pater, et salubre illi consilium dedit; ipse vero mente contritus et obtemperans pœnitentiam egit. Sic ille duas animas lucratus est, et nobis admirabile suæ castitatis exemplum reliquit.

Hanc illibatam Sancti virginitatem Deus cœlesti fragrantia

43 Alterum ad persuadendam virginitatem B. Bertrandi argumentum petitur a supernaturali fragantia, quam spirabat sanctum corpus ejus non solum post mortem, verum etiam multis annis ante; quo favore Deus multos sanctos, ac passim virgines honoravit. De patre nostro S. Dominico legitur, quemdam litterarum studiosum, dum vellet illius manum osculari, suavem sensisse odorem, per eumque sensuali tentatione liberatum fuisse. S. Vincentius Ferrerius, S. Thomas Aquinas, et S. Catharina Senensis, multique alii Sancti, quos virgines fuisse, constat, ea gratia gavisi sunt, ac noster quoque B. Bertrandus, non semel ac iterum, sed sæpissime ac multis annis, priusquam moreretur, atque insuper postquam mortuus fuit. Innumeri sunt, qui pro hoc odore testimonium dixere.

testatam voluit a plurimis perceptam,

44 Frater Antonius Catalano conventus S. Onuphrii ait, e Beati manibus prodiisse insolitum gratissimum odorem, talemque, qualem hodieque spirat planeta, qua usus fuit S. Vincentius Ferrerius, quæ hactenus servatur in Alcagniz. Francisca Ferreri, apud ipsum confiteri solita, asseruit, se ex ipso ejusdemque tunicis odoratam esse cœlestem fragantiam; sicut etiam in capitulo de Oratione dicetur. Violanta Guincar apud eumdem confessa, e sede
C confessionali recedens, odorem experta est suavissimum. Pater frater Melchior de Moreglia affirmavit, se semper, dum illi adstitit, sensisse eumdem bonum odorem, quo maxime recreabatur; sæpeque dum interesset Salve *e*, demissosque in terram oculos haberet, ex eodem odore percepisse, quandonam ille transiret. Primus e Religiosis, cujus Missæ frater Petrus Joannes Saragoza, rector collegii Oriolæ, dum erat novitius, inservivit, fuit B. Bertrandus, ex ejusque sacris vestibus, dum eas exueret in sacristia, odorem gratissimum prodeuntem percepit.

tam dum ille viveret,

45 Idem ipse Beato, postrema infirmitate sua laboranti, semestri spatio in cella ministrans, eumden odorem, quem ante in sacristia senserat, odoratus fuit, et odorari perseveravit, quoties ejusdem vestes lisbrosve contingeret. Simillimum etiam testatus est frater Joannes Baga, qui asseruit, se nec divinando assequi potuisse, qualis esset odor quo B. Bertrandus fragrabat, quippe qui nulli terreno esset similis. Pari modo medici Ludovicus Collapo et Josephus Reguart, qui illum ordinarie visitarunt, testati fuere, eamdem, non obstantibus infirmitatibus suis, a quibus fœtere D
debuisset, mirum in modum bene oluisse, seque id expertos esse, quoties ad explorandum arteriæ pulsum ad ejus lectum accesserunt; ita ut Reguart ejus rei causam investigandi gratia stragula ac linteamina lecti diligenter scrutatus, plurimum admiratus fuerit insoliti qualitatem odoris, qui nec florum, nec musci, nec succini erat similis.

quam cum obierat.

46 Porro hanc fragrantiam, non solum eo vivente, sed etiam mortuo, perceptam fuisse, constat ex innumeris testibus *f*, inter quos nobilis eques Franciscus Ludovicus Blanes dixit, se quidem eam sensisse, dum ille viveret, sed multo majori cum admiratione odoratum esse simul atque exspiravit; priusquam autem cadaver indueretur, pro sua erga ipsum devotione ejus pedes osculans, ultra modum obstupuit ex tanta suavitate odoris; quam ob causam et ipse quoque circumcirca scrutatus est, sicubi forte quædam odoramenta adessent; sed nihil ejusmodi reperto, tanto magis miratus est, quanto magis oppositum contingere debuerat in corpore B. Bertrandi, tum quod tibias
E haberet plagis infectas, tum quod tanto tempore infirmus decubuisset in lecto. Id ipsum etiam varii affirmaverunt; ac nominatim Philippus Fuset, civis Valentinus, qui etiam in cellam ingressus fuit, postquam Beatus obiit, aliique, corpore insepulto jacente in ecclesia; et specialiter Gaspar Gari subdiaconus, qui illius manibus oscula figens recepit odoratum, quem plus triginta annos amiserat, hausitque suavissimum odorem, de quo infra redibit sermo.

atque etiam postmodum, quando ejusdem corpus in aliud sepulcrum translatum fuit.

47 Percepta insuper eadem fragrantia est die translationis corporis ipsius in sepulcrum, in quo hodieque situm est, moxque ut aperta tumba fuit, in qua primo positum fuerat; quod Josephus Monleone, litterarum studiosus, domnus Henricus Ferrerius, et Franciscus Vaziero notarius speciatim testati fuerunt. Ex quibus omnibus manifeste conficitur, B. Bertrandum fuisse castissimum et virginem. Est et aliud, quod id ipsum magnopere confirmet; nimirum quod ipsemet, dum in Indiis degebat, cuidam dominæ, cui erat a sacris confessionibus, dixerit, se virginitatem suam per gratiam Dei semper servasse, virginemque esse, qualis prodierat ex utero matris suæ. F

ANNOTATA.

a *De hisce ita Clemens X Papa in Bulla Canonizationis :* Ab ipsis Indis visus fuit a terra in ecstasi elevatus.

b *Luce cap.* 9, ℣. 29.

c *Vereor, ut hanc vocem recte verterim : nam Italice est :* certe pagnotelle, *quam vocem in Lexicis non reperi.*

d *Avignonus hic in margine laudat Rocam in Vita hujus* S. Ludovici *tract.* 1, *cap.* XI, *ubi hic laudatum Dominicopolitanum in Hispaniola, ampla Americæ Septemtrionalis in mari Boreali sita insula, archiepiscopum,* Augustinum de Avila Padilla *appellat, de quo consuli potest Echardus in Bibliotheca Prædicatorum tom* 2, *pag.* 351, *unde hic observasse sufficiat, ipsum* S. Ludovico synchronum *et ante acceptum archiepiscopatum ejusdem Ordinis S. Dominici professum fuisse.*

e *Nempe*

A e *Nempe, ut existimo, dum Antiphona de beatissima Dei Genitrice* Salve, Regina *cantaretur.*

f *Adi etiam dicta in Commentario prævio num.* 53.

CAPUT III.

Persecutiones, quas Sanctus a dæmonibus ac perversis hominibus pertulit : intrepida ejusdem prædicatio et fructus : vitæ pericula propterea superata.

cap. vii. *A dæmonibus sæpe*

Placet Deo amicos suos in virtute patientiæ exercere, atque in hunc finem laxare frena
B dæmoni, ut hic possit eos molestiis et persecutionibus affligere, eaque ratione ista virtus manifestetur, luceatque in toto mundo et per omnia secula. Sunt proinde persecutiones perutiles servis Dei, ut magis magisque mundentur, et illustrentur gloriosis triumphis, quibus moveant admirationem hominibus, lætitiam angelis, et divinæ Majestatis adaugeant gloriam. Non pervenisset B. Bertrandus ad tam excelsum sanctitatis gradum, si ei defuissent insidiæ et persecutiones dæmonis ; quia ex hisce per arma pœnitentiæ et orationis, aperto adversus ipsum dæmonem bello, velut alter S. Antonius, secretas victorias reportavit. Ad hoc propositum ipsemet cuidam amico suo sic ait : Obstupesceres, frater, si scires, quas molestias mihi dæmones creent. Aliquando me projiciunt ex loco, in quo dormio, coguntque me meis manibus me defendere ; aliquando me fustibus cædunt ; alias nituntur horrendis spectris terrere, ut me orantem perturbent ; sed per gratiam Dei semper tandem abscedunt confusi.

C 49 Narravit etiam cuidam, se, dum noctu per ecclesiam conventus Valentini incederet, vidisse dæmonem vultu ferocem prope vas aquæ lustralis, qui ibidem stare videbatur, ut impediret ejusdem aquæ usum, quem odit. In Indiis illum vehementer persecuti sunt dæmones ; cum enim orandi seque flagellandi gratia quemdam montem sæpe ascenderet, ibidem ab iis mulctabatur verberibus ; et nonnulli, qui ipsum secreto fuerant secuti, audiverunt eum conquerentem his verbis : Sinite me, proditores ! In Tubara quoque in sua exigua casa ab iisdem exceptus verberibus est, ut supra diximus ; et in eodem loco ob conversum ad Christiana sacra baptizatumque unum e præcipuis viris, senem et infirmum, pessime habitus.

diris modis tractatur.

Dicteria, calumnias,

50 Nec satis dæmonibus fuit, ipsum tam sæve tractasse, sed etiam homines ad eumdem affligendum concitarunt. Ex hisce fuerunt nonnulli, qui, quod ille pro Sancto haberetur, invidentes, injuriosis dicteriis eum calumniabantur, Hypocritam, Deceptorem et Idiotam vocitantes ; quæ omnia ille patientissime ac sine ullo sensus indicio tolerabat. In Cipacoa cum esset in ecclesia cum Francisco Ribera, accessit quædam persona, quæ ira percita multa ei convicia ingessit : cui Servus Dei eximia cum mansuetudine ac hilaritate respondit, recte ipsam omnia dixisse, veniamque petiit, quia gravis erat peccator. Volenti autem Riberæ Beatum tueri, omnesque injurias et male facta, in Bertrandum congesta, regerere in caput calumniantis, obstitit ille, eosque reduxit in pacem. A. Avignone.

51 Valentiæ cum Beatus censuisset, non expedire, ut quorumdam nobilium equitum causam susciperet, illi indignati et ulciscendi cupidi, convenerunt, ut eorum unus fingeret se graviter ægrotum, Servumque Dei ad sese in quamdam domum evocari juberet. Quo facto, nobilitatis suæ immemores, cœperunt illum ibidem illudere atque indignis modis verbisque excipere, exprobrantes, pravum Religiosum esse, et ad has illasque domos, quo magis luberet, discurrere. Ad hæc Beatus pro more suo mansuete et cum solita patientia respondit : Ego, domini, eram in mea cella, et vos me huc arcessistis : quod autem dicitis, E me improbum esse, tam verum est, ut nemo me melius, quam vos, noverit. Quæ proinde ab illis libens passus fuit, et ad conventum suum reversus est. *injurias ab hominibus sibi illatas æquo animo perfert,*

52 Tentavit dæmon, quantum potuit, ipsum diffamare, ut ejusdem concionum fructus impediret. Capitaneus Sanciz testatus est, ipsum a calumniatore accusatum fuisse, quod duos filios ex duabus Indis infidelibus procreasset quos ipse Capitaneus in sua domo aleret. Quam calumniam idem Capitaneus ægerrime ferens, auctorem illius jussit ad se vocari, causa magni momenti negotium tractandi prætenta : at venire nolentem ipsemet accessit ; dixitque : Ignave, unde tibi ista audacia, ut tantam calumniam Viro sancto impingas ? simulque gladio suo ejusdem faciem percussit, vulneravitque. Quod ubi Beatus rescivit, vehementissime doluit, cum eoque conquestus est, asserens, se majorem isto peccatorem esse, ac multo pejora de se dici potuisse. *alteramque gravissimam abalio vindicta tam delet,*

53 Pari modo incitavit dæmon quamdam Indam, nomine Marinittam, ad Beatum infamandum. Erat hæc concubina cujusdam Hispani, ex quo liberos habebat ; ne vero pœnas penderet quæsitori, quem episcopus eo miserat, persuasit ei, ut culpam B. Bertrando affingeret. Vulgabatur hæc infamia per totam istam regionem cum dolore bonorum omnium, apud quos optima erat de Patre existimatio. Sentiebat et ipse, ut conjicere licet, hanc injuriam ; sed solabatur se cum Christo crucifixo. At placuit Deo, ut, facta inquisitione, veritas patesceret ; cumque magistratus castigare vellet amasium concubinæ, intercessit pro eo Servus Dei, suisque precibus veniam ei impetravit ; ac suadendi socio suo, ut flagitiosum istum calumniatorem plecti permitteret, Tace, respondit, charissime frater, non in omni causa procedendum est ex rigore justitiæ, et oportet paululum tolerare et ex amore Dei pati. Neque tantum injuriam ei condonavit Beatus, verum etiam, postquam subtraxerat pœnæ, eodem imposterum familiariter usus est, non secus atque semper arcta inter eos amicitia intercessisset. *aliique calumniatori sceleris pœnam remitti obtinet.*

54 In alia item occasione probavit Beatus,

A. Avignono. *Divina in duos Sancto injurios vindicta.*

examussim se inhærere doctrinæ Evangelicæ, quæ jubet bene facere inimicis. Duos viros de quibusdam vitiis reprehenderat, qui vindictæ ergo januam casæ, in qua Beatus hospitabatur, conspurcarunt, quod ad infamandum quempiam fieri assolet. Atque id ipse quidem patienter lætoque animo tulit; sed Deus, cui suorum honor cordi est, sceleratos illos castigavit, permittens, ut eorum alter subitanea morte tolleretur e medio, mortuusque instar picis niger appareret; alter vero, qui fortasse minus reus erat, in morbum incideret, atque ita aliquot annis patiendo lueret, manibus captus pedibusque, eoque deveniret, ut, licet sanæ mentis esset, ipsemet faciem suam conspurcaret, quemadmodum conspurcaverat fores Bertrandi.

VIII. *Assiduus erat in concionando et ab omnibus expetitus :*

53 Fuit Servus Dei in procuranda animarum salute maxime assiduus, non solum privatis monitis, verum etiam publicis sermonibus, quos habuit continue (nisi adversa valetudine præpediretur) in omnibus locis, in quibus habitavit; et propter famam virtutum et sanctitatis auditus libenter fuit, et propter fructum spiritalem in omnibus expetitus ecclesiis. Proinde sæpe conciones habuit in cathedrali ecclesia Valentina, in parochialibus, et in conventu suo. Prædicavit etiam aliquo tempore in domo puerorum S. Vincentii Ferrerii, doctrinam Christianam eis exponens. Rogatus præterea fuit a sacris inquisitoribus, ut concionaretur in publico actu Inquisitionis; verum ille se excusavit humiliter; oportuit tamen, eum id ut minimum semel facere; uti fecit. Et quamvis tunc ex multis suis infirmitatibus haberet pectus plenum pituita, et raucas fauces, nihilominus, non etiam obstantibus magna fori amplitudine et ingenti auditorum copia, ab omnibus bene auditus fuit; ut testatus est doctor Jacobus Hernandez de Herra, sancti Officii promotor fiscalis, asserens, Deum tunc voluisse Beati merita sic numerare.

quæ argumenta potissimum tractaret ante concionem consulebat Deum :

56 Non solebat auditores suos in diem crastinum invitare; quia ex humilitate sua non consueverat se Prædicatorem dicere, sed Pauperculum surdum. Quamquam autem non uteretur ornamentis Rhetorices, quibus aures delectaret, erat tamen vehementer expetitus, quia verbum Dei ejus ore prolatum admirabiles creabat effectus. Persuadebat efficaciter (gloriosum patrem S. Dominicum imitatus) devotionem Rosarii, consueveratque semper narrare aliquod exemplum insignium favorum, quos Mater Dei præstitit recitantibus Rosarium, cui ipse erat addictissimus. Pio quoque cum affectu commendabat preces pro animabus in purgatorio detentis : nec minus efficaciter cohortabatur, ut pœnitentiam agerent, et peccandi occasiones vitarent; ipsemet facie pallidus totoque corpore emaceratus viribusque exhaustus ac debilis, vere se pœnitentem exhibens; unde uberes fructus referebat. Quemadmodum ante concionem in cella sua consulebat Deum de eo, quod prædicaturus erat, ita etiam faciebat in sacristia templi, ubi erat dicturus, ex qua egrediebatur tam accenso vultu, ut aliquoties radiare visus fuerit splendore, de quo supra.

peccata publica intrepidus reprehendit; quare vir nobilis

57 Severus erat in reprehendendis peccatis, maxime si essent publica; quod quidam tam ægre tulerunt, ut mortem denique ei minati fuerint; at non propterea metuebat Vir sanctus, imo tanto magis invictum præferebat animum, respondebatque, se pro Jesu Christo libenter laturum, quidquid illi possent adversus se; nec prætermissurum dicere, quod sentiebat. Dum præerat conventui S. Annæ de Albayda, in quadam concione peccata publica reprehendens gravissime offendit virum nobilem, ratum, ab eo quædam peculiaria de se dicta. Egredienti igitur Beato ex ecclesia, ut domum cujusdam, Moton appellati, adiret, comitante famulo, Francisco Mora nomine, dictus vir nobilis per quemdam alumnum suum significavit, trucidaturum se ipsum, nisi de iis, quæ pro concione dixerat, palinodiam cecinisset : quæ ei nunciata fuerunt coram prædicto Mora aliisque.

cubum bellicum in ipsum explodere nititur ;

58 Respondit pro more mansuete Beatus, felicem beatumque sese reputaturum, si mori contingeret propter ea, quæ prædicaverat; hac enim ratione futurum se martyrem ac singulari Dei beneficio potiturum. Postridie Beatus, cum eoque idem Franciscus Mora, ad conventum redeuntes e loco multum inde distante conspexerunt virum illum nobilem magnis passibus equo adventantem, manum minori fistula ignivoma bellica armatum. Mora totus perterritus suadebat Beato, ut declinaret occursum, petebatque instanter tam ratione salvandi Patrem, quam etiam magis seipsum : verum ille fretus Deo iter suum intrepide prosequebatur. Accurrens vir nobilis ferocissimo vultu raucisque faucibus in hæc verba prorupit : Improbe frater, tune ausus me reprehendere? Eodemque tempore versa in innocentis Religiosi pectus fistula, rotulam remisit, ut eum occideret.

at tubo in Crucifixi imaginem verso, veniam petit et obtinet :

59 At Bertrandus sine minimo turpis metus indicio, elevato versus fistulam brachio dextro signum Crucis formavit, et ecce, illico disruptum est infernale istud instrumentum, solitoque gravius visum fuit equiti, quod dum ille aspexit, vidit illud (o summum prodigium!) in Crucifixi imaginem mutatum. Quo inopinato eventu attonitus et compunctus corde, descendit, seu potius præcipitavit sese ex equo totus tremebundus, et in amaras lacrymas prorumpens, ad Beati pedes provolutus delicti veniam humillime petiit. Servus autem Dei pro sua solita clementia eum consolatus dimisit. Deinde vero ad Moram conversus dextro pollice suo illius pectus signo Crucis signavit, præcipiens, ne, quamdiu ille viveret, id cuiquam revelaret; Quamvis (addebat) hac super re non sis interrogandus, antequam triginta anni elapsi fuerint. Atque ita vere contigisse dictus Mora testatus est, cum primum anno MDXCVIII *b* arcessitus fuerit, ut tam mirabilem casum suo testimonio firmaret. Qua in re Beatus se non minus prophetam, quam Sanctum probavit.

b

duo alii, necem ei molientes, ad pœnitentiam adducti :

60 Inhærebant duo honoratæ conditionis viri cum publico offendiculo in notorio concubinatu, quos cum Beatus primo aliquoties privatim, deinde etiam aliquot vicibus in publicis concionibus, peccatum istud generatim insectando, monuisset, nec quidquam proficeret, statuit eos (sic exigente offensa publica) in cathedra publice reprehendere; quod et fecit asperrime. Id autem sic contigit : ascendens suggestum Beatus sensit, sibi in pectore suo dici quæ dicenda essent, singulaque verba impressa memoriæ tenuit. Hinc magno animo et obfirmata

A mata voluntate, velut alter S. Joannes ad Herodem, cœpit hos publicos peccatores arguere; quorum unus tam impotenti fuit ira percitus, ut omnino decerneret ipsum e suggesto præcipitare; sed prohibitus flamma, qua eum circumdatum vidit: qua re præ metu contremiscens, domum suam festinavit, et, quod factum fuerat, concubinæ exposuit. Hæc autem terrore pariter plena sine mora ad Beatum accurrens, flexis genibus, delictum suum deflevit, et ab eodem in bono proposito suo confirmata ad sui patris domum remissa fuit. Alter criminis socius pari ira furens et obcæcatus statuit Servum Dei pessime ferire; qui cum circa ecclesiæ fores consisteret, videretque malo animo advenientem, quamvis posset se recipere in ecclesiam, id non modo non fecit, sed accensus desiderio pro veritate et justitia moriendi, eidem occurrit, et benigne salutatum rogavit, si quid a se posceret. Verum iste mentem suam subito mutavit, et, positis coram illo humi genibus, temerarii sui impiique propositi veniam flagitavit.

a malevolo missi explorators cohibiti:

B 61 Prædicante Beato in quadam ecclesia campestri quidam alicujus auctoritatis vir, avebat scire, si quid ille adversus suos improbos mores diceret, ideoque tres viros, singulos seorsum ne alter de altero quidquam sciret, juramento obstrixit, ut sibi renunciarent, si quid ab eo in se dictum fuisset. Accidit, ut, cum ecclesia a vico remota esset, ultimi trium tertium assequerentur, omnesque gravi tristitia illico corriperentur, nec eorum quisquam auderet mœrorem suum indicare. Eorumdem unus tandem sic ait: Amici, sumus omnes tristes, suspicorque mœrorem omnium ex una eademdemque causa oriri. Per vitam vestram dicite, cur tristemini. Responderunt duo: Nos dolemus quod adversus hunc sanctum Virum exploratores missi simus. Eadem etiam mei causa doloris est, subjecit tertius. Inter hæc ad ecclesiam pervenerunt, jam cœpta concione, audieruntque Beatum hæc verba proferentem: Pharisæi non nisi unum Judam adversus Christum expetierunt; sed, qui mihi male vult, tres expetiit adversus me. Quibus dictis, tres hæserunt attoniti, quamque de B. Ludovico Bertrando bonam æstimationem ante conceperant, in ea magis confirmati fuerunt.

C

immissi latrones deterriti: adultera reducta ad frugem.

62 Aliquando, dum mantica emendicato pane plena onustus ad conventum rediret, in via eum duo viri adorti sunt, ut occiderent, missi ab aliquo, quem ipse reprehenderat. Sed evenit, ut ejus faciem intuiti tanto corriperentur tremore, ut viribus animoque destituti exsecrabile mandatum nequiverint exsequi. Prædicaverat sæpe adversus quamdam adulteram, quæ nihilominus nolebat a peccando desistere. Quadam vero nocte cum sola esset, intempestive expergefacta vidit in cubiculo suo magnum splendorem eoque in medio B. Ludovicum totum lucidum, digito fronti opposito ei minantem. Quod ipsam tantopere perterruit, ut arcessito adultero denunciaverit, nolle se imposterum cum ipso in eo peccato perseverare: unde et ipse quoque facti pœnitens effecit, ut mulier ad maritum suum reverteretur.

ANNOTATA.

a *Locus in America est.*

b *Ex dictis in Commentario prævio num.* 33 *et sequenti* S. Ludovicus *post gestum Albaidæ vicariatum anno* 1560 *præfectus fuit tirocinio Valentino, a quo anno usque ad annum* 1598 *certo plures, quam triginta anni effluxerunt; ut adeo* triginta *annos, quos Sanctus memoratum factum inter et expetendum Francisci Moræ de eodem testimonium elapsuros prædixit, oporteat non stricte, sed latius interpretari; quasi dixerit,* ut minimum triginta *ac* etiam plures *intercessuros. Porro ex anno* 1598, *quo Mora istud primus testatus fuit, manifestum fit, cur nec in Vita prima per Antistium, nec in Relatione quatuor Auditorum Rotæ Romanæ ad Gregorium XV ulla de eodem miraculo exstet mentio; nimirum, quod tam hæc, quam illa, eo anno priores sint. Secus est de Bulla Canonizationis anno* 1671, *a Clemente X Papa edita, quæ illud secundum partitionem nostram num.* 10 *merito celebrat. Vide etiam, quæ in Commentarii prævii* § III *de ejusdem Sancti effigie ibidem exhibita observavi.* E

CAPUT IV.

Donum Prophetiæ et Notitiæ spirituum, quo Sanctus dotatus fuit.

cap. IX. S. Teresiam ad institutionem Ordinis Discalceatorum

Ex multis eventibus constat, Deum prophetiæ spiritum cum B. Bertrando communicasse, ac præter plurima, quæ hanc in rem supra jam retulimus, quædam alia in hoc capitulo memorabimus. S. Theresia, Ordinis patrum Carmelitarum discalceatorum fundatrix *a*, primis annis, dum cœpit eum Ordinem instituere, super hoc proposito suo diversas spiritales personas consuluit; ac peculiariter scripsit F ad B. Bertrandum, exponens desiderium suum et rationes, quibus inducebatur ad rem tanti momenti, quæque tot difficultatibus turbisque obnoxia erat, aggrediendum. Accepta hac epistola, Beatus hoc negotium Deo commendavit, et post tres quatuorve menses responsoriam ei misit subsequentem.

a

animat, ejusdemque felicem progressum prædicit.

64 „ Mater Teresia, litteras tuas accepi, et, „ quia negotium, de quo me consuluisti, ad „ Dei cultum plurimum attinet, volui illud „ prius meis tepidis precibus et Sacrificiis divi„ næ Majestati commendare; eaque causa est, „ cur respondere tardaverim. Modo in nomine „ ejusdem Domini dico tibi, ut sumas animum „ ad tantum opus aggrediendum, Deum te adju„ turum, tibique fauturum; et illius nomine „ te facio certiorem, non elapsuros quinqua„ ginta annos, quin vestra Religio futura sit „ una ex illustrioribus, quas habet Ecclesia „ Dei, qui etc. Valentia. etc *b*. „ Hoc recepto responso, S. Teresia inspiratum sibi a Deo opus felici successu prosecuta fuit; patuitque vaticinii veritas, ut totus mundus agnovit, agnoscitque,

b

A Avignono. agnoscitque, cum ista Religio tantopere accreverit, tantosque in Ecclesia fructus ferat.

De tribus Religiosis variè vaticinatur,

65 E tribus Religiosis unius Ordinis, qui Valentiam advenerant, duo B. Bertrandum inviserunt, quos illle ad cellam S. Vincentii Ferrerii conduxit, ac ibidem relinquens, ad suam regressus est, in qua tribus horis (quo tempore interim orasse creditur) moratus fuit. Post hæc ad eos reversus consedit cum iis in loco medio, et ad eum, qui sedebat a dextris, ait. Pater, vestra reverentia est Benjamin, id est, Filius dextræ; qui, cum eo nomine a suo patre Priore appellaretur, dictum admiratus est. Sermonem prosecutus Beatus adjecit: Nonne tres in hanc civitatem adventarunt? Cur non nisi duo huc venistis? Responderunt: Tertius, Pater, noluit venire nobiscum. Tum vero Servus Dei inquit: Placeret mihi, si calamum et atramentum haberetis ad scribendum, quæ dicturus sum. Video ibi arborem cum tribus ramis, quorum primus, utut irrigetur, non feret fructus, ac propterea abscindetur, et in occluso loco collocabitur. Secundus dabit
B fructum, sed amarum, proindeque brevi amputabatur; jamque videor illum videre in sepulcro. Tertius proferet fructum suavem; ideoque conservabitur.

trino eventu probante,

66 His dictis, subito silentium eis imposuit de iis, quæ dixerat, allegans Christi verba ad Apostolos post Transfigurationem Matthæi XVII: „ Nemini dixeritis visionem, donec Filius ho- „ minis a mortuis resurgat. „ Deinde rogatus ab eis, verumne esset, istam Deiparæ imaginem, in eadem cella positam, locutam fuisse cum S. Vincentio; respondit, in verum esse, atque insuper locutam fuisse cum quodam fratre, in eodem conventu habitante. Dicentibus autem ipsis: Is fuerit Reverentia vestra, reposuit, sibi non licere dicere, quis iste sit. Porro e prædictis Religiosis unus factus est tam ineptus, ut, amisso rationis usu, reliquo vitæ suæ tempore inclusus fuerit. Alter, quamquam bonus Religiosus, asperæ tamen molestæque naturæ erat, ac modico tempore post obiit. Tertius, bóni exempli vir, in Ordine suo admodum
c pie vixit *c*.

Prælato injurium a Deo puniendum prædicit,

C 67 Dominus Joannes Boil de Arenos inter colloquendum cum Beato, ei ait, quemdam præcipuæ conditionis nobilem equitem sine causa molestias creare cuidam prælato, idque multis exposuit. Ne miretur vestra dominatio (reposuit Beatus) si Deus ipsum castiget. Post paucos dies dictus eques in magnas ipsemet molestias incidit; nec dubitabat dominus Joannes, quin hæc esset divina castigatio, quam Beatus indicaverat. Verum vir iste ex iis perhonorifice emersit. Quod dominus Joannes advertens, dubitavit, an Beatus non fuisset falsus: sed inde paucos dies post manifestata fuit prophetiæ veritas: nam nobilis iste eques subitanea morte sublatus est, nec oportunitatem præsentis sacerdotis nactus, nec tempus, quo posset nomen Jesu invocare.

filiamque unicam sanandam, et hujus matri filium nasciturum, promittit:

68 Dominus Jacobus Ferreri, gubernator Valentiæ, cum haberet filiam unicam (quæ postmodum fuit vice-comitissa de Celva) variolis acriter laborantem, precatus B. Bertrandum est, ut eam inviseret, et, oraret pro illa. Accessit ille, dixitque dominæ Blancæ, matri ægrotantis et domini Jacobi uxori, quæ vehementer afflicta erat: Sume animos, domina, et confide Deo, filiam tuam sanandam victuramque: tibi vero divina Majestas concedet filium, D
qui pariter sospes erit. Atque ita convaluit infirma, et intra annum natus ei est filius, qui hodieque vivit, et dominus Ludovicus vocatur.

Iæta cuidam dominæ prædicit: alterius secretum nescit.

69 Domina Raphaëla Fernandez de Heredia, innupta virgo, valde tristabatur, quod jam a multo tempore nullas a fratre, Neapoli commorante, litteras accepisset. verita, ne ille obiisset cum alias singulis mensibus soluisset ad ipsam scribere. Solatii ergo gratia adivit Beatum, qui jussit eam minime timere: nam et fratrem ejus non solum esse sanum, sed etiam prosperrime agere, eamque eo ipso die hisce conformes litteras cum aliquo insuper subsidio recepturam. Rediit domina læta domum, et præ fiducia, quam ex B. Bertrandi verbis conceperat, noluit ullo cibo vesci, priusquam litteras a suo fratre accepisset. Allatæ hæ fuerunt hora diei vigesima prima, prosperum illius statum annuntiantes, cum inclusa schedula collybistica nonaginta scutorum, quæ ipsi mit-
tebat. Ab eadem Raphaëla rogatus, ut pro se E
Missam diceret, mox dixit; qua finita, ipsa doluit, quod non haberet penes se nummos, unde ei eleëmosynam daret; et idcirco non audebat ad illum manum osculatura accedere; accessit tamen, jussitque eam Servus Dei ad suam sedem excipiendis sacris confessionibus destinatam se recipere, ubi, antequam illa verbum protulisset, ait: Ne turberis propter me, domina; non enim volo eleëmosynam pro Missa. Quo audito, mirata illa est stupuitque, quod ipse sua sensa novisset.

Binorum religiosorum calamitates, dominæ cujusdam obitum,

70 Dum erat Prior conventus S. Onuphrii, Bertrandus e cella sua prodiens fratri Andreæ Cabrerizo, socio suo, dixit: Videsne Religiosum istum? Admodum ei gravis est habitus, ideoque eum exuet, et evenient ei mala et adversa gravissima. Recordare, quæ tibi nunc dico, et experieris, me verum dicere. Multis annis post idem Religiosus habitum exuit, et adversis casibus misere conflictatus est. Eidem fratri Cabreriso de quodam alterius conventus Religioso etiam ait, magnam ipsi imminere tribulationem; eumdemque valde negligentem esse. Apparuit id Cabrerizo incredibile; quod tamen F
omnino verum esse, constitit. Domina Anna de Castelui, uxor nobilis viri Christophori Pertusa, habitans in Museros, nocte Natalis Domini cum aliis dominabus ad Officium Matutinum ad ecclesiam conventus S. Onuphrii accessit. Finitis divinis Officiis, beatus Bertrandus eas omnes, dum egrederentur ex ecclesia, salutavit; sed ad dictam dominam Annam adjecit: Domina, vestra dominatio venit hac nocte visitatura novam Puerperam. Age! vices tibi reddet, venietque, ut tibi adsit in morte tua, brevi eventura. Itaque intra quindecim dies ejusmodi infirmitas eam corripuit, ut intra quatuor horas ad meliorem vitam transierit.

duorum ægrorum sanitatem prædicit; delictum occultum,

71 Cum dominus Jacobus Centeglias filium haberet tam acri febre laborantem, ut jam a medicis destitutus esset, citato equo ad conventum S. Onuphrii accurrit, B. Bertrandi preces pro ægro flagitaturus; eoque ibidem non reperto, perrexit ad ecclesiam S. Mariæ de Albuycec, ubi ille eo die prædicabat, et cum sollicito affectu paterno supplicavit ei, ut pro moribundo filio suo intercederet. Cui Beatus post fusas preces, Vade, inquit, hilariter, domine

A mine Jacobe ; nam filius tuus non morietur eo malo ; et ille Valentiam rediens ægrum defunctum periculo invenit. Aliud simile beneficium præstitit eidem domino Jacobo, dum hujus uxor, domina Francisca Mercades, se male haberet. Ab Angela Baiarri ex Museros, postquam ejus confessionem audierat Beatus, priusquam eam absolveret, petiit, si quid præterea recordaretur ; et, illa negante, subjecit, ut meminisset peccati, quod lapsis diebus in carpento commiserat. Tum illa nonnihil secum reputans, meminit, se, dum a paucis diebus cum aliis nobilibus feminis carpento veheretur, temerarium judicium commisisse ; quod confessam Beatus absolvit. Quam ob rem illa dixit ei, ipsum magnum prophetam esse ; ille vero cum insignis sanctaque simplicitate ac fere subridens respondit, se non nisi magnum peccatorem esse.

novitii tentationes,

72 Frater Antonius Catalano, dum erat novitius in conventu S. Onuphrii, in ferendis Ordinis oneribus animum despondens, statuit, ut erat, habitu indutus abscurrere ; sed ipsum, ubi

B stabat, conveniens B. Bertrandus ei inquit : Fratercule frater Antoni, pervenit ad aures meas, te velle abscedere, et adhuc habitum portas. Adverte, hanc grandem esse dæmonis tentationem. Quibus aliisque dictis novitius acquievit ; at nequivit satis mirari, qua ratione istud ad Beati notitiam pervenire potuerit, quod cum nemine umquam communicaverat. Altero die, S. Onuphrii sacro, serviebat in culina idem frater, jam professus, multumque turbatus desiderabat secedere in montem, ratus, se ibi tranquillius victurum, nec fore, qui se reprehenderet. Ingressus culinam Beatus est, et dixit ei : Ego scio, quid mente agites : ingentem tentationem jamjam passus es. Redibo ad consolandum te ; ut et factum est, et ipse tranquillitatem animi recepit, nec minus certior factus est, etiam arcanas cogitationes suas B. Bertrando manifestas esse.

domesticas alterius molestias, absentis,

73 Domino Joanni Valterra sæpe contigerat, ut a domesticis suis aliisque molestias pateretur, unde aliquando solatii ergo B. Bertrandum adivit. Hic vero narravit ipsi accurate omnia,

C quæ contigerant, et qua de causa, et quibuscum. Quod quidem eo magis admiratus Joannes est, quo certius noverat, se nulli umquam hac super re vel verbum dixisse. Allatus fuerat ad conventum Valentinum nuncius, patrem magistrum fratrem Vincentium Ferrandez, virum spectatissimum in Religione ac litteris, filium hujus conventus, professorem in Universitate Tarraconensi, in ejusdem civitatis conventu, in quo doctoris cathedram obtinebat, gravissime decumbere : eoque tempore B. Bertrandus petiit a socio, fratre Francisco Palau, quid de patre magistro Ferrandez diceretur, ac respondenti, rumorem esse, eum se melius habere. Id verum esse, nequit, reposuit ; quia ille jam obiit, vidique ipsum mortuum supra istam arcam. Paucis diebus inde nuntiatum est, illum eodem die, quo B. Bertrandus dixerat, e vivis excessisse.

ægrique obitum, ægræ sanationem nescit,

74 Vincentio, Francisci Vaziero, notarii, filio ægrotante, ex medicorum tamen aliorumque, qui aderant, sententia citra omne periculum, forte illac transiens B. Bertrandus rogatus fuit, ut ascenderet, eumque inviseret, et Evangelia legeret. Cubiculum ingressus dixit infirmo : Sume animos, fili ; Deus enim te vocat ad se, vultque conducere ad cælum. Ita ipsum et parentes ejus consolatus, recessit ; ac paucis diebus post infirmus mortuus est. Joanna Anna Marco, Beata tertii Ordinis S. Dominici, ex gravi ac periculoso morbo decumbebat ; quam Beatus visens rogavit, an contenta esset ex hac infirmitate mori ; respondit, se non aliud velle, quam quod placeret Deo : subjunxitque ille non morituram ex eo malo, sed die S. Thomæ Aquinati sacra intra paucos dies recursura sanatam fore, ituramque ad ecclesiam ; quod et factum est. A. Avignone.

virginis nobilis infelices nuptias, ægræ sanitatem, et pueri in Ordinem S. Dominici ingressum prædicit.

75 Filia Salvatoris Perez, virgo nubilis, decreverat monasticam vitam amplecti, ac diligentissime agebat, ut hoc propositum suum executioni mandaret, cum Beatus, ejus domum ingressus, dixit ei, quæcumque in hoc negotio actitata fuerant, adjecitque, eam non futuram monacham, sed nupturam viro, in eoque matrimonio multa gravia passuram. Quæ fieri non posse, existimabant omnes, qui audierant, et tamen evenerunt, ut Beatus prædixerat. Sperantiam Vaglies, sororem domini de Anteglia, cujus salutem jam desperaverant medici, E jussit spem suam reponere in Deo, fore ut ex eo morbo non moreretur ; eodemque temporis puncto cœpit malum mutari, ac brevi sanata fuit. Quidam senex, nomine Franciscus Mari, puerum ætatis novem annorum, Hieronymum Almenara dictum, ad B. Bertrandum adduxit, ut illius confessionem exciperet ; uti hic fecit ; ac subito se erigens e sede dixit eidem Francisco : Deus hunc puerum tuetur, perducetque, ut nostri Ordinis Religiosus fiat. Quo tempore autem Beatus versabatur in Indiis, idem juvenis habitum Dominicanum induit, evasitque insignis vir in cathedra et pulpito, sanctequeobiit, et ejusdem mortis die B. Bertrandus magnam supra ejusdem cellam claritatem vidit.

Absentis obitum denuo novit ;

79 Magistro Jordano clerico, bono Dei servo, morti proximo in vico Alcoy, sesquidie itineris Valentia dissito, quidam e cognatis suis dixit : Nullumne tibi, domine, in terris superest remedium, quo vestra dominatio evadat ? Unicum (respondit ille) credo mihi superesse, nimirum si P. Bertrandus pro mea incolumitate precetur. Quo audito, sine mora mit- F titur ad B. Bertrandum cursor, tanto majori promisso pretio, quanto citius litteras ei tradidisset. Incessit tabellarius velocissime, et litteras tradidit : quibus acceptis nec adhuc dum resignatis, Beatus inquit : Redi, frater ; nihil est remedii : postulantique cursori, ut litteras resignaret, respondit, non esse necesse ; ac denique precanti, ut saltem scripto testaretur, qua hora ad eum pervenisset, id libens præstitit. Atque ita constitit, magistrum Jordanum aliquot horis obiisse, antequam cursor Beato litteras tradidisset.

alia ejusdem de quadam ancilla duobusque ægris vaticinia.

77 Quædam ancilla Joannis Marco notarii, Sperantia nomine, agebat de Religioso statu amplectendo ; jamque conclusum erat negotium, cum B. Bertrandus illac pertransiens, rogatus, quo usque illud jam provectum esset, respondit, illam numquam monacham fore. Et ita evenit : dicta enim Sperantia paucis inde diebus in morbum incidit, et, priusquam Religioso habitu indui potuit, vita functa est. Salvatoris Perez notarii, desperantibus de vita illius medicis, ac posse ipsum mortem evadere negantibus, domestici miserunt, qui eum B. Bertrando commendaret,

A. Avignono. daret, qui, cum tunc non posset ipsum alloqui, rogavit janitorem, ut is nuncium referret. Reversus hic est cum responso, ægrum ex eo morbo minime moriturum. Ita factum est, eodem sanitati velociter restituto. Angelo Simarra, viro suo, Josepho de Campos, in præsenti vitæ periculo versante, misit famulam suam ad B. Bertrandum, ut pro eo precaretur; cumque hic tunc se male haberet, quidam Religiosus id ei renunciavit. Responsum dedit, illum cito sanatum iri. Quod verum fuit; mane enim illum revisens medicus Asnares, eumdem non modo extra periculum positum invenit, sed fere penitus sanatum, quamvis nocte proxime elapsa de ejusdem salute desperasset.

præscit ædituı postulata et vitam longævam gravidæque dominæ partum;

78 Cum Joannes Pellesciero, ecclesiæ cathedralis Valentinæ ædituus, sæpe ad Beatum mitteretur, ut eum de sermonibus in eadem ecclesia habendis admoneret, cum jam ad ipsum pervenisset, nondum exposita adventus sui causa, ab eo hæc audiebat: Scio qualem concionem mihi mandaturus sis; noveratque examussim
B dicere et diem et argumentum sermonis habendi licet nonnumquam adhuc duobus circiter mensibus abessent a tempore, quo concionandum erat. Quadam etiam vice ab eo petiit Beatus, quot annos haberet; cumque ille respondisset, subjunxit: Vide, bonus sis; nam multi tibi supersunt vitæ anni. Dum hoc testatus est Joannes, habebat annos sexaginta quatuor, erantque ultra viginti anni elapsi, ex quo Beatus id ei fuerat vaticinatus. Cum gravida esset Catharina Pedros, ante fores illius transibat B. Bertrandus, quam ipsa non noverat; sed audito ex domesticis, Servum Dei esse, procurrit in plateam et illius manum osculata est; cui ille inquit: Domina, gemellam prolem portas, et Deus tibi felicem partum concedet: ac paucis diebus post illa filium filiamque feliciter enixa est.

noscit peccata et desideria occulta,

79 Prædicaverat Beatus in loco Cataroscia, sciensque, quamdam e Castella mulierem illuc advenisse, dixit, nisi hæc inde pelleretur, unam ex honoratissimis illius regionis feminis in peccatum lapsuram; uti factum est. Francisca Garzia solita sæpius ad sanctissima Sacramenta accedere, desiderabat vehementer, ut liceret sibi
C quotidie sacram Eucharistiam suscipere: dumque semel apud B. Bertrandum confiteretur, quamquam cum proposito eam licentiam petendi advenisset, non ausa est petere. At Beatus sponte sua dixit: Concedo tibi, soror, facultatem quotidie confitendi et communicandi. Postquam domina Feliciana de Rebolay, uxor domini Ludovici de Romani, peccata sua Beato in confessione exposuerat, is petiit ab ea, cur non accusaret se de quodam peccato, quod commiserat in carpento, addiditque, quibuscum illa tunc in carpento fuisset, et quodnam esset peccatum. Obstupuit illa, quia secreta res erat, nec ab aliis, quam quibuscum in carpento fuerat, cognita.

occultam item egestatem, tristitiæ causam,

80 Catharina Spina, virgo annorum sexaginta, quæ consueverat apud Bertrandum confiteri, paulo ante Nativitatem Domini rogavit eum, ut tres Missas, in ea sollennitate dici solitas, pro se celebraret. Respondit Beatus, se id facturum, sed ut ex eleëmosyna propterea danda emeret ipsa sibi par calceorum, quibus valde egebat. Quo responso mulier obstupuit, quia egestatem suam revelaverat nemini. Eidem Catharinæ Spina Beatus dedit Rosarium, quod velut ab ipso profectum illa maximi faciebat; D
sed cum illud quidam Religiosus conventus de Jesu accepisset, illa vehementer indoluit. Cum vero eadem postea ipsum adiisset, antequam locuta esset, rogavit illam Beatus cur adeo affligeretur, ac nolenti dicere, Agedum, inquit, quiesce: ego medebor, donando tibi aliud Rosarium; uti fecit, dicens, eam propterea esse melancholicam.

peccata denuo occulta,

81 Violanta Juncar B. Bertrandum, dum in confraternitate S. Mariæ ægrotabat, una cum fratre suo, domino Hieronymo, invisens inter alia narravit, se conduxisse ancillam ex Aragonia. Respondit Beatus, cupere se illam videre; utque eam vidit, adjunxit, non expedire, ut illam retineret. Ast cum nollet Violanta consentire Beato, hic, altera occurrente occasione, replicavit, juvenculam istam ei caro multisque molestiis constaturam. Eventus probavit vaticinium; nam juvencula male vixit; ac demum se perdidit. Cum eadem Violanta alias post confessionem ab eo peteret, ut pro quadam persona, in malo statu versante, oraret, rogavit, quæ illa esset, negantique, sibi licitum esse eam E
nominare, subjecit eamdem tali nomine appellari, ac in tali statu versari. Deinde recedens Violanta suavissimum odorem sensit.

regis Lusitani eladem, recuperandam a Francisco Borgia sanitatem.

82 Anno MDLXXIII, festa sancti patris nostri Dominici luce, post prandium B. Bertrandus admodum mœstus fratri Ludovico Primo, socio suo, dixit: Frater, dixerunt mihi hodie, Lusitaniæ regem mortuum esse, ejusdem exercitum profligatum; et experieris, me verum dicere. Posthæc etiam aliis Religiosis dixit, se vidisse per fenestram cellæ exercitum regis Lusitaniæ præliantem, regem mortuum, et dissipatum exercitum. Decem diebus inde, ex quo hæc dixerat, allatus est nuncius de ejusdem regis interitu et strage in Africa et regno Fezzano. Cum dominus Franciscus Borgia ex vehementi febri fluxuque in magno vitæ discrimine versaretur, ejus medicus Asnares monuit filium ejus dominum Joannem, patrem suum sine ullo dubio moriturum, ac proinde curaret, ut ille prospiceret animæ suæ ac testamentum conderet. Quam ob rem dominus Joannes voluit ipsemet confessarium arcessere; sed domum reversus intellexit, B. Bertrandum jam tum venisse F
ad visitandum infirmum, audivitque eum dicentem, ut speraret; non moriturum illum ex hoc morbo, sed victurum, visurumque duos filios suos matrimonio junctos. Ita convaluit, ac prædicta vidit.

negocia occulta, et Philippi II obtentam suis precibus sanitatem.

83 Cuidam concilii regii doctori in cella sua ait Beatus: Sustine fortiter, sustine fortiter. Quid, Pater? respondit hic. Causam, inquit ille, quæ hodie in tali negotio tractata fuit. Quod negotium cum secretissimum esset, plenus stupore doctor rogavit, qua ratione, quisve id ei indicasset. Cui ille reposuit: Hic; monstrando Crucifixum, quem supra mensam habebat. Anno MDLXXX cum Valentiæ prorex, dux de Hagiara * ut sæpe solebat, Beatum in · *alias Nagara*
sua cella viseret, rogavit hic illum, quæ nova haberet de valetudine regis (qui erat Philippus Secundus.) Reposuit ille: Valde bona. Imo valde mala, subjecit Beatus: necesse est pro sua Majestate orare. Intra paucos dies e curia allatus est nuncius, regem gravissime ægrotare, jamque a medicis aulicisque derelictum, ac denique etiam faciem ejus, ut mortuis fieri assolet, velatam fuisse. Aliquot diebus prius, quam

A quam istæ litteræ de regis infirmitate, ejusdemque morbi remissione, ad proregem perlatæ fuissent, B. Bertrandus eidem proregi significaverat, regem ex eo morbo non moriturum : certoque asserebat, cujusdam servi Dei precibus sanitatem illi per miraculum impetratam esse. Hunc Dei servum, reponebat prorex, credo, vestram Paternitatem esse. Quo responso vehementer turbatus Bertrandus est, dolens, quoties laudabatur, et hujusmodi effectus illi adscribebantur. De singulari hoc facto dabitur in hujus Historiæ libro quarto ejusdem proregis epistola ad Clementem VIII Papam data.

Prædicit suam mortem, futurum dominæ inimicum indicat ;

84 Eodem anno in vigilia S. Dionysii Beatus una cum patre magistro, fratre Petro de Salamanca, ad confirmandum in fide quemdam maurum, qui suspendio erat plectendus e conventu egrediens, dum adhuc in majori conventus claustro esset, ait socio : Nescio, cur me, qui imperitus et peccator sum, ad similia arcessant : sed anno proxime sequenti non arcessent me amplius, quia ero mortuus. Dominam Angelam
B Dias Ferrando, uxorem domini Jacobi Ferreri, monuit Beatus, ut caveret sibi a quodam viro, quem etiam suo nomine indicavit ; quod is ejusdem pessimus inimicus futurus esset ; evenitque, ut ille prædixerat.

canonici

85 Mense Decembri anni MDLXXX ægrotabat dominus Michaël Viche, canonicus cathedralis ecclesiæ Valentinæ, quem, licet se melius haberet, et a medicis extra periculum esse diceretur, B. Bertrandus cum fratre Antonio Bagliester triduo ante Nativitatem Domini invisit, et ægrum accedens, suaviter piisque verbis monuit, ut se ad mortem compararet, festa enim hæc ab eo in cælo celebranda esse : ac proinde sacrum Viaticum sumeret, et disponeret de rebus suis. Exsecutus canonicus sanctum consilium triduo post, ipso Navitatis Domini die ad alteram vitam migravit. His omnibus compertis, frater Antonius Bagliester rogavit Beatum, quo modo istius canonici mortem præscivisset, respondit, jam tum triduo ante se in cella sua vidisse illum mortuum. Ac replicanti fratri Antonio, qua ratione ex eo solo tempus futuræ mortis ejusdem divinasset, Noveris, fili, inquit,
C Deum sæpe, dum aliquid intellectui nostro revelat, etiam lumen concedere, quo certo cognoscamus significatum.

et pueri mortem prædicit, dæmonis occultas tentationes noscit pellitque dæmonem alicui socium vi det.

86 Domina Francisca de Castelui, uxor Hieronymi de Ixar, equitis habitus Montesæ, cum infirmum haberet filium ætatis annorum quatuordecim, rogavit patrem fratrem Joannem Lescano, Ordinis Prædicatorum, ut B. Bertrandum induceret ad orandum pro eo. Is vero, accepto eo nuncio, respondit : Dicat paternitas vestra isti dominæ, ut patienter ferat, submittatque se divinæ, voluntati, quæ equitem hunc cælo destinavit. Ita ille biduo ante B. Bertrandum ereptus e vivis est. Quidam jam a pluribus annis multas tentationes tam vehementer passus fuerat, ut de rationis usu periclitaretur ; quem B. Bertrandus intuens, dixit, eum a dæmone torqueri ; quam ob rem miser ille sæpe cum eodem Beato agens, omni molestia liberatus est. Conspicatus Beatus virum transeuntem dixit socio suo : Videsne tu illum ? comitatur illum dæmon. Nec multo post sacræ Inquisitioni traditus, ac velut hæreticus castigatus fuit.

87 Quidam Beati amicus tres illius Missas, quæ in die Omnium Fidelium defunctorum celebrantur, audiens, Deum enixe precabatur, ut dictum Beatum a spiritalibus inimicis suis servaret incolumem, perfectoque vitæ fine donaret. Absolutis Missis, eidem dixit Beatus : Tu audiens Missas meas orasti pro me. Aliquando ex Grao rediens, dixit comiti suo : Vide hunc surdum et claudum (seipsum designabat) sed sine ipsum mori, et videbis, quid eo futurum sit. Adhæc adjecit, alterum eodem, quo ipse moriturus esset, die moriturum infeliciter. Obdormivit Beatus die S. Dionysii, eodemque die quidam vir Valentiæ in extremam incidit desperationem. Cum Beato diceret frater Antonius Bagliester, se vidisse in monasterio de Succursu plurima anathemata donaque votiva in sacello B. Mariæ Virginis, sibique multum placuisse ordinem, quo erant disposita, ait illi : Aliquando videre erit multa alia ; et frater Antonius ea accipiet et lætabitur. Hæc dixit, quia, Beato mortuo, allata fuere plurima anathemata donaque, quæ dictus frater Antonius, cui commissa erat ecclesiæ cura, recipiebat et appendebat ordinatim ; quod magna cum voluptate exsequebatur, quia Servo Dei tam in vita, quam post obitum semper devotissimus fuit. E

A. Avignono. noscit fusas pro se preces ; diem mortis cujusdam prædicit, augendumque in quadam ecclesia anathematum numerum.

ANNOTATA.

a *Colitur hæc sancta virgo fundatrix numerosæque in Christo prolis mater die* 15 *hujus mensis Octobris, quo proinde die ejusdem gesta exponenda venient.*

b *Notat Avignonus, hanc epistolam se accepisse ex Roca in Vita hujus Sancti, tractatu* I, *cap.* 22, *ubi illa exstat, quo scripta fuit, sermone Hispanico, sed Avignonianæ cetera simillima ; et ab utraque abest tempus scriptionis. De eadem pariter in sæpe laudata Relatione trium sacræ Rotæ Auditorum, in argumentum doni prophetiæ* S. Ludovico *divinitus collati fit mentio.*

c *Hunc in vivis superfuisse anno* 1582, *liquet ex Vita* S. Ludovici *per Antistium eodem anno conscripta, et ab Avignono hic laudata in margine.*

F

CAPUT V.

Miracula, quæ Sanctus vivens operatus est.

cap. x. Incendium signo Crucis extinguit,

Dum B. Bertrandus præerat conventui S. Annæ de Albayda (quod in anni MDLVIII aut MDLIX in Augusto vel Septembri fieri potuit) opiliones, greges suos in agro Albaydæ pascentes, ignem, ut consueverunt, excitarunt in monte, ortoque vehementi vento agitata flamma tantum accrevit, ut timendum esset, ne circumsitæ arbores vitesque omnes arderent, maxime eæ, quæ conventus erant, versus quas flamma rapide impulsa appropinquabat. Cujus rei nuncio accepto, B. Bertrandus velociter illuc cum fratribus suis accurrit, qui quanto mœstiores erant de damno imminente, tanto ipse tranquilliorem se exhibebat, ut videretur

A. Avignono. deretur de futuro eventu apprime edoctus. Cum ad locum pervenissent, viderunt, ubi accensus focus erat, ibi multa arida lignorum segmenta esse, quæ ventus magno cum impetu ad vineas propellebat. Tum B. Bertrandus perspicillo cælum intuens, elevata manu dextra, signum Crucis versus ingens istud incendium formavit, quod eodem temporis puncto exstinctum fuit, non secus atque ibi numquam arsisset; relicta solummodo fascia nigra, velut ad lineam ducta: quæ res magnam omnibus admirationem movit *a*.

a

panem multiplicat, 89 Dum prioratu conventus S. Onuphrii fungebatur, quodam die dudum elapsa solita prandendi hora, patri Josepho Gacet, suppriori mandavit, ut tintinabuli pulsu signum ad prandium daret; sero enim esse. Jussit id supprior curatorem triclinii facere; verum hic respondit, quod non nisi admodum modicum panis adesset, quem tamen exspectabat, jamjam (ut credebat) asserendum ex furno in Museros, quo delatus fuerat coquendus; ubi propter pluviam detineri putabat. Volens autem supprior B videre, quantum panis adesset, ut posset ad Priorem referre, comperit, nihil in arca esse præter septem frustra; cum alias septuaginta *b* parvis panibus ordinarie opus esset. Responsum retulit Priori, qui, non obstante ea panis penuria, jussit tintinabulum pulsari. Venerunt Religiosi in triclinium, mensæque assederunt, qui plures triginta fuerunt ad primam mensam. Dicta fuit benedictio, cum non haberent alium panem, quam ista septem frusta, et ex iis comederunt omnes, ut alias, abundanter, ac præterea ex iisdem superfuit aliis fratribus, qui ad secundam mensam accesserunt *c*.

b

c

diuturnas 90 Habebat B. Bertrandus anno MDLXXVII *d* sermones Quadragesimales Moncadæ *d* et quodam die festo post prandium in domo Josephi del Campo pro more suo de rebus cælestibus loquebatur, cum Angela Simarra, ejusdem Josephi conjux, ait ei, adesse sibi in domo neptem, nomine Sperantiam Assensi, virginem, collum plenum strumis habentem; jamque novem annos elapsos, ex quo conducta fuerat ad regem Franciæ *e* sine remedio; eamque se pessime habere, ac etiam pejus, dum medicamentis utebatur; ac proinde supplicabat ei, ut C ipsam tangeret, et Evangelium ei prælegeret, sperans fore, ut sic sanaretur. Excusabat se humillime Beatus, miserum se peccatorem asserens, ac audivisse, Cæsaraugustæ esse aliquem, qui hoc malum curaret; illum igitur advocarent.

d

strumas sanat, 91 Sed iteratis illorum importunis precibus victus jussit infirmam ad se adduci, et ad fenestram consedit, ubi mandavit tolli fascias et emplastra vulnerum strumarum, quæ tam plena tabo ac pure fœtidaque erant, ut nullus ad eam posset propius accedere, atque ipsa denique virgo diceret, fœtorem sibi intolerabilem esse. Nihilominus Servus Dei signam Crucis super eam formavit, et omnes plagas sua lingua lambit, eique operi nonnihil immoratus fuit, nec abstinuit, donec omne pus exsuxisset, et plagas omnes mundasset. Post hæc eam rursum Cruce signavit; cumque velut suis destitutus sensibus et in ecstasim raptus, exserta modice ex ore lingua, sed vultu splendidissimo permaneret, eum in sede collocarunt in eodem loco, ubi steterat. Hæserunt omnes, quotquot aderant, obstupefacti tam extraordinario spectaculo, et præ devotione fleverunt. Simul ac vero Beatus suis sensibus redditus fuit, continuavit antea cœptum de rebus divinis colloquium, dictaque virgo ex eo ipso temporis puncto omni fœtore ac pure imposterum libera mansit. Octiduo post cum Beatus eodem in loco denuo prædicasset, rogatus fuit, virginem iterum inviseret; ipse vero, ea nondum visa, ait, id minime opus esse. Proxime autem subsecuta hebdomada, ipsa omnino sanata fuit. D

ex arbore lapso sensus reddit, 92 Anno MDLXXIV, Bertrando Quadragesimalis jejunii tempore concionante in Burriana *f*, quidam operarius, Jacobus Roca, ex oliva decidit tam gravi lapsu, ut loquela sensibusque illico destitutus mortuus crederetur. Tulerunt illum in domum patris sui Bartholomæi, et advocarunt vicarium, ut dispiceret, si quo modo posset ejus confessionem, saltem signis, excipere; nec omnino potuit. Advocatus etiam fuit Beatus, quo eum solummodo alloquente, aperuit oculos suos, eodemque tempore loquelam recipit, peccata confessus, et sanctissimo E Viatico refectus fuit; rursumque amissa loquendi facultate, mortem obiit. Parentes ejus hoc casu afflictissimos consolatus Bertrandus est, certos esse jubens, animam istam in via æternæ salutis esse.

f

febres, 93 Aliquot annis ante mortem B. Bertrandi uxor Antonii Matthæi, civis Valentini, tam graviter ægra decumbebat, ut domestici omnes eam velut mortuam plangerent. Advocatus est pater magister frater Petrus Salamanca, qui B. Ludovicum secum duxit. Hic ad lectum accedens eam voce inclamavit: Domina, domina. Ad quæ ipsa oculos aperuit, ut videret, a quo appellaretur. Subjunxit ille: Ne metue: jam enim non morieris; imo brevi eris incolumis. Sensibus receptis, mulier, agnoscens, illum B. Ludovicum esse, oravit, ut Evangelia sibi legeret. Recusavit hoc facere ex humilitate, affirmans, id ad patrem magistrum Salamanca pertinere: verum hic ceterique suis precibus tam vehementer institerunt, ut tandem obsecutus sit. Eo ipso autem momento temporis, quo lectionem manus suas infirmæ capiti imponens finivit, ipsa omni febri omnique F malo caruit.

strumas, 94 Quatuor vel quinque annis ante obitum Beati domina Hieronyma Vives, uxor domini Franscici Valterra, laborabat acri febri, qua quatuordecim diebus vehementer fuerat conflictata. Invisit eam B Ludovicus coram reverendo Luca Porsina, dominæ Franciscæ Vives presbytero, aliisque personis, et explorato illius arteriæ pulsus, ait, ipsam acriter febricitare; sed confideret in Deo, se brevi sanandam. Itaque imposita ejusdem capiti manu, Evangelia legit, ipsaque eodem puncto temporis sanata fuit. Contigit hoc die Veneris, et proxima Dominica adivit illa ecclesiam Prædicatorum, ut de peccatis suis confiteretur, et ad divinam Mensam accederet. Sperantiæ Monton virgini, ancillæ dominæ Violantæ Milan et de Cruiglies, quædam in collo apparuerant rimulæ, quæ paulatim auctæ per pectus dispersæ sunt, multo pure fætido infectæ, quod malum a chirurgis struma credebatur. Jamque quatuordecim mensibus adhibuerat sine ullo profectu curationem, cum Francisca Ferreri et de Beneyto ad ecclesiam Prædicatorum accesserunt, et

A et post auditam B. Ludovici Missam rogarunt ipsum, ut suam ipsi charitatem exhiberent. Legit ergo ipsi Evangelia, eamque sua manu attigit; ac cœperunt siccari strumæ, itaque diminui istud pus, ut vere nihil amplius effluereret; postridie vero perfecte sanata fuit, nec imposterum id mali umquam passa.

dysenteriam et malum cordis.

95 Jam quatuor septimanis vehementi febri arserat Joannes Vincentius Pellicciaio, jamque propterea quater ei secta fuerat vena, iterumque secanda erat, cum, accedente etiam dysenteria, quæ ipsum vehementer debilitaverat, id non ausi sunt facere medici, qui ipsum proinde pro deplorato habebant. Pater ejus, nomine Joannes, cathedralis ecclesiæ æduuus, filium suum eo redactum cernens, ad B. Ludovicum recurrit, obsecrans, ut eum viseret. Fecit id Beatus, manumque illius capiti imponens jussit illum spem suam in Deo reponere, fore ut velociter convalesceret; dumque sanatus esset, ad sacellum S. Vincentii in ecclesia Prædicatorum accedere; isque illico evasit incolumis. Domina Anna Beluis ultra modum

B patiebatur e malo cordis, jamque a quindecim diebus nec dormire potuerat, nec quiescere. Recurrit ad B. Ludovicum, qui ei donavit Rosarium, quod ex Indiis se attulisse, aiebat. Dum vero hoc illa accepit in manus suas, omne ab eadem malum abscessit, nec umquam rediit.

iterumque coram archiepiscopo Valentino strumosum

96 Joanni de Huerta Candelaro ingens in collo tumor excreverat, qui ex medicorum chirurgorumque judicio struma erat. Diffidens autem, medicamenta sibi profutura, decrevit ad regem Franciæ se conferre : sed quidam Religiosus, dictus frater Moreno, suasit, ut curaret se a B. Ludovico attingi, et ab eo sibi legi Evangelia, certo asserens, ipsum sanatum iri; perhibente fama publica, eumdem in similibus morbis multa patrasse miracula. Ivit Huerta in Godeglia, ubi Beatus apud dominum patriarcham morabatur, ambosque ad quamdam fenestram sedentes reperit; et ab his rogatus, quid sibi vellet, respondit, se illuc advenisse, ut a Ludovico trangeretur, isque preces pro se diceret. Quare patriarcha Beatum monuit, ut

C virum solaretur. At Servus Dei excusavit se, causatus, suæ illustrissimæ dominationis esse benedictionem suam illi impertiri. Sed denuo jussus obedivit, infirmo bene precando, additis etiam consuetis suis precibus. Nec mora in uno puncto temporis tumor evanuit, atque ipse sanus evasit, nec posthac similem infirmitatem expertus est.

sanat,

97 Cum Violanta Juncar, virgo annorum quadraginta quinque, gravissima febri conflictaretur, propter quam jam septies diminutus ei sanguis erat; jussit medicus eam Ecclesiæ Sacramentis muniri, quod moritura esset. Confessam sacraque Eucharistia refectam B. Ludovicus eodem vespere sero invisit; comperiensque, infirmam præ nimio malo non posse loqui, manus oculosque elevavit ad cælum, ac deinde ei dixit : Ne dubita, quin Deus te adjuturus sit; simulque cœpit ipsa loqui, ac denuo confessa fuit. Mandavitque ei Beatus, ut, dum egressura esset, sacram Eucharistiam iterum sumeret : itaque postridie se bene habuit. Eadem Violanta quodam alio malo valde molesto afflicta, beatum Ludovicum consuluit, qui respondit, ut quidam personæ se curandam committeret. At cum apud hanc nihil proficeret, ad Beatum rediit, qui malum Cruce signans, eam illico sanavit. A. Avignono.

98 Aliquando beatus Bertrandus cum patriarcha in loco, Torrente dicto, una leuca Valentia dissito, degens, quodam vesperi una cum frater Michaële Herrero per agrum versus fontem ambulans agricolæ, nomine Luca Blasco, obviavit, cui postquam pro more suo aliqua pia dixerat; iste exposuit ipsi magnam aquæ penuriam, quod tum a sex mensibus non pluisset cum ingenti terræ detrimento, ob quam causam per totum Valentinum regnum multæ processiones institutæ fuerant. Significavit etiam, multum damni secuturum esse, nisi quam primum plueret; ac suas denique preces addidit, ut Dei misericordiam huic regno imploraret. Tanta necessitate pie motus Bertrandus, elevatis in cælum oculis, oravit, quanto tempore quis Symbolum Apostolum bis recitaret, formatoque versus aërem signo Crucis, lacrymabundus ait : Confidamus in Domino nostro, fore ut aquam tribuat. Quamvis autem cælum tunc serenum esset, et sine ulla nube, paucis tamen E horis post cœpit obduci, deinde leniter pluere, ac denique imbres effundere tota ea nocte dieque subsecuto tam abundanter, ut terram opportune irrigaverit. *pluviam impetrat,*

99 In eodem loco de Torrente fons est, qui arida tempestate solet aquis minui, ac nonnumquam etiam penitus deficere. Ex eo prædicta occasione bibit B. Bertrandus eumque benedixit : ex quo tempore hactenus numquam amplius defecit, sed semper fluxit, etiam tempore extremæ siccitatis, ex qua alii fontes exaruerunt. Franciscus Vaziedo notarius, ex acuta febri pessime affectus et in mortis periculo constitutus, misit, qui B. Ludovicum precarentur, ut se visere dignaretur, fretus, se ejusdem patrocinio sanandum. Venit ille humaniter, dumque infirmi cubiculum ingrederetur, jussit ipsum bene sperare, fore ut Deus ipsi vitam et incolumitatem largiretur, ut filiis suis posset prospicere : lectoque Evangelio, ille brevi post sanitatem recepit, viditque filios suos matrimonio junctos, multis annis superstes. *fontem aquarum perennitate donat,*

100 Castellana Vazieda, uxor doctoris Hieronymi Pasquali de Bonanza, consiliarii regis in regio tribunali Valentino, eo deducta fuerat, ut a medicis derelicta esset et destituta sensibus. Ejus pater Franciscus ivit ad B. Ludovicum precaturus, ut eam inviseret : cumque tunc ageretur sollennitas Assumptæ in cælos Deiparæ, invenit ipsum sero in ecclesia cathedrali paulo antequam inciperet processio; et desperatum suæ filiæ statum indicavit. Respondit is, se post peractam supplicationem venturum; ipse interim veniam a patre Priore petere. Invisit illam, lectisque Evangeliis dixit : Hodie festum est Assumptionis Matris Dei, quæ tibi vitam et sanitatem obtinebit; hæc dicens manum suam ejusdem capiti imposuit, ipsaque eodem momento temporis aperuit oculos, sensusque recepit, ac paulo post potuit se cibo reficere, recteque convaluit. Ludovica Panes, virgo, nepotem suum, puerum, febri strumisque laborantem, comitante Anna Marco, ad B. Ludovicum attulit, qui in ecclesiam veniens, legit Evangelia, ipsumque attigit. Eo ipso die abscessit febris, ac brevi post etiam strumæ. *sensus a medicis relictæ reddit, febrim et strumam,*

A. Avignono. *vulnus lethale sanat, febrim, variolas,*

101 Quodam marchionissæ de Navarres alumno, lethaliter vulnerato atque indies deficiente, misit illa clericum, Lucam Porsina nominatum, ad dominam Hieronymam Vives, ut singulum, unum ex istis, quæ B. Ludovicus portaverat (quod fecerat triennio vel quadriennio ante obitum suum) sibi commodaret; quo infirmi capiti imposito, cœpit hic illico se melius habere, et intra paucos dies omnino incolumis evasit. Mariæ Joannæ Boil, maligna febri variolisque purpureis correptæ, filius Vincentius Folches ad venerabilem patrem, fratrem Nicolaum Factor, Ordinis S. Francisci, recurrit, supplicans, ut matrem inviseret. Respondit hic, ut vice sui B. Ludovicum Bertrandum arcesseret; et, si is recusaret, precaretur ipsum nomine Dei, infirmæ, ipsiusque B. Nicolai. Accessit ad illam B. Bertrandus, et post prælecta de more Evangelia, etiam manum suam ægræ capiti imposuit; quam dum Beatus retrahebat, alta voce clamabat infirma (ignara, cujus manus esset) ne amoveretur, quia tantopere leniebat malum suum, ut alterius esse nequiret, quam
B S. Vincentii Ferrerii. Eodem tempore cœpit convalescere, perrexitque pristinæ sanitati restitui.

ustulatas corporis partes sanat; strumam, malum contagiosum,

102 Philippus Folches in secretis corporis partibus ustulatus in morbum incidit; sed cum Beatus ipsi bene precatus fuisset atque aliquot preces pro eo recitasse, jussissetque bene sperare, fore ut malum non progrederetur, mox cœpit minui is vehemens ardor, itaque perrexit convalescere, ut intra breve tempus incolumis factus sit. Alphonsus Lopez de Victoria septem annos strumis afflictus, cum non posset inducere in animum, ut, relicta domo sua, curationis gratia ad regem Franciæ pergeret, cogitavit de curanda Missa, ad altare Rosarii per patrem fratrem Ludovicum Bertrandum celebranda, rogavitque æditumum, ut id fieri curaret, spondens Matri Dei collum argenteum. Celebravit Missam B. Bertrandus, prælegit Evangelia, eumque attigit, moxque diminutum malum est, ac brevi post perfecta sanitas subsecuta fuit. Angela Bayarri a B. Bertrando modicum vini albi petiit ad lavandum caput puellulæ, malo contagioso laborantis; quo facto, semel tantum lota convaluit.

C *auriginem, excitatem, g*

103 Augustinus Naves, artis inaurandi peritus, jam a biennio malum, quod Aliacran *g* appellant, passus fuerat, videbaturque paulatim deficere, sine spe remedii. Accessit B. Bertrandum, ut pro se intercederet eoque ad altare reperto, exspectavit, donec Missa finiretur. Tum, nihil hactenus cuiquam locutus, vocatus ab illo est, qui jussit eum in genua procumbere, aliquot preces fudit, eumque tetigit ac benedixit. Quibus peractis, ille liberum se expertus malo est, adversus quod prædicto biennio multa fuerant medicamenta, sed in vanum, adhibita. Quidam fabro argentario, Alfagiari nomine, plane cæco, aliquando in platea obvius factus B. Bertrandus dixit, ut se divinæ Majestati commendaret, et ad conventum Prædicatorum conferret. Ivit eo cæcus; ubi post recitatas a Beato preces, tactosque oculos, visum subito recepit.

pravam orexin et strumas

104 Hieronymam Augustinam virginem insolitus corripuerat appetitus albas parietum crustas comedendi, quod cum ex quadam amica sua audisset, peccatum mortale esse, abstinuit; sed, perseverante eodem tam extraordinario appetitu, adeo debilis et deformis facta est, ut aspicientibus nauseam crearet. Eam amica sua D
ad B. Bertrandum duxit, qui confessionem excepit, illamque consolatus est, dicens, se Deum oraturum, ut tam insolitum appetitum eximeret; quo et ab eodem momento ipsa imposterum liberata fuit, et incolumis, ut antehac, domum reversa est. Joannes Cas, lanius, tres proles habebat, duos masculos, unam feminam, omnes strumis infectos, quos mater ad B. Bertrandum adduxit, ut suam illis benedictionem impertiret. Hic post celebratam Missam eos tetigit et Evangelia legit; quod etiam postridie præstitit. Tertio vero die, cum rursus attigisset, dixit, non esse necessum eos denuo adducere: itaque factum est, iidemque brevi omnino convaluerunt.

a variis depellit, sanguinis fluxum,

105 Cum Sperantia Bernardo duos filios e strumis mortuos amisisset, ac duo alii, qui supererant, non obscura ejusdem mali indicia proderent, eos ad B. Bertrandum tangendos adduxit. Illorum unus ad primum contactum, alter ad secundum sanati fuere. Quam ob causam ipsa tantam erga illum devotionem concepit, ut postea in altera diversa infirmitate, in- E
tumescente collo suo, cum Beatus jam excessisset e vivis, curaverit male affectam partem frustulo vestimenti illius attingi, malumque illico evanuerit. Barbara Abarca e fluxu sanguinis quatuordecim mensibus in lecto decubuerat, eoque reducta erat, ut integros dies sine cibo exigeret, et extrema Unctione munita esset. Invisit illam B. Bertrandus, jussitque sperare, se ex eo malo non morituram; et post quatuor dies sanata fuit. Isabella Abarca, juvencula annorum quatuordecim, strumas patiens, una cum Barbara, amita sua, B. Bertrandum invisit, qui tum temporis erat in confraternitate Domini nostri, a quo jussa genibus incumbere, post recitatas preces tactumque ab illo collum, se melius habere sensis, et intra paucos dies prorsus incolumis evasit.

et ischiacos dolores sistit.

106 Frater Jacobus Ordognez, Ordinis Prædicatorum, jam per octodecim menses in coxendice dextra tam acerbis ischiacis doloribus cruciatus fuerat, ut non solum non incedere, sed neque manducare, neque dormire valeret. Quo in tormento versans, obsecravit fratrem Joannem Lescano, qui Beato inserviebat, ut, F
priusquam Servus Dei moreretur (factum hoc est eodem die, quo ille ad meliorem vitam migravit) procuraret sibi opportunitatem, qua ab ipso tangeretur, certo confisus, se sanandum. Itaque frater Lescano infirmum in brachia sustulit, elevatoque linteamine lecti, in quo decumbebat Bertrandus, male affectam Jacobi partem ejusdem Beati cruribus admovit. Nec mora sensit Jacobus dolores mitigari, et melius se habere perseverans, intra triduum ex iis sic convaluit ut numquam correptus deinceps fuerit.

ANNOTATA.

a *Vide annotata in Vitam primam cap.* 2, *lit.* r.

b *Antistius supra num.* 95 *ait:* Non minus sexaginta.

c *Vide Annotata in Vitam* 1, *cap.* 6, *lit.* h.

d *Locus est non procul Valentia dissitus, ubi PP. Prædicatores conventum habent.*

e *Regnabat anno* 1568 *in Gallia Ludovicus XIII.*

f *Octo*

A. f *Octo leucis Valentia distante.*
g *Vox Arabica est, Hispanis in usu, auriginem seu malum ictericum significans.*

CAPUT VI.

Testimonia, quæ aliquot servi Dei de illius inter vivos degentis sanctitate dixerunt.

CAP. XI. *P. Mico prædicit fore, ut Ludovicus evadat alter S Vincentius Ferrerius :*

Magister Natalis de Mena, sacræ Theologiæ doctor, qui fuit Rector in Torrente, vir magnæ virtutis et eruditionis, arctam amicitiam cum patre magistro, fratre Joanne Micone coluit, suaque cum illo consilia communicavit. Is, dum junior esset, hærebat dubius, an inter B clerum presbyter fieret, an Religiosus. Consultus ab eo hac super re pater Mico respondit, Spiritus Sancti lumen implorandum esse; rogatusque, ut ediceret, quid sibi expedire videretur, petiit, an patrem fratrem Ludovicum Bertrandum consuluisset. Tunc ille, Non, pater, inquit; iste enim juvenius est (numerabat tunc circiter annos viginti septem eratque magister novitiorum) et hujusmidi negotia cum maturis expertosque viris tractanda sunt. Spondeo tibi, reposuit pater Mico, quamvis tibi juvenis videatur frater Ludovicus, futurum illum hic Valentiæ alterum sanctum Vincentium Ferrerium : tuque id visurus. Ex hoc magister Natalis B. Bertrandum imposterum semper magni fecit, cum eoque vitæ suæ gesta communicavit. Visis quoque, quæ illius obitum subsecuta fuere, miraculis, auditaque de iisdem sparsa fama, agnovit, ea, quæ a patre Micone dicta fuerant, vera esse, verumque illius fuisse vaticinium. Idem magister Mico, jam moribundus, Religiosis tam boni patris amissionem flentibus dixit : Consolamini vosmetipsos, dilecti fratres : habetis enim virum sanctissimum, patrem fratrem Lu- C dovicum Bertrandum, alterum S. Vincentium Ferrerium.

Pius quidam eremita eum Angelum,

108 Quo tempore B. Bertrandus habitabat in conventu Albaydæ, invisit illum senex eremita, qui in loco solitario, decem leucis a dicto S. Annæ conventu dissito, degebat vitam cum fama sanctitatis; quia omnia sua distribueret in pauperes, incedebat nudis pedibus, unica tunica induebatur, gestabatque in manibus Breviarium et Rosarium. Cum vero ad portam conventus, ubi Beatus habitabat, pervenisset, inclinavit se in terram, ut ejusdem pedes, quem numquam ante viderat, oscularetur, exclamavitque alta voce : Angelus Dei es tu, frater Ludovice Bertrande; angelus Dei es! O qualem sedem, qualem gloriam Deus tibi paratam servat! Post hæc de rebus spiritalibus cum eo agens, substitit ibidem eremita toto triduo, singulis diebus de peccatis suis confessus, sacraque Eucharistia refectus. Rogatus autem Bertrandus ab Hieronymo Abeglia, quid sibi de isto eremita visum fuisset, respondit : Vidi hominem severæ pœnitentiæ, multæ orationis et arctæ paupertatis.

109 Dum B. Ludovicus Prioratu fungebatur in conventu S. Onuphrii, accessit ad ipsum ex Castella alter eremita, motus fama sanctitatis, quæ de eo ferebatur, procubuitque in genua ad osculandos pedes, quod Beatus pariter fecit. Cœpit eremita ei dicere, illum esse magnum Prophetam, et alterum S. Vincentium Ferrerium; cumque Beatus niteretur ipsi significare, non esse se illum, quem dicebat; reposuit eremita : Tu est ille Propheta, et non alter; et erexit se in pedes. Absoluto autem colloquio, B. Bertrandus fratri Cabrerizo, qui coram aderat, inquit, quæcumque dixerat eremita, prophetias esse. Beatus pater, frater Nicolaus Factor, cujus sanctitas et miracula tam manifesta in regno Valentino et universa Hispania sunt, B. Bertrandum tanto in pretio ac veneratione habuit, ut sæpe, dum infirmum aliquem graviterve afflictum haberet, eum ad ipsum mitteret, velut ad virum, qui apud Deum multum valeret; variisque in occasionibus, præter ea, quæ E jam retulimus, pro sanctitate ejusdem testimonia dixit.

A. AVIGNONO. *alter item eremita magnum Prophetam, alterumque S. Vincentium nominat : sanctitatem ejus factis verbisque mirifice*

prædicat P. Nicolaus Factor, futuræ ejus gloriæ testis,

110 Biennio ante obitum B. Bertrandi invisit illum in cella sua beatus pater frater Nicolaus, præsente Gasparo Joanne Perez, setarum restione, ubi dum isti duo Servi Dei sancte colloquebantur, B. Nicolaus tribus horæ quadrantibus in ecstasi perstitit, ac deinde suis sensibus restitutus magno cum gaudio ad B. Bertrandum ait : O frater Ludovice, Deus vestræ paternitati sedem inter Seraphinos paratam servat; Bertrandus vero humillime dixit, ne Paternitatis titulo compellaret se; quippe qui minimus frater et magnus peccator esset. Cum B. Bertrandus in quodam sermone publico, in ecclesia cathedrali Valentiæ habito, tractans ecstasibus et mentis raptibus, dixisset, quamvis suis temporibus aliquando contingerent ejusmodi raptus boni, esse tamen ejus generis, quæ non sunt evidentia signa sanctitatis, eosque posse naturales esse, atque veneni quidpiam continere, allegans hunc in finem S. Vincentium Ferrerium in Tractatu de vita spiritali cap XII, ubi opinatus fuit, multos sui temporis raptus ope dæmonis contigisse; cum (inquam) hæc Beatus dixisset, fuere, qui crederent, voluisse illum beati fratris Nicolai ecstasim insi- F mulare; idque illi retulerunt.

cui summo in pretio fuisse S. Ludovicum,

111 Verum is pro sua humilitate propterea minime offensus B. Bertrando fuit, sed ad eum invisendum accessit, cumque apud eum toto pomeridiano tempore mansisset, ab eodem detentus fuit ad cœnam cum Religiosis in triclinio sumendam. Nihilominus B. Bertrandus visus non est B. Nicolao solita amicitiæ indicia sibi exhibuisse, nec tam affabilis fuisse, quam antea. Quam ob causam B. Nicolaus in suum reversus conventum sequentem epistolam ad ipsum scripsit die XVIII Augusti in vigilia S. Ludovici episcopi, Ordinis Seraphici S. Francisci *a*, in qua insigne testimonium de illius sanctitate posuit, eumdemque SANCTUM ET ANGELICUM appellavit.

" Meo multum dilecto patri fratri Ludovico
" Bertrando in conventu Prædicatorum.
" Jesus, Maria.
" Sancte mi in vulneribus Jesu Christi.
" Gratia et amor et charitas Spiritus Sancti ha-
" bitent in anima vestræ charitatis, istudque
" angelicum pectus in amore dulcissimi Jesu
" inflammet

A. Avignono. „ inflammet. Hac ipsa hora, qua in S. Anto-
„ nino, devoto meo historico, legebam de gra-
„ tia elevationum spiritus et ecstasium Ange-
„ lici doctoris S. Thomæ Aquinatis, oblata
„ occasione per hunc latorem tibi scribendi,
„ dico, mi Pater, de amica acceptione, nuper
„ in ista domo mihi præstita. Deum mihi te-
„ stem esse, venisse me cum eadem simplici-
„ tate animi, qua charitatem vestram semper
„ invisi; neque umquam mihi subiisse ullam
„ adversus Bertrandum meum suspicionem, nec
„ quidquam aliud, quod animum meum turbare
„ posset.

paret ex litteris ejusdem, 112 „ Quam ob rem nec apud dominum pa-
„ triarcham, nec apud quemcumque conquestus
„ fui, ullumve indicium feci exiguì amoris;
„ nec vel minimam fidem adhibui ei, qui mihi
„ retulit, te adversus me concionatum esse:
„ nam, etsi id verum fuisset, exercitii spiritalis
„ loco habuissem. Et sicut hoc dico charitati
„ vestræ, ita amicus Dei sim; et egressus
„ ex ista sancta æde sum majori devotione
B „ accensus, quam dum ingressus sum; fuis-
„ setque mihi gratum, si benedictio per re-
„ liquias S. Vincentii impertita fuisset; sed ad-
„ verti, charitatem vestram visam esse a me
„ fugere. Ac facile credo, Angelum fugisse a
„ dæmone, qualis ego sum, imo etiam pejor
„ magisque abominandus. Quamquam vestra
„ charitas parum aspere me habuerit in isto san-
„ cto triclinio, istud caput piscis manducans,
„ affuit mihi deinde consolatio a patre meo S.
„ Dominico, sanctoque Vincentio, quæ minime
„ parva fuit.

quæ hic 113 „ Ad magnam Dei gloriam dico; sive in
„ intellectu fuerit, sive in visu corporeo; Deus
„ novit. Pater, pater, pater, a quo times? Ne
„ metue, Pater; Deum habemus, et veritatem
„ ejus; nihil est timendum. Et quis dicat,
„ animæ quæ de Deo cogitat, continuam-
„ que illius servat memoriam, male esse?
„ Et suspiciosum esse, non placet Deo. Cha-
„ ritas vestra Catholicus es et servus Dei.
„ Oramus divinam Majestatem, ut te servet,
„ et sub divina manu te protegat. Pro me,
„ supplico, Deum ores, ut me faciat servum
C „ suum; et prædica contra me, me esse dæ-
„ monem. Deo gratias ago, quod quidem
„ pater magister me quinquies per S. Franci-
„ scum adjurarit, et charissimus meus Bertran-
„ dus fugerit me. Quod si mihi nunc propi-
„ tius non esset, nec fiduciam faceret meus
„ S. Vincentius Ferrerius, quo me verterem?
„ Confido, dominum meum S. Vincentium non
„ futurum mihi ingratum; Sancti enim non
„ sunt tales.

dantur, 114 „ Pater, Pater, Pater, cur me deseris?
„ Cur me fugis? Ego autem veniam quotidie
„ te visurus, istosque favores excepturus; et
„ quando non, adest ista sancta porta, a qua
„ pater janitor me, velut pauperem, non re-
„ pellet, dumque minime putabitur, videbunt
„ inter pauperes manducantem, quod jucundis-
„ simum mihi est. Hodie Deo obtuli vitam
„ Jesu Christi ex ictibus meis, quod Deus ac-
„ ceptum habere velit. Magnum gaudium sensi
„ cænando inter tot angelicos, qui in ea sancta
„ æde sunt. Videbar mihi esse sathan inter fi-
„ lios Dei. Ora Deum pro me, sancte Ludo-
„ vice Bertrande. Crastina est vester Sanctus,
„ ac etiam meus. Unum crede, me, quando
„ ad te visendum venturus sum, prius de pec-
„ catis meis confessurum. Tuus in Domino Je- D
„ sus Christo crucifixo iste abominandus draco
inferni

„ Frater Petrus Nicolaus Factor. „ *cum Avignoni in illas observationibus.*

115 Observandum ad hanc epistolam est, beatum fratrem Nicolaum fervori spiritus totum intentum quædam in scribendo imperfecta reliquisse. Quod de S. Dominico sanctoque Vincentio Ferrerio innuit, est, quod, quando in prædicto conventu cœnavit, viderit cum aliis Religiosis assidentes mensæ ac pariter cœnantes duos istos gloriosos Sanctos (uti ipsemet narravit B. Ludovico, hujusque fratri domino Jacobo Bertrando) quibus erat devotissimus, ac specialiter S. Vincentio. Quod ad confessionem, antequam B. Ludovicum invisurus esset, præmittendam spectat, id ait, quia tantopere eum venebaretur, tantam conceperat de ejusdem perspicacitate in penetrandis cogitationibus opinionem, ut, quoties ad eum accessurus erat, prius confiteretur: quod ipse quoque met dommo patriarchæ aliisque declaravit. Per oblatam Christo vitam significat, flagellasse semet ipsum triginta tribus infictis ictibus, quot annis E Christus inter nos in terra vixit; atque interim pro B. Bertrando orasse.

Idem Nicolaus S. Ludovici cellam 116 Altera occasione idem B. Nicolaus, B. Ludovicum invisens, insigne de sanctitate illius testimonium dedit hoc modo. Ad Prædicatores procedens, in planitie istius conventus obvium habuit clericum amicum suum, Lucam Porsina, quem secum duxit. Ingressi conventum, cum pertigissent ad portam, per quam e claustro itur ad dormitorium, invenerunt B. Ludovicum, sibi obviam procedentem, ut B. Nicolaum exciperet, ubi postquam se magno cum amore et charitate complexi fuerant, dixit B. Ludovicus: Pater, frater Nicolae, bene venerit paternitas vestra. Ego scribebam sermonem, quem Dominica proxima ad populum habere debeo, et incidente mihi cogitatione, paternitatem vestram venire me visum, veni obviam. His dictis, nitebatur uterque alterius manus osculari; cumque id neuter posset, ambo in terram prociderunt, ut osculentur pedes, et postquam aliquantulum certassent, tandem ad cellam S. Vincentii iverunt, ubi flexis genibus orationi incubuere, F præsentibus prædicto clerico, et socio B. Nicolai, fratre Pedro appellato, qui ambos Dei Servos spectarunt magna luce circumdatos, quæ illos sic tegebat, ut eos non amplius viderent.

honorandum prædicii. 117 Tali modo ibidem paulisper morati iverunt ad cellam B. Bertrandi, in qua dum de rebus cœlestibus more solito colloquebantur, beatus Nicolaus duabus horis in ecstasim raptus hæsit, quo interim tempore B. Ludovicus collocutus cum clerico est, præclara de B. Nicolao referens, eumque velut insignem Dei servum laudans, asseruit, ipsum in hac civitate regnoque pro Sancto honorandum esse. Sensibus suis redditus B. Nicolaus abeundi veniam petiit, quod jam serum esset, et deducenti B. Ludovico, dum ante cellam S. Vincentii pertransirent, dixit ei: Non post multos annos videbimus in hoc dormitorio alterum cellam veneratam, ut hanc, et ea erit Paternitatis vestræ. Tum B. Ludovicus, honesto rubore vultum tinctus, oculisque in terram dijectis, ait: Dicit hæc paternitas vestra ad humiliandum hunc magnum Peccatorem; et paterni-

tas

A tas vestra, dum crastino mane confessura est, habebit et hoc, de quo se accuset. Verissima fuit ipsa prophetia; nam paucis post B. Ludovici obitum annis illius cella mutata est in oratorium, in ea Missæ celebratæ fuerunt, pie visitata fuit, quemadmodum cella B. Vincentii. Altera insuper occasione in publica concione B. Nicolaus hæc verba clare edixit: Non sum ego sanctus, sed frater Ludovicus Bertrandus certe est. Post mortem autem B. Ludovici præclara de eximia illius sanctitate ac gloria dixit, quæ sequenti capite XIX narrabimus.

ANNOTATA.

a *Tolosani, de quo actum est tom.* 3 *Augusti ad diem* XIX *ejusdem mensis.*

CAPUT VII.

B *Corporis infirmitates, quas Sanctus passus est, et quædam mirabilia, quæ ante ejus obitum contigerunt.*

CAP. XII. *Ab ineunte ætate infirmitates pati solitus.*

Visus est Deus nullum firmæ valetudinis voluisse beato fratri Bertrando diem concedere, ut tanto majori præmio patientia ejus potiretur in cælo, et cum S. Paulo gloriari posset infirmitatibus suis *a*. Ab ipsa infantia vixit infirmus, et in Religione, cujus observantiæ multo asperiores sunt, quam alii credant, accesserunt semper novæ infirmitates. Fuit valde myops, et auditus debilis, ac medelæ gratia multa remedia expertus fuit, et magnos sustinuit cruciatus. Multis annis dolorosam plagam in crure passus est; vehementi capitis vertigine laboravit. Duobus postremis vitæ suæ annis fluxus ventris perpessus est, nec ullum profuit remedium; ac proinde erat C semper debilis ac pallidus, habebatque oculos nonnihil depressos, sed tanto spiritu plenus erat, ut, cum vel tantillum minus male se sentiret, resumeret exercitia et corporis castigationes in Ordine solita, aliaque multa, quæ his addebat; ac propterea cito relabebatur in morbum.

aliis, qua caruit ipse, sanitatem dedit;

119 Ut hisce infirmitatibus mederentur, cognati amicique ejus multos medicos advocarunt, et extraordinariis medicinis usi sunt; verum hæc omnia tandem non valuerunt, nisi ad eum cruciandum. Quare aliquoties dicebat cum lacrymis: Ah, permittite Deum agere, et ipse faciat voluntatem suam. Inter hæc, agente Deo, mirabile erat, videre devotionem plurimorum accedentium ad sanitatem expetendam ab eo, qui ea numquam fuerat gavisus. At non erat magnum quid, si ipse, quam non habebat sibi, aliis daret; quia non dabat in nomine suo, sed Jesu Christi, omnis salutis omniumque bonorum fontis. Solebat recitare super infirmis orationem, a S. Vincentio pariter usitatam, quam supra dedimus *b*, quaque multos sanabat, ut etiam dictum est: sed ut suæ propriæ valetudini mederetur, dicebat istud S. Augustini: „ Domine, hic ure, hic seca; ut „ in æternum parcas. „ Alias etiam aiebat: „ Domine, hic non parcas, ut in æternum „ parcas. „ Satisfecit Deus desiderio ejus, cum (ut supra dictum est) nullum integræ sanitatis diem duxerit; et pro insigni patientia, quam in morbis suis semper exercuit, Deus concessit ei gratiam sanandi alios.

b

A. AVIGNONO.

120 Ineunte anno MDLXXXI, postquam in die *anno 1581* Epiphaniæ in majori ecclesia civitatis, et Dominica sequenti in ecclesia templi, rogantibus Magistro Montesæ, et uxore ejus marchionissa de Navarres, ipsi addictissimis concionatus fuerat, veteres ejus infirmitates tantum auctæ fuere, ut omnino inhabilis fieret ad prædicandum, ut condixerat, per proximam Quadragesimam in parochiali ecclesia S. Stephani, in qua baptizatus fuerat Servus Dei; quam ob rem patrem magistrum, fratrem Vincentium Antist rogavit, ut vices suas subiret; quod iste admisit, Beati orationibus fretus, quibus etiam maxime adjutus fuit. Tempore Quadragesimæ mala ejus tantum invaluerunt, ut patres conventus illius deliberaverint de ad- E ministrando ipsi sacro Viatico; quod et fecere, assistente domino Joanne de Ribera, patriarcha Antiocheno, qui ipsum tenere amabat, eique continue adfuit. Astiterunt insuper dominus Michaël de Spinosa, Marrochianus episcopus, et gubernator dominus Jacobus Ferreri, cum aliis viris illustribus, ac primæ conditionis personis. Priusquam sanctissimum Sacramentum susciperet, Bertrandus prolixam protestationem præmisit, sanctam fidem Catholicam, et quidquid credit sancta Romana Ecclesia, confessus, multisque cum lacrymis misericordiam a Deo petiit per merita passionis Jesu Christi, et intercessionem Matris ejus semper Virginis Mariæ.

Ecclesiæ Sacramentis munitus,

121 Invocavit præterea choros Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virginum. Posthæc peculiariter se sancto patri Dominico, et omnibus sanctis fratribus Ordinis sui, qui in cælo sunt, commendavit, nominatim exprimens S. Petrum martyrem, S. Antoninum, S. Thomam Aquinatem, sanctumque Vincentium Ferrerium. Tum paulisper moratus, subjunxit: O pater sancte Vincenti, F pater mi, pater mi, „ Currus Israël, et auriga „ ejus *c!* Deinde invocavit S. Raymundum, S. Catharinam Senensem; ac postea S. Franciscum, omnesque sanctos fratres ejus: S. Augustinum, S. Benedictum, S. Brunonem, omnesque Sanctos Sanctasque Ordinum eorum; ac denique omnes beatos spiritus cæli; precatusque Deum est, ne sententiam corporalis mortis suæ revocaret. Hæc ac similia alia proferebat B. Bertrandus tanto cum fervore, ut, quotquot aderant, solverentur in lacrymas. Post sumptam Eucharistiam amplexus illum patriarcha est, dextereque e digito ejus abstulit annulum osseum, quem Bertrandus ratione infirmitatum suarum gestabat.

puellæ nobili,

122 Tam graviter decumbente Servo Dei, domina Isabella, filia nobilis domini Joannis Boyl de Arenos, tam vehementer ægrotabat, ut medici eam non ultra quatuor horas supervicturam, pronuntiarent. Ob quam imminentem jacturam ægræ, graviaque damna tranquillitati pacique familiæ inde secutura, decrevit illius pater B. Bertrandum convenire, ut opem ferret in tanto periculo. Advenit ad conventum

A. Avignono. ventum tribus horis ante mediam noctem; et quamvis sciret, Dei Servum pessime se habere, eoque jam adductum, ut nemini posset loqui, invenit tamen patrem magistrum fratrem de Salamanca, qui, intellecta gravi necessitate, introduxit illum in cellam B. Bertrandi, qui Crucifixum manu tenens, facieque conversus ad parietem angustiabatur.

mortiproximæ sanitatem impetrat:

123 Is strepitum audiens, verso vultu, conspexit dominum Joannem, qui ad ipsum ait: Mi Pater, da veniam mihi, quod hac hora veniam: afflictio gravis, qua premor, coëgit me esse tam importunum. Cumque inciperet luctum suum breviter exponere, Beatus illum sedere jussit, tamque tranquille, acsi minime ægrotasset, multa rei adjuncta quæsivit, ac deinde dixit: Domine Joannes, dominatio vestra tranquillo sit animo, sciatque, filiam suam ex eo morbo non morituram: Deus enim incolumem præstabit: dicatque illi, ut denuo confiteatur et sacram Eucharistiam sumat in gratiarum actionem. His dictis, faciem suam rursum ad parietem convertit, ut ante, et
B animam agere cœpit. Advertens dominus Joannes, eum nihil amplius respondere, manus ejus osculatus est, et domum suam rediit. Nondum pervenerat, ubi ægra decumbebat, cum renunciatum ei est, suam filiam se melius habere et loqui. Ingressus cubiculum, Sume animos, chara filia, dixit, quia ex hoc malo non morieris; adjecitque cetera; ipsaque brevi integram sanitatem recepit.

paululum convalescens, sacris operam dat; recrudescentis mali

124 Paulo etiam melius se habuit Beatus, et quotiescumque exiguæ vires permitterent, surgebat ad celebrandam Missam in sacello S. Vincentii; quamvis aliquoties accideret, ut, finita Missa, deliquium animi pateretur, non propterea abstinebat a celebrando postridie. Admonitus a Religioso, ut maneret in lecto, quod surgendo mortem sibi acceleraret, reposuit: Mi frater, Sacramenta Ecclesiæ neminem occidunt, sed juvant ad salutem, non solum corporis, verum etiam spiritus, quando sic convenit saluti animæ. Medio mense Maio malum ejus tam vehementer recruduit, ut solo liquore admodum alibili sustentaretur. Acer-
C bissimos per totum corpus patiebatur dolores, tolerabatque patienter et hilariter, dicens, licet sentiret sibi dividi pectus, conteri ossa, secari crura, hæc tamen toto mundo sibi cariora esse, quod magna misericordia esset donumque sibi a Deo destinatum.

dolores patientissime tolerat; quotidie peccata confessus, Eucharistiam sumit,

125 Audiens illum nonnumquam lamentantem dominus patriarcha, et sui corporis agitatione magnum indicare cruciatum, ait illi: Pater frater Ludovice, an non contentus eo es, quod Deus tibi mittit, volens, ut aliquantum patiaris e multis, quæ ipse pro te passus est, ut purior ex hoc mundo recedas? Revera, domine, respondit ille, nolim ego hos dolores quocumque terræ bono commutare; et erubesco, quod Dominus noster tantos mihi immerito favores præstet, qui magnus peccator sum; additditque istud suum consuetum dictum: „ Domine, hic ure, hic seca etc. „ Pium erat videre, ipsum non tantum quotidie de peccatis suis confitentem, sanctamque Eucharistiam sumentem, sed duas insuper horas, unam mane, alteram vesperi, orationi dantem. Rogaverat autem nosocomii curatores, ne iis temporibus quemquam intromitterent, ne impediretur, et exhortabatur eos, ut nullum sibi D
elabi diem sinerent, cujus non aliquam partem impendissent orationi, quod hæc alimentum animæ esset, et occasio augmenti omnium virtutum.

ac Sanctos invocat,

126 Adverterunt nosocomii curatores, post fusas preces ad gloriosissimam Virginem Mariam, cujus imaginem semper habebat, invocare solitum multos Sanctos canonizatos, multosque Religiosos, in eodem conventu superioribus annis mortuos, ac specialiter beatum martyrem et reformatorem fratrem Dominicum de Monte-majore, venerabilem patrem Micone, fratrem Michaëlem de S. Dominico, fratrem Laurentium Lopez, fratrem Bartholomæum Pavia, fratrem Bartholomæum della Costa, confessarium suum, et fratrem Carolum di Mencos, ex Tafalla *d* oriundum, paulo *d*
ante mortuum ætatis annorum viginti, quem B. Bertrandus Angelicum appellabat, dicebatque de eo: „ Eripuit eum Dominus, ne malitia *e*
„ immutaret intellectum ejus *e*. „ Aliquoties amici illius ad eum recreandum curabant apud ipsum musicam fieri, quo tempore ille, ut cæ- E
læstia posset melius contemplari, cooperiebat faciem suam, quæ deinde discooperta madebat lacrymis.

fame sitique premitur,

127 Per multos dies acerbam famem et intolerabilem sitim passus est, quia medici non permittebant ipsum bibere et manducare, nisi valde modice, quod, cum extraordinarium illius malum esset, cautissime procedendum censerent: cumque ipse interiori febri, quæ humidum radicale consumebat, laboraret, usque adeo fame sitique premebatur, ut patrem magistrum fratrem Justinianum Antist precatus fuerit, ut per vulnera Jesu Christi induceret medicos, ut in jusculo suo aliquot panis segmenta sibi dari concederent. Quod quidem admirationem movit, hominem scilicet, qui corpus semper tam aspere tractaverat, tunc tam humiliter, ac veluti eleëmosynæ loco exiguum istud levamen expetere. Et vero patuit, B. Bertrandum eo tunc maxime indiguisse, quod rogabat; post sumptum enim cibum extemplo tanto se melius habuit, ut stupori esset, atque ita paulatim aliquantulum convaluit. F

e conventu ad nosocomium clericorum; inde ad archiepiscopi villam transfertur;

128 Ut autem facilius convalesceret, frater ejus, dominus Jacobus, facultatem petiit illum conducendi ad confraternitatem Domini nostri in nosocomium clericorum, cui ipse præerat, ubi dum Beatus hospitabatur, gaudebat solatio, non solum quod patres conventus sui aliquoties ad eum accederent, ut confitentem audirent, sacraque communione reficerent, verum etiam ut ipsemet aliquibus diebus se vestibus suis indueret, Missamque in nosocomio celebraret cum consensu patriarchæ, qui ipsum quoque sæpe invisebat, neque in hac parte, neque in opportunis munusculis ei mittendis cuiquam cessit. Post aliquod tempus medici censuerunt expedire, ut Servus Dei, priusquam calores caniculares ingruerent, mutandi aëris gratia Valentia excederet. Quo audito, patriarcha institit, ut in locum de Godeglia, ubi ipsemet tunc morabatur, se reciperet.

vulgares tantum cibos admittit,

129 Ivit illuc B. Bertrandus, et duobus circiter mensibus hospitatus est: quo interim tempore dignum erat divina laude bonum exemplum,

A xemplum, quod patriarcha præbuit, Beato inserviendo tanta cum sinceritate ac simplicitate, cibumque suis propriis manibus præbendo, non secus atque is alter S. Vincentius Ferrerius fuisset : at Servus Dei adeo turbabatur in admittendis qualibuscumque deliciis cupediisque ut nec is prælatus, nec ulli e nobilibus viris ejus ausi sint quidquam non vulgaris cibi ei offerre, veriti, ne ejusdem sanitati noceret molestia, qua hinc afficiebatur. Repetebat frequenter maximo cum animi sensu has voces : Egone, qui magnus peccator sum, tantam debeo experiri charitatem ac misericordiam ? Probe scio, quid Deus sibi velit illustrissimam dominationem vestram impellendo, ut mihi tantos favores præstes ; id eo facit, ut me magis magisque obstringat, ut incipiam divinæ Majestati suæ servire. Cujuscumque dignitatis conditionisque personam patriarcha penes se haberet, instante hora, qua B. Bertrandus comesturus erat, deserebat eam, ibatque ministraturus infirmo, benedicens mensæ, panem secans et aliquando etiam modicum carnis minutatim
B scindens.

ægræ mortem uti et propriam prædicit,

130 Absoluta comestione, Beatus, qui interim semper silebat, expetebat manum patriarchæ ad osculum, et osculabatur eam. Post cœnam ambo ad quamdam fenestram se conferebant, ubi de rebus cœlestibus tractabant, gaudebatque Beatus oculos suos in cælum fixos habere ; nec immerito, quia hoc ejusdem futurum erat domicilium. Medici nihil omittentes, quo ille perfectæ sanitati restitueretur, dixerunt, ei plurimum profuturum, si modico corporis exercitio uteretur, per montem illum ambulando. Quam ob causam jussit patriarcha fellam fieri, quam duo lecticarii gestarent ; eoque modo die IV Augusti se contulit ad Burgiazor, locum parva leuca Valentia dissitum. Ibi cum sacram Eucharistiam sumpsisset, eam ecclesiam optime instructam cernens, a Joanne Pegliesciero, uno ex ædituis majoribus ecclesiæ cathedralis Valentinæ, qui aderat, petiit, quis eam tam belle exornasset. Respondit hic, id fecisse Mariam Pagliares, uxorem Bernardi Simo, ejus loci dynastæ ; adjecitque : Pater, ora Deum pro ipsa, quia vehe-
C menter ægrotat. Tum Beatus, Joannes, inquit, dic ei, Deiparam ipsi brevi soluturam, quod ipsa ecclesiæ contulit : brevi enim moritura est nec multo post etiam ego. Atque ita contigit ; obiit enim illa in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis, ipse vero die IX Octobris proxime secuto, ut suo loco dicemus.

scapulare, quo usus fuerat, fragrat

131 Postridie duxerunt B. Bertrandum ad conventum patrum Augustinianorum in vico de Rocca forte, ubi, priusquam sacram Eucharistiam susceperat, scapulare illius infectum est macula, eaque occasione pater magister, frater Gregorius Satore, commodavit ei suum : quod ubi postea recepit, sensit tam copioso insolitoque odore (qui octiduo duravit) fragrare, ut magnopere miraretur. Festo Assumptionis B. Mariæ Virginis patriarcha ivit Valentiam prædicaturus ; cumque in loco non fieret Missa præter sollemnem, cui B. Bertrandus ob suam infirmitatem non poterat interesse, summo mane surrexit, curavitque se portandum in Rocca-forte, ubi dictus magister, frater Joannes, ipsum confitentem audiit, et sacra Communione refecit ; ac post hæc Bertrandus reversus in Godeglia est. Prodebat Beatus manifeste, quanta fame sanctissimum Sacramentum expeteret ; cum totis viribus niteretur quotidie accedere ad ecclesiam, quamvis longe ab ædibus dissitam, ut illud susciperet, quod ei passim administrabat dominus patriarcha in Missa, quam solebat coram ipso celebrare. A. Avignono.

Ad nosocomium clericorum

132 Tot amicis obsequiis Servus Dei in ædibus patriarchæ eo usque convaluerat, ut medici sperarent, fore ut integram sanitatem reciperet : at ipsemet semper persistebat in revelatione de morte sua divinitus sibi facta. Cumque ipsi diceret patriarcha, medicos quidem, eum victurum, promittere ; sed tamen vereri propter id, quod ipse anno proxime elapso magistro fratri Petro de Salamanca dixerat ; reposuit Beatus : Domine, recte memini diei, quo id ipsi dixi, et præsto sum, ut exsequatur in me Dominus Deus voluntatem suam. Cum quodam die Beatus sacræ Communionis percipiendæ gratia adiisset ecclesiam Godegliæ, spirante vehementi et noxio vento, tantum incruduit ejus malum, ut reportandus Va- E
lentiam fuerit in nosocomium clericorum, in quo, ut dictum est, frater ejus habitabat.

XIII.
ac dein ad conventum suum reportatur et ex prædictione ejus

133 Invaluit ibidem eum in modum illius morbus, ut patres conventus ejus veriti, ne extra ædem ac sodalitium suum (quod summæ illis afflictioni fuisset) moreretur, apud patrem Priorem, magistrum Franciscum Alemani suis precibus institerint, ut ipsum ad conventum reduci curaret ; quod et magno cum gaudio voluptateque Servi Dei factum fuit, quem in domestici nosocomii cella deposuerunt, in qua per unum mensem ad mortem usque mansit. Ut magna erat de sanctitate Ludovici Bertrandi existimatio, ita multi desiderabant eum videre cum eoque agere, maxime quod pro certo haberetur, illum die festo S. Dionysii ejus anni MDLXXXI moriturum esse : idque erat publicum, quia ipsemet dixerat anno tum proxime elapso, ac sæpius etiam eodem anno ; cujus rei sparsa fama ad multos pervenit ; ac nominatim pater dominus Laurentius Zamora, Cartusianus, Prior conventus Portæ-cæli, audita hac ex patriarcha prophetia, in monasterium reversus sequentia verba annotavit. " Revela- F
" tio. Anno MDLXXXI. In festo sancti Dionysii
" moritur Frater Ludovicus Bertrandus. "

S. Dionysii festo moriturus creditur :

134 Hanc chartam complicatam, sigilloque conventus obsignatam sic inscripsit : " Secre-
" tum in festo Omnium Sanctorum anni MDLXXXI
" reserandum : " mandavitque patribus, penes quos erant claves arcæ communis, ne sine sua licentia chartam istam ante festum Omnium Sanctorum aperirent ; statim tamen post B. Bertrandi obitum, prophetiam jam completam sciens, monachis indicavit, eos jam posse illam legere. Quod dum facerent, vehementer admirati sunt, quod tanto tempore ante tamque certo B. Bertrandus mortem suam scripsisset. Eadem charta a patribus Cartusianis data fuit patri magistro Vincentio Justiniano, qui primus omnium Vitam B. Bertrandi conscripsit.

hinc multus ad illum fit,

135 Vulgata deinde per Valentiam instanti morte B. Bertrandi, concurrerunt magno numero ad eum invisendum, ejusque benedictionem impetrandam, adeo ut nosocomii curatoribus viriliter laborandum fuerit, ut ab ejusdem cella tantam multitudinem omnis conditionis

A. Avignone. nis hominum arcerent. Qui intromitti non poterant, his satisfaciebant, si saltem Rosaria sua stragulum et linteamina ejus attigissent; quibus vero contingebat, ut eum possent videre, se felicissimos reputabant; multæque e principalioribus personis pro singulari beneficio habebant, si ante Beati lectum genibus inniti liceret. Inter plurimos viros nobiles honorificis titulis ornatos, qui B. Bertrandum variis vicibus inviserunt, unus fuit Magister Ordinis Montesæ, dominus Petrus Ludovicus Galzerano de Borgia, filius Gandiæ ducis, domini Joannis, qui, cum deberet abesse Valentia, metueretque, ut eo redux ipsum inveniret in vivis, benedictionem suam ab eo petiit, et ante lectum procumbens in genua, ejusdem Beati pedes magna devotione et lacrymis osculatus est.

invita ejus humilitat, concursus.

136 Haud parum displicuit id B. Bertrando, qui intimo animi sensu ait : Qui fieri potest, ut illustrissima dominatio vestra hoc faciat tam magno peccatori? Id ipsum etiam fecit B dominus Joannes, commendator Major Montesæ, humilem patrem suum imitatus; Bertrandus vero, qui se movere nequiebat, debili sua voce, quantum poterat, se tutabatur. Dignum spectaculum erat ambos cernere lacrymantes, alterum ex pietate, alterum ex humilitate. Cum desiderium istud commune esset, ardebat etiam in feminis; sed hæ claustrum intrare prohibitæ, se conferebant in ecclesiam, ut per alios contiuue dicerent, quæ circa ipsum agebantur.

Religiosæ feminæ divinitus datur, ut ejus pedes osculetur ;

137 In Vigilia S. Dionysii curatôr infirmorum ad B. Bertrandum visendum ingrediens, audivit eum, dolentis instar simul atque admirantis, dicentem : Quomodo huc intrant feminæ? Quod miratus curator est, probe gnarus, id fieri non potuisse; et venienti patriarchæ, ut ei, ut semper solebat, assisteret, narravit ei, quæ audierat. Ingressus autem patriarcha a Beato petiit, qui se haberet. Respondit : Quomodo huc intrant feminæ? Quæ feminæ? ait patriarcha : Beatusque reposuit : Certe feminæ, quæ adfuerunt hoc mane. Tum a patriarcha rogatus, quid illæ dixissent, Nihil, respondit; quod miratus antistes est. Postridie soror Angela Agugliona, Ordinis S. Francisci Religiosa C magnæ sanctitatis, patriarchæ dixit : Dominus noster mihi heri mane, dum devotissime orabam pro patre fratre Ludovico Bertrando, quem desiderabam videre, hanc mihi concessit gratiam, ut potuerim ipsius pedes osculari. Mox recordatus patriarcha est, quæ pridie sibi dixerat ipsemet Beatus; rogataque monacha, an ipsa Beato, hicque illi quidquam dixissent; respondit : Nihil; sed permissum sibi fuisse illius pedes velociter osculari.

idem fit f

138 Hisce mensibus in locum Torrente *f* advenerat infirmus dominus Petrus Angelus Cernovicius, princeps et dux de Sabiaca, et despota Bulgariæ *g*, gravissime afflictus, quod in flore ætatis suæ et in regione procul a suis remota moreretur. At postquam de peccatis suis confessus, et sacra Communione per magistrum Natalem, loci rectorem, refectus fuit, visus fuit tranquillior esse, et consolationem admittere. Paucis diebus post jussit illum rector bono animo esse, ac sperare in Deo, se sanandum. Respondit princeps : Accesserunt ad me duo, qui me Valentiam portarunt ad conventum Prædicatorum, et in cellam cujusdam sancti Monachi (sic enim semper appellabat B. Bertrandum, quoties de illo loquebatur) qui me multum corroborans dixit, moriendum mihi ex hoc malo esse die Dominica. D

g

principi Cernovicio,

139 Hoc responso obstupefactus est rector, gnarus, principem jam a tot diebus non surrexisse e lecto, utque in rei veritatem inquireret, ivit Valentiam et casum multis Religiosis aliisque civitatis incolis narravit; atque ipsum B. Bertrandum adiens, ab eo petiit, si quis princeps illum invisisset. Respondit Servus Dei : Veniunt huc multæ personæ. Ex quibus verbis rector intelligens, Beatum id illibenter manifestaturum, nihil præterea addens, abeundi veniam petiit. His auditis, patriarcha Beatum secreto interrogavit, si quis exterus princeps eum visitasset. Cui ille respondit, ita esse, adjecitque : Bonus vir est, unoque ex hisce diebus migrabit ad cælum. Pater frater Franciscus Ferreri, Ordinis S. Francisci de Paula, cum altero Religioso ad dictum principem visendum accesserat, quo tempore sacrum Viaticum ei administrabatur, eoque peracto, ingressus cubiculum ejus vidit magnam claritatem, sed prin- E cipem, nec in lecto, nec in cubiculo vidit, nisi aliquo tempore post; petensque, quis iste splendor fuisset, responsum ab eo tulit, S. Dominicum sanctumque Vincentium Ferrerium duxisse se ad invisendum sanctum Monachum Ordinis Prædicatorum.

qui pridie obitus S. Ludovici feliciter moritur.

140 Subsecuto Sabbato, quod in diem VII Octobris incidit, princeps, præsente rectore, manus suas ex linteamine exseruit, dicens : Nonne vides, domine rector, quanta cum gloria beatissima Dei Mater in hoc cubiculum ingrediatur? O benedicta! o gloriosa, o pulcherrima Regina cæli, o Domina mea, o dulcedo cordis mei! Unde umquam ego promerui, ut me sic inviseres? Sed quid ego dicam de te, pulcherrime Puerule, qui illius brachiis insides, cujus venustas omnem aliam pulchritudinem superat? Hisce et aliis similibus verbis in ea cælesti visione exsultabat. Postera autem die Dominica idem ipse dixit : Hæc est dies lætitiæ, quia hac ipsa die Deum videbo; ac tribus horis ante mediam noctem denuo confessus peccata sua rectori, ac sæpius repetens hæc F verba Latina : « Jesu, esto mihi Jesus. » Jesu, esto mihi Salvator, et salva me, animam suam cum magno sanctitatis indicio Deo reddidit. Corpus ejus sepultum fuit Valentiæ in sacello B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, uti ipse testamento caverat, quod devotissimus esset B. Mariæ Virgini de Monte Carmelo, cujus habitum portabat : sequenti vero die obiit B. Bertrandus, sicut nunc dicemus.

ANNOTATA.

a 2 *Ad Cor. cap.* 12, ℣. 9.
b *Numm.* 19 *et* 199 *in Vita* 1.
c 4 *Reg. cap.* 2, ℣. 12.
d *Navarræ oppido.*
e *Sap. cap.* 4, ℣. XI.
f *Distat Valentia una paulo amplius leuca.*
g *Natione Apulus, patria Barletensis, professione Carmelita; Heliæ Cernovicchi et Helenæ Castriotæ, ducum comitumque Sabiacæ etc., filius, ut ait Marcus Antonius Alegre in Paradiso Carmelitici Decoris pag.* 419 *et seq.*

CAPUT

A

CAPUT VIII.

Pius obitus, et mox manifestata Sancti gloria.

CAP. XIV. *Mortis desiderium quotidie cælesti pane,*

Cum summo desiderio expectabat B. Ludovicus tantopere sibi felicem diem, quo desideratissimo Dei conspectu portiturus esset, ac vel minimum momentum temporis mille anni videbatur. Die Veneris *a* ante obitum suum rogavit patrem fratrem Joannem Lescano (cui sæpe dixerat, se die S. Dionysio sacra moriturum) quis tunc præsens dies esset, eoque respondente, esse diem Veneris, digitis suis computavit usque ad diem Lunæ *b*, dixitque : Benedictus Deus ! quatuor etiam supersunt dies ! Sed quamquam mors tardare ei videretur, B solabatur se, disponebatque per Panem cælestem, quo roboratus montem gloriæ erat ascensurus. Postquam divinum Sacramentum pro viatico acceperat, quotidie confessus est sacramque Eucharistiam suscepit usque ad diem obitus sui ; hoc servato ordine, ut usque ad mediam noctem qualecumque medicamentum aut jusculum sumeret, sed inde ab ea hora nullo modo poterat induci, ut aliquid alimenti admitteret, exspectans tempus, quo aliquis Missam celebraturus erat in valetudinario et sacram Communionem sibi porrecturus.

a

b

et pius cum Jesu, Maria et S. Vincentio Ferrerio colloquiis levat :

142 Habebat piam Crucifixi iconem ad cervical suum, quam sæpissime sumebat in manum, ejusdem manus pedesque venerabatur, ac multa verba ex tenero cordis affectu et amore proferebat ; ac simili modo oculos suos figens in quamdam B. Mariæ Virginis imaginem, devotissime colloquebatur, cujus verba audierunt multi, qui in cellam, illo inscio, intrabant, quia diligenter cavebat, ne intelligeretur, quod omnem exteriorem sanctitatis speciem semper aversatus fuisset. Plurimum gaudebat patriarcha multis horis cum solo Servo Dei in cella versari, uti fecit aliquot diebus C ante mortem, ac semel rogavit ipsum, an sanctus Pater Vincentius Ferrerius eum numquam tempore illius morbi invisisset. Id semel factum esse, respondit, addiditque : Et nunc etiam stat ibi, digitoque locum indicavit. Nec est, cur id quisquam miretur : nam, ut multa, quæ in hac historia jam retulimus, omittamus, aliquando quamdam dominam, admodum afflictam ob miserandam mariti sui mortem, quam die Jovis Sancto ex ecclesia egrediens obierat, consolans Servus Dei dixit, illius animam jam esse in cælo, utque eam multo certiorem faceret, adjecit hæc verba : Ne dubita hac de re, domina : nam S. Vincentius eam revelavit cuidam fratri, qui cum eo loquebatur, sicut ego nunc loquor cum dominatione vestra.

suscepta biduo ante mortem extrema Unctione, paroxysmum patitur,

143 Morbo vehementer aucto, Beatus ad extrema deductus est ; quare biduo ante mortem suam Sacramentum extremæ Unctionis petiit, quod cum solita sua devotione suscepit, respondens, dum oportebat, ac tacite psalmos recitans. Quo peracto, perstitit in magna quiete, cælestem quietem exspectans. Die Dominica, quæ erat Vigilia S. Dionysii, paulo ante horam XXIII corripuit ipsum paroxysmus adeo vehemens, ut crederetur mori. Pulsata igitur, ut fieri assolet, moriente Religioso, tabella, omnes fratres ad nosocomium concurrerunt, quorum alii flebant, alii gemebant, dolebant omnes. Aderant ibi etiam patriarcha et episcopus Marrochianus dominus Michaël de Spinosa, et postquam ibidem aliquantulum fuerant, Beatus oculos aperiens ait : Recedant, poterunt adesse in tempore. Quam ob rem patriarcha inde abiit, quod non moriturus esset ea nocte, tamque firmam fidem habuit verbis ejus, ut, lices paulo ante significasset, velle se ea nocte apud infirmum vigilare, ad palatium suum reversus sit, nihil suspicatus, eum tunc moriturum, nec ante posterum mane redierit.

A. AVIGNONO.

144 Post aliquot horas infirmorum curator a medico Almenara petiit, quid infirmo postridie in cibum dandum esset ; quod Beatus audiens, Nihil opus, inquit, quidquam cibi mihi in diem posterum apparari : verumque dixit, cum postridie, antequam quidquam sumpserat, excesserit e vivis. Dicto die, qui fuit S. Dionysio sacer, circa mane, quamquam sensus jam notabiliter defecissent, nihilominus, cum interula sua lanea visa ipsi fuisset linea esse ; quia valde candida erat et aliquantum mollis : hac imaginatione impulsus dixit, etiam cum lacrymis : Per amorem Dei, per charitatem, per amorem, Jesu, tollite mihi hoc indusium, et date mihi tunicam S. Dominici, patris mei, totiesque hæc repetiit, ut oportuerit solandi gratia illum sua illa tunica exuere, ac paulo post eadem, velut altera iterum induere. Atque hac ratione tranquillus mansit, hac quoque in re manifestans, quantum semper amasset sui corporis castigationem, cui jam inde ab adolescentia assueverat. Tenebat Beatus Crucifixum in manibus, in quem tam ferventi affectu obtutum fixerat, ut ad singulas lacrymarum eruptiones videretur spiritum effundere per oculos, corque suum per os, quoties divinissimas illius plagas osculabatur.

ac in tunica Dominicana mori cupit ;

E

acceptaque a patriarcha benedictione, sancte obit

c

F

145 Audita hora XV *c*, ex indiciis apparebat malum ad extrema pertigisse ; idque advertens moribundus patriarcham precatus est, ut sibi Evangelium prelegeret, suam benedictionem impertiret, flagitando, ut cito faceret, quia sentiebat se mori. Hoc officio patriarcha perfusus lacrymis functus est, dolensque pro ratione teneri amoris, quo ipsum prosequebatur, et Servus Dei pari cum affectu ac devotione gratum habuit. Circumdabant illum ibi multi Religiosi et personæ præcipuæ conditionis, omnes lugentes, pulsataque tabella, fratres pro more Ordinis sui recitabant Officium Commendationis animæ, cumque finivissent hæc verba : " Ut " vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad " gloriam regni cælestis, præstante Domino no- " stro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu " Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum " ; beata illa anima ex hoc carcere terreno migravit, eamque gloriosi angeli susceperunt, et comitati sunt ad æternam requiem in cælo, quam tot laboribus lucrari studuerat hic deorsum in terra.

anno 1581, die IX Octobris, ejusque gloria tum tum suavi odoro ex ejus corpore emisso,

146 Solvebantur in lacrymas fratres, quamvis haberent, quod lætarentur de beatitudine ac gloria tanti Servi Dei, et prostrati in genua certabant quique præ aliis sæpius oscula ejus pedibus figere. Quamvis autem Defunctus ha-

A. AVIGNONO. beret in uno crurum diu inveteratam plagam, erumpebat nihilominus ex ea lecti parte suavissimus odor, diversis a cunctis aromatibus, quæ in hoc mundo reperire est. Neque solas manus aut pedes, verum etiam fragula et linteamina lecti et vestimenta, quæ omnia pro rebus benedictis sacratisque habebant, osculabantur. Mortuus est B. Ludovicus Bertrandus die Lunæ, IX Octobris, die S. Dionysii martyris, anno MDLXXXI, ante meridiem, uti ipsemet accurate prædixerat, ætatis annorum LV. Cella, in qua obiit, mutata in oratorium est, in quo ad solatium eorum, qui in nosocomio sunt, celebratur Missa. Erat Beatus procerus statura, macilenta facie, maxillis nonnihil elevatis, naso acuto aquilino, carne in vultu extensa, crinibus coronæ albis nigrisque mixtis, oculis admodum lucidis.

XV. *et prodeunte ex ejus ore splendore ;*

147 Eodem, quo animam reddidit, temporis momento visus est ex ore ejus ingens prodire splendor, qui totam cellam illuminavit, eratque velut fulguris, ac spectatu jucundissimus, et duravit, quo tempore quis AVE B MARIA recitaret. Viderunt illum multi Religiosi ac sæculares, inter quos fuere Franciscus Ludovicus Blanes, nobilis eques, frater Michaël Ferreri, frater Joannes Martinez, frater Petrus Foix, frater Michaël Luca, et Honophrius Dassio, civis et sindicus Valentinus. Dominus Mathias Paglias, ecclesiæ cathedralis Valentinæ canonicus, Beato addictissimus, desiderans morienti adesse, festinanter accurrit; cumque in aream Prædicatorum pervenisset, vidit in fastigio claritatem, ut obstupesceret; deinde ad nosocomium perveniens comperit, illum eo ipso temporis momento exspirasse, audiensque ab illis, qui ibidem aderant, de vito in cella, dum moreretur, splendore, narravit ipse quoque, quod viderat. Sed et pater Præsentatus, frater Hieronymus Almenara eodem momento magnum splendorem supra cellam conspexit.

cum cælesti musica,

148 Frater Antonius Bagliester, ecclesiæ janitor, qui Beatum tenerrime diligebat, eodem mane, quoties per munus suum licebat, invisit eum, cumque adesset, dum ille moriebatur, non potuit ibi se continere ; sed in ec- C clesiam rediens, dum illum exspirasse, nunciatum est, audivit musicam insolitæ dulcedinis, et admirans, cur ea fieret, tanto etiam magis mirabatur, quod non posset recte discernere, quo loco fieret, cum modo ad altare majus, modo versus sacellum Rosarii, modo versus claustrum haberi videretur ; bonaque temporis parte illam audiit. Sed advertens, eamdem non ab omnibus, qui in ecclesia erant, percipi, intellexit, cæleste melos esse, quo Deus indicare vellet festivitatem, quæ propter novum Aulicum suum celebrabatur in cælo. Audita pariter a multis est ea musica eodem vespere, dum Defuncti corpus jacebat in ecclesia, ac postero mane, priusquam sepeliretur ; et rursum tempore exsequiarum, quæ sequenti die Veneris peractæ fuerunt. Jurarunt omnes musici civitatis, se prædictis horis nec cecinisse, nec musica instrumenta pulsasse in iis locis, imo nec in eorumdem vicinia ; et quamvis etiam cantassent aut sonuissent, nullo modo audiri poterant in ecclesia propter nimium strepitum ex concursu populi.

149 Mater soror Augullona, Religiosa Tertii Ordinis S. Francisci, quæ vivens et mortua magnæ Dei famulæ famam obtinuit, paucis diebus ante obitum Beati vidit cælum apertum supra conventum Prædicatorum versus cellam, in qua ipse morabatur. Quædam pia persona, in nocte S. Dionysii precibus intenta spectavit animam ad cælum ascendentem, corona aurea redimitam, et a duobus angelis portatam; viditque, in ecclesia Predicatorum apparari tumulum ejusdem corpori collocando ; ex quorum altero intelligens, B. Bertrandum obiisse, accessit ad dictam ecclesiam, comperitque, quod spiritu viderat, et aspiciens vultum ejus, qui in tumulo jacebat, facta certior est, animam, quam viderat, B. Bertrandi esse. *variisque, quæ variis seu paulo ante,*

150 Alteram admodum præclaram de B. Bertrandi gloria visionem habuit quidam pater Ordinis S. Francisci, quam secretissime cum jurejurando revelavit patri magistro fratri Vincentio Justiniano Antist *d*, et patri magistro fratri Hieronymo Baptistæ della Naza *e*, episcopo Lobetano ; qui Religiosus per biennium desideraverat B. Ludovicum cognoscere, de quo magna mirabilia audiverat, nec umquam potuerat videre ante mensem Augustum anni MDLXXXI in Godeglia in domo patriarchæ, quam- E vis nullum ei verbum dixerit. In Vigilia S. Dionysii, quæ in Dominicam inciderat, eidem Religioso post Matutinum Officium oranti in choro pro B. Bertrando, quem audiverat moribundum esse, exhibita fuit ecclesia resplendens, ex qua prodibat lux maxima ; ad quam ecclesiam ille propius accedens, vidit muros illius ex crystallo et auro esse, in eaque media elevatum tumulum panno auro contexto coopertum, ac super eo B. Ludovicum Bertrandum mortuum : retro tumulum multas cruces aureas, et quatuor fratres S. Dominici, duos ad caput illius, iique videbantur senes, ac duos ad pedes, qui videbantur juvenes. *seu paule* *d* *e*

151 Omnes quatuor e facie sua emittebant splendorem, in modum radiorum solarium : sed eo cum discrimine, quod ille, qui circa caput erat a dextris, emitteret ex fronte unum radium ceteris splendidiorem, qui supra ecclesiam elevabatur : ille, qui a sinistris erat, similem emitteret radium ; sed ex ore suo ; quodque pari modo ei, qui circa dextrum pedem erat, prodirent e manibus duo radii, qui etiam su- F perabant ecclesiam, tenebatque iste manus expansas, velut admirabundus ; quarto denique prodiret similis radius e pectore, isque habebat palmam in manu. Præterea vidit duos angelorum choros, accensos cereos candidos gestantes, subito per ecclesiam venientes usque ad altare majus, canentesque : « Sanctus, Sanctus, « Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt « cæli et terra gloria tua, Osanna in excelsis. « Exhibebant hi angeli mirum honorem corpori B. Bertrandi, et ante illud procedentes in duos divisi sunt choros. Post illos sequebatur multus populus, mares et feminæ canentes, dictumque corpus venerati, manus pedesque osculabantur, prosequentibus interim angelis cantare : « Bene- « dictus, qui venit in nomine Domini, Osanna « in excelsis. *post ejus mortem*

152 His visis, Religiosus iste suos sensus recepit. Mane conatus fuit discere, quæ nova de B. Bertrando haberentur ; nec potuit scire usque in diem Martis sequentem, qui fuit dies sepulturæ illius. Petita igitur a superiori suo licentia, ivit Valentiam, ac sequenti die Veneris ejusdem exsequiis interfuit ; ita ut Deus ejus *oblatæ fuerunt,*

A ejus mortem uno die prius, quam accideret, ipsi significaverit. Decreverat Religiosus iste visionem nulli revelare, quam confessario suo, a quo eam jussus est publicare. Sed cum id aliquot dies facere distulisset, vehementi scrupulo anxiatus statuit eam cum B. Nicolao Factore communicare, una cum aliquibus aliis rebus ad animam suam pertinentibus. Nocte autem sequenti apparuit ei idem B. Nicolaus, dicens: Surge, fili, et vade ad Prædicatores, et dicito illis, quæ de B. Bertrando nosti; in altero autem negotio, de quo me consulere volebas, sic et sic agito. Biduo post ita Prædicatores adivit, iisque inter multas lacrymas visionem exposuit: rogatusque, an sciret, quinam essent quatuor isti Sancti, negavit, dicens, id sibi non fuisse a Deo revelatum.

visionibus

153 Non minor demonstratio gloriæ B. Bertrandi fuit, quod contigit magistro Natali, Rectori in Torrente *f*, qui simul mortem illius intellexit, Missam solemnem cantavit, ut ejus-

f

B dem animam juvaret ad egrediendum e purgatorio, si in eo detineretur. Sed ad MEMENTO non solum oblitus fuit, eam ipsi applicare, verum etiam ejusdem nullo modo recordatus est, nisi post Missam absolutam. Imputabat id vitio suo, ac proinde postridie alteram Missam Defunctorum celebravit, in qua illius similiter oblitus fuit. Idem accidit in tertia Missa; quo admirabili eventu observato, agnovit, ita Deo placere. Quam ob rem inde in vicem orandi pro dicta anima, velut alios Sanctos illum invocavit, eumque singulari devotione coluit.

XVI. manifestatur.

154 Simul atque ea sancta anima excesserat e corpore, nobilis eques Franciscus Ludovicus Blanes, priusquam illud vestiretur, pro eximia devotione, qua erga Beatum ferebatur, accessit osculaturus pedes illius, atque inter amoven-

dum operimenta lecti tam suavem fragrantiam odoratus est, ut quædam aromata ibi latere putaret. At certior factus, nihil ejusmodi ibidem esse, cruraque Beati plagis infecta conspicatus, perpendensque, illum jam a multo tempore in lecto decubuisse (quæ omnia a suavi odore aliena erant) conclusit, rem cælestem esse, ut vere erat, eo etiam magis, quod non esset similis odoribus terrenis. Eamdem fragrantiam

C pariter senserunt alii, ut dictum est cap. VI hujus libri.

quam insuper- Deus, dum ad ejus feretrum

155 Indutum vestibus concinneque compositum Beati corpus a patribus sui conventus ubertim flentibus in ecclesiam fuit illatum, quam confestim ad illius manus ac pedes osculandos et segmenta vestium auferenda tam numerosus occupaverat populus, ut mirum visu esset. Erat sacrum illud cadaver tam pulchrum, ut non solum nullum horrorem, ut solent cadavera, pavoremque incuteret, sed magnam devotionem et jucunditatem aspiraret, adeo ut viderentur spectatores non posse suos oculos ab eo avertere. Augebatur hæc admiratio, quod, dum manus, faciem brachiaque palpabant, corpus vivum, frigidum tamen, palpare sibi viderentur; et quicumque volebat, ea membra tractabat flectebatque. Crevit in hunc modum multitudo accurentium, ut, ne quid indignum fieret, merito timeretur: quapropter Prior conventus misit, qui supplicaret comiti d'Aytona, Valentiæ proregit, ut sui corporis stipatores ad coërcendam turbam concederet, atque interim corpus detulerunt in sacristiam, maxime, quod jam tum unus illi abscissus essent digitus. A. AVIGNONO.

ingens hominum,

156 Populus, qui assidue magno numero accurrebat, lamentabatur (nec immerito) quod eo thesauro privaretur, orabatque, ut is proferretur in publicum: quam ob rem patres, ut illius devotioni facerent satis, consenserunt, ut reponeretur in quodam sacello intra eamdem sacristiam, quod habet januam in claustro, cancellis ligneis instructam, per quos oculari manus permittebant iis, qui potērant appropinquare. Cum advenissent stipatores, corpus Beati e sacristia, succollantibus domino Christophoro de Cardona Aragoniæ architalasso, domino Joanne de Borgia commendatore Majore Montesæ, domino Michaële Mercader, aliisque nobilibus viris et devotis personis, in ecclesiam translatum fuit, et cum feretro depositum intra postremos clathros ferreos altaris majoris, stipatoribus multisque Religiosis illud circumdantibus; nec hæc tamen omnia satis erant ad reprimendum vim et impetum devotissimi populi.

E

tam laïcorum, quam clericorum,

157 Eodem tempore comparuit in supplice agmine universus clerus ecclesiæ cathedralis cum suo musicorum collegio, qui Defuncto Responsorium cantarunt, quod similiter fecerunt omnes duodecim parochiæ et conventus civitatis, manifestis lachrymis lugubrem cantum sociantes. Advertentes autem patres Prædicatores, non posse per adhibitam cautionem corpus Beati a crescentibus turbis tutari, illud ad sacristiam denuo detulerunt, quo prorex dominus Franciscus Moncada, comes d'Aytona, cum proregina domina Lucretia de Graglia suisque filiis venit osculaturus manus ejus; uti etiam dux Cardonæ, marchio de Comares, dominus Jacobus de Cordoua, qui tum opportune Valentiæ aderat, comes Albayda, aliique viri nobiles ac præcipui equites, ac pene omnes concilii regii doctores præstiterunt.

multitudo concurrit,

158 Post duas elapsas horas, ne tot personas sine solatio, maxime, quæ in sacello majori erant, duas honorifico titulo insignitas dominas aliasque multas dominas et viros nobiles dimitterent, corpus Beati denuo sustulerunt, dimittentes, quotquot potuerunt, portasque observantes, ne rursum orientur tumultus. Quamvis au-

F

tem tunc sero esset, prohiberi nequiit, quin, dum hi egrederentur, intrarent alii, qui in area ante ecclesiam congregati erant. Intravit insuper admodum sero marchionissa de Navarres cum pluribus dominabus et illustribus viris, quibus junxit se ingens multitudo hominum, quos excubiæ nulla ratione poterant ab ingressu prohibere. Tenuit hæc devota confusio usque ad horam noctis tertiam; quod displicuit patribus, quia desiderabant, ut Beatus posset ab aliquo in naturali sua statura sine perturbatione accurate depingi, eaque ratione tum charo sibi monumento gaudere. Depictus solummodo est usque ad medium corpus, Crucifixum manu tenens in eo corporis habitu, in quo mortuus fuit, oculis demissis, cum prodeunte ex ore scedula, inscripta his verbis: « Domine, hic ure, hic se- « ca, ut in æternum parcas; » quæ frequenter in ore habuerat.

variis beneficiis testatam voluit,

159 In aurora subsecuti diei tam numerosus affuit populus, ut illius precibus indulgendi causa oportuerit ante solitum tempus ecclesiæ fores reserare. Collocatum fuit sacrum corpus

A. Avignono. pus in suggesto ligneo valde elevato, cooperto panno holoserico auroque contexto, aptatoque, ut illius manus osculis paterent. Ad feretrum stabant tres Religiosi ad accipienda coronas Marianas et Rosaria, Beati corpori admovenda. Duravit magnus iste concursus toto tempore matutino, maxime accedentibus etiam aliis e vicinis locis. Allati quoque fuere multi infirmi et sanitatem consecuti, volente Deo per ejusdem intercessionem multa miracula patrare, quorum aliqua sequenti capite narrabimus.

ANNOTATA.

a *Adi Annotata in Vitam primam cap.* 12, *lit.* b.

b *Consule eumdem locum lit.* c.

c *Horæ Italicæ ab occasu solis numerantur; ad extrema igitur deductus fuit* S. Ludovicus *sub horam decimam matutinam, nostro horas a media nocte computandi more.*

d *Auctori Vitæ primæ.*

e *Vide Annotata in cap.* 1, *libri* 2 *lit.* f, B *pag.* 406.

f *Vide Annotata in cap. proxime præcedens lit.* f.

CAPUT IX.

Varia beneficia paulo post Sancti obitum variis præstita, et ejusdem sepultura.

cap. xvii. *Priusquam sepeliretur, splendor prodit ex ejus corpore,*

Placuit Deo per infinitam bonitatem suam bonum Servum suum, antequam sepeliretur, multis ac insignibus honorare miraculis, quæ duobus supra relatis de splendore cantuque angelico addenda in hoc capite recensebuntur. Raphaëla Soler annorum LV, Beatum pariter splendentem conspicata, volebat manus pedesque ejus osculari, sed correpta scrupulo, an id C licitum esset, quo tempore ille nondum fuerat canonizatus, ivit ad confessarium suum, eoque non reperto, reversa ad Beati corpus est, illudque splendore, quo ante, coruscans denuo conspexit. Idipsum etiam Eugenia Specchio vidua, annorum L, pariterque frater Antonius Bagliester, conversus ætatis annorum XL, spectarunt. Andreas Armengol, restium e seta opifex, ex Moreglia *a* oriundus, sed Valentiæ incola, accessit, quamvis magno cum labore ob frequentiam populi, ad Beati defuncti manus osculandas, dumque id faceret, vidit eas tam claras lucidasque, ut in iisdem, velut in speculo vultum suum spectaverit.

quod et sponte motum fuit;

161 Dominus Joannes Vives de Canamas ætatis annorum LXX, Beato devotissimus, eadem de causa illuc accedens, cum jam prope feretrum pervenisset, vidissetque, unum e Religiosis ad sacrum corpus excubantibus, qui sinistram ejusdem corporis manum, ut eam minus incommode frequens populus posset osculari, tenebat, eam tunc, quod alia quapiam re occupatus esset, paulisper remisisse, non potuit pertingere ad osculandum; viditque Beatum corpus suum vultumque movisse, seque eo aspici, manumque sibi extendi, ita ut ipse Joannes eam attingere et osculari potuerit. D Isabella Joanna Salone, uxor Antonii Perez, ex vico de Benifaraig *b*, ætatis annorum circiter duodecim, habitabat Valentiæ in domo materteræ *c* suæ, conjugis Hieronymi Vagliadolid vestiarii, et a pueritia sua passa fuerat fistulam sub gena dextera, quæ usque in guttur penetraverat, unde multa defluebant, et quamvis multa pluribus annis adhibita fuissent medicamenta, nihilo malum imminutum, imo auctum est adeo, ut inciperet os maxillæ putrescere. Quam ob causam medici chirurgique asserentes, malum esse immedicabile, ei vale dixerunt.

b

c

fistulam sanat,

162 Eodem die, quo B. Bertrandus obiit, prædicta illius matertera et Sperantia Vagliadolid, Ordinis S. Dominici, conduxerunt eam ad ecclesiam Prædicatorum, et quia propter frequentiam populi non poterant usque ad corpus B. Bertrandi pertingere, monuerunt, ut ipsamet niteretur eo pervenire, et Sancti manu, aut saltem veste afflictam partem devote attingere. Pertigit illuc magno cum labore juvencula, et cum adjutorio piorum hominum apprehendit E manum Beati, qua signum Crucis ter formavit super fistula, et ad locum, ubi erat matertera sua, reversa dixit, quid fecisset, ac domum reducta fuit. Ibi matertera ex quadam indignatione impegit ipsi alapam, cumque illa vellet abstergere sanguinem, qui, quoties ejus facies percutiebatur, semper inde affluebat, nudato collo, non modo non apparuit sanguis, verum etiam comperta est fistula omnino sanata.

odoratum reddit, narium fœtorem pellit,

163 Gaspar Gari subdiaconus, ætatis annorum XLIV, dum erat parvulus annorum V, odoratum penitus amisit, ejus nares infecit tam fœdum malum, ut præ fœtore nemo posset prope illum consistere. Triennio ante mortem Beati negotium quoddam cum eo tractandum habuit, cumque, antequam loqueretur, vellet manum ejus osculari, recusavit Beatus, recusavitque denuo abeunti, omni vi renixus. Qua re dictus Gaspar graviter afflictus fuit, veritusque ne id ob peccatum aliquod sibi contigisset; post ejusdem Beati obitum ivit ad conventum Prædicatorum, arreptaque illius manu dextera, ait: Serve Dei, cum me vivens afflixeris, solare F nunc, liberando hac infirmitate, quam tot annis passus sum, eamque manum osculatus est. Deinde volens etiam dexteram osculari olfecit odorem tam suavem, ut magno gaudio repleretur, nec minus lætaretur de recepto sensu odoratus. Domum redux; nares emungens, omne malum in sudarium expulit, eoque dehinc semper mansit immunis.

malum ventris

164 Mariam Tudela, Joannis Gremoli uxorem, malum ventris, quod Llosa matris vocatur, invaserat, eamque in afflictissimam valetudinem reduxerat, et ad officia sua reddiderat inhabilem, multis remediis nequidquam adhibitis. Ut hæc B. Bertrandi obitum famamque sanctitatis ejus intellexit, decrevit, quam posset optime, licet maximo cum cruciatu, se ad ecclesiam Prædicatorum conferre, salutem suam flagitatura, ut labore suo familiam posset sustentare, et parietibus (alias enim non poterat) innixa paulatim progrediens ad dictam ecclesiam pervenit. Sed, cum nequiret transire ante altare S. Bernardi, prope portam a dextris positum, nec animus, nec vires sufficerent, ut posset, maxime in frequenti turba, ad ipsum Beati corpus pertingere, ibidem perstitit.

A tit, seque Beato devotissime commendavit. Qua in oratione notabili temporis spatio perseverans, visa sibi est subito se melius habere, nec tantum sui corporis pondus doloremque sentire, ac denique suis nixa pedibus incolumis domum rediit tanta cum agilitate, velut numquam ullum malum passa fuisset.

dolorem dentium laterumque sanat :

165 Uxor Antonii Joannis Isola, vestiarii, jam quatuor vel quinque diebus tam acerbo dolore dentium cruciata fuerat, ut nequiret quiescere, et per domum discurreret, vociferans instar amentis. Ipso die, quo B. Bertrandus obiit, versus vesperam quidam cœcus præ foribus illius transiit, quem quasdam preces recitare jusserunt. Audiens autem cæcus magnos feminæ clamores, ejus rei causam petiit, hacque ex ejusdem marito intellecta, subjecit, ut ipsa B. Bertrandum invocaret; se habere penes se sudarium, quod ejusdem Beati corpus attigerat; ac proinde illud morbidæ maxillæ, signum Crucis eodem formans, applicaret. Fecit id mulier devotissime, eodemque momento temporis non solum mitigatus est dolor, sed omnino sublaB tus, nec eo deinceps umquam denuo ipsa correpta fuit. Isabella Anna, Christophori Sancez de Ayala notarii uxor, graviter cruciabatur doloribus laterum, qui ipsam bis terve singulis mensibus acriter invadebant; idque longo tempore duravit cum vomitu. Ipso, quo Beatus mortuus est, die iisdem acerrime correpta, ivit ad osculandum manum ejus, et pro sua incolumitate precata est, atque eodem momento sanata fuit, nec umquam relapsa est.

testamentum deperditum recuperatur,

166 Habebat Euphemia Ayala, filia Christophori Ayala, magni momenti litem, cujus felix exitus unice pendebat ex testamento Angelæ Serra. Pridie, quam morereturBeatus, Christophorus Sancez de Ayala, notarius, jusserat testamentum quæri a Francisco Bitor notario, sed illud inveniri nequiit. Dictus Ayala eo die, quo Beatum sepelierunt, qui fuit dies x Octobris, ad conventum Prædicatorum accessit, ac post data Beati corporis manui oscula precatus est pro reperiendo isto benedicto testamento, quod invenire tanti filiæ suæ interat. Inde recedens, notarium denuo adiit, C denuoque oravit, ut scriptum istud iterum quæreret. Respondit ille, se, cum jam omnem adhibuisset diligentem operam, nolle amplius tempus perdere; sed ipsemet Ayala quæreret. Erant ibi multi libri in mensa positi, quorum primum, qui inciderat in manus, aperiens, dictum testamentum reperit. Quam ob rem cum ex admiratione, tum ex gaudio, ille adeo perculsus fuit, ut surrexerit totus sudans, idque magni miraculi loco habuerit.

visum reddit, sanguinis excreationem sistit, falsum capitis humorem, fœdum sub aure tuber

167 Vincentia Josepha Burdeus, enata ipsi in oculo macula, quæ visum tollebat, in tempore ivit ad ecclesiam Prædicatorum ipso die sepulturæ B. Bertrandi, tentatura, an ejus manum posset osculari, quod pridie præ turba non potuerat facere. Cum ad sacrum corpus pertigisset, manu impedito oculo imposita, illico dissoluta est macula, viditque, ut prius, quam impedimentum istud ei ortum fuerat. Sperantia, adulta virgo, filia Petri Tudo Pelayre, jam toto anno sanguinis excreatione laborans, tentatis frustra remediis, ad B. Bertrandum, dum in feretro jacebat, accessit, et pedes ejus osculata extemplo incolumis evasit, nec quidquam sanguinis dehinc exscreavit. Sperantia Vincentia puella, Jobi Perez ignivomarum fistularum opificis filia, ætatis annorum A. Avignono. xv, jam triennio affligebatur falso humore in capite, quod inde intumescebat ac fædabatur velut crusta, et aliquando spargebatur is humor per collum in apostemata. Postquam mater ejus multa in medicinas (nam omni mense renovabatur malum) frustra expenderat, duxit eam ad Beatum, curans, ut infirmæ caput attingeret caput Beati : quo facto, evanuit malum, nec deinde eam umquam denuo corripuit. Joannæ Villalua, ætatis annorum xviii, sub aure dextera accreverat tuber carneum tam fœdum, ut altera auris videretur, quod illa aliquot menses velis aliisque ornatibus abscondere studuit; sed semel osculata B. Bertrandi pedes quaterque manus, quarum una accrementum istud attigit, sine ulla mora eo malo penitus caruit.

sanguinis fluxum, nartum dolorem, et febrim sanat.

168 Jam quartus currebat annus, ex quo vidua Arenosa vehementem sanguinis fluxum patiebatur, qui, simul ac illa B. Bertrandi pedes osculata fuit, subito cessavit, ipsaque usque ad obitum suum incolumis dehinc vixit. Filius Simonis Alvarado, annorum xii, in Museros E radicem, quæ in hoc regno gignitur, Ciufa *d*, *d* appellatam et esui aptam, dextræ nari suæ inseruit, eamque spiritu sursum attrahens tam profunde infixit, ut amplius videri nequiret : unde et puer magnum dolorem sensit, et parentes ejus admodum affligebantur, quod malum immedicabile esset. Ad pulsum æris campani pro Ave Maria accepit dictus Alvarado schedulam Valentia, qua certior factus de obitu B. Bertrandi, de magno concursu populi ad illius manus osculandas et ingenti fama miraculorum ejusdem; mox in genua procidens filium suum eidem devotissime commendavit, eodemque omnino tempore decidit radix, quæ in naribus jam multum intumuerat. Vincentia Beneita, puella novennis, febri continua cum angustia pectoris laborabat. Ejus mater Francisca Ferreri, nobilis viri Michaëlis Joannis Beneito conjux, ivit B. Bertrandum veneratura, indeque domum redux annulum, quem Beatus aliquo tempore in infirmitate sua gestaverat, infirmæ digito inseruit; moxque eam febris deseruit, pectusque liberum mansit. F

xviii. *Corpus ejus, ægre ad sepulcrum delatum,*

169 Die Martis, x Octobris anni mdlxxxi post Missam sollennem, cum Beati corpus jam humandum esset, audita in ecclesia est magna et flebilis lamentatio, omnibus, qui aderant, ex ardenti devotione conantibus auferre vestimenta, quæ istud sacrum corpus tegebant; et quamquam horum piorum furum manus accensis facibus adurerentur, impediri nequiit, quin illud paulo minus quam nudatum manserit. Elatum e feretro præsentibus solitis excubitoribus, quam cellerrime fieri potuit, delatum est ad sepulturam, in qua erat reponendum. Patriarcha perfusus genas lacrymis sancto suo Amico processit obviam, eumque amplexus est magna cum devotione, quam pariter in omnibus spectatoribus excitavit. Non cedente vero importuno populo, nec locum dante, ut solitæ fratrum nostri Ordinis sepulturæ Officium posset compleri, sacrum corpus, quam potuerunt, ocyssime in sepulcro collocarunt, et sepulcrali saxo cooperuerunt, qua sola ratione id officium finiri potuit.

170 Circa vesperam comparuit altera multitudo externorum tam numerosa, ut admiratione pariter ac commiseratione dignus esset dolor

A. Avignono. *dum sepultura completur, candidum et instar vivi tractabile cernitur,*

dolor, quem prodebant, quod sacrum corpus tam cito sepultum esset, antequam illis id videre licuit. Succedente nocte, clausis conventus foribus, solum introducti fuere reverendissimus pater magister Franciscus Maldonado, Generalis Ordinis de Mercede, Prior Portæcæli, dominus Laurentius Zamora, Cartusianus, magister frater Georgius Olivares, Commendator monasterii de Mercede Valentiæ, cum aliquot sæcularibus Beato addictis. Peractum tunc complete est Officium sepulturæ. Descenderant in sepulcrum quatuor Religiosi, ac notabili tempore in eo perstiterunt, ut Rosaria, annulos gemmasque sacro corpori admoverent : observarunt denuo ibidem, quod omnes fecerant, antequam sepeliretur, videlicet, cum omnia cadavera soleant nigrescere et rigere, corpus B. Bertrandi non solum deformatum non fuisse, sed etiam pulchrum cum vultu angelico, manusque ac pedes instar alabastri candidos; atque insuper totum corpus (ut jam dictum est) tractabile, non aliter, quam vivum fuisset.

locaturque inter sanctiorum religiosorum

171 Post hæc sustulerunt illud reverenter ac devote, ut par erat, et ligneo ioculo incluserunt, et cooperculum super sepulturam reposuerunt ; intra quam (quæ non erat communis omnium fratrum, sed aliquorum eminenti sanctitate insignium, sitaque erat sub choro a dextris altaris principis) in qua erant aliquot corpora Beatorum, qui magnis miraculis claruerunt. Jacebat ibi in arca lignea corpus beati patris magistri fratris Miconis, qui, ut dictum est, B. Bertrando habitum Ordinis concessit, cujusque corpus translatum fuit in honorificum sepulcrum, in quo hodieque servatur, constructum a nepote suo, magistro fratre Joanne Vitali, insigniter docto ac concionatore, qui hujus conventus prioratum magna cum laude ac civitatis emolumento ter gessit.

corpora :

e

C

f

172 Jacebat ibi pariter corpus beati fratris Michaëlis de Fabra, fundatoris ejusdem conventus, qui cum rege Jacobo Aragonio fuit in expeditione Majoricæ *e*, visusque fuit in pugna evaginatum gladium manu gestans beatissimam Virginem Mariam per aërem sequi, magnamque Maurorum stragem edere. Est et corpus insignis speculi religionis ac sanctitatis, fratris Michaëlis a S. Dominico ; ac duo corpora gloriosorum martyrum, magistrorum, fratris Dominici de Cordoua de Monte-majore, et fratris Amatoris Epis, qui fuit Prior ejusdem conventus Valentini ; quorum Vitæ scriptæ sunt in Historia provinciæ Aragoniæ, auctore magistro fratre Francisco Diago *f*. Corpora horum beatorum Religiosorum fuerunt in tribus arculis ligneis translata in sacristiam ejusdem conventus, et inter alias reliquias deposita.

sollennes vero illi exsequiæ a patriarcha sunt habitæ die XIV *Octobris.*

173 Die Veneris sequenti, quæ erat XIV Octobris, patriarcha sollennissimas exsequias Beati celebravit, cui omnes Religiosi Ordines interfuerunt, sed quod plenior esset ecclesia, oportuit eos ingredi per conventum et per aliam viam procedere ad chorum ad cantanda Responsoria sua. Missam cantavit episcopus Marocchianus : pulpitum concionaturus ascendit illustrissimus dominus patriarcha, sed præ strepitu frequentissimi populi nulla ratione obtineri potuit silentium, ut sua illustrissima dominatio eloqui posset, quæ in Beati laudem dicenda paraverat. Dixit tamen, licet hic benedictus Pater tunc non esset canonizatus, nec proinde tam certa ipsius sanctitas et gloria coram Deo, concurrere nihilominus tot indicia, ut nihil ipsi deesset præter cæremoniam canonizationis. Hisque solis verbis prolatis, recessit e pulpito propter strepitum populi, qui non cessabat. Quod quidem omnibus displicuit, cum quisque desideraret ex ore patriarchæ audire quædam ex multis scitu dignissimis, quæ ipse de Beato noverat.

D

ANNOTATA.

a *Hispanis* Morella, *regni Valentini oppido in Aragoniæ Cataloniæque confiniis.*

b *Videtur is locus esse regni Valentini vicus,* Benifarache *dictus, cujus meminit Escolanus tom.* 2 *Historiæ Valentinæ col.* 343, *num,* 9.

c *Nescio, an* Amitæ : *utrumque enim significat vocabulum* zia.

d *Hispanis est* Chufas : *Lexicon Academiæ Hispanicæ* cyperim *vocat a Græco vocabulo* κύπειρος, *quod juncum angulosum significat : ad ejus radices fructus nascitur, qui pueris in amore est.*

E

e *Capta a rege Jacobo fuit anno* 1229 *die postremo Decembris.*

f *Agit Diago de Michaele de Fabra, conventus Valentini fundatore, lib.* 2 *Historiæ provinciæ Aragonicæ Ordinis PP. Prædicatorum cap.* 45 : *de Michaele a S. Dominico cap.* 74 *ejusdem libri ; de Dominico de Cordova de Monte-Majore lib.* 1, *capp.* 51 *et* 52; *item lib.* 2, *cap.* 74 : *de Amatore Espi lib.* 1, *capp.* 50 *et* 52; *item lib.* 2, *cap.* 74. *Vide etiam Annotata in cap.* 7 *Vitæ primæ lit.* e.

CAPUT X.

F

Alia Nicolai Factoris de illius sanctitate testimonia, et translatio corporis.

cap. xix. *Insigne*

Post Beati sepulturam, insigne de sanctitate et gloria illius testimonium dedit beatus frater Nicolaus Factor. Postquam enim sepulturæ interfuisset, post aliquod cum istis patribus colloquium recepit se in cellam, ubi sesquihoræ spatio hæsit in ecstasi, qua finita, ipse tamen adhuc velut sensuum usu destitutus, coram reverendissimo patre Generali Ordinis de Mercede fratre Francisco Maldonato, magistro fratre Michaële Salon Priore Ordinis S. Augustini, patre fratre Georgio d'Olivares Commendatore de Mercede Valentiæ, patre fratre de Figueroa Augustiniano insigni concionatore, multisque aliis dicti conventus Religiosis, quorum multi flebant, cœpit crebris vicibus spatio circiter mediæ horæ loqui, modo Latine, modo vernacule, ipsum passim S. Ludovicum, nonnumquam Fratrem appellans, prout sequitur.

175 Sancte

A 175 Sancte Ludovice, dilecte Deo et hominibus, jam vides Deum facie ad faciem ; jam non amplius es melancholicus ; jam tibi dictum est : Intra in gaudium Domini nostri. Festive te susceperunt angeli, dum cælum ingressus es, sed et mox dixerunt tibi : Amice, ascende superius : id ipsum tibi dixerunt archangeli, principatus, potestates, virtutes, dominationes, throni, atque ipsi etiam cherubini. « Ascendit « super cherubim et volavit super pennas ven- « torum *a*. » Cherubini te in chorum suum admiserunt apud S. Dominicum, S. Franciscum, sanctumque Vincentium Ferrerium. Ibi rursum stas ardens amore Dei ejusque conspectu bearis. Jam certus es de eo, de quo disputabant S. Thomas et Scotus, quodque nos nescimus, an beatitudo essentialiter consistat in videndo Deo, an in amando. Jam nunc cantas cum Davide : « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei « nostri *b*. » In cælo es, oblectans te in ea abysso divinæ essentiæ, instar magni piscis in profundis aquis maris. Jam completum est istud Canticorum : « Introduxit me Rex in cellam vinariam *c*. »

B. Nicolai Factoris

a

b

B

c

176 O quam similis es sancto Jordano *d*, qui diversis vicibus ac temporibus concessit habitum mille novitiis ; ita et tu admisisti, qui nunc illustrant, illustrabuntque vestrum Ordinem. Non vocabunt posthac Fratrem Ludovicum, sed Sanctum Ludovicum. Sancte Dominice, ora pro me ; S. Petre Martyr, ora pro me ; S. Antonine, ora pro me ; S. Thoma, ora pro me ; mi domine S. Vincenti Ferreri, ora pro me ; S. Ludovice Bertrande, ora pro me : cum jam in cælo cum iis sis, recte dixisti mihi, te non amplius concionaturum esse. Vestimenta tua tibi hodie certatim ablata sunt a sæcularibus ; quid supererit vestris fratribus ? Supererit illis humilitas vestra, et vestrum bonum exemplum. O quantum eras humilis ! O quando amici mei dicebant mihi, ut te infirmum in vestra cella inviserem ; confitebar prius peccata mea : Tu vero, Amice mi, dicebas mihi, ut tibi legerem Euangelia, et orarem pro te : cum tu, qui vere Sanctus eras, debuisses orare pro me.

de S. Ludovico Bertrandi

d

C 177 Recordare, te mihi duo promisisse in hac vita mortali : unum jam servasti, restat aliud. « Sancte Ludovice, omne promissum, « debitum. « Observa, justi viri esse, facere, quod pollicetur : ego plurimum confido, et sto verbo tuo. O quam ego gaudeo ! Recte dixit S. Paulus : Gaudete semper in Domino ; ac secundo dixit : Gaudete *e* : sed ne modum excedat istud gaudium, adjunxit idem Apostolus : Modestia vestra nota sit hominibus *f*. Hactenus verba sunt beati Nicolai Factoris, dum erat in ecstasi. Ex nonnullis indiciis colligitur, beatum patrem Nicolaum a B. Bertrando, dum hic etiam in vivis esset, petiisse, ut post obitum suum duo sibi indicaret, quorum unum erat ejusdem B. Bertrandi status in altera (huncque ipsi jam revelaverat, uti apparet ex prædicta exstasi) alterum, an ipse Nicolaus salvandus esset ; idque credibile est, ei post multas preces pariter significatum fuisse, cum ille, priusquam suis sensibus redderetur, dixerit, se multum gaudere, ac post finem ecstasis tantopere lætaretur, ut admirationi esset, proferretque quædam verba tam accensa amore divino, ut lacrymas cieret audientibus.

beatitudine testimonium :

e

f

178 Peculiariter etiam dixit magno cum spiritu patri Generali Ordinis de Mercede : O pater Generalis, iste fuit frater : an non credit, etiam in suo Ordine esse in variis locis aliquot sanctos fratres ? Sunt sane ; et iste Ordo, cum a S. Raymundo de Pennaforte fundatus sit ad redimenda mancipia, plurimum tenetur imitari Christum, universi generis humani Redemptorem, de quo S. Paulus ad Ephesios ait : « Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos *g* « ; (quam vocem NIMIAM aliquoties repetiit et amplificavit) obligaturque ad exercenda eximiæ charitatis opera ; manentibus patribus redemptoribus mancipiis Algerii, ut alia mancipia redimant. Dum hæc beatus frater Nicolaus diceret, oculos suos ad quemdam Religiosum e Prædicatoribus, dictum patrem Præsentatum fratrem Lucam, convertens ait illi : Frater, para te ; quia moriturus es. Et quamvis id eidem Religioso videretur sine ulla ratione assertum, fuit tamen iste, de quo id dixerat B. Nicolaus, primus ex ejusdem conventus patribus mortuus, licet aliquot mensibus post ; obiit enim die secunda Julii anni sequentis. E

A. AVIGNONO. *idem Ordinem B. Mariæ de Mercede laudat, et P. Dominicano mortem prædicit:*

g

179 Post hæc aliaque sacra alloquia, inter quæ identidem recidebat in ecstases, dixerunt ei, ut veniret pransum ; jam enim tres horas elapsas esse post meridiem ; quibus ille respondit. Quod prandium potestis mihi dare, quod exæquet illud, quod mihi dedit frater meus S. Ludovicus ? Tum velut vi conductus ad triclinium, cum ante cellam S. Vincentii transiret, admirabili devotione exclamavit : O si hanc gratiam mihi concederet Deus, et ego aliquando hanc ædem ingressus morerer, ut sepelirent me in hac cella prope altare, ubi toties oravit S. Vincentius, Missamque celebravit frater S. Ludovicus ! Dum ad triclinii portam pervenerat, digito in caput mensæ transversæ ad sinistram positæ intento, ait : Quid vultis, ut ego comedam ? Sinite me sedere eo in loco, in quo mihi Deus tantum favorem præstitit. Hæc autem ait, quia ibi in cœna viderat cum Religiosis S. Dominicum et S. Vincentium, ut supra dictum est : subitoque raptus spiritu multa dixit de gloria B. Ludovici Bertrandi, nec induci potuit, ut quidquam alicujus substantiæ comederet. E

laudare S. Ludovicum,

180 Reverso ad suum monasterium Jesu, aliquantulum a muris civitatis dissitum, vix biduo triduove persuadere potuerunt, ut cibum caperet. Simulatque enim ea de re sermonem facerent, loquebatur ille de convivio a sancto fratre Ludovico sibi exhibito, et ecclesiam ingressus cum sua solita simplicitate dicebat sanctissimo Sacramento : Adeone, Domine, omnis amor tuus, omnes blanditiæ sunt pro vestro fratre Ludovico ; et pro paupere fratre Nicolao nihil est ? In aliis quoque occasionibus idem pater B. Nicolaus insignia testimonia pro B. Bertrandi sanctitate dixit. Cum Religiosis conventus sui veniens, ut apud B. Bertrandi funus in ecclesia Responsorium recitaret, procumbens in genua illius pedes osculatus fuit, ac bono temporis spatio innixus genibus permanens frequenter repetiit : Ora pro nobis, beate Ludovice Bertrande. Pari modo, quamdiu supervixit B. Nicolaus, in litaniis inter alios sanctos confessores semper invocavit B. Bertrandum his verbis : « Sancte Ludovice Bertrande, ora pro « nobis. »

quod et alias fecit, pergit :

181 Alio

A. Avignono. *S. Ludovicum sibi apparentem habet;*

181 Alio tempore B. Nicolaus ad conventum Prædicatorum accedens, ut cellam, in qua B. Bertrandus vixerat, inviseret, pro sacris reliquiis accepit piam imaginem prelo excusam, quæ una erat ex iis, quæ ad B. Bertrandum spectaverant, aliasque ejusdem reliquias petiit. Rursum alias, dum vesperi esset, in ecclesia Prædicatorum cubitum cuidam patri impingens, ait : Non vides, frater, non vides? Quid, pater Nicolae, Religiosus respondit. Cui ille, altare majus indigitans, retulit : Amicum, Amicum. Unde intellectum est, B. Bertrandum ei tunc apparuisse. In conventu suo de Jesu quodam die fixos in cælum oculos tenuit tanto cum fervore et affectu, ut videretur velle se elevare a terra, ac exultabundus dicebat : Vis ut ascendam, Fratercule mi, frater Ludovice, vis, ut ascendam? frequenter hæc eadem repetens. Alio die post celebratam Missam notabili tempore ante altare majus flexis genibus mansit, deinde vero velut usu sensuum destitutus circumstantibus inquit : Cur me ita habere putatis? Vidi patrem S. Franciscum, patrem S. Dominicum, atque inter eos medium istum benedictum, istum benedictum fratrem Ludovicum Bertrandum. Itane, an, quia non simus omnes ejusdem habitus, non simus omnes fratres? B

commemorationem

182 Similiter reliquo tempore, quo vixit, in sermonibus suis, habitis Valentiæ et in Catalonia (ubi habitum Capucinorum induit, frater Franciscus a Plagis appellatus) semper multa cum laude de B. Bertrando locutus fuit, ac pro sua particulari devotione commemorationem de eo composuit, in qua evidenter prodidit, quam certus esset de gloria et beatitudine, qua B. Bertrandus fruebatur in cælo. Est autem hæc commemoratio, quæ sequitur : « De beato « Ludovico Bertrando Valentino, Ordinis Præ« dicatorum, commemoratio. Antiphona. O « Proles Valentinæ civitatis præclarissima, o « jubar, omnium virtutum perfectione orna« tum decoratumque; o rosa rubicundissima « charitatis vernans atque fragrans; o Seraph « flammigeræ dilectionis divinæ ardentissime; « o Vir vere Catholice et Apostolice; o floscu« lum florigeræ Dominicæ Religionis gratissi« mum et odoriferum; o gemma sacerdotum « præfulgentissima; o Fili sanctissimi patris « nostri Dominici legitime, beatæ Ludovice Ber« trande divinæ legis amator, ora pro nobis « ad Dominum Jesum Christum, qui te in « numero Beatorum suorum coronare dignatus « est. C

de S. Ludovico componit,

183 « ℣. Ora pro nobis, beate Ludovice « Bertrande. ℟. Ut digni efficiamur promissio« nibus Christi. Oratio. Præsta, quæsumus, « omnipotens et misericors Deus, ut, qui beati « Ludovici Bertrandi sanctitatem et vitam glo« riosam celebramus, ejus etiam virtutes imi« temur, et imitando proficiamus, et proficien« do ad regna cælestia pervenire fæliciter valea« mus. Per Dominum nostrum Jesum Christum « etc. » Postea scripsit ad quemdam doctorem consilii regalis regni Valentini, suum carissimum sanctum Ludovicum Bertrandum quamdam gratiam a Jesu Christo Domino nostro sibi impetrasse, et, antequam eam impetraret, illum a se visum esse coram Deo uno modo, ac deinde altero; moxque subjunxit : Hisce interverunt gloriosus pater meus S. Dominicus, et dominus meus S. Vincentius.

et ad extrema redactus illius summo gaudio digitum suscipit.

184 Denique beatus pater frater Nicolaus graviter infirmus ex morbo, quo obiit, visitatus fuit a patre suppriore conventus Valentini Prædicatorum ac venerabili patre fratre Dominico Anadon bonæ memoriæ, ab iisque illi allatus B. Bertrandi digitus; quo tantum exsultavit, ut non desineret eum osculari, suoque vultui colloque admovere dicens : O sancte Ludovice! O sancte Ludovice! Bis terve quoque repetiit, sibi in hac infirmitate SS. Dominicum, Vincentium et Ludovicum Bertrandum adfuisse, ac diserte affirmavit, se eos vidisse. Ait insuper, adesse istas volucres, quas pater S. Ludovicus Bertrandus die Paschatis Resurrectionis viderat : rogatus autem, quo in loco eæ essent, respondit, evolasse ad cælum. Denuo rogatus, quænam istæ volucres essent, reposuit, angelos esse. De hoc argumento etiam actum est supra lib. I cap. XXIV. Præterea narravit, se aliquando ad B. Bertrandum adivisse, ut aliquid ex eo, exquireret, verum ipsum, ut erat secreti amans, id dicere noluisse; rogatum deinde, an ipse (B. Nicolaus) salvandus esset, cum singulari affectu ter dixisse : Imo, imo, imo. E

xx.

Corpus ejus, aucto miraculorum numero, anno 1582

185 Aucto in dies singulos miraculorum numero, quæ Deus per intercessionem B. Bertrandi operabatur, concurrebat ad conventum Prædicatorum maxima populi frequentia ad ejusdem sepulcrum honorandum; quod, ut dictum est, erat sub choro, ad quem non patebat invisentibus pro suo desiderio ingressus. Quam ob rem, ut populi votis satisfieret, Beatique corpus debita cum decentia servaretur, frater ejus Jacobus Bertrandus curavit ipsi fieri sepulcrum e saxo in modum parvi sacelli, in quo sacrum corpus tumbæ saxeæ inclusum collocatum fuit cum consensu ordinarii (qui jam tum multa acceperat testimonia, ex quibus constabat de sanctitate vitæ ac miraculis ejusdem B. Bertrandi;) hæcque translatio contigit die XXV Martii, sollennissimo festo Incarnationis Filii Dei, anno MDLXXXII.

coram patriarcha, viris principibus, et populi multitudine

186 Quamquam autem studerent eam facere secreto, ut strepitum et concursum vitarent, utque solum aliquot spectatioris conditionis personæ adessent, nequiit ea res celari; sed in vigilia Annuntiationis tanta adfuit frequentia hominum, existimantium, translationem ea nocte peragendam, ut admirationi esset. Ex qua re pater Prior intelligens, civibus persuasum esse, translationem noctu faciendam, statuit illam medio die peragere. At ubi patriarcha, et cum eo episcopus Marrochianus cum aliquot e domesticis suis per portam conventus, et per ecclesiam proregina cum exiguo comitatu, videlicet filio suo domino Gastone de Moncada, nunc marchione Aytonæ, suisque filiabus, ac genero domino Hieronymo Coreglia, primogenito comitis de Cozentayna, atque aliquot paucis domesticis, visi sunt tam insueta hora intrare, intellexit populus, quod res erat, et, utut fores ecclesiæ subito occlusæ fuerint, nihilominus plures quam quingentæ personæ in ea adfuerunt, inter quas erant multi nobiles equites, viri illustres, doctores ac Religiosi. F

incorruptum repertum,

187 Aperuerunt sepulcrum et in illud ad levandum corpus descenderunt Provincialis magister frater Joannes Loares, Prior magister frater Franciscus Aleman, et magistri frater Joannes Vitali, et frater Vincentius Justinianus Antist, qui reserata arca, in quo sacrum corpus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A pus jacebat, invenerunt illud illæsum ac sine ulla corruptione, ut manifestum erat omnibus, licet locus iste esset admodum humilis; substiteruntque ibidem aliquantisper, ut sacrum cadaver novis vestibus induerent, veteresque pro reliquiis servandas tollerent; itaque ipsum recta per ostium sepulturæ, non secus atque vivum fuisset, in conspectum circumstantium produxerunt. Dum tumba aperiebatur, quidam litterarum studiosus ætatis annorum XXIV, Josephus Monleo appellatus, sensit ex ea prodeuntem magnam fragrantiam, atque majorem, dum corpus eximebatur. Eamdem etiam senserunt dominus Henricus Ferreri, Franciscus Vaziedo, multæque aliæ personæ, qui affirmarunt, fuisse suavitatem omnibus aliis ordinariis odoribus dissimilem.

insigni cum devotione

188 Itum præ devotione in lacrymas, Deoque laudes datæ sunt, dum sanctum istud corpus tam incorruptum ac tractabile, velut paulo exanimatum fuisset, conspectum fuit. Posuerunt illud in feretro, et patriarcha lacrymabundus pedes ejus osculatus est, imitatique
B eum sunt, quotquot potuerunt appropinquare, Coronas, Rosaria gemmasque ei admoventes, quæ summa cum devotione ac lætitia facta fuerunt. Sed, crescente postea osculantium et Coronas aliaque admoventium multitudine, festinarunt illud deponere, ubi nunc est, tanto etiam magis, quod sublati jam essent duo manuum digiti, et minimus unius pedum; quamquam pater Provincialis, cognito fure, ambos manuum digitos recuperaverit. Veriti igitur, ne etiam aliæ corporis partes auferrentur, reposuerunt illud velociter in prædicto loco, et præ nimia festinatione sepulcrale saxum inverso modo imposuere.

transfertur in sepulcrum novum,

189 Quapropter postridie tempore meridiano reversi, ut saxum recte locarent, sacrum corpus denuo exemerunt; at quamquam id tam secreto fieret, ut vix innotesceret fratribus conventus, præterquam iis, qui peragebant, affuere tamen supra ducentos sæculares; fuitque pium spectaculum. Pater Prior conventus induit se pretiosissimo pluviali ex auro textili, et ministri et acolythi paribus vestimentis induti sunt, omnesque simul sanctum corpus in
C humeros sublevarunt, intonante patre Priore Hymnum patris S. Dominici: « Gaude, mater « Ecclesia, lætam agens memoriam, quæ novæ « Prolis gaudia mittis ad cæli curiam, » dumque responderet organum et alternarentur versus, per tempus Religiosis atque etiam sæcularibus licuit ejus sanctas manus singillatim osculari. Post hæc, dicta Oratione de S. Dominico, collocarunt sacrum corpus in prædicto sepulcro, in quo hodieque servatur honoraturque undecim lampadibus argenteis, quæ ordinarie ibi semper ardent.

separatis tamen ab illo reliquiis aliquot quæ personis hic recensitis cesserunt.

190 A die XXVI Martii anni MDLXXXII usque in præsentem annum MDCXXII numquam amplius apertum fuit istud sepulcrum, nec sacrum corpus visum. Jacet ibi integrum præter tres digitos unius manuum, et minimum digitum pedis. Et quia, dum duo digiti abscissi fuere, animadversum est, etiam minimum digitum ejusdem manus cœptum esse rescindi, qui non nisi tenui nervo amplius adhærebat, resciderunt illum penitus, ut in conventu aliquæ reliquiæ superessent, ad infirmos deferendæ, argentoque inclusum in sacristia deposuerunt, quo multa miracula facta fuerunt. Ex duobus aliis pater Provincialis unum dono misit Cardinali Alexandrino, fratri Michaëli Bonello, Pii V nepoti; alterius digiti unum articulum donavit patri Priori, reliquos duos patri magistro fratri Vincentio Justiniano, qui eos dono dedit partim serenissimæ Infanti dominæ Isabellæ Eugeniæ Claræ Austriacæ, filiæ Philippi II regis, dum fuit Valentiæ anno MDLXXXVI; partim dominæ Guiomar de Moncada, filiæ marchionis Aytonæ, et matri comitis de Cozentayna, quæ has reliquias hactenus servat. Minimus pedis digitus venit in manus Inquisitoris, domini Petri Zurate, qui eumdem cuidam monachæ nepti suæ dedit. Vestimenta ejus et arca lignea, e priori sepulcro elata, adversus varias infirmitates adhibita multis miraculis claruerunt. A. AVIGNONO.

ANNOTATA.

a *Psalmo* 17, ỳ. XI.
b *Psalmo* 49, ỳ. 9.
c *Cant.* 2, ỳ. 2.
d *Illustrata sunt ejus Acta ad diem* 13 *Februarii.*
e *Ad Philip.* 4, ỳ. 4.
f *Ibidem* ỳ. 5.
g *Ad Ephesios* 2, ỳ. 4.

LIBER III.

CAPUT I.

Sancti apparitiones.

CAP. I. *Michaëli Pons febricitanti,* a

Octiduo post B. Bertrandi e vivis excessum quidam eremita de Cullera *a*, Michaël Pons nomine, qui aliqualem familiaritatem cum illo contraxerat, gravissime laborans ex febri, quæ eum jam toto mense ac medio afflixerat, noctu tacitus ait: O pater, frater Ludovice Bertrande, si ego fuissem sanus, morti tuæ interfuissem; et extemplo vidit per januam cubiculi sui eumdem Beatum cum uno socio ingredientem. Ipsemet autem Beatus rogat ipsum dicens: Quid agis, frater Michaël? Qui vales? Lætare, quia nil tibi mali fiet: formavitque signum Crucis in fronte illius, et genam ejus attigit. Quærenti eremitæ, quis esset illius socius, respondit, esse magistrum Miconem; subitoque ex oculis evanuit; eremita vero omni febri liber ac omnino incolumis mansit.

Hieronymæ Julianæ malo gutturis laboranti, Religiosæ, sanctitatem ejus non credenti, apparet:

2 Hieronymæ Julianæ, Jacobi Caldet setarum restionis conjugis, guttur ipso die, quo Beatus mortuus est, tam atrox malum invasit, ut os ejus usque aurem dextram contorqueret adeo, ut loqui nequiret, ac vehementer pateretur. Audiens autem, Beatum multa miracula patrare, quadam vespera sese illi devote commendavit, ac nocte subsecuta Beatus cum S. Vincentio Ferrerio ipsi apparuit, et juxta cervical ejusdem lecti assidens monuit, ne sibi elici sanguinem sineret, brevi sanandam, data-

A. Avignono. que ipsi sua benedictione, ambo evanuerunt e conspectu, osque illius ad suum locum reductum est, restituta loquela est, omnis dolor abscessit, et ipsa sanata fuit. Ursula Clara Ayessa, tertii Ordinis S. Francisci, non credebat, Bertrandum esse sanctum; sed paulo post mortem ejus quadam vespera, dum signum daretur ad Ave Maria, orandi gratia inclusæ oratorio suo apparuit Beatus in habitu albo nigroque, quo utuntur Prædicatores, plurimum coruscans, et capucium gestans pretiosis gemmis conspersum, odoremque suavissimum spirans, frontem ejus tetigit, aitque: Nunc credes, Qualis sim? et, hoc dicto, non amplius apparuit.

nobilem equitem, 3 Anno MDLXXXII, die v Februarii Valentiæ obiit nobilis eques, multæ virtutis et honoratæ conditionis, Guilielmus Raymundi Catalano, cui tempore morbi sui pluries apparuit Beatus, singulariter post suscepta Sacramenta Confessionis et Eucharistiæ, et conditum testamentum. Quædam persona, quæ ei assistebat, B audivit ipsum notabili temporis spatio modo loquentem, modo auscultantem, deinde respondentem hilariter; petiitque, quæ causa esset. Ignoscat tibi Deus, respondit infirmus: aderant mihi beata Virgo Maria, S. Dominicus et S. Vincentius Ferrerius cum beato fratre Ludovico Bertrando. Paulo post eamdem personam per amorem Dei oravit, ne cui mortalium referret, quæ dixerat. At oportet, Sanctos ei postea mandasse, ut ea revelaret: nam coram domina Francisca Vives, uxore sua, dominoque Francisco Valterra, et aliis visionem ipsemet narravit: utque gestabat in capite pileum nocturnum, ad collum Rosariun, et sub cervicali cingulum, quæ omnia B. Bertrandi fuerant; addidit, eumdem Beatum de iis reliquiis locutum fuisse, seque ab iis invitatum esse, ut cum iis iret.

e morbo decumbentem, 4 Post aliquot horas rursum ait, eosdem Sanctos sibi etiam alias adfuisse cum aliis ejusdem Ordinis, qui velut supplicantium ritu seriatim retro lectum constiterunt, recitantes Litanias, officio cantorum fungentibus sancto patre Vincentio et B. Bertrando, nominantibus in Litaniis non solum canonizatos, verum etiam alios ejusdem Ordinis tunc nondum sollenni C ritu Sanctis adscriptos, ac specialiter martyres fratrem Dominicum de Monte-Majore, et fratrem Amatorem Espi, et sanctum fratrem Joannem Miconem, et sanctum Pontificem Pium V *b*, a quo aiebat, se multa obtinuisse beneficia. Recitantibus illis Litanias, cubiculum etiam ingressus est gloriosus S. Nicolaus Tolentinas, quem illi omnes venerati sunt et prope S. Dominicum locarunt, qui scipionem manu tenebat, et ex ejus fronte splendidissima lux prodibat; isque ex speciali favore scipionem ejusdem cervicali supposuit, itaque infirmus nocte sequenti dormire potuit, cum antea multas exegisset insomnes.

b

iterato 5 Tam sancto consortio fruens oravit omnes, ut sanitatem sibi obtinerent, quam ad solandum uxorem suam filiosque desiderabat. Quam petitionem sibi displicere innuit B. Bertrandus, dicens, eum non moriturum ex eo morbo, ac deinde percusso collo illius, tota visio cessavit. Cum ad quartumdecimum sui morbi diem multo se melius habens pertigisset, sed e collo dolens, ait uxori suæ: O domina, quantum ictum mihi Sanctus inflixit! quantum mihi dolet! Accedentes postea medici et chirurgi nullum mali vestigium compererunt; sed biduo post eamdem colli partem infecit gravis inflammatio, unde vehementer lamentabatur, et intra duos alteros dies mortuus est, facto probans, verum fuisse, quod Beatus asseruerat, non moriturum ipsum ex eo morbo, quo tunc laborabat. D

invisit, 6 Pridie mortis ejusdem viri nobilis post receptam extremam sacram Unctionem, vehementem morbi accessionem passus est, ex qua sibi redditus, sed loquela destitutus, duos digitos versus cervical extendit; cumque nescirent, quid sibi vellet, regarunt tandem, an eo in loco B. Bertrandus et S. Vincentius Ferrerius consisterent; quibus ille hilariter claudendo oculos annuit. At, qui aderant, illusionem veriti, asperserunt ipsum aqua lustrali, petieruntque, an visio cessaret; ille vero nutu abnuit. Tum filius ejus, magister frater Vincentius Catalano, ex simili suspicione dixit: „ Verbum „ caro factum est: „ ipseque clare subjunxit: „ Et habitavit in nobis; et vidimus gloriam „ ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, ple- E „ num gratiæ et veritatis. Laus tibi, Christe; „ rursumque monitus, ut præterea diceret: „ Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis: „ respondit: Satis est, fili, nil opus tot verbis est.

invitatque ad cœlum 7 Rogatus deinde idem infirmus, quid sibi a Sanctis dictum esset, respondit, se ab iis vocatum esse, ut cum iis velociter iret. Præterea rogatus, quid ipse tunc iisdem respondisset; reposuit, se eosdem libenter comitaturum. Rursusque rogatus, quis ipsum retinuisset; Vos ipsimet, inquit. Idque verum erat: nam omnes pro servanda ei vita Deum deprecati fuerant. Tunc etiam impletum est, quod B. Bertrandus aliquot menses ante ipsi promiserat. Cum enim ille quatriduo, antequam Beatus obiit, ad illum accessisset, ut eum inviseret et benedictionem flagitaret, audivit ab eo hæc verba: Vade, Deo propitio, domine Catalano, ego meminero dominationis vestræ, uti reipsa comperies.

Clarissæ morienti Gandiæ apparet, 8 Sorore Margarita Saliglias, Religiosa Ordinis S. Claræ, die S. Valentini, XIV Februarii anni MDLXXXII, ex morbo ad extrema deducta F sine ulla spe convalescendi, mater abbatissa jussit Missam de Defunctis cantari, eamque obtulit B. Bertrando. Dum hæc Missa canebatur, soror Joanna a Cruce invisit infirmam, monuitque, ut commendaret se B. Bertrando, cui ea Missa oblata erat, ut ille pro sua salute intercederet. Respondit infirma: Jam hic adest B. Bertrandus. Hoc audivit altera infirma, nomine soror Maria Anna Figuerola, quæ decumbebat in lecto habens brachium tam male affectum, ut de eo resecando ageretur, quæque B. Bertrandum jam invocaverat devotissime, ut et altera monacha pariter ægrota.

alias sanat. 9 Ut autem audivit soror Figuerola, adesse B. Bertrandum, dixit illi, quæ eum viderat: Amica, ubi est? Ibi in ista sede, respondit soror Margarita. Vah! reposuit soror Figuerola, cur non medetur mihi, quæ eum tamdiu invocavi! Respondit illa: Jam statim benedictionem suam tibi aliisque ægrotantibus impertivit; ac proinde vos omnes sanatas putate: mihi vero impetravit quidem salutem animæ meæ, sed non corporis sanitatem. Rogavit soror Figuerola, quam ille senex esset, et qua veste

A veste indutus. Nec multum senex, respondit illa, nec omnino canus; indutus autem veste alba et nigra. Hæc contigerunt hora decima sexta *c*; media autem hora post Margarita animam placidissime exspiravit; aliæ vero duæ infirmæ subito cœperunt convalescere, et sororis Figuerola brachium perfecte sanatum fuit.

Spectatur a quadam domina, quam ad tolerandæ fortiter adversa animat,

10 Domina Maria de Castelui interfuerat translationi B. Bertrandi; sed præ nimia frequentia populi non potuerat usque ad sacrum corpus pertingere. Unde maxime dolens tempore Vesperarum ingressa est ecclesiam majorem dum canebatur hymnus MAGNIFICAT; erectæque in pedes apparuit ecclesia e crystallo plurimum splendente, eaque in media vidit B. Bertrandum, corona aurea redimitum, indutum habitu candido admodum lucido, cum caputio, in quo non nisi suprema ora apparebat nigra, reliqua vero erant ex auro textili; circum collum autem habebat multos torques et unionum series, mediamque catenulam argenteam, ex qua ingens lucidaque margarita pendebat. Cum vero Maria timeret, ne sibi illuderetur, B. Ber-
B trandus, retro quem multi stabant fratres, dixit ei: Ne dubita, quin ego sim frater Ludovicus Bertrandus; et elevato capucio, Vide, inquit, me fratrem Dominicanum esse; eaque in cælo fruor gloria, in qua me nunc spectas. Esto forti animo; nam præter adversa, quæ passa es, restant alia toleranda, idemque meo nomine dices confessario tuo. Quem nuncium cum domina ferre metueret, ne inanem gloriam inde caperet; vetuit eam Beatus timere.

et genæ dolore liberat.

11 Ipsa autem quamquam jam finitæ essent Vesperæ, jamque populus ex ecclesia recederet, habita tamen visione, perculsa persistebat etiam in pedibus suis: quam ob rem quædam famula sororis ejus, nomine Catharina Blesa, illius pallium traxit, ex qua concussione velut perturbata ait: Quare sic traxisti pallium meum? Tuncque cessavit tota visio. Domum reversa, postero mane accessit ad conventum Prædicatorum Sacramenta Pœnitentiæ ac Corporis Domini susceptura, et visionem suam cum confessario suo, magistro fratre Andrea Perez communicavit, qui factum hoc in
C Processu testatus fuit, nomen dominæ tacens, quod, quia illa jam obiit, hic apponitur. Cum eidem dominæ Mariæ genarum altera tanto cum dolore intumuisset, ut nullam ei quietem concederet a vespere ad matutinum, quando paululum somni cepit, apparuit illi B. Bertrandus cum magistro fratre Honophrio Clemente, qui ipsius confessarius fuerat, rogavitque, quid sibi vellet; cui illa respondit: Sanitatem. Beatus autem Bertrandus ejusdem genam attigit; hoc que eo faciente, ipsa expergiscens se sanam et omnis doloris, expertem comperit.

Apparet puellæ ex ictu dolenti, clerico incredulo,

12 Puella, filia dominæ Franciscæ de Castelui, ex inflicto ictu vehementes dolores patiens, B. Bertrandum sæpius invocavit, cui dormienti apparuit ille ostendens ei frustulum carnis digito suo impositum, dicensque, istud fuisse doloris causam, quam modo sustulerat; et expergefacta se sensit incolumem. Quidam clericus, qui per quatuordecim annos B. Bertrandum a sacris confessionibus habuerat, audiens insignia miracula, quæ patrabat post mortem, eum ultra totum annum precatus est, ut quamdam gratiam a Deo sibi impetraret; videnque, se non exauditum, conquestus apud quosdam de Sancto est, ejusdemque mirucula in dubium revocavit. Quadam nocte ad A. AVIGNONO.
visitandum ægrum procedens, cum ante ecclesiam S. Stephani pervenisset, sensit, sibi vim inferri, et portari ad aream Prædicatorum, ubi positus ante fores ecclesiæ, nec potuit progredi, nec retrocedere. Invocavit B. Bertrandum, subitoque vidit in cælo magnum splendorem, et in medio B. Bertrandum sanctumque Vincentium Ferrerium; at veritus, ne diabolica fraus esset dimittens oculos ait: „ Et Verbum „ caro factum est; „ sensitque singularem erga B. Bertrandum devotionem in se excitari, ac deinde elevatis denuo oculis eadem oblata ipsi est visio, eumque mediæ horæ spatio prorsus attonitum tenuit. Tum locutus ad ipsum Beatus ait: Propter incredulitatem tuam apparui tibi revelavitque ei multa secreta, de quibus, dum vivebant, ambo contulerant, aliaque insuper, quæ intra duos menses successerunt: et cessavit hæc visio.

virgini lethargicæ, graviter percusso,

13 Joanna Navarro della Ragoyen, virgo annorum xxx, mortifera laborabat lethargo, propter quam extremam Unctionem susceperat. E
Huic interulam B. Bertrandi imposuerunt, eidemque commendarunt, uti ipsamet etiam fecerat, priusquam suis sensibus destitueretur. Intra spatium temporis, quo Symbolum Apostolorum bis recitari posset, recepit sensus, afferens, apparuisse sibi B. Bertrandum cum S. Vicentio Ferrerio, et mandasse, ut, quod promiserat, S. Dominici habitum indueret. Eo ipso temporis momento præter parum debilitatis in posterum plane incolumis mansit. Hieronymus Cardiglias, cliens domini Joannis Boil, laborans in horto cœpit cum quodam operario jurgari, a quo lapide percussus in capite graviter læsus fuit et in periculum mortis adductus; cumque sic posceret vulneris ratio, chirurgi volebant cutem illi postridie tollere, ut illud inter curandum secarent, ceteraque ad artis leges perficere possent. Noctu infirmus B. Bertrandum invocavit, Pater, inquiens, cum ego te comitatus in Indiis fuerim, tibique exilem illum famulatum, quem potui, præstiterim, adjuva me in hoc discrimine. Post hæc obdormienti Beatus apparuit, et manum suam illius capiti imposuit: postero vero mane accedentes chirurgi invenerunt vulnus sic commutatum F
in melius, ut jam nil amplius opus esset illud secare; ipseque intra breve tempus sanatus fuit.

puellæ e gutture, tribus
d
e

14 Anna Ludovica puella, dum apud avunculum suum Michaëlem Pellegrino, vicarium perpetuum in Rusaffa *d*, habitaret, gravissimo malo (in hisce partibus Papera *e* dicto) laborabat, ex quo sic tota intumuerat, ut ejus oculi non apparerent: eoque tempore multi ex eodem malo moriebantur. Qua de causa etiam ipsi Sacramentum extremæ Unctionis collatum fuit, asserentibus medicis, parum vitæ ipsi superesse. Subsecuta nocte audiit infirma ad cervical lecti sui vocem dicentis: Ego sum frater Ludovicus Bertrandus; vertens se ad eam partem, ubi vocem audiverat, neminem vidit; sed paulo post apparuit ei Frater admodum splendidus, qui elevata manu ei benedixit; nec mora evanuit omnis tumor, et ipsa simul convaluit. Elviræ Herrera, ex vico de Almansa *f*, *f*
ex lethifera febri ad extremum vitæ adductæ, ea ipsa nocte, qua eam medici morituram pronunciaverant, apparuit B. Bertrandus, et manu ejusdem faciei imposita, ait ipsam ex isto gravi

A. Avignono. vi morbo evasuram, eodemque tempore immunis a febri fuit, et paucis diebus post priori restituta valetudini multos annos supervixit. Dum vero obiit, quod accidit Dominica Palmanum, conciones Quadragesimales in Mora Aragoniæ habente ejusdem fratre, patre Michaële Herrera, apparuit ipsi B. Bertrandus, eamque mortem nunciavit.

febri 15 Laurentius Roig, litterarum studiosus, annorum XXIV, ex febribus periculose decumbens sese, addicto voto, B. Mariæ Virgini de Rosario commendavit; apparuitque hæc ipsi, asserens, eum ex illo morbo nequaquam moriturum; sed per emittendum e naribus sanguinem sanandum; quod et factum est. Verum de implendo voto minime cogitavit. Non multis abinde diebus in eumden morbum relapsus est, ac voti memor non ausus fuit B. Mariam Virginem de Rosario pro salute sua denuo deprecari; sed commendavit se B. Bertrando, qui sequenti nocte in somnis apparens consolatus est eum, dicens, secuturum aliquem ventris fluxum, itaque ipsum sanatum iri. Visionem hanc narravit ille parentibus suis, itaque B evenit, ac secundo post die egressus e lecto est, tertio e domo.

laborantibus, 16 Andreas Gaglient e febri graviter laborans, adeo ut nequiret quidquam sumere, ad extremum vitæ pertigerat. A quodam patre Prædicatore, qui ipsum invisebat, persuasum ei fuit, ut B. Ludovicum invocaret, accepitque ab eo frustulum habitus ejusdem Beati, quod pie acceptavit, promisitque novem continuis diebus illius sepulcrum invisere. Succedente nocte apparuit ei B. Bertrandus, dicens: Da mihi hoc malum; moxque cessante febri, bene se habuit. Deinde cœpit promissam devotionem (Novenam appelant) implere; quam cum ex oblivione non perficeret, denuo febricitavit, lenius tamen. Ad beatum igitur Bertrandum precibus suis denuo recurrit, atque ita febriens promissa exsequi perrexit, quibus expletis, rursus sanatus fuit.

mulieri venenosa pustula infectæ, 17 Sperantia Escobar, uxor doctoris Petri Torres, assessoris gubernatoris Valentiæ, feria quarta hebdomadæ Sanctæ ad sacra Officia accedens, ingentem subito in humeris dolorem C sensit, et premens fortiter locum, unde dolebat, rupit quamdam pustulam valde venenatam, moxque febri correpta fuit, et domum reversa in lecto decubuit. Acciti medici, tantum malum mirati emplastrum applicuerunt, quo videbatur illa magis amburi, ac velut acutissimis spinis pungi, eoque dolore totum subsecutum diem sine ulla quiete conflictata fuit. Deinde vesperi recordata multorum miraculorum B. Bertrandi, magnæque sanctitatis patris fratris Joannis Miconis, ad hunc patrem Miconem se convertit, ut is apud B. Bertrandum intercederet, familiæque ac liberorum suorum misereretur. Nocte sequenti versus auroram quemdam strepitum circa lectum suum audivit, et volvens oculos suos in loco vicino vidit B. Bertrandum, et in alio B. Miconem, qui ipsam motu capitis salutavit. Conversa illa, ut B. Bertrandum intueretur, experta est, eum abscessisse, uti etiam B. Miconem, sed simul sensit sese doloribus liberatam, et advocata ab ea filia malum cessasse, eamque febri immunem deprehendit.

18 Vincentius Ludovicus Andrea feria secunda Pentecostes anno MDXCII postquam pila luserat, totus sudans, magnum vas aquæ frigidæ hauriens, morbo comitiali correptus fuit, qui illum sæpissime ac etiam sexies et septies uno die invadebat: et, durante malo, adeo luctabatur, ut etiam multi simul nequirent illum continere. Per medicamenta vero ita exasperatum est malum, ut sæpius trigesies per diem in id incideret, tamque vehementer, ut, cessante tremore, amentis instar inhonesta et injuriosa verba jactaret etiam in parentes suos; qui in tanta affictione constituti opem B. Bertrandi sanctique Vincentii implorarunt. Post hæc nocte sequenti ambo Sancti infirmo apparuerunt, quorum S. Vincentius ad cervical lecti sedens benedixit ei ter, monuitque, ne parentes suos imposterum tam indignis verbis male exciperat; B. Bertrandus vero, qui circa ibidem aderat, vetuit ipsum timere, et ad eumdem accedens ejus frontem unico signo Crucis, gemino oculos geminoque aures signavit, eodemque momento æger amissum ex gravitate mali auditum recepit: monuitque eumdem Beatus, ut se bene gereret ac Deum precaretur, E ut etiam capitis sui plagas sanaret.

n. morbum comitialem

sæpius passo,

19 Demum præcepit ei, ne, quæ viderat, cuiquam revelaret, præterquam parentibus suis fratrique suo Antonio doctori theologo (qui Religiosus discalceatus Ordinis S. Francisci obiit) sanatusque infirmus est, et incolumis perstitit usque in diem XXV September ejusdem anni, quando ipsi die Martis eumdem diem præcedente, Missam in sacello S. Vincentii intra ecclesiam Prædicatorum audient, ambo Sancti denuo apparuerunt, dixeruntque, eum eodem malo sequenti, Dominica die *g* iterum corripiendum, *g* ut proinde oraret Deum et piarum personarum preces pro se posceret: eam tamen infirmitatem trimestre tempus non excessuram, nec ei quidquam eventurum, unde in combustionis, submersionis, aut alterius damni discrimen adducendus esset. Hæc omnia ille suis parentibus retulit, ac subsecuta Dominica die idem malum ipsum invasit, duravitque toto tempore a Sanctis prædicto, quinquies sexiesque singulis diebus eumden corripiens; sed sine priori violentia ac sine indecoris istis vocibus, quibus ille antea usus fuerat. Nullum ta- F men tunc adhibitum remedium fuit, quia monuerant Sancti, nullum naturale remedium ei profuturum. Ita omnia reipsa evenerunt, et præfixo tempore omnino sanatus fuit.

ex brachii tubere laboranti viro h

20 Joannes Portero multo tempore malum, quod Hispanice Lobanillo dicitur, Italice autem Natta *h*, passus fuerat in pulsu arteriæ brachii sinistri, quod ipsum vehementer cruciabat, nec permittebat labore manuum familiam suam sustentare. Cum quadam nocte se B. Bertrando commendasset, apparuit hic eidem in somno eadem nocte, et afflictam partem manu sua strinxit; seque sanatum comperit. Jacobus Almanar, gravi febri continua mensibus decem vel undecim conflictatus, in tantam imbecillitatem incidit, ut medici affirmarent, eum nulla ratione posse convalescere. Quadam autem nocte vigilantibus apud ipsum uxore et socru, ipsi pariter vigili apparuit B. Bertrandus cum aliis Religiosis Ordinis S. Dominici, qui lectum circumcinxerunt, ac postquam Bertrandus manum suam infirmi vultui imposuerat, recesserunt. Cum vero uxor et socrus locum occuparent,

A occuparent, qua illi exibant, dixit eis æger, ut inde recedentes egredientibus fratribus transitum præberent; quos quia illæ non videbant, ait socrus : Heu, filia, maritus tuus moritur! Audin, ut deliret? Non deliro, non (inquit infirmus) nec morior; sed probe scio, me sanum esse et omnis febris expertem : et quamquam etiam admodum debilis esset, vires suas brevi post recuperavit.

mulierique febricitantibus, itemque amenti apparens sanitatem reddit.

21 Catharina Francisca Vilana, Joannis Seguarra caligarii conjux, e febre decubuit totaque purpureis maculis infecta fuit. Quo in statu cum quindecim dies absque ullo remedio utili exegisset, commendavit se B. Bertrando, isque sequenti nocte ei apparuit, et quamvis nullum esset in cubiculo lumen, eum tamen clare vidit; tuncque cessante febri, mane lectum deseruit, et omnino sana permansit. Cum mater Thomæ Petri Andrea custodis officinæ ædisque monetariæ regiæ Valentinæ affligeretur morbo pessimo, ex quo triduo amens hæsit, oculis oreque clausis, ac nihil interim sumens; advertens se eo loci esse, interna cordis voce
B B. Bertrandi opem imploravit, eodemque ipsi apparente, sine ulla mora suis sensibus reddita ait, Beatum salutem sibi impetrasse, seque ex eo morbo non morituram : itaque intra paucos dies perfecte convaluit.

ANNOTATA.

a *Regni Valentini oppidum ad oram maris Mediterranei.*

b *Anno* 1572 *defunctum; dein vero a Clemente XI Sanctis adscriptum anno* 1712.

c *Circa octavam matutinam, inquiunt rei gestæ testes apud P. Joannem Roca Tract.* 2, *cap.* 6, § 2.

d *Vico prope Valentiam.*

e *Gutturis tumore.*

f *Hujus nominis locus in Castellæ Valentiæque confiniis situs est.*

g *Quæ anno* 1592 *incidit in* XXIV *Septembris, stylo scilicet veteri, seu Juliano, ita ut dies* XXV *Septembris a tempore, quo a comitiali morbo æger immunis fuit, sit excludendus.*

C h *Latine* Panus, *cujusmodi tuber Joannis alam, aliamve brachii sinistri partem occupasse videtur.*

CAPUT II.

Ejusdem argumenti continuatio.

Lethaliter vulnerato, a

Franciscus Perez, civis ætatis annorum octodecim, in Vigilia S. Petri ex Mislata *a* Valentiam rediens, circa mediam noctem invasus a tribus hominibus fuit et lethaliter vulneratus; quo in periculo B. Ludovicum (erga quem devotus erat) invocans, omni graviori malo, quod ab iisdem ei inferri poterat, liberatus fuit. Dum curabatur, sanguis ejus quinque dierum spatio sisti nequiit. Allatum ei est Rosarium B. Ludovici, quod tunc possidebat Catharina Spina, ipseque commendavit se S. Mariæ de Succursu, beatumque Ludovicum denuo invocavit. Deinde cum dicto Rosario, suo capiti imposito, obdormivit, viditque in somnis beatissimam Virginem eo habitu, quo in ecclesia de Succursu Valentiæ visitur, et cum ea B. Ludovicum magna luce circumdatos. Deipara caput ejus attigit; quod pariter fecit B. Ludovicus; et expergefactus infirmus, quod ante facere non potuerat, caput suum erexit, et advocatis matri suæ et ancillæ dixit, se bene habere, cœpitque sudare, recessit ab eo febris et sanguis cessavit effluere. Postero mane vulnus multo meliori in statu repertum est, ac intra decem dies perfecte sanatum fuit. A. Avignone

variolis, morbo

23 Franciscæ Paulæ, filiæ Ludovici Fababuix notarii, annorum sex, anno MDLXXXVI, nocte feriæ IV Majoris hebdomadæ variolis laboranti morbus ita auctus erat, ut destitueretur sensibus, oculis etiam obfuscatis, labiis pallidis, et ore clauso, ita ut nec quidquam cibi, nec liquoris posset admittere. Hoc casu afflicti parentes avique videntes, eam ad mortem properare, B. Ludovici auxilium poposcerunt, polliciti E ad illius sepulcrum pannum funebrem portare. Qua oratione ex devoto affectu finita, aperuit puella oculos, integramque sanitatem recepit. Tantam tamque subitam mutationem conspicati rogarunt eam, an aliquid vidisset. Duos Fratres, inquit illa, qui jam exibant e cubiculo, et horum unum fuisse B. Ludovicum, hunque os sibi aperuisse. Eleonora Montfort, ex Mirambel prope Valentiam, virgo annorum quadraginta, comitiali morbo qui ipsam sæpe diuque invadebat, pessime afflicta, miseriam suam dolens ad B. Ludovici sepulcrum se contulit, pro salute sua precatura. Ibi per duas integras horas sopore correptæ in somnis idem Beatus apparuit, deinde ipsa expergiscens omni malo liberatam se comperit, neque illud imposterum experta fuit.

comitiali, febri

24 Cuidam annorum quatuordecim filiæ Baptistæ Tibona repente accidit tam vehemens malum, ut prolaberetur in solum, ac copiose spumaret ex ore, tantumque id mali cresceret, ut pro mortua haberetur, et jam funebria ei pararentur. Sed matre illius Ursula March beatissimam Virginem de Rosario, sanctumque Vincentium Ferrerium et B. Ludovicum invo- F cante, utque filiæ suæ misererentur, precante; eo ipso momento ægra sensus suos recepit, aitque, apparuisse sibi Matrem Dei cum S. Vincentio et B. Ludovico, et ab iis se sanatam esse; uti reipsa sine ullo malo incolumis mansit. Cum Franciscus Dominicus, continua febri laboraret, jamque vena ipsi quatuordecim vicibus secta fuisset, et medici de eo desperarent, ex quodam litterarum studioso audiit aliquod miraculum, quod B. Ludovicus patraverat, ei se devotissime commendavit. Tum quodam mane vigilans vidit duos fratres Dominicanos cubiculum suum intrantes, et quamvis nesciret, uter esset B. Ludovicus, apprehendit manum illius, quem illum esse credebat; isque ei dixit, ne timeret, nam sanatum iri : et intra biduum æger omni febri caruit, non tamen dolore corporis, donec ei secundo apparente, is quoque repente cessavit.

aliqua rabiei specie laborantibus,

25 Catharina Augustina Borgia cœperat horridam sentire infirmitatem, quam rabiei speciem vel initium esse credebat. Dominica Palmarum

A. Avignono. marum mane contulit se ad conventum Prædicatorum, ubi se male sentiens, reversa domum est. At priusquam ex ecclesia recederet. B. Ludovicum pro valetudine sua ferventer precata est, eademque oratione vesperi, dum cubitura erat, iterata; eadem nocte in somnis vidit in cubiculo suo tantum splendorem, ut solaris ei minime comparandus videretur, in eoque B. Ludovicum, qui manu sua illius capiti imposita tria verba dixit, lente quidem, sed quæ ipsa tamen non intellexit, quod nimium stuperet in conspectu Sancti ejusque splendore, qui paulo post evanuit, ipsaque se salvam comperit.

personæ, quæ peccatum diu reticuerat,

26 Erat alicubi in Hispania quædam persona clarissimæ conditionis, quæ quoddam peccatum suum annis octodecim in confessione ex verecundia celaverat. Hæc, auditis insignibus miraculis B. Bertrandi, multo tempore ipsum precata est, ut Deum oraret, ne permitteret eam huic peccato obnoxiam mori. Deinde in morbum lapsæ et in sua prece perseveranti quadam nocte ille Beatus in somno apparuit, B monstrans ei quemdam Religiosum, habitu Dominicano indutum, qui iter faciens per eum locum transibat, dicensque : Aspice diligenter hunc fratrem, qui mei conventus Valentini est: apud ipsum poteris tua peccata confiteri. Postridie advenit Religiosus iste in conventum, quem Ordo S. Dominici in eodem loco habet, rogatusque a quodam ejusdem conventus patre, ut comitaretur ad ægrum visendum, ad ejusdem personæ ædes ductus fuit. Hæc, viso peregrino Religioso, turbata est, et visionem suam veram esse reputavit; cumque etiam intellexisset, eumdem conventus Valentini alumnum esse, dixit, se illum arcessituram postridie, quod vellet ipsi confiteri. Ita fecit, cum uberrimis lacrymis veniam delictorum suorum a Deo petens; narravitque confessario visionem suam, illumque vere Religiosum sibi monstratum, et maximas Deo gratias egit de magna misericordia, qua per Beati patrocinium erga se fuerat usus.

diuturna infirmitate detento puero, periculose decumbentis filio b

27 Petro Fos de Rusafa *b* ob quamdam infirmitatem plus trigesies imminutus fuerat sanguis, qua de causa brachiis sustentandus erat, eoque in statu bene novem mensibus perstitit. Quadam vero nocte cum Beato se commendasset, obdormivit, ac deinde expergiscens vidit B. Bertrandum, eodemque momento temporis, quo eum vidit, se sanum sensit. Proinde e lecto prosiliens, ascenso equo, ad ecclesiam Prædicatorum perrexit, et ante Beati sepulcrum gratias pro obtenta salute persolvit, et per omnem ecclesiam incessit, non secus atque nullo malo umquam correptus fuisset. Joanni Marco, notario Valentino, periculose decumbenti, quadam nocte aderant uxor ejus Susanna Carzegliera, filiique et aliæ personæ, et inter eos puer septennis, nomine Gregorius, ejusdem infirmi filius, qui pariter vigilabat, eratque corpore ac mente bene sanus. Hic parentibus suis, et quotquot aderant, dixit, sanctum patrem fratrem Ludovicum Bertrandum in eodem cubiculo stare solum cum Crucifixo in manu, locumque, in quo staret, assignavit; at nullus eorum illum potuit videre. Compererunt tamen verum esse, quod puer asseruerat, quia infirmus eodem momento evasit incolumis, eumque medici postridie extra lectum conspicati, factum admirati sunt, ac insigne miraculum reputarunt. D

e parotide contabescenti,

28 Simonam Cabanes, Honorati Toldrano conjugem, invaserat parotis, quæ collum faciemque inflabat, unde illa contabescens eo fuit deducta (quod ultra tres hebdomadas nequiisset dormire, ac propterea velut amens esset) ut medici eam paucis horis supervicturam affirmarent. Quædam amica sua ei suasit, ut se B. Bertrando commendaret, et aliquod ejusdem Beati habitus frustulum illius capiti imposuit; ac quantumvis ipsa, ut supra dictum est, non plene sui compos esset, intellexit verba amicæ, ac post invocatum Sanctum obdormivit. In somno autem vidit B. Bertrandum cum altero Religioso, qui curavit illam; ipsaque expergiscens in eo se statu comperit, ut nullis amplius medicamentis egeret. Brevi post domo egressa novem diebus Beati sepulcrum in gratiarum actionem pie venerata est.

ex calculo ægræ.

29 Isabella Moya, Michaëlis Martinez uxor, propter acutos lateris dolores gravemque febrim, quibus concutiebatur, a medico Almenara desperatæ salutis pronunciata fuerat, cum eam E magister Palmireno invisit, et calculum attulit, quem B. Bertrandus, dum calculis laborabat, ejecerat. Illa hunc suo lateri apposuit et invocata Sancti ope, obdormivit. In somno autem ei ille apparens ejusdem brachium ter percussit, quod ipsa extra stragulum produxit, rata, medicum esse, qui arteriæ pulsum vellet explorare; at Beatus dixit, non esse se illum, quem putabat; Sed confide, adjecit, Deo, te sanatum iri; eodemque tempore ipsa omni dolore liberata fuit, et e lecto surrexit. Undecimo autem inde die emisit calculum magnitudinis ovi palumbini, angulisque asperum : quod pro insigni miraculo habitum fuit.

pro cacostomacho oranti,

30 Quidam pauper, nomine Calderone, malo stomachi ac continuo sanguinis fluxu affligebatur adeo, ut medici de eo curando desperarent. Raphaëla Soler, tertii Ordinis S. Dominici, miserta illius, quod sororis suæ cliens esset, ac minime commode posset vivere, cœpit pro ipso orare; eum B. Bertrando commendans. Quod dum faceret, manifeste vidit B. Ludovicum Bertrandum sanctumque Vincentium Ferrerium, qui eam monuerunt, ut ex illorum F reliquiis aliquid ad infirmum ferret; ita ipsum sanandum. Illa itaque reperit aliquid e veste S. Vincentii et tæniam B. Bertrandi, et infirmi stomacho applicuit, addito voto de imagine cerea ad Sancti sepulcrum appendenda; nec mora, dolor et fluxus confestim cessavere. Cum vero post duas horas reliquiæ ei tollerentur, sentiens denuo ingruere dolores, precatus est, ut eas penes se relinquerent. Postridie passus est deliquium animi, evomuit tres materias rudes, velut lapides, tamque duras, ut vix possent malleo contundi; atque ita incolumis permansit.

secretarum partium dolore afflicto,

31 Cum Melchior Ruvio, velorum opifex nudus super textrina dormisset, infectus fuit quibusdam tuberculis, cumque propterea sanguis ei sæpius fuisset diminutus, totum malum ad secretas corporis partes descendit, ita ut plurimum cruciaretur, nec ullum remedium reperiret. At postquam B. Bertrandum invocavit, et novemdialem devotionem ad sepulcrum ejus incepit, oleo lampadis illius se ungens, nocte subsecuta tres in cute appertæ sunt rimulæ, ex quibus

A quibus multum puris effluxit, quæque, dum a medicis curarentur, tam vehementer invaluerunt, ut jam ille amplius incedere nequiret. Qua de causa pro sua insigni in Beatum fiducia jussit uxorem suam novemdialem devotionem eidem pro se persolvere; qua cœpta, prima nocte bene dormivit, et expergefactus Beatum in cubiculo vidit, dicentem : Noli amplius de medicina et unguentis solicitus esse; hisce enim nihil amplius opus esse. Ita ipse sanatus fuit.

febricitanti, 32 Cum soror Raphaëlæ Soler Tertii Ordinis S. Dominici vehementi febri conflictaretur, rogavit prædictam sororem suam, ut, quam habebat, B. Bertrandi tæniam sibi imponeret; illa verita, ne hæc commacularetur, et per loturam eximium suum odorem amitteret, paulisper anceps hæsit. Fecit tamen, quod petierat; moxque infirma somnum cepit, et in eo vidit Fratrem quemdam (erat is B. Bertrandus) qui ipsi ait : Ego sum hic; et expergefacta sanam se sensit, surrexitque e lecto nulla alia re usa; et quamvis postea lota fuerit tænia, eamdem eximiam
B fragrantiam conservavit.

in inguine ex lapsu læso, c 33 Ludovicus Garzia cæmentarius laborans in collegio S. Mariæ de Succursu, Ordinis Prædicatorum Oriolæ *c*, lapsus e scalis ligneis læsus in inguine est per frustum ligni abruptum ab aliis scalis, in quas ille ceciderat. Ex hoc lapsu ac læsione putabat, viscera sibi e suis locis mota esse, linguæque et aurium usu destitutus fuit, omnibus, qui aderant, eum jamjam moriturum opinantibus. At post impositam ei particulam vestis B. Bertrandi sensibus reddito suaserunt ut beatissimam Virginem ac B. Bertrandum invocaret. Paulo post cœpit ille cedere in lecto, ad quem fuerat delatus, petiitque, quo recessisset B. Bertrandus, a quo sanatus fuerat, et quærentibus, quid diceret, respondit, B. Bertrandum sibi apparuisse tactoque vulnere sanitatem reddidisse, uti optime experiebatur, admirantibus omnibus, qui paulo ante viderant eum velut mortuum ad lectum portari. Quamquam autem ille B. Bertrandum numquam antea vidisset, indicia tamen illius accurate dedit, asserens, ipsum veste linea stolaque indutum fuisse, quo modo solet die Dominica prodire sacerdos lustrali aqua populum aspersurus. Volebat ipse tunc prætermissum opus suum
C resumere, sed prohibuerunt Religiosi, eumque domum suam, ut quiesceret, remiserunt, unde triduo post ad solitos labores reversus fuit.

in carcere detento, 34 Sesqui-anno post obitum B. Bertrandi quidam vir graviter commotus fuit in cujusdam vici judicem, quod ab inimicis suis, eum perdendi causa, uno eodemque die sex accusationibus impetitus fuisset, judexque, hisce admissis, ipsum subterraneo carceri mancipasset, in quo erumpente aqua ubique humido, neque lectum habebat, ubi requiesceret. Post aliquos elapsos dies, sentiens, vitam suam periclitari, commendavit se B. Bertrando, orans, ut meminisse vellet aliquot obsequiorum, quæ ei, dum vivebat, præstiterat. Dumque has preces repeteret, et beatissimam Virginem invocaret, in somnum incidit, atque interim eadem beatissima Virgo et cum ea B. Ludovicus eidem apparuerunt : ipse vero experrectus voluit procumbere in genua; sed visio statim cessavit. Ac confestim catena (quæ erat admodum gravis, et per foramen fornicis descendebat, eratque firmata sera pensili validissima) frustatim in terram decidit. Paulo post idem vir, mandante altero judice, liber dimissus est, et prior judex, qui eumdem tam crudeliter tractaverat, captus fuit, oportuitque, ut devotus ille B. Bertrandi cliens pro ipso intercederet. A. Avignono.

moribundæ, febrim animique deliquia passæ, d 35 Isabella Joanna de Valgranera, illustris domini Josephi Stephani, Oriolensis episcopi *d*, mater, graviter ægra et debilissima, subito se erexit in lecto, et innixa genibus oravit per quadrantem horæ. Qui aderant, veriti, ne deficeret, voluerunt eam denuo ad quietem reponere : verum illa dixit, ut sic se dimitterent; adesse enim S. Dominicum, sanctumque Vincentium Ferrerium, ac B. Ludovicum cum magistro fratre Micome, eosque dicere, moriendum sibi ex eo morbo esse. Cum vero unus filiorum ejus observaret, ista posse illusionem diabolicam esse; negavit illa, atque, se recte recordari vultus magistri Miconis, dum viveret; eumdemque sæpe proferre sanctissimum nomen Jesu, cujus fuerat cultor devotissimus, et de quo fecerat E
aliqua Opuscula *e*. Finita visione, exhibuit se *e*
lætissimam, et, susceptis omnibus Sacramentis, diem suum devotissime obiit. Susannam Carcellera et de Marco, febri et animi deliquiis laborantem accessit confessionem ejus excipiendi gratia magister frater Franciscus Aleman, Prior Prædicatorum, B. Ludovici digitum ei afferens, quo ipsius cordi imposito, extemplo deliquia cessarunt, noctuque idem Beatus ei apparuit, dicens, morbum istum non fore lethiferum; atque ita, contra quam opinati fuerant medici, subito convaluit.

diuturno asthmate affecto, 36 Jam sextus annus currebat, ex quo Joannes Arcis operarius laborabat asthmate cum tanta difficultate, ut crebro oporteret, illum noctu e lecto surgere, ut liberum aëra spiraret. Post tentata omnia sine profectu remedia vovit novemdialem devotionem apud B. Ludovici Bertrandi sepulcrum explere, et argenteum pectus ei appendere : sed finita novemdiali devotione, cum se non melius, quam ante, haberet, non impletum fuit totum votum. In nocte S. Dionysii (quo die Beatus obiit) somniavit, se, dum per Valentiam incederet, eodem malo correptum, magna cum angustia tussivisse, et obvium habuisse igno- F
tum sibi fratrem, qui diceret : Quid agis hic, frater? Cui ipse morbum suum narravit. Tum iste : An commendasti te B. Ludovico? Imo, retulit, sed sine ullo profectu. Subjunxit frater : An pectus quoque argenteum, quod promisisti, attulisti ad sepulcrum? Non tuli, respondit infirmus; quia ille non sanaverat me. Jam fer illud, subjecit iste, nam ego spondeo tibi, te sanandum. Interea magnum fragorem infirmus audiit, et expergiscens, se prefecte sanatum comperit.

ex oculis f 37 Quædam monacha Cisterciensis in monasterio de Zayda *f* totis duobus annis ex oculis laboraverat tam acriter, ut vix posset lucem pati, et nonnumquam etiam alienis manibus cibanda fuerit. Diligenter studuerunt medici eam curare, sed frustra. Postmodum experta ipsa, dum oculos quadam particula vestis B. Ludovici attigerat, eos melius habere; ab omni alio remedio abstinuit, et par conspicillorum, quo idem Beatus usus fuerat, devote sibi imposuit, septemque Psalmos pœnitentiales per triginta continuos dies recitavit, in quorum

A. Avignono. rum fine apparuit ei in somno Beatus, oculos ejus benedicens, eoque facto, sani ac sereni evaserunt.

febri, 38 Cum Jacobus Montiel, scriba publicus Oriolensis, ejusque uxor Agnes Pedrazza periculose ex febri decumberent, uxor, B. Ludovico multum devota, instanter rogavit, ut ejusdem Beati cilicium, quod in collegio Ordinis S. Dominici in eadem civitate servatur, sibi afferretur. Cum hoc desiderio obdormivit, viditque ad cervical suum patrem magistrum fratrem Joannem Gauarda Oriolensem (virum insignis doctrinæ et sanctimoniæ, in eodem collegio defunctum) cum eoque alterum ejusdem Ordinis Religiosum; rogavitque ipsa patrem Gauarda, quem viventem noverat, an tunc moritura esset; qui respondit: Dum Deo placuerit: ad quæ ipsa subridens, idem ab isto alio Patre petiit et expergefacta est; allatoque cilicio, eodem die febris ab ea recessit. Quam ob rem etiam maritus ejus eodem tactus cilicio fuit, ac postridie pariter sanatus.

B 39 Beatrix Martinez Oriolensis, mulier magnæ pietatis, cum aliquando ignota ipsimet de causa esset admodum melancholica, cœpit gloriosum S. Dominicum ac B. Ludovicum, quibus devotissima erat, ardenter invocare. Continuanti preces apparuerunt duo Religiosi Ordinis Prædicatorum, quorum unus dixit: Hic est S. Dominicus, ego vero sum frater Ludovicus Bertrandus, per cujus intercessionem Deus te liberavit jactura, quæ tibi imminebat: perge orare: hisque dictis, eos amplius non vidit. Vesperi mater filium suum Andream ex agro reversum interrogavit, an aliquid sinistri accidisset. Negavit ille; at subjungente illa, haud dubie tamen ipsum anxium fuisse; id verum esse, confessus est. Muli enim inter arandum pavefacti in fugam se dederant, et raptantes post se aratrum, sæpe percussi fuerant vomere in cruribus et ventre, adeo ut pro mortuis habuerit; sed Deus illos omnis damni immunes servaverat.

melancholia.

erysipilate laborantibus. 40 Catharinæ Fongliana vultum erysipelas invasit, quo non permittente loqui, signis illa pro vocibus utebatur, innuitque, cupere se, ut B. Ludovici cilicium quæreretur. Mater ejus
C cuidam filio suo mandavit, ut quæreret; verum hic, quod alta nox esset, et importuna Religiosos conveniendi hora, usque in matutinum tempus eo ire distulit. Interea exspectabat infirma has reliquias, quibus non comparentibus. B. Ludovicum devotissime invocavit. Postridie in aurora sensit, suum brachium attingi, respiciensque, a quo id fieret, vidit duos fratres Dominicanos, quibus ait: Patres, quare non apportastis reliquias heri vesperi? Respondit eorum unus: Filia, quia fratres non egrediuntur noctu: et acceptum ex alterius manibus cilicium infirmæ capiti imposuit, prælegit, que Evangelium; et confestim recessit febris et cessavit inflammatio. Revisens mater filiam recte valentem reperit, et audito, quod contigerat, eo magis admirata fuit, quod fores clausæ essent, nec quidquam de ingressis Religiosis inaudisset. Ex hisce patet, Sanctum ægræ apparuisse, atque ab ipsomet suum cilicium fuisse allatum. Confirmatur id ipsum etiam ex dictis infirmæ, quæ interrogata de habitu corporis Religiosi, qui cum illa locutus fuit, figuram B. Ludovici accuratissime exposuit. Cum aliquo tempore post per claustrum dicti colegii fieret supplicantium processio, in qua inter D
alias etiam ejusdem Beati imago circumferebatur, simulatque hanc conspexit Catharina, inquit matri suæ, hunc istum Fratrem esse, qui Evangelium sibi prælegerat.

reliquias ejus expetenti, 41 Soror Isabella Mires Oriolensis, Ordinis S. Dominici, magno tenebatur desiderio habendi frustrum tunicæ S. Ludovici, quem plurimum venerabatur. Hæc aliquando orationi intenta vidit altare splendide exornatum, a cujus utroque cornu prodibat processio multorum Sanctorum, inter quos cum prope ipsam incederet B. Ludovicus, illa brachium suum super humerum S. Martini episcopi extendens, laciniam amplitudinis sudarii ab illius tunica decerpsit. Visionem hanc cum patre magistro fratre Josepho de Luchian, confessario suo, excellentis doctrinæ, prudentiæ ac religionis viro, communicavit, qui jussit eam laciniam ad se deferri, eaque in plura divisa fuit frusta, quæ multis miraculis inclaruerunt. Eamdem visionem dicta soror Isabella etiam patri magistro fratri Petro Joanni Saragozza enarrans, E
frustum quoque ex eadem donavit, per quod Deus miraculum petravit Alicante, ut infra dicetur cap. XII.

convulsionibus agitatæ, 42 Anno MDLXXXVII, die XXIV Septembris, Lucia Gloriet, novem annorum in civitate Alicante *g*, febri ac convulsionibus laborabat, *g*
quam afflictus genitor propinquam morti cernens, accessit ad conventum Prædicatorum, obsecrans, ut aliquid ex B. Ludovici reliquiis, cui filiam suam magna cum devotione ac uberrimis lacrymis commendabat, ad eam deferret. Attulit ad eam pater magister frater Petrus Joannes Saragozza caligam Sancti, et Evangelium cum aliis precibus legit. Ingruente nocte ait puellula matri suæ: Domina, quæ est ista mulier induta pallio? Admiratus, eam loqui, Gaspar pater ejus ex sua in Sanctum fiducia respondit: Aspice diligenter, filia; nec enim debet esse mulier. Tum puella subjunxit: Frater est, domine: et, cessante agitatione ex convulsionibus orta, obdormivit. Mane eam mater valde hilarem invenit, petiit illa, ut sibi daret manducandum, ac deinde ut indueret, se bene habere asseverans. Vestita a matre, gradiebatur pedibus suis per plateam illa ipsa, quæ pridie F
fuerat moribunda. Post aliquot dies pater ejus imaginem B. Ludovici, clam omnibus in cubiculo bene clauso appendit, accivitque Luciam cum aliis sororibus ejus, tentandi gratia, an B. Ludovicum agnitura esset; ipsa vero, simul imaginem vidit, non exspectans, donec interrogaretur, ait: Domine is iste frater est, qui me sanavit: quia vero hæc imago inter multas alias appensa erat, mandavit pater filiæ, ut eam digito monstraret; hocque modo visionis veritas confirmata fuit.

decumbentibus ex febri, 43 Joannes Cardona Oriolensis in lecto decumbens e febri totiusque corporis cruciatu, ex nimio humore in diuturna navigatione marina contractis, atque insuper captus uno brachio, quo nequiebat uti; postquam omnia remedia frustra tentaverat, SS. Dominici ac Vincentii opem imploravit, vovitque B. Ludovico, iturum suis pedibus ad visitandum sepulcrum Valentiam, quod iter est triginta leucarum. Nocte subsecuta apparuerunt ei iidem tres Sancti, e quibus B. Ludovicus brachium ejus apprehendit, illudque in altum elevans dixit: Cum tantopere me inclamaveris, ecce, veni, ut visam

A sam te; et evanuit visio ex oculis. Tum, illo alta voce clamante, accurerunt mulieres, quæ illius curam habebant, inveneruntque eum omni malo immunem.

ex purpureis maculis appareret, omniumque votis favet.

44 Cum Christophorus Rodriguez Valentinus ex purpureis maculis Matriti decumberet, desperante de salute ejus medico, uxor illius Gratia Picaza, eumdem B. Ludovico commendavit, spondens se effigiem argenteam ad ipsius sepulcrum missuram; excerptamque e quodam libro paginam, quæ ejusdem Beati effigiem exhibebat, sub mariti sui cervicali posuit. Cœpit ille subito dormire; ac deinde experrectus ait: Ubi est frater iste, qui manu sua meam faciem palpavit? Respondit uxor, nullum ibi adfuisse fratrem, sed sese illum B. Bertrando commendasse, ejusdemque imaginem cervicali ejus supposuisse. Exinde cœpit æger convalescere, et postridie recte valuit.

ANNOTATA.

B a *Regni Valentini vico, media leuca Valentia dissito.*

b *Vide Annotata in cap.* 1 *hujus libri lit.* e.

c *Vide Annotata in cap.* 7 *Vitæ Primæ lit.* d.

d *Adiit eam dignitatem anno* 1594, *in qua illi successit anno* 1604 *Albarrazinensis episcopus.*

e *Scripsit Rosarium sive Psalterium Nominis Jesu, aliaque, de quibus Echardus tom.*2, *pag.* 54 *Bibliothecæ Dominicanæ.*

f *Juxta Valentiam.*

g *Regni Valentini portus est mari Mediterraneo adjacens.*

CAPUT III.

Miracula, quæ ob S. Ludovici intercessionem ad fontem, ab illo benedictum, Deus operatus est.

CAP. III. *Hauriens e fonte, cui Sanctus benedixerat, febri liberatur;*

Cum olim B. Bertrandus, ut passim, afflictæ valetudinis esset, quidam amicorum illius eum recreandi gratia assiduis suis importunis precibus rogavit, ut dignaretur secum ire ad fontem, in confinio Rusaffæ prope muros Valentiæ scaturientem: cumque Servus Dei inter alias infirmitates suas continua siti premeretur, consensit precanti amico, cum eo ad dictum fontem pergere, ex quo, postquam eum sua benedictione lustraverat, bibit. Dum ibi colloquerentur, vidit quemdam infirmum (qui erat in obsequiis dominus illius agri, ubi fons erat) nomine Petrum Ximeno, ruricolam ex Rusaffa oriundum, rogavitque illum Servus Dei, quo malo laboraret. Respondit ille, jam sex menses esse, ex quo febrim patiebatur. Bibe (inquit Beatus) ex ista aqua. At ille renuit, quod malo suo noxia esset. Persuadente tamen Beato, ut biberet, non nocituram, bibit, et confestim sanatus fuit.

46 Publicato post Beati obitum hoc miraculo una cum multis aliis ab eodem patratis, cœpit frequens populus ad eum fontem concurrere susque infirmos illuc conducere. Hanc ob rem rector Rusaffæ, michaël Pelegri dictus, jussit eos, qui eleëmosynas pro cultu beatissimæ Virginis Mariæ et in refrigerium fidelium animarum in purgatorio versantium colligebant, illuc etiam accedere, quia fons iste in Rusaffæ parochia situs est; iique primo illo biduo triduove sex circiter scuta ibidem collegerunt. Tot autem ibi miracula Deus per Beati patrocinium operatus fuit, ut in eorumdem memoriam arbores circumpositæ votivis donis onustæ essent. Nec inobservatum prætereundum est, eamdem aquam, priusquam a Beato benedicta fuerat, modicam fuisse, ac facile exsiccatam; sed postea numquam desiisse scaturire.

A. Avignono. *hinc ingens eo fit concursus.*

47 Isabella Gerb de Fortea ex loco Catarogia, una leuca Valentia dissito, filium habebat viginti trium mensium, tribus gravissimis malis correptum, hernia, capite humano ampliori, fluxu ventris, ac febri jam a multis diebus; adeo ut ex medicorum judicio non posset convalescere. Hæc, audita mira virtute hujus benedicti fontis, licentiam petiit, ut infirmum eo ferret. Iverunt ergo pater et mater, cum sorore pueri, huncque nudum (qui velut exsanguis videbatur ac jamjam exspiraturus) mater, invocato B. Bertrando, in honorem sanctissimæ Trinitatis ter usque ad lumbos fonti immersit; dumque eum tertio extraheret, vidit sublatam herniam, ne rima quidem, ubi viscera ante defluxerant, superstite: cessarunt etiam eo momento febris et fluxus ventris: et quamvis puer adhuc esset debilis, brevi tamen post vires suas recepit.

ejusque virtute hernia, febris, E

48 Hieronymæ Capegli, viduæ in Rusaffa, erat infans octodecim mensium, ultra modum herniosus, qui, defluentibus intestinis, præ nimio dolore tam vehementer clamabat, ut lacrymas vocesque etiam sanguine ex ore misceret. Audierat quidem illius mater mirabilia fontis, sed ex negligentia puerum illuc non duxerat. Cum vero aliquando ipsi adesset soror ejus, in agro non procul a fonte laborans, audissetque puerum miserabiliter clamantem, recordata fontis, illum eo tulit, ac B. Bertrando commendans, panno lineo, quo fasciatus erat, aquæ intincto, herniam bis terve lavit: quo facto, ille extemplo sanus evasit. Eadem ratione uxor Ludovici Capegli, cujusdam nobilis equitis filium herniosum, quem nutriebat, eadem aqua lavans sanavit.

binæ item aliæ hernix, F

49 Anna Monforte, vidua in Rusaffa, ex quodam morbo facta paralytica, longo tempore lecto affixa decubuit, usu pedum manuumque destituta; et quadam nocte accedente etiam alio malo, extrema Unctione munita fuit. Tum dicti fontis recordata, filium suum Benedictum, et quemdam patruum, ut potuit melius, distorto per morbum ore rogavit, ut, quantumvis alta nox esset, aquam ex eo sibi afferrent, freta, se per B. Bertrandi invocationem a Deo sanandam. Illi ergo aquam inde attulerunt, ipsiusque ori, licet difficulter, infuderunt; quam ut illa bibit, reductum est os in locum suum, ipsaque subito plane convaluit, ac perfectum pedum manuumque usum recepit; et postridie cum communi omnium admiratione surrexit e lecto. Adhæc testatus est fi-

paralysis,

A. Avignono. lius eam aquam, dum afferret, suavissimum odorem spirasse.

claudicatio, cæcitas,

50 Cum Joannes Segarra, caligarum opifex, Valentinus, cum filio et ancilla ad dictum fontem accessissent, invenerunt ibi claudum, ligneis subalaribus fulcris nixum incedentem, qui, ubi ad fontem pervenit, invocato B. Bertrando, ea aqua lavit se; eodemque tempore viderunt ipsum sanum, et fulcra sua ex vicina arbore suspendentem. Idem ille Segarra filiam habebat sexennem, jam a biennio visu prorsus privatam; quam ad fontem adduxit, et post invocatam B. Bertrandi opem ejus oculos eadem aqua bis lavit; aitque puella, se jam recte videre. Quod, an verum esset, pater experturus, denarium, frustulum panis aliaque hujusmodi projecit in terram, quæ omnia puella collegit. Altera quoque puella cæca ex molendino Philippi Martini, lotis eadem aqua oculis, beatique Bertrandi patrocinio implorato, visu donata et inde regressa est.

rupta dorsi spina et pectoris gibbus, cruram ulcera,

51 Catharina Fuster de Pedros, vidua Valentiæ habitans, triennem filiam habuit, Isabellam Annam nomine, quæ in pergula domus ludens pedem offendit, et per aperturam prolapsa deorsum est altitudine duarum lancearum, tamque vehemens fuit concussio, ut ejus spina dorsi rupta sit, tantumque in pectore gibbum excitaverit, ut ipsa in modum arcus retrorsum incurvata fuerit. Hac infirmitate cum intolerabili cruciatu et difficultate loquendi sedecim menses afflicta fuit. Quo tempore cum nihil profuissent remedia, mater eam ad fontem duxit; ubi post fusas preces pectus filiæ suæ aqua lavit, et ex eodem fonte in vase secum domum delata eamdem illius corporis partem lavit, Beati opem simul implorans: eaque ratione filia cœpit convalescere, ac quinto die ejusdem pectus, sicut olim, dum recte valebat, complanatum fuit. Erat Jacobo Eliæ Buyrac filius, admodum ulcerata crura habens; quem pater, auditis istius fontis laudibus, eo duxit, aqua lavit, Beatumque pro sanitate sui filii devotissime precatus est, atque eodem tempore, quo ille lavabatur, plane convaluit, nullo deinceps remedio usus.

C

diuturna animi a

52 Joannes Andreas Sapuerta, signifer turmæ equitum Gaspari Vitali, in loco Canet prope Morviedro *a* correptus morbo fuit, eoque hic spatio duorum mensium crevit, ut ipsius vitæ timeretur. Huc se redactum videns, jussit se, quo commodius medicos ac pharmaca præsto haberet, Valentiam perduci, quo difficulter pervenit. Medici eum pro mortuo reputabant propter gravia animi deliquia, quæ cum diuturna sensuum destitutione ipsi interdum accidebant; ac peculiariter semel ultra horas viginti quatuor duraverunt; propter quod suasum ipsi est, ut B. Ludovico, qui multa miracula patrabat, se commendaret; ac specialiter facta est mentio de fonte. Commendavit se igitur eidem Sancto, proposuitque illuc suis pedibus ire, uti fecit octiduo, postquam diuturnum illud deliquium passus erat; et iverunt cum isto Rodericus de Soto, et Carrasco, ambo suæ turmæ milites.

deliquia.

53 Domo sua, quæ in platea de Montanari sita erat, egrediens magna cum difficultate perrexit ad Prædicatores, ita ut ante portam B. Ludovicum oraverit, indeque capessiverit viam, quæ ducit ad fontem. Sed, cum pervenisset ad portam, qua itur ad mare, compulsus fuit sedere, quod præ nimia debilitate non posset ultra progredi. Quantumvis autem importunis precibus, eum urgerent comites, ut in equum, quem adduxerant, ascenderet, noluit, quia devotionis gratia voluit cœptum iter perficere pedibus sæpe sæpius subsistens et duobus militibus innitens. Ubi ad fontem pervenit, Beatum denuo invocavit, et bonum aquæ haustum sorbuit, ita ut omnes eum arguerent, quod nociturus esset; at non propterea prætermisit inde denuo bibere. Postquam autem unius horæ circiter spatio ibidem manserat, sanus et incolumis ac sine ulla lassitudine suis pedibus viam versus Valentiam relegit, rectaque processit ad Prædicatores, gratias Beato acturus. D

gravis oculorum catarrhus,

54 Franciscus Polus, dum novennis puer esset, tam gravi catarrho affectos oculos habuit, ut biennio cæcus manserit, orta etiam in eorum altero crucianti fistula. Adhibita fuere remedia, sed frustra: quam ob rem mater decrevit illum ad fontem ducere; uti fecit, comitantibus aliis e vicinia. Eo adventantes invenerunt tantam hominum turbam, ut ad E aquam non potuerint pertingere. Proinde curarunt, ex ea sibi in vase dari, quam mater infirmo, Beatum simul invocans, bibendam dedit, et ex eadem ejusdem oculis lavit (qui visi puero sunt clarescere) et phialam aquæ plenam secum ferens domum reversa est, ubi eadem filii sui oculos quotidie lavare perrexit. Absumpta aqua, cum puer feliciter convalesceret, jussit aliam ex eodem fonte quæri, continuataque lotura, ille brevi post sanatus fuit, nec simile malum deinceps umquam passus.

rupta dorsi spina et pectoris gibbus,

55 Dorothea, Martini Sanciz notarii uxor, puerum habebat trium annorum, qui, rupta spina dorsi, gibbum gerebat in pectore, tamque infirmus erat, ut velut immobilis esset, et tamquam jamjam moriturus observaretur. Mater dolore percita eum in carpento ad fontem adducens Beato commendavit, et intincto aquæ panno (ob frigidam tempestatem non ausa illum vestibus nudare) ejus pectus lavit, eoque facto, domum rediit, nullo indicio melioris valetudinis in puero apparente. Postero die F eadem hora, qua puerum pridie laverat, mater et circumstantes adverterunt, illum se agitare et revolvere, quod ante non fecerat; ac Beatum denuo implorarunt; tuncque cœpit ille paulatim repens, ut solent pueri, incedere, itaque ad matrem et amitam pervenit: adeo ut paulatim convalescens intra biduum eo malo liberatus sit, multisque annis bene sanus superfuerit.

colli ulcera, capitis porrigo, crus arundine læsum,

56 Franciscus Doza operarius, ortis sibi in collo quibusdam tumoribus, qui in putida ulcera abierunt, postquam biennio nihil levaminis ex adhibitis interim medicamentis expertus fuerat, suadente sorore sua, B. Bertrandi opem imploravit, et ad dictum fontem accedens ulcera lavit, promittens fore ut per novem dies eodem loturus accederet: moxque cœpit habere melius, ac in fine novem dierum perfecte incolumis fuit. Joannes Baptista, Hieronymæ Stephanæ, viduæ Philippi Perez mercatoris, filius, caput suum certis bullulis, quæ porrigo videbantur, infectum habuit, nec toto biennio quidquam opis in medicina invenit. Post commendavit se B. Bertrando, et aquam dicti fontis sibi afferri præcepit, qua loto capite

A capite, levamen experiens, jussit denuo inde hauriri, eaque pergens ablui, intra paucos dies omnino sanus evasit. Angelæ Roger, uxori Francisci Gomez operarii ex Rusaffa, frustum arundinis inter duos unius crurum claviculos infixum erat, nec quisquam chirurgorum quindecim mensium spatio illud inde eximere potuit. Videns igitur, nihil remediis profici, implorato B. Bertrandi patrocinio, quodam mane sola fontem petiit, infirmum crus lotura, ac in aurora sequentis diei e somno evigilans, se sanam comperit.

febris, morbus geminus,

57 Franciscum Gomez, dictæ Angelæ maritum, mense Augusto tam periculosa invasit febris, ut simul sacro Viatico et extrema Unctione munitus fuerit : propterea que medici, qui eum curabant, monuerunt uxorem illius, ut de funebribus parandis cogitaret. In hac afflictione se positam conspicata infelix B. Bertrandi patrocinium imploravit, atque ipsamet, quam potuit ocyssime, properavit ad fontem, haustamque ex eo aquam marito potandam dedit, isque eodem momento, pulsa febri, salvus mansit.

B Uxor Antonii Forte in Rusaffa quodam vesperi in tanto vitæ suæ versabatur periculo, ut sacro Oleo jam inunctæ ad Christianæ moriendum assisterent : sed portione ejusdem aquæ ori illius, quod moribundorum more apertum tenebat, per maritum ejus infusa, postero mane integræ sanitati restituta reperta est. Servulus Petri Ximeno piscatoris ex Rusaffa, Franciscus Gomez appellatus, ægrotabat in tugurio heri sui in ripa Albuferæ *b*, ubi eum in piscando juvabat. Ad quem tam male se in eo solitario loco habentem herus dicti fontis aquam attulit, qua ille, B. Bertrando invocato, epota, confestim sanatus est, et ad solitum laborem suum reversus fuit.

febres, et ventris tumor sanantur.

c

58 Catharina Grau, Joannis Salvatoris uxor, prope Alberaya *c*, cum jam multis diebus febri laborasset, frustra tentatis remediis, ad fontem se ducendam se curavit, et postquam B. Ludovicum Bertrandum invocaverat, et ex fonte biberat, sanitatem recepit. Bernardo Torino sic intumuerat venter, ut quinque dierum spatio nihil quidquam manducare aut bibere, nec alvum exonerare potuerit. Jussit

C hic urnam ejusdem aquæ plenam afferri, eaque, quanta erat, epota, dissolutus est corporis tumor sine alio excremento, et sanus evasit. Baptista Ximeno, piscator ex Rusaffa, anno MDXCVI in confinio Olivæ, loco, Calapatar

d dicto *d*, artem suam exercens, tertiana febri correptus fuit ; qua cum duodecim diebus laborasset, ac pessime mulctatus fuisset, jussit se per mare ad oram Valentinam vehi, unde in Rusaffam tetendit. Postridie, quamquam febricitaret, curavit se portari ad fontem, ubi, implorato B. Bertrandi patrocinio, ex ea aqua bibit, eodemque momento reliquit eum tertiana febris, nec deinceps corripuit; sed cum duobus mensibus post hæc in Albufera piscans nataret et inhoneste se gereret, in morbum recidit : invocatoque rursum Beato, et pota fontis aqua, pristinam sanitatem denuo recuperavit.

ANNOTATA.

a *Regni Valentini oppidum, vetus, ut nonnulli tradunt, Saguntum.*

b *Seu lacus Valentini.*

c *Prope Valentiam versus mare. Escolanus lib.* 7 *Hist. Valentinæ col.* 341 *scribit* Alboraya. A. AVIGNONO.

d *Regni Valentini oppidum est, Comitatus titulo insignitum; haud procul inde amnis fluit,* Calapatar *et* Molinell *dictus.*

CAPUT IV.

Miracula ad solam Ludovici Bertrandi invocationem facta.

CAP. IV. *Ad solam Sancti invocationem tumor brachii,* *a*

Cum dominus Ludovicus Esalva Castellar de Villa nova, toparcha de Bicorps *a*, ratione gravis morbi minuendus sanguine esset, inter secandam venam læsus nervus est, ac continuo ejus brachium intumuit, tantusque eum incessit cruciatus, ut biduo nullam seu interdiu seu noctu quietem capere potuerit, nec ipsam etiam mollem linei indusii sui manicam tolerare. In hoc malo et convulsionum periculo constitutus, B. Bertrandum invocavit, addito voto de argenteo brachio, si convaluisset, ad ejusdem sepulcrum mittendo. Nec mora, confestim cessante dolore, obdormivit, et postea expergiscens brachium suum madefactum, eumque in modum detumuisse deprehendit, ut vesperi ejusdem diei epistolam scribere potuerit : tam bene convaluerat.

et ventris

60 Illustris Bertrandus Boil, puer trium annorum, illustris viri Joannis Boil de Arenos filius a patre suo ductus ad Alsafar *b*, media nocte improviso correptus fuit tam terribili malo, ut in miserandum et inconsolabilem planctum eruperit. Quo pater non minus stupefactus quam afflictus, illico candelam accendit, filiumque se mirum in modum torquentem et clamorem ad cælos extollentem conspicatus, non ausus est ipsum solum relinquere, dum servos arcesseret, qui procul inde erant ; imo nec vestire potuit, quod suo brachio sustineret infirmum, cujus malum semper ingravescebat, tumescente etiam F ventre : qua de causa innocens puer acerbo dolore victus suas ipse manus mordebat. Pater tam miserabili spectaculo velut sui impos ad B. Bertrandi patrocinium recurrit, vehementissimo cum affectu supplicans, ut, quoniam puer nomen Bertrandi ex devotione erga ipsum in baptismate impositum haberet, saltem non permitteret ipse suum in baptismo filium tam crudeliter mori. Vix ea verba protulerat, quin sedatus puerulus in placidum inciderit somnum, et detumuerit venter, ita ut mane sanus, ut antea, compertus sit.

b

pleuritii, convulsiones lethiferæ,

61 Laborabat pater Simonis Alvarado pleuritide, de qua medici non bene sperabant. Monuit ipsum filius, ut B. Bertrando se commendaret, ipseque ad imaginem illius conversus eum devote invocavit, promisitque, si sanaretur, argenteum pectus illius sepulcro, se appensurum. Brevi itaque convaluit, sed votum non implevit. Hinc octodecim mensibus post eodem malo iterum correptum rogavit filius, an votum, quo dudum se obstrinxerat, explesset : quod ille negans, perfusus lacrymis promissionem precesque iteravit, et sine ulla mora sanitatem

A. Avignono. tatem recepit; neque distulit debitum argenteum pectus appendere. Quidam filius Joannis Pagliares medici, et Magdalenæ Quartada, ætatis unius anni in convulsiones inciderat, qui dum matris ulnis recumberet, subito pallidus, frigidus, mutus, aliisque mortis indiciis affectus apparuit. Qua re afflictissima genitrix in genua procumbens alta voce ait : O sancte frater Ludovice Bertrande, adjuva me, et intercede apud Dominum Deum nostrum, ne filius meus moriatur. Cum hæc tertio dixisset; pristinæ sanitati puer illico restitutus fuit, nec id mali deinceps umquam passus.

cordis dolor, febres acutæ,

62 Candiam Esplugues, dum cum amita sua, Thecla Sangenis vidua, in ecclesia Prædicatorum Missæ intererat, invasit cordis dolor, quem sæpe alias passa fuerat tam acerbum, ut velut mortua maneret; isque tunc tam vehemens fuit, ut ultra horæ spatium pro mortua fuerit habita. Hoc casu vehementer consternata amita, eam B. Bertrando commendavit, vovitque fore, ut, si sanitatem recepisset, cor argenteum ad ipsius sepulcrum dono ferret. Illico reliquit eam malum, nec umquam denuo corripuit. Jacobus B Cifre, presbyter beneficiatus ecclesiæ S. Catharinæ martyris Valentiæ, laborabat acutis febribus, quæ aliquot dies tenuerunt. Propterea quinquies minutus sanguine fuerat; ac præterea accesserant acutissimi lateris cruciatus. Mulier, quæ ei inserviebat, suasit, ut B. Ludovici Bertrandi opem imploraret; verum hæc se parvi facere innuens, jussit ea, quæ præscripserat medicus, parare. Dum vero hæc illa parabat, decrevit infirmus dictum Beatum invocare, invocavitque toto cordis affectu; eodemque temporis momento omni malo liber evasit; et medicamenta afferens mulier, nihil eis amplius opus esse, deprehendit.

contractio cruris, febris, capitis dolor.

63 Isabella Joanna Ferrando virgo postquam multis diebus gravi febri conflictata fuisset, ex eaque tandem convaluisset, alterum crurum adeo contractum retinuit, ut extendere nequiret, et oportuerit eam uno mense in lecto decumbere. Tandem commendavit se B. Ludovico, addito voto de peragenda ad sepulcrum ejus novemdiali devotione, et crure cereo ibidem C appendendo. Tum cœpit se melius habere, ita ut potuerit (quamquam admodum difficulter) promissam devotionem inchoare; cumque ad sepulcrum orasset, sensit sibi etiam melius esse, et commode reversa domum est, atque ante completam novemdialem devotionem omnino incolumis fuit. Eadem virgo alias febri ac vehementi capitis dolore afflicta, ut multis diebus et noctibus nullum potuerit somnum capere, ad B. Ludovicum pia prece recurrens, eadem nocte dormivit, et postero mane se febris expertem et sine ullo dolore capitis sensit.

apostema pestilens, apoplexia,

64 Agneti Valero, filiæ Joannis Gari pellionis, pestilens in facie ortum apostema est, ex quo hæc tota intumuit, erantque ejusmodi illud venenum ac tumor, ut medici de ejusdem vita actum esse, pronunciarent. Una e sororibus ejus, Ursula Antonia nomine, vicem illius miserata, B. Ludovici patrocinium pro eadem flagitavit, moxque detumuit facies, recessit febris, et infirma extemplo convaluit. Hieronymus Salvatore, velorum opifex, cum apud aliquot amicos suos, apud quos cœnaverat, se recreasset, rediretque Valentiam, prope conventum de Remedio *c* tam vehementi malo apoplectico correptus fuit, ut ex equo prolapsus *c* sensuum expers jaceret, ore ad aurem fere usque D detorto, totusque nigrescens. Hunc scalis impositum circa mediam noctem ad ejusdem matris ædem portarunt; ubi, cum cœpissent medicamentum a medico præscriptum ei præbere, tantopere contremuit, ut reliquum non dederint. At mater afflictissima B. Bertrandum invocavit, supplicans, ut filium suum misericorditer respiceret : quæ illa precante, ecce os infirmi ad locum suum reducitur, aperiuntur oculi, et ipse mane se salvum comperit. Proinde ad sepulcrum Sancti debitas gratias persoluturus accessit; grave, quod subierat, periculum admirans, cujus ipse non meminerat, imo nec ullum dolorem senserat.

palati vulnus, capitis tumor,

65 Paula, Joannis Gregorii febri lignarii filia, annorum duodecim, in cannam incidens, eam ori suo infixit, indeque grave vulnus in palato recepit. Hinc ex ore naribusque tam copiosum sanguinem fudit, ut suffocari sibi videretur. Multa ad eum sistendum adhibita remedia fuere; sed frustra, eoque in statu illa triduo perstitit, nec quidquam interim comedere aut bibere potuit. Mater ejus Agnes Garzia E eam B. Bertrando commendavit, promittens, se novemdialem devotionem celebraturam, et guttur cereum ad sepulcrum oblaturam; stetitque sine mora sanguis, cœptaque novemdiali devotione, priusquam hæc compleretur, puella convaluerat. Sperantiæ Vergara, Vincentii Monforte uxori, ortus in collo erat tumor magnitudinis capitis sui, qui ei per annos septemdecim adhæsit magno cum dolore, nec permittebat eam laborare. Asserebant autem medici, illam, si tuber amputaretur, sine dubio morituram. Nihil igitur in humana ope sibi reliquum esse, cognoscens, nec posse se ad familiæ suæ sustentationem laborare, B. Bertrandi patrocinium expetiit; et quadam nocte post fusas preces dum dormiret, sine ullo sensu apertus tumor est, ex eoque copiosa aqua effluxit per exiguum foramen, quod deinde facile curatum fuit.

gutturis vulnus, vehemens brachii dolor,

66 Vincentius Monforte, prædictæ Sperantiæ maritus, inter rixas cum aliquibus sibi parum amicis habitas, ignivoma fistula bellica pessime læsus in gutture est, ut ex ore in stomachum nihil posset transmittere, et præ sanguine erumpente destitutus sensibus et prolapsus in terram ultra horæ spatium velut mortuus jacuerit. Hoc audito, uxor ad maritum advolavit; sed non permissa fuit ad eum accedere, quia ille moriebatur. Projecit ergo se in genua, beatumque Bertrandum enixe precata est, ne saltem permitteret ipsum peccato mortali obnoxium mori. Paulo post erexit se vulneratus e terra, et obnixe conatus est suis pedibus ac sine alterius adjutorio domum suam pergere, et perseverante in precibus suis uxore, intra breve tempus sanatus fuit, mirantibus omnibus, qui ipsum tam lethaliter læsum viderant. Antonio Joanni Poncet sutori, dum ratione levis febris sanguine minueretur, in ipsa venæ sectione vehemens in brachio ortus est dolor, ex quo duabus noctibus et uno die fremuit, neque dormire potuit, nec levamen aliquot reperire. Quam ob rem B. Bertrandum beatumque Nicolaum Factorem deprecatus est, pauloque post obdormiens tribus quatuorve horis quievit, et expergiscens se febri inflammatione omnique malo liberum expertus est.

67 Anna Ruuio Jacobi Angeli, setarum restionis,

dispersa per corpus ulcera,

stionis, uxor, post puerperium suum singulari fastidio capta fuit, ac postridie multa per corpus ejus sparsa tubercula apparuerunt, quæ rupta, maxime in cruribus plura foramina effecerunt, ac peculiariter unum in genu admodum profundum, tamque fœtidum, ut, dum fasciolæ ab eo tollerentur, ferri non posset; qua quidem infirmitate biennium sine ullo ex adhibitis remediis solatio conflictata fuit. Tandem post aliquot dies sine appositis emplastris elapsos quidam vir, nomine Gaspar Perez, persuasit illi, ut B. Ludovici patrocinium posceret, et ulceribus suis decussatim in modum Crucis applicaret aliqua folia vitis nigræ, quia ipsemet B. Ludovicus in suorum crurum morbo eo remedio usus fuerat, ac simul recitaret certam orationem de Passione Christi, quam Beatus pariter recitare solebat. Consilio obsecuta mulier, applicavit dictum remedium, atque insuper promisit novemdialem devotionem persolvere; quam cum biduo incepisset, omnino sanata comperta est, idque miraculum eo majus
B apparuit, quod, licet non omnibus plagis dicta folia apposuisset, ab omnibus tamen eodem biduo convaluisset.

corporis ex partu tumor,

68 Joannæ Explugues, Guilielmi Picot Piscatoris conjugis, corpus ex partu tumidum manserat hebdomadis septem, ut ila se movere non posset. Medici, multis remediis frustra tentatis, eam inde morituram pronunciarunt. Quare animam suam generali peccatorum confessione expiavit, et, invocato B. Bertrando, vovit, curaturam se dicendam Missam ac bonæ molis cereum ad ejusdem sepulcrum oblaturam. Subsecuta nocte placide dormivit (quod antea præ dolore facere nequiverat) postero vero mane sanata fuit pristinasque vires brevi post recepit.

parturientis feminæ febris, et calculi malum abiguntur.

69 Uxor Joannis Segarra, caligarum opificis, Catharina nomine, indies partum expectans, in acrem febrim incidit, et in pejus vergens maculis admodum nigris infecta fuit; quod malum ejusmodi est, ut pauci ex eo convalescant. Hoc in statu dolores partus ei exorti fuere, quæ, ne ex eo morbo moreretur, B. Bertrandum invocavit; cumque adducta esset obstetrix, illa jam pepererat, et libera febri et
C maculis mansit; quod miraculum medicus non
d satis potuit mirari. Recto in Bicorb *d*, Acacius Frances appellatus, duobus mensibus Valentiæ calculis laboravit, continuo vociferans; at cum post multa remedia nequidquam tentata B. Ludovicum toto triduo invocasset, sine ullo dolore emisit calculum, instar nuclei palmulæ grandem, quem auro includi curavit, atque in tanti beneficii memoriam ad ejusdem Beati sepulcrum appendi.

ANNOTATA.

a Castelar *comitatus*, Bicorbe *baronatus est, versus regni Valentini, qua hoc Castellæ regnum respicit, limites siti.*

b *Imo ad* Alfasar; *Boylorum de Arenos antiquam possessionem, media leuca Valentia dissitam.*

c *Extra portam marinam juxta Valentiam situm.*

d *Vide lit.* a *hic.*

CAPUT V.

Miracula per S. Ludovici Bertrandi reliquias a Deo patrata.

cap. v. *Per Sancti reliquias Philippus III*

Philippus III rex *a* a nativitate sua quodam laboravit incommodo, propter quod pater ejus Philippus II rex voluit, ut ille in pueritia sua gestaret scapulare candidum, palma aurea acu pictum, ex devotione erga S. Petrum martyrem *b*, singularem teneræ ætatis patronum. Cumque laudatus rex anno MDLXXXVI Valentiam venisset, et cum eo prædictus serenissimus princeps, postquam conventum Prædicatorum ante omnes alias ecclesias, excepto archiepiscopatu, sua regia præsentia honoraverat, ad eumdem conventum secundo venit; et sepulcrum E
B. Ludovici Bertrandi visitans, magistro fratri Vincentio Justiniano, ejusdem loci tunc Priori, mandavit, ut a scapulari ejusdem B. Ludovici abscindi juberet, quantum sufficeret ad parvum scapulare dicto regio principi faciendum.

a

b

quodam incommodo liberatus,

71 Fecit id prior in palatio regio, quod rex habebat Valentiæ, et accepit illud, quod princeps ferre soluerat. Post multum temporis perpendens, scapulare, quod princeps gestabat, jam fortasse detritum esse, misit aliud Matritum, factum ex residuo dicti scapularis B. Ludovici; quod cum regius princeps peculiari suo usui acceptasset, cœpissetque gestare, sensit incommodum suum minui, eoque tandem plane liber evasit. Qua de causa accepti a sancto beneficii memor, simul atque cœpit regnare, pro eodem inter Sanctos solemniter referendo ad Clementem VIII summum Pontificem litteras dedit, ac sæpius iteravit, ut in hujus Historiæ libro IV videbitur.

ulcera fugata;

72 Vincentia Moregli, filia Widnæ Casaus, septem menses affixa lecto fuerat graviter tumida, plenaque quibusdam ulceribus fœtidis, per totum corpus dispersis; quam medici plurimis medicamentis sanare frustra conati sibi reliquerant, nihil præterea tentantes. Allatum ei fuit frustum telæ, qua B. Ludovicus, tunc recens F
mortuus, ad tergendam cruris plagam soluerat uti; quod illa cum magna devotione et gaudio in manus suscepit, ac Beatum invocans, eodem frusto signum crucis super singulis ulceribus formavit, orsa a genu, quod, simul atque signatum fuit, illa potuit extendere; ac pari ratione, prout pergebat illa attingere, cetera ulcera curata fuere; ex quorum aliquibus, quæ brachia infecerant, frustula ossium prodierunt. Postquam omnia tangere finierat, cessavit omne malum, tamque incolumem se experta fuit, ut mox e lecto surgere et domestica negotia peragere potuerit, atque ad persolvendas debitas grates ad ejusdem Beati sepulcrum accesserit.

relicta a medicis, visu orbata,

73 Domina Isabella Escriva desperata erat a medicis, cum mater ejus, ea usa occasione, quod tum temporis digitus B. Bertrandi (ille ipse, qui in sacristia Prædicatorum Valentiæ servatur) thecæ argenteæ includendus esset, oravit, ut infirma eo tangeretur; quo concesso, dum digitus iste illius capiti imponebatur, illa se melius habuit, ac brevi post omnino convaluit. Mater

soror

A. Avignono. foror Agugliona, Ordinis S. Francisci multos annos ex oculis laboraverat, eoque jam pertigerat, ut velut visu omnino destituta esset : sed simul ac illustrissimus dominus episcopus Michaël Espinosa cingulo B. Bertrandi crucis super eam signum formavit, perfectum visum subito recepit.

regni Valentini gubernator, ejus filius et filia, c

74 Illustris dominus Jacobus Ferreri, eques S. Jacobi, ac civitatis regnique Valentini gubernator, dum anno MDLXXXV Montione *c*, ubi Philippus II rex suam regiam tum habebat, versaretur, in febrim incidit et ad extrema deductus fuit. Tum B. Bertrandi implorata ope, ejusdem pictam effigiem jussit in cubiculo in conspectu suo appendi, ejusdemque tunica, quam in magna veneratione habebat, se induit. Quibus factis, subito sanatus fuit. Eodem modo filius illius dominus Ludovicus, dum Valentiæ ægrotaret, filiaque vicecomitissa de Celua, in periculoso puerperio et abortu trium prolium septem mensium bonam valetudinem adepti fuere.

puer ex variolis contractus,

75 Gregorius Marco, quatuor circiter annorum puer, variolis laborans vi morbi sic fuerat contractus, ut genibus suis supra pectus constri-
B ctis, se movere non posset. Eadem causa obstabat, quo minus eum possent portare ad B. Bertrandum, qui tum adhuc vivebat, licet hic servus Dei intra paucos dies dehinc mortuus fuerit. Primo post ejusdem obitum die Mercurii soror Joanna Marco, tertii Ordinis S. Dominici, dicti infirmi soror, illum B. Ludovico, in loco, in quo hic sepultus erat, flexis genibus, commendavit, et particulam vestis ejusdem Beati a patribus Prædicatoribus acceptam secum ferens, domum reversa rogavit puerum, in quia corporis parte maxime doleret ; qui respondit : In genibus. His ipsa particulam vestis applicavit ; eodemque tempore puer ait, nullum se amplius in genibus sentire dolorem.

ex aliis alias laborans morbis,

76 Pari modo de aliis, quæ maxime afflicta essent, membris interrogatus sigillatim indicavit, ad quorum singulorum a sorore attactum aiebat ille singula non amplius dolere ; ita ut jam in nulla sui corporis parte affligeretur, rectoque extensis cruribus totus sanus esset. Altera quoque vice idem puer ægrotavit, ac impositis ipsi dictis reliquiis convaluit. Cum idem tertio
C in morbum, eumque maxime periculosum, incidisset, petiit ipsemet, ut ad ecclesiam Prædicatorum deferretur, ubi jussit se super sepulturam B. Ludovici deponi, moxque optatam sanitatem sic assecutus fuit, ut postridie ad eamdem ecclesiam suis pedibus redierit, perrexeritque ambulare, quo voluit. Denique etiam alias per earum reliquiarum usum sanitate donatus fuit.

genu cruribusque tumida, lethargo oppressa,

77 Domina Isabella Boil, illustris domini Joannis Boil de Arenos, dynastæ de Alsafar *d*, filia ex partu unum genu et crus tam acerbo dolore afflictum retinuit, ut toto corpore inde male affecto, oporteret eam in sedili portare. Pater ejus illustris dominus Joannes accessit ad B. Bertrandi sepulcrum pro filia sua oraturus, et particulam tunicæ, in qua ille mortuus fuerat, multa prece a patre magistro fratre Petro de Salamanca obtentam eidem filiæ suæ, in Alsafar commoranti, transmisit, quam cum illa debita cum devotione recepisset, et invocato sancti nomine, genu applicasset, hoc simul cum crure confestim detumuit, omnis dolor abscessit, ipsaque optime incedere potuit. Paucis diebus post ejusdem illustris dominæ Isabellæ serva in profundum lethargum incidit, unde de vita peri- D
clitabatur ; quæ cum antea vidisset mirabilem prædictarum reliquiarum in domina sua effectum, petiit, ut suo quoque capiti imponeretur particula vestis istius sancti Fratris (sic illum appellabat) confisa, se sanatum iri, ut vere contigit ; nam ex eo tempore convalescens brevi post omnino sanata fuit.

oculis male affecti,

78 Illustris dominus Balthasar Escriva ex suffusione oculi adeo debilis erat visus, ut velut plane cæcus esset ; nec varia tentata remedia quidquam profuerant. Cum autem illustris dominus Joannes Valterra conspicilla, quibus B. Bertrandus usus fuerat, haberet, ea ipsi commadavit, qui, implorata ejusdem Sancti ope, iisdem per novem dies usus sine altero remedio amissum visum perfecte recepit, nec deinceps quidquam mali in oculis passus fuit. Quidam mercator, Perpignano dictus, desperato visu suo, curavit se ad domum laudati Joannis Valterra deduci, oravitque, ut B. Bertrandi conspicilla sibi imponi permitteret, fretus, hac ratione visum sibi restituendum. Annuente Valterra, ille continuis novem diebus ad eamdem domum conspicillorum usus gratia accessit, E
elapsisque his novem diebus, visum integrum recuperavit.

animi deliquium crebro passa surdaque,

79 Dominæ Franciscæ de Castelui, Hieronymi Dixar uxori, ex infelici partu adhæserunt quædam animi defectiones, quæ multis annis eam identidem corripuerunt. Postquam vero, remedia omnia, quæ adhibuerat, non modo inutilia, verum etiam noxia sibi esse comperat, suasit ipsi soror ejus, nomine Maria, ut fasciam, quam ex panno lineo, in quo B. Bertrandus obierat, abscissam habebat, cordi suo imponeret, seque eidem Beato devote commendaret. Fecit id domina Francisca, nec malum istud deinceps umquam experta fuit. Cum paucis post annis sinistra ejusdem Franciscæ gena cum livore intumuisset, ac subsecuta esset ex utraque aure surditas, adverteretque, malum viginti quatuor horarum spatio magis invaluisse, omne medicamentum respuens, B. Bertrandum invocavit, et extremam prædictæ fasciæ oram auribus suis inseruit : quo facto, sine ulla mora detumuit gena, restitutus auditus est, nec istud mali eam dehinc umquam corripuit.

puella ex febri, alteraque ex variolis a medicis desperatæ, membris impeditus sanitati restituti :

80 Paucis post B. Bertrandi obitum diebus F
domina Maria, illustris domini Philippi Castelui dominæque Joannæ Ribot filia, tum trium circiter annorum, in morbum inciderat, febrim scilicet ac fluxum ventris, quæ ipsam tam vehementer debilitavit et nausea affecit, ut, cum per aliquot dies nihil cibi degustare potuisset, solo jusculo sustentanda fuerit : quam ob rem omni spe salutis ejus destituti medici affirmarunt, eam a solo Deo sanari posse. Petiit autem puellula, ut stomacho suo imponerent B. Bertrandi soccum laneum, qui in domo servabatur, allatumque ipsamet suo stomacho applicavit : eodemque momento temporis pulsa febri, cibum petiit, comedit, et bene se habuit. Accedentes postridie mane medici potius rogaturi, an illa diem suum obiisset, quam visituri, ut audierunt, eam vivere, viderunt-que, admodum attoniti hæserunt. Dominus Joannes, ejusdem domini Philippi Castelui filius, dum quatuor circiter annorum erat, ex variolis brachia, manus pedesque impedita retinuit ; at post multa remedia nequicquam adhibita, lacinia lintei, quod in lecto B. Bertrandi, quando

A quando obiit, stratum fuerat, involutus, subito convaluit. Alias quoque, cum idem dominus Joannes pedibus ita captus esset, ut in brachiis et lectulo gestandus esset, dixit dominæ Mariæ de Castelui viduæ, quæ fuit uxor illustris domini Francisci Martini, se, si fascia, ex B. Bertrandi linteis facta, sibi applicaretur, sanatum iri. Hoc facto, sine ulla mora ille per domum ambulavit.

dolor dentium, grave digiti malum, febris, distorsio pedis,

81 Catharina Blesa, puella nubilis, magno dolore dentium affecta, fasciam B. Bertrandi suo ori imponens, liberata fuit. Sororis Raphaëlæ Soler, Virginis Tertii Ordinis S. Dominici, unum e dextræ manus digitis grave malum corripuit, quod eam acriter cruciabat. Quo post varia applicata remedia nihil remittente, acceptam a patre fratre Michaële Herrero, confessario suo, fasciam, qua B. Bertrandus quondam usus fuerat, afflicto digito apposuit, eademque hora istud malum cessavit. Ejusdem fasciæ usu quædam ejusdem soror, graviter febricitans pari modo sanitatem obtinuit, ac confestim e lecto prosiluit. Eadem soror Raphaëla a distorto

B pede tantum cruciabatur, ut fractum crederet. Cui cum suaderetur, ut omni nisu contenderet ad B. Bertrandi sepulcrum visitandum; ibi enim sanandam; licet quidam cognatus ejus, datum consilium ridens dixerit, ut aliquem hujusmodi mali curandi peritum arcesseret, illa tamen prædicto Beato freta noluit tunc aliquid remedii admittere præter frustulum habitus ejusdem pedi suo supponendum. Hoc facto, sat virium habuit, ut ad locum, ubi ille primo fuerat sepultus, posset conduci; ibique fusis precibus, exactaque novemdiali devotione, sanata fuit.

luxatum brachium, pleuritisque depulsa; sensus restituti,

82 Quædam puella, Justa Gliosa nomine, in obsequiis Raphaëlæ Soler, luxatum brachium suum cuidam magni nominis ac experientiæ in ea professione viro novem dierum spatio curandum commiserat: sed cum dolor in eo semper ingravesceret, applicatis ad brachium istud reliquiis B. Bertrandi, nulla interposita mora, absque alio medicamento evasit incolumis. Vincentia Martinez in obsequio ejusdem Raphaëlæ Soler, cum acri pleuritide laboraret, post varia medicamenta nequicquam usurpata, admotis ipsi B. Bertrandi reliquiis, in somnum incidit,

C et expergiscens sanam se reperit. Isabella Joanna Lopez per sex hebdomadas vehementi febre conflictata, jamque triduo loquela, visu ac sensu tactus destituta fuerat, nec quidquam alimenti sumpserat, præterquam quod gossypio, aquæ intincto, ejus os refrigerarent; ipsis medicis admirantibus, quod tamdiu sine ullo alimento superesset in vivis. Aderant duo Religiosi Ordinis S. Dominici, qui illius domino, Francisco Blanes, nobili equiti, dixerunt, cum infirma destituta sensibus esset, ita ut non possent eam solari aut aliter juvare, se recessuros, relictis super corpore ejusdem aliquot variorum Sanctorum Reliquiis, quas attulerant; atque ita fecerunt. Singulis autem ei applicatis, illa nihil se movit; sed cum B. Bertrandi (cui eam dominus ejus commendavit, obsecrans per devotionem, qua ipsum vivum mortuumque semper fuerat prosecutus) reliquiæ eidem applicarentur, eo ipso temporis momento ægra aperiens oculos cœpit multo melius se habere, atque infra paucos dies omnino convaluit. In hujus miraculi monumentum allata ad sancti sepulcrum fuere, quæ pro ejusdem funere jam erant parata.

A. Avignono. *abactus laterum dolor, vulnus lethale sanatum,*

83 Filia Francisci Ferreri ac Benedicti, quæ postea monacha facta est in monasterio S. Juliani, Ordinis S. Augustini *e*, misere cruciabatur malo laterum, cujus digito cum mater sua inseruisset annulum osseum, quo B. Bertrandus olim fuerat usus, omnis dolor eam protinus reliquit. Thomasa Angela Alberola, Cosmæ Morat futoris uxor, ad id vitæ suæ extremum perducta erat, ut jam non amplius videret, nec loqueretur, jamque sacro infirmorum Oleo uncta esset. Attulit ei pater Franciscus Clemente B. Bertrandi digitum, ejusdemque ori inseruit, alta voce inclamans, ut se Beato commendaret. Percepit illa voces, et, quam potuit devotissime, illius opem in corde suo imploravit: cum ecce confestim visu ac loquela receptis, petiit, quid id esset, quod suo ori imposuerant; auditoque, fuisse digitum B. Bertrandi, extemplo sese etiam melius habuit, et brevi post integra sanitate potita fuit. Joannes Lopez, gubernatoris janitor, a quodam Mauro, quem, ut ad dominum rediret compellere volebat, præacuto fuste in ventre sic læsus erat, ut sanguis aliaque ex ejus ore profluerent. Quam ob rem me- E
dici vitam ejus certo deploratam affirmabant: verum, imposita eidem B. Ludovici tunica, ille subito cœpit melius habere, ac brevi sanatus fuit.

pulsæ febris et colli tumor, curatum capitis vulnus,

84 Frater Gaspar Lopez, Ordinis S. Hieronymi, antequam religiosum statum suscepisset, valida febri collique tumore laborabat, cum quædam mulier ei suasit, ut B. Ludovicum invocaret, ejusdemque vestimenti frustum, quod illa habebat, suo collo apponeret. Obtemperavit ipse monenti, moxque et colli tumor et febris abscesserunt. Quidam adolescentulus, Jacobus Eruas dictus, Alcudia de Carlet *f* *f*
oriundus, mori folia carpens ex arbore decidit, itaque caput læsit, ut medici eum posse sanari, negarent; sed applicata capiti ejus particula habitus Beati, ea nocte dormivit ac melius se sensit: postridie autem mane accesserunt medici, an obiisset, rogaturi; auditoque, illi melius esse, medicari voluerunt; ac inventas dictas reliquias, quæ quid essent, nesciebant, projecerunt in terram: at, dicente adolescentulo, eas ex B. Ludovici habitu esse, sustulerunt et osculati sunt. Deinde vulnus examinantes, F
illum tam felici in statu esse compererunt, ut adolescentulus illico e lecto domoque prodierit.

pedis dolore exstinctus, colli apostema sublatum.

85 Eugenia Specchio, Thomæ Gregorii Falegname conjux, magno in minimo sinistri pedis digito dolore laborabat, quod multis eam annis afflixerat. Aiebant chirurgi, ad curandum necesse esse, extremum ejusdem digiti articulum amputari, quia alte radicatum malum esset, quod ipsam cum gravissimo dolore sex mensibus continuerat domi: cum vero quædam vicina ejus, nomine Gomiza, particulam habitus B. Bertrandi male affecto digito applicasset, subsecuta nocte dormivit, cœpitque notabiliter convalescere, adeo ut intra sex septemve dies perfecte sanata ad Beati sepulcrum actura gratias accesserit. Quædam vidua, Barranca vocitata, habebat filiolam, quam adhuc lactabat, apostemate in collo afflictam, quod chirurgi constituerant postero mane secare. Matthæus Benet Comes, notarius, miseratione motus dedit matri frustulum ex habitu B. Bertrandi, quod dum illa afflictæ parti apposuit, infans postridie mane reperta incolumis est.

ANNOTATA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A. Avignono.

ANNOTATA.

a *Hispaniæ.*

b *Ordinis Prædicatorum, de quo actum est in Opere nostro ad diem* XXIX *Aprilis.*

c Montio *munitum est Aragoniæ oppidum ad Cincam fluvium, Hispanice* Monçon *dictum.*

d *Vide Annotata in cap.* 4 *lib.* b.

e *In suburbio Valentino, S. Bernardi via, quæ ad oppidum Morviedro seu* Muros veteres *ducit.*

f *Inter fluvios,* Siete Aguas *et* Xucar *Hispanis dictos.*

CAPUT VI.

Ejusdem argumenti prosecutio.

B

CAP. VI. *Per Sancti item reliquias febris gemina,* *a*

Anna a Jesu, virgo ex loco Toro *a* in Castella, annorum quadraginta, Valentiæ habitans, in discrimen vitæ deducta erat e febribus, nec quidquam seu alimenti seu medicinæ, quæ ipsi dabantur, retinebat in stomacho; quapropter et medici de ea actum esse, affirmabant. Invisit eam dominus Michaël de Espinosa, episcopus Marocchianus, deditque ei frustulum fasciæ coccineæ, quæ B. Ludovici fuerat, quam osculata infirma sibi imposuit, Beati opem simul implorans, nullaque interjecta mora, se sanam sensit, et ad agendas Beato gratias ad ejusdem sepulcrum se contulit, et imaginem votivam appendit. Maria Ruiz, uxor Antonii Cavaliere, graviter decumbebat ex febri lethargica tam valida, ut majori temporis spatio sensibus ac cognitione destituta maneret. Quo in discrimine cum versaretur, quidam e domesticis patriarchæ, archiepiscopi Valentini *b*, Gaspar nomine, domum illius adiens, alta voce infirmam monuit, ut se commendaret B. Ludovico, ex cujus habitu aliquid penes se habebat, se id C ipsi impositurum asserens, eamque, si certam fiduciam haberet, sanatum iri. Infirma, quamquam gravitate mali multum oppressa, intellexit tamen loquentem sibi, et prout potuit, Sanctum invocavit; cumque dictæ reliquiæ ipsi applicarentur, illico liberata febri fuit, obstupuitque medicus, quod eam, non dico, plane incolumem, sed vel vivam videret.

b

dolores colici, 87 Francisca Villalua, vidua Gasparis Escolano, civis Valentini, quæ nec ulla devotione Beatum prosequebatur, nec credebat miracula illius, dolores colicos pati solita, quodam vespere æstivo tempore postquam Beatus obierat, iisdem correpta fuit. Accessit autem domum ejus quædam persona, paulum panni candidi e Beati habitu afferens, quod illa, utut (ex supra dictis) incredula, parum devote tamen, accepit; eodemque, quo suo corpori applicavit, tempore cessarunt dolores: ipsa igitur se sanatam experiens, easdem reliquias filio suo, doctori Escolano *c*, donavit; at simul atque eo sacro remedio caruit, relapsa in malum fuit, eodemque recepto, rursum sanata. Iisdem reliquiis deinde ex negligentia amissis, cum dicta mulier aliquando esset in sacello S. Vincentii, intravit ecclesiam Prædicatorum Valentiæ, ibique eo- D dem malo denuo correpta fuit. Tum vero consideravit exiguam suam erga B. Bertrandum devotionem, ad cujus sepulcrum hactenus numquam flexerat genua; seque toto cordis affectu illi commendavit, spondens, se, si sanitatem obtinuisset, ejusdem sepulcrum invisuram, ac peculiares quasdam preces persoluturam. Eodem momento sanitatem obtinuit, et ad sepulcrum ejus accedens Beato gratias egit, ac in eodem in posterum frequenter visitando, insigniqueque erga ipsum devotione perseveravit; neque prædictis doloribus umquam denuo afflicta fuit.

melancholia mortifera, 88 Domina Isabella Anna Garces Marsiglia, uxor Joannis Perez, majoris-domus patriarchæ, archiepiscopi Valentini, ex gravissima infirmitate in tantam inciderat melancholiam, ut nocte sequenti nullus in ea pulsus arteriæ deprehenderetur, nulla cognoscendi facultas, ac proinde a medicis desperatæ vitæ judicaretur; sed simul atque illustrissimus dominus Michaël Spinosa, Marrochianus episcopus, B. Ludovici cingulum ei imposuerat, eamque eidem Beato commendarat, idque etiam ipsamet infirma, quam potuit E devotissime, præstiterat, illa cum pulsu arteriæ integram sanitatem recepit, nec medicinis nec medicis præterea opus fuit.

manus ambusta dolor, 89 Joannes Laurentius Roig cum anno MDLXXXI die, S. Dionysio sacra, chartam, cui pulvis pyrius involutus erat, in manu haberet, is igne accensus manum ejus ambussit: eratque dolor tam vehemens, ut ex modo, quo se torquebat, aliave malesuada insania videretur sese in puteum præcipitaturus fuisse. Adhibita fuere multa remedia, quibus tamen ingens ardor non fuit mitigatus: cum domum reversa mater particulam linteaminis lecti B. Bertrandi ambustæ manui sine mora applicavit, illumque pluribus lacrymis, quam verbis invocavit: moxque cessavit dolor et filius quievit. Supererant tunc adhuc in eadem manu aliquot pustulæ; verum hæ intra breve tempus evanuerunt, nullo relicto ambustæ carnis vestigio. In hujus miraculi memoriam manum ceream ad Beati sepulcrum appenderunt.

asthma, 90 Dum idem Joannes Laurentius Roig deinde asthmate laboraret, ei pluribus diebus matutino tempore aquam calidam potandam dedere, qua F corruptos pectoris stomachique humores adeo excitavit, ut suffocari se sentiens de vita periclitaretur, ac proinde ejus confessarius ocyus fuerit arcessitus. Mater ejus, quæ præter tam chari sibi pignoris imminentem jacturam multum verebatur, ne ille sine susceptis sacramentis moreretur, flexis genibus, lacrymans B. Bertrandi adjutorium imploravit, ne saltem sine confessione peccatorum suorum ex hac viti excederet, filioque suo prædictas sacras reliquias applicavit. Quod illa faciente, ita illico convaluit, quasi nullo umquam malo laborasset. Quod miraculum plurimum mirati fuere, quotquot accurrerant exciti ejulatibus, qui ædem paulo ante impleverant.

genæ apostema brachii tumor, 91 Ejusdem Joannis Laurentii sinistram genam alio tempore apostema infecit, quod ut sine sectione dissolveretur, multa tentata sunt remedia, ne cicatrice facies deformaretur. Sed videntes se medici ad sectionem coactos decreverunt eam postridie facere. Interea pia dolensque mater cum sua solita fiducia ad jam sæpius probatum Beati patrocinium ejusdemque reliquias recurrens eas apostemati apposuit. Quo facto,

A facto, ille ea nocte quievit; mane vero gena inventa suit in naturalem statum reducta; atque in ore illius multum puris, quod ex gena effluxerat per exiguam rimulam, quæ cum nullius momenti esset, nullo curata medicamine fuit, ac brevi post sponte clausa. Quinquennio aut sexennio post, mense Julio vel Augusto idem ille Joannes Laurentius vulneratus fuit in brachio, in quo cum oporteret ei venam aperiri, id fieri nequiit, propter humores, qui in eo confluxerant, totumque ad vultum usque tumefecerant. Mater vero B. Bertrandum implorans, ab ejusdem fratre domino Hieronymo petiit ejusdem Beati interulam sibi commodari, qua ut filium induit, confestim vultus brachiumque detumuerunt, ut sine ullo incommodo vena ei aperiri potuerit.

morbus gravis, variæ

92 Christophorus Agramontelli, frater Amatoris, beneficiati in parœcia S. Stephani Valentiæ, tam graviter decumbebat, ut jam loquela pulsuque arteriæ privatus sacro Oleo inunctus fuerit. Quam ob rem prædictus frater ejus eum
B B. Bertrando commendavit, frustulum ejus habitus illius capiti imposuit, omnemque operam adhibuit, ut infirmus quoque corde suo eumdem invocaret. Eodem temporis puncto incepit convalescere, vesperi etiam melius se habuit, ac brevi perfecta sanitate donatus fuit. Cum puer decennis, domini Jacobi Ferreri et dominæ Angelæ Diaz Ferrando filius, febribus eo redactus esset, ut de eo curando medici desperarent, quidam Ordinis Prædicatorum Religiosus, Dominicus nominatus, ad eam ædem veniens suasit, ut pro infirmo B. Bertrandi ope implorata, quæ ejusdem capiti applicaverant, tollerent, ac solum aliquid ex Beati habitu imponerent; ita enim ipsum sanandum. Exsecuta consilium mater est, quæ dum eas habitus reliquias apponeret, adolescentulus sensit se bene habere, cibumque postulavit et comedit, et sanus perstitit quinque annis continuis, in quorum fine idem eum morbus invasit. Hinc recordata genitrix neglecti voti, quo se obstrinxerat, de lodice ad Beati sepulcrum offerenda, votum cum precibus iteravit; moxque æger sanus evasit, mater autem sine mora lodicem cum grandi cereo ad sepulcrum misit, et adolescens postridie per civitatem ambulavit.

C *denuo*

93 Anno MDXCI Rochus Augustinus Banchiere acri febri in discrimen vitæ suæ deductus fuit, visu sensuque jam destitutus et extrema sacra Unctione munitus. Ipsius conjugis soror statum sororis suæ suique cognati miserata fecit sibi a Violanta Giuncar commodari interulam B. Bertrandi, quam post fusas preces infirmo imposuerunt; hic vero, qui ante nihil penitus audire potuerat, intellexit eos, dum dicerent, se B. Bertrandi interulam habere. Vixdum eam moribundo imposuerant, quin ille se suaviter refrigeratum senserit; hincque postquam ea nocte bene quieverat, mane incolumis fuit, petensque, quid per dicti Beati interulam indicare voluerint, responsum accepit, eum hujus usu sanatum esse.

febres,

94 Anno MDLXXXII vel MDLXXXIII vergente ad finem, uxorem, Gasparis Joannis Perez, restium e seta opificis, valida febris invasit, apparuitque in ea maligna ariditas, cum magna inflammatione, quæ e mamma sinistra cœpta totum brachium infecerat. Hoc in casu vir ejus confessarium jubet quam ocyssime arcessi, cui illa præ febri ac dolore vix potuit confiteri. A Avignono. Post hæc jussit sibi dari, quod ex illa B Bertrandi habitu habebat, illiusque mammæ applicavit. Maritus, qui interim descenderat in cubiculum inferius, in quo eo tempore. quo symbolum Apostolorum posset semel recitari, manserat, inde reversus conjugem suam integræ valetudini restitutam reperit, adhuc præsente confessario, qui erat pater Barci Societatis, cum aliis personis, omnibus in admirationem raptis.

laterum dolor,

95 Nobilis eques Joannes Baptista Benedicti solitus erat frequenti laterum cruciatu affligi, et quidem aliquoties tam acri, ut pene adigeretur ad mortem. Cum id ita aliquando accidisset, uxor ejus domina Agnes Antist monuit ipsum, ut B. Bertrandum precaretur, ac permitteret, suo corpori imponi frustum habitus illius, quod ipsa a patre magistro, fratre Vincentio Justiniano Antist acceperat, eoque afflictam partem attingi. Verum ille id bis recusavit, addens, sibi non deesse multos Sanctos sollenniter canonizatos, quos invocaret, et quibus, et non aliis, se commendabat. At malo magis magisque ingravescente, mulier prædictas reliquias, illo E nihil advertente, male affectæ parti apposuit, idque illi indicavit. Tum infirmus constantem uxoris suæ fiduciam intelligens, pietate motus B. Ludovicum imploravit, atque illico cessavit dolor, nec ullum ejusdem mali vestigium umquam deinceps expertus fuerat, quando hæc post elapsos inde tredecim aut quatuordecim annos ista omnia testatus fuit.

morbus immedicabilis, febris maligna,

96 Soror Margareta Agugliona, Tertii Ordinis S. Francisci ægrotabat, et ex judicio medicorum nullo poterat remedio curari; ad quam cum patriarcha misisset Gasparum Aguglioni, presbyterum et ejusdem sororis fratrem cum cingulo B. Ludovici, hocque illius collo alligatum fuisset, lectumque Euangelium S. Marci, illa confestim oculos aperuit et movit caput, quod prius tenebat immobile, surrexitque e lecto salva et incolumis. Cum Vincentius Matthiæ, ætatis annorum circiter quindecim, filius Vincentii Ceuco lapicidæ, maligna febri laboraret, nec quina venæ sectio ei quidquam profuisset, Almenara medicus de eo pessime augurabatur. Quare mater filium in tanto periculo constitutum hortata, ut B. Bertrandi auxilium F flagitaret, particulam tunicæ ejusdem Beati illius capiti supposuit. Obtemperavit filius, statimque cœpit ita convalescere, ut postridie ad agendas Beato gratias illius sepulcrum inviserit.

indurati uberis dolor, sanguinis fluxus,

97 Catharina, uxor Michaëlis Sayas operarii, magno dolore cruciabatur sub altera mamillarum, quæ induruerat instar lapidis, habebatque contractum brachium, quod extendere non poterat, et febri laborabat; quo morbo sæpe conflictabatur. Recordata vero, dominam Magdalenam Magnoz Borgia habere aliquid ex B. Bertrandi habitu, quo dolorem uberis semel curaverat, eam oravit, ut istas reliquias sibi commodaret; quas simul atque suo pectori apposuit, abscessit dolor, dissoluta durities est, cessavit febris et extensum brachium est, nec istud mali illa deinceps umquam passa fuit. Eugenia Fontana, Philippi Fuset civis uxor, ex fluxu sanguinis diebus quindecim vehementer debilitata erat; et ut erat B. Ludovico plurimum devota, jussit sibi a marito aliquid ex ejusdem Beati habitu dari, freta, se illius usu sanitatem recepturam. Accepit illud, suoque

A. AVIGNONO. corpori apposuit; nec mora, stetit sanguinis fluxus, ipsaque postridie e lecto descendit, eoque malo numquam deinde correpta fuit.

uberum ulcera, colli apostema,

98 Angela Vera, Christophori Corvi notarii conjux, jam quater pepererat, nec umquam potuerat proles suas, nisi sola mamma sinistra lactare, quod in dextera semper ulcera pro lacte haberet. In quinto partu etiam mamillam sinistram malum infecit, adeo ut jam sine acerbo dolore lactare nequiret. Allatum est ei aliquid ex habitu B. Bertrandi, quod cum prædictæ mamillæ applicatum fuisset, malo confestim liberata fuit, et facile potuit lactare. Jam quatuor mensibus eam passa fuerat infirmitatem; octiduo autem post sinistræ mamillæ sanationem easdem reliquias etiam apposuit dexteræ, quam pariter sanari obtinuit, potuitque etiam hanc sugendam dare, quod antea numquam potuerat. Raphaëlæ, filiæ doctoris Almenara, ætatis annorum undecim, exortum in collo apostema est, unde et in febrim incidit. Cumque illud jam eo perductum esset, ut deberet secari, vesperi aliquid e B. Ludovici
B habitu eidem applicuerunt; ac postero mane adveniens, ut sectionem faceret, chirurgus, totum tuber evanuisse comperit, cum singulari admiratione patris, qui erat medicus famosus.

caput disruptum, angina, aures surdæ,

99 Magdalena Pastora et di Ordognes filiam habuit, Crispinam nomine, quæ biduo postquam nata fuerat, noctu altum edidit clamorem, inventumque est caput ejus in modum mali granati disruptum fissura valde profunda. Obstetrice negante, infantem posse sanari, mater ejusdem capiti imposuit aliquid ex habitu B. Ludovici, illiusque auxilium piissime flagitavit, vovens, si sua filia inde convaluisset, se lodicem cum cereo ad illius sepulcrum oblaturam, et unam Missam celebrandam curaturam. Intra duas autem horas infans perfecte convaluit. Magdalena Meca, uxor Matthæi Benet Comes, notarii, frequenter patiebatur anginam, quæ eam vehementer affligebat; cumque eadem correpta in ecclesia Prædicatorum esset, ad B. Bertrandum recurrit cum voto de collo cereo ad illius sepulcrum ferendo. Tum domum reversa particulam ejusdem Beati vestis suis faucibus apposuit, ac postridie sana fuit,
C neque id mali deinceps umquam passa. Eadem mulier testata est, sese earumdem reliquiarum usu variis infirmitatibus liberatam fuisse. Cum Catharina Occagna virgo pluribus diebus omni audiendi facultate penitus destituta esset, ante illius ædes transiens pater frater Joannes Ferreri, Ordinis Prædicatorum, lecto Euangelio, aliquid e B. Ludovici habitu ejusdem auribus inseruit, eodemque temporis momento illa amissum auditum perfecte recuperavit.

stomachus oppilatus, guttur tumidum,

100 Dominus Joannes Vives de Canamas oppilationem stomachi patiebatur, ita ut nihil digerere et bibere posset, nisi aquam tepidam, atque hinc admodum molestam agebat senectutem. Ejus filia, domina Hieronyma, dedit ei locellum, qui olim fuerat B. Bertrandi, quo ille, super suo stomacho posito, tantum adjutus fuit, ut brevi convaluerit, potueritque etiam aquam nivatam potare. Isabellæ Joannæ Sapena jam a tredecim aut quatuordecim diebus spina piscis gutturi transversim inhærebat; quam cum nec deglutire, nec ejicere posset, timere cœperat, ne suffocaretur, maxime quod collum jam intumuisset vehementer. Tandem particula vestis B. Ludovici ejusdem collo alligata, ea nocte sine sensu dormivit; mane vero D
subsequenti, detumuerat, nec illa spinam amplius sensit, nec umquam scivit, quid illa factum sit.

corporis tremor, febris geminata,

101 Domina Maria Costa, sumpto medicamento, ex vehementi corporis commotione in grave malum incidit, quod sic illius nodavit linguam, ut nullam integram vocem proferre posset, totoque corpore tremeret: quod quidem malum cum jam duabus horis tenuisset, recordata B. Ludovici, cognati sui, a marito suo Jacobo Bertrando per signa petiit arculam, in qua nonnullas Sancti reliquias servabat, ex cujus habitu frustulum suo collo admovit, ac simul loquelam integram recepit, et tremor corporis cessavit. Dominam Annam Gasco, B. Bertrandi cognatam, febri tertiana duplici laborantem, intensus dolor, qui eam per decem dies sensu privavit, invasit in dextra parte capitis; quam ob rem abscissi ei capilli sunt, atque octies secta vena, unde tamen ipsa nihilo melius habuit, imo multum vergebat ad mortem. Cum vero ex confessario suo, qui Ordinis Prædicatorum erat, audisset miraculum, E
quod per B. Bertrandi patrocinium iis diebus obtentum fuerat, eumdem Beatum invocavit, addito voto de offerendo illi, si sanaretur, capite argenteo; et post hæc imposito capiti suo pileolo, quo ille usus fuerat, illico mitigatus dolor est, ac subsecuta nocte penitus abactus.

et erysipelas sanantur.

102 Bonifacius Ferreri de Altesa, litterarum studiosus, ratione erysipelatis, ex quo ejus vultus collumque intumuerant, extrema sacra Unctione jam munitus, cum misisset, qui B. Bertrandi digitum sibi afferret, advenere duo patres Prædicatores, qui unum ex ossibus S. Petri Martyris, et calceum S. Vincentii Ferrerii attulerunt, quod ad manum non esset desideratus digitus, quem alii patres alio portaverant. Dolentibus domesticis, quod is haberi non posset, promiserunt dicti Religiosi, se eum allaturos; itaque fecerunt; sed solum F
triduo post. Dum vero tandem attulerunt, jam eo redactus erat infirmus, ut nec loqueretur, nec audiret. Admoto fronti digito, subito locutus est, dicens: Quid istud est, quod fronti meæ imposuistis? Visa re tam mirabili, vasculum aquæ eodem digito attigerunt, tentandi gratia, an posset bibere; bibitque feliciter, licet jam quatriduo nihil omnino sorbere potuisset. Postridie evanuit omnis tumor, atque intra triduum ipse perfecte convaluit. Contigit hoc miraculum die XVII Aprilis anni MDC.

ANNOTATA.

a Taurum *oppidum*, *Hispanis* Toro, *Baudrandus ad Durium fluvium collocat; sed in regno Legionensi.*

b *Joannis Riberæ, de quo jam alias sæpe actum.*

c *Forte regni Valentini historiographo, supra aliquoties citato.*

A

CAPUT VII.

Miracula quædam S. Ludovici Bertrandi sepulcrum pie visitantibus facta.

CAP. VII. *Ad Sancti sepulcrum*

Gaspar Ramires, operarius civitatis Valentinæ, anno septimo ætatis suæ correptus malo oculorum, biennium velut visu plane orbatus fuit, postque adhibita varia medicamenta tandem omnino cæcus factus est, ac toto biennio mansit. Noverca ejus Joanna Anna Vincenza suasit ipsi, ut se B. Ludovico commendaret, et novemdialem apud sepulcrum ejus devotionem voveret. Ille, utut tam teneræ ætatis esset, qua potuit, maxima devotione Sanctum invocavit, et a sorore sua Hieronima ductus novem dierum devotionem incepit. Sexto autem vel septimo die obsecravit quemdam patrem, fratrem Gasparem Arnau nomine, ut facultatem (quod magnopere desiderabat) sibi faceret oculos suos arcæ saxeæ, in qua sacrum corpus jacebat, admovendi.

B

cæco visus,

104 Patefacto igitur loco, oculos suos dictæ tumbæ novies devotissime applicavit, Beati opem simul implorans. Postrema autem vice apertæ sunt palpebræ ejus, effluxitque ex oculis magna copia aquæ luteæ; ac deinde ab eadem sorore sua reductus domum est. Conspicata noverca, tantum aquæ ea oculis profluere, petiit, quid fecisset, ut sic illi manarent; qui rem, ut facta fuerat, exponens, respondit, aquam illam prodigiosam esse, et pro ratione, qua illa effluebat, sibi visum convalescere, adeo ut jam inciperet aliquantulum videre. Voluit ergo noverca oculos ejus modica aqua lavare; at non permisit puer, asserens, sperare se, fore ut Beatus sine ullo alio remedio eos sanaret. Ita novemdialem devotionem prosequens, indies melius se habuit; ita ut, hac finita, etiam finita fuerit cæcitas, atque ipse deinceps perfecto visu semper usus sit.

C

claudo gressus,

105 Joannes de Pedevera, in obsequiis patriarchæ versans, in magno atrio archiepiscopalis palatii Valentini stabat ludibundus sub fenestra, per quam quidam sacci caryophyllis pleni trahebantur in altum: cumque eorum unus admodum grandis jam elevatus esset, ruptus funis est, saccusque ex alto recta in ipsum decidit, eumque tam male percussit, ut utramque coxendicem suo pondere ruperit. Hinc velut mutilatus in lecto novem mensibus decubuit, in quorum fine cum cœpisset, nec nisi admodum difficulter, fulcris sustentatus incedere, cum quodam viro ad B. Ludovici sepulcrum missus fuit, quo cum gravissimo cruciatu se pertraxit, cumque ad eum sacrum locum pervenisset, voluit omnibus modis eniti, ut in genua procumberet; quod et fecit. Postquam ibidem multis precibus B. Ludovico se commendaverat, surrexit e solo nullius adjutorio, sive hominis, sive fulcrorum usus, tamque sanum ac firmum pedibus se expertus fuit, ut sine ullo incommodo incesserit, non secus ac prædictas fracturas numquam passus fuisset. Quapropter pro miraculi monumento fulcra sua eidem sepulcro appendit.

A. AVIGNONO.

amissi ex porrigine crines restituti:

106 Hieronyma Giner puella, filia Francisca Giner operarii, in platea Morvedræ, vehementer ægrotans omnes capillos amisit, totoque capite exulcerata fuit; quod multi porrigini, multi strumis adscripserunt. Multa quidem tentata sunt remedia, verum illa indies magis magisque depilabatur. Quo comperto, mater ejus Ursula Soler eam secum ducens novemdialem B. Bertrando devotionem inchoavit, ac primo die post fusas ante Sancti sepulcrum preces, paulum gossypii intinxit in oleo et aqua unius lampadum, quæ ibi ardebant, eoque caput filiæ unxit. Quod cum quidam circumstantium vidissent, dixerunt ei, ipsam male facere ungendo caput oleo; id enim multum nocituram. Verum illa nihil ista curans, Sanctoque freta perrexit ungere, unctoque capiti nihil præter subtile velum imposuit. Tertio die jam cœperunt capilli apparere, et in fine novem dierum suis locis per totum caput enati erant, spissiores, quam ante fuerant, ipsaque omnimodis sanata.

E

sicca ubera lacte donata,

107 Andrea Alreus, uxor Hieronymi Soler operarii in platea Morvedræ, jam ter pepererat, primoque ac secundo, quod lacte careret, proles commiserat nutrici, eæque mortuæ fuerant. Tertio peperit puellam, quam eadem de causa lactandam dedit mulieri, quam domi suæ alebat: cumque infans jam trimestris esset, propter quamdam cum eadem nutrice simultatem, omni ope studuit sibimet ipsi lac procurare, atque inter alia fecit ubera sua a quadam puella sugi; unde factum est, ut sanguis inde sæpius profluueret, ipsaque tam ab hac, quam ab aliis molitionibus abstinere compulsa sit. Ægrotante interim prædicta nutrice, oportuit alteram conducere; quod multum molestiæ miseræ mulieri creabat. In his angustiis decrevit B. Bertrandi patrocinium flagitare, vovitque ad ejusdem sepulcrum novemdialem devotionem persolvere; quam cum inchoasset, sexto die tanta præstantis lactis copia abundavit, ut potuerit sine illo incommodo infantem suam, quæ jam quintum ætatis suæ mensem agebat, ipsamet lactare. Deinceps etiam aliquoties peperit, prolesque suas nullo alio usa remedio feliciter lactavit.

F

strumæ,

108 Christophori Benet Gomez, dum puer erat collum magna strumarum copia infecit, maxime una instar ovi gallinacei grandis, quod malum passus fuit multos annos, priusquam B. Bertrandus moreretur. Verum post mortem illius inclarescente fama miraculorum ejus, uxor Jacobi Antolini mercatoris, quæ Christophorum educaverat, curabatque, suasit illi, ut se eidem Beato commendaret, ac novemdialem devotionem perageret; atque ipsamet voluit eum primo die ad Beati sepulcrum comitari. Dum vero juvenculus devotionem continuaret, strumæ singulæ siccari cœperunt, ita ut, finita novem dierum devotione, malum quoque omne finem habuerit.

febris et colli tumores depulsi:

109 Infantem, Marcum Antonium dictum, Jacobi Perez de Isteglia, nobilis equitis ac doctoris legum, filium, ætatis duorum mensium corripuerat acris febris, apparebantque in collo ejus quidam tumores, unde etiam vultus intumuerat; jam triduo non suxerat ubera, nec potuerat ei quidquam per os instillari; adeo ut medici

A Avignono. medici de illius vita desperassent, atque ipse sine motu jaceret. Hac de causa ipsum velata facie in quoddam inferius cubiculum tulerunt, ne mater morientem videret. At domina Joanna de Heredia et de Pagliares, avia materna infantis, pietate mota misit filium suum, Thomam vocatum in seculo, postea Fratrem Hieronymum, cum frusto cerei longitudinis circiter unius palmi, mandans, ut illum ad sepulcrum B. Bertrandi accenderet, ibidemque pro infante oraret, donec cereus consumptus esset. Hoc facto, illoque, ut matri rationem redderet, reverso, discooperuerunt infantem, et viderunt illum se moventem, collum quoque ac faciem sine tumore, oculos apertos, reliquum etiam corpus vividum, atque omnis febris expers. Nec mora ille lac sugere cœpit. Idem Marcus Antonius, cum ad ætatem decem vel duodecim annorum pertigisset, gravissimo malo, quod in genu patiebatur, liberatus fuit per B. Bertrandum eo ipso temporis momento, quo mater hunc
B pro illo precabatur.

sublata brachiorum impedimenta,

110 Violanta Ludovica Pla ex malo apoplectico brachium dexterum impeditum habebat, cum chirurgus sinistri venam aperiens unum e nervis læsit, atque ita ipsa utroque brachio capta fuit cum intolerabili dolore. Cum vero ex consilio cujusdam amicæ suæ brachia sua ungi curasset oleo lampadum coram B. Bertrandi sepulcro ardentium, ea ambo in pristinum vigorem illico restituta fuere. Ursula Marc, Francisci Tibona conjux, ex qudam infirmitate utriusque brachii usa remediis in dies pejus habebat. Ad patrocinium itaque B. Ludovici recurrens, novem dierum devotionem ei vovit; qua cœpta, cœpit pariter brachiorum impedimentum minui, et ante prædictæ devotionis finem incolumis evasit.

et uberis gangræna :

111 Catharina Alegre, detecta in altero uberum gangræna magnitudinis mali aurati, quam medici immedicabilem pronunciabant, ad B. Bertrandum, erga quem etiam prius pie affecta fuerat, se convertit, novemdialem devotionem pollicens. Quantum autem progrediebatur in implendo voto, tanto melius se sentiebat, ita ut finita novemdiali devotione nullum istius mali vestigium in ea superfuerit. Sic
C sanatam videns quidam chirurgus, nomine Morano, qui, malum insanabile esse, ei asseruerat, nequiit satis admirari, affirmans, se id numquam crediturum fuisse, nisi suis oculis vidisset. Aliquo tempore postquam prædicta Catharina se viderat sanatam, ut erat Dei timens, incessit eam conscientiæ scrupulus, quod eam gratiam postulasset; quia videbatur sibi uti potuisse eo malo tolerando ad ingens lucrum in cœlo comparandum. Ea de causa aggressa est alteram novem dierum supplicationem, Beatum obsecrans, ut, si animæ suæ utilius esset, ipse intercederet apud Deum pro eodem morbo sibi denuo immittendo. Absoluta ea devotione, cœpit pectus iterum intumescere; deinde tam profunda in eodem apparuit plaga, ut assereret chirurgus, se per eam intestina ejus videre : ipsa vero infirmitatem istam amplius toto anno patientissime toleravit.

ex partu tumida, brachiis contracta,

112 Anna Salvador ex partu eum in modum tumida evasit, ut nequiret se movere, itaque permansit a die S. Rocho sacra, quæ est XVI Augusti, usque ad XXX Novembris; quo interim tempore ex remediis nihil proficiens, cœpit uti fulcris, quibus innixa magno cum cruciatu incedebat. Tandem commendavit D
se B. Ludovico, et ad sepulcrum ejus visitandum se contulit, dumque ad ecclesiæ fores pervenerat, dimissis ibidem fulcris, quo potuit nisu, ad prædictum sepulcrum processit, ibidemque bono temporis spatio precata surrexit salva et incolumis, et expedite progrediens, fulcra sua sepulcro appendit. Beatrix Spina, virgo annorum triginta trium, testata est, se, dum cum aliis ante B. Bertrandi sepulcrum esset, vidisse pauperculam mulierem, quæ fuerat lotrix, ambobus brachiis contractam, ut ea movere non posset, ibidem orautem, et magno labore brachia sua sepulcro admoventem; ac deinde eamdem audisse alta voce cum fletu dicentem, sese esse sanatam; uti reipsa compertum fuit a circumstantibus, aliisque, qui ad ejusdem voces accurrerant.

strumis pessime affecta,

113 Angela Hieronyma Castelli, uxor Augustini Perez, dum octennis erat, e pergula deorsum deciderat; ex quo lapsu exorta circum collum ejus sunt multa tubercula, quæ medici pro strumis habebant, quæque, dum curare vole- E
bant, tam amplas plagas fecere, ut eas curari conspicata soror ejus animo linqueretur. Mater advertens, humanis medicamentis nil profici, infirmam ad sepulcrum B. Bertrandi duxit, eumque ibidem multis sparsis lacrymis precata est, ut dignaretur paupertatem suam benigne respicere, quippe quæ non haberet, unde se suamque familiam sustentaret. In hac afflictione vidit eam janitor, frater Antonius Ballestrier, solatus est illam, jubens confidere, fore ut B. Bertrandus remedium ei præberet; et particulam vestium ejusdem Sancti eidem dedit, quam mater sine mora collo filiæ alligavit, et tam hæc, quam illa novemdialem devotionem voverunt; qua persoluta, filia tam perfecte sanata fuit, ut nullum pristini mali in ea vestigium appareret.

brachio capta, hernia laborans,

114 Dum eadem Hieronyma aliquot annis post vesperi apud B. Bertrandi sepulcrum esset, vidit quamdam mulierem externam, quæ puellulam, ut videbatur ei, ætatis octo vel decem mensium, in sinu suo gestabat, uno brachio captam; quæ mulier orandi causa ibidem provoluta in genua petiit modicum olei e lampadibus, quæ eodem loco ardebant. Quidam igitur F
Religiosorum obvius unam lampadem misit deorsum, et gratificatus mulieri est; ipsa vero eo oleo brachium infantis unxit, hæcque continuo sanata fuit, et mater præ gaudio lacrymans B. Bertrando pro tam insigni beneficio gratias egit. Petrus Siria lorarius, jam inde a pueritia sua heruiam passus, simul atque B. Bertrandus obiit (quo tempore potuit ætatis circiter annorum quadraginta trium fuisse) auditis insignibus illius miraculis, devotionem novemdialem apud sepulcrum ejusdem inchoavit, deprecans, ut tam molesta infirmitate liberaretur; ac, completa devotione, sanatam herniam, seque incolumem expertus fuit.

strumis infectus sanati : operario

115 Dominus Joannes Boil de Arenos solebat eleëmosynas largiri cuidam pauperi juveni, per civitatem Valentinam mendicanti, natione Longobardo, strumis infecto, suasitque aliquando ei, ut ad sepulcrum B. Bertrandi sanitatem precaturus accederet. Obsecutus est juvenis, et, fusis precibus, collum suum oleo lampadum, quæ apud illud ardent, unxit, et sanitate potitus est; quemadmodum ipsemet dicto domino Joanni exposuit, vestigia strumarum

A rum ostendens. Joannes Salvatore, operarius
a in Alboraya *a*, quodam die inter laborandum tam vehementem in altero pedum dolorem sensit, ut ruptum crederet; ac proinde accessit ad aliquam mulierem Valentiæ, ejusmodi mala curare peritam, ut sibi medicaretur. Applicavit hæc medicamenta sua, quibus ille non modo non sanatus, verum etiam toto isto latere suo dextro captus fuit; ut, cum nec incidere posset, nec extendere pedem, in brachiis baiulandus fuerit; quo in afflicto statu amplius anno permansit sine ullo ex adhibitis medicamentis levamine.

pedum 116 Auditis vero multis, quæ B. Bertrandus patraverat, miraculis, effecit, ut ab uxore sua jumento mutuato impositus ad ejusdem Beati sepulcrum duceretur, quo ex nimia debilitate ac molesta ex Alboraya vectura cum labore et cruciatu pervenit. Cum ad fores conventus pertigissent, conjux, quam potuit, commodissime e jumento deposuit, et in ecclesiam introduxit; et quia ipse admodum defessus erat, de-
B liquium animo passus est, in eoque bono temporis spatio inhæsit. Recepto deinde animo, omnibus viribus conatus est, ut ope conjugis suæ ad prædictum sepulcrum usque pertigerit, ante quod positis genibus, B. Bertrandum sibi propitium invocavit, ac paulo post sacellum Rosarii aliaque altaria commode ac sine adjutorio invisit. Sed dum ecclesia egressus equum rursus ascendisset, ut eodem, quo advenerat, modo domum rediret, primum malum eum corripuit, atque ita ipsi bis terve præterea accidit.

usus 117 Quapropter, expendens, se, dum erat in ecclesia, posse incedere, et simul atque ea egressus esset, eodem malo impediri, suspicatus est, fortasse placere Deo, ut suis pedibus, non equo, ecclesiam adiret. Jussit ergo uxorem suam par fulcrorum sollicite conquirere, Sanctumque precatus, ut sibi vires sufficeret, quibus posset horum ope ad sepulcrum ejus pervenire, commisit se itineri ex Alboraya Valentiam (quæ media circiter leuca distant) paulatim se promovens, et amplius quatuor horas impendens. Postridie eidem itineri non ultra horam
C immoratus est, jam tum incipiens se melius habere; cumque Beatum interea cum certa fiducia continue invocasset, in pedes exsurgens visus sibi incolumis esse, fulcra ibi dimisit, suisque pedibus reversus domum est, et pristinos labores resumere potuit, ac per duos menses sanus perstitit.

iterato redditus, abactæ colli strumæ. 118 At cum tunc aucupio operam daret, spisso imbre in agro madefactus in eamdem infirmitatem relapsus fuit; sed eadem devotione resumpta, tertio, quo sepulcrum visitavit, die perfectam sanitatem denuo obtinuit, ac deinceps semper servavit. Dominus Michaël de Villanova puer, totum collum suum habebat magnis ac maturis strumis respersum: novemdialem devotionem ad B. Bertrandi sepulcrum persolvit, dumque ille id ageret, strumæ continue abactæ fuere, ita ut, finitis novem illis diebus, totum istud malum pariter penitus cessaverit.

ANNOTATUM.

a *Vide num.* 117.

CAPUT VIII.

Alia item miracula ad ejus sepulcrum facta.

CAP. VIII. *Ad ejusdem Sancti sepulcrum accrementum carneum, corporis totius dolores,*

Joanni Angelæ Lopez ætatis annorum undecim quoddam accrementum carneum in altero oculorum enatum est, quo visus impediebatur; cui malo, quod in tam delicata corporis parte esset, non sunt ausi mederi, pejora veriti. Mater ejus Isabella Joanna Armengol ex consilio dominæ Annæ Valterra eam ad sepulcrum B. Ludovici adduxit, ibique præmissis piis precibus, accepit ex oleo appensarum lampadum, eoque accrementum istud unxit, et devotionem novemdialem ad sepulcrum peragendam pollicita est. Primo autem die, quo eam incepere, post fusas preces illud denuo unxit; dumque domum rediret, comperit, E istud decidisse; et oculus purus, clarus atque illæsus mansit. Margaritæ Begliot, uxori Jacobi Buyrac, erat filiola, nomine Clementia, octo circiter annorum, quæ multos in corpore suo patiebatur dolores, qui per medicamentorum usum etiam augebantur. Quodam die puella a patre petiit, ut B. Bertrandi corporis mensuram secundum ejusdem effigiem saxeam super illius sepulcro positam, sibi afferret; sperare enim, se ea ratione sanandam. Pater effigiem illam mantili mensuravit, quod statim ac infirmæ imposuit, illa sanitatem recepit, nec eo morbo deinceps correpta fuit.

febris, oculi, et brachium male affecta, 120 Augustini di Naves, inauratoris filium, ætatis suæ ano quinto febris et oculorum morbus ita invaserunt, ut vix videret; sed post persolutam B. Bertrandi sepulcrum novemdialem devotionem ab utroque malo mox perfecte convaluit. Isabellæ Joannæ Beltrani, Francisci Ferreri, textoris panni serici villosi uxoris, filiæ anniculæ sinistrum brachium quædam crustæ occuparunt, aqua lutea manantes, quæ firmitas tribus mensibus ei adhæserat, multis interim remediis frustra tentatis. Tandem illam F ad B. Bertrandi sepulcrum delatam ipsi commendarunt, inventosque super saxo sepulcrali flosculos siccatos, super eodem diligenter confricuerunt, et collecto eorumdem pulvere, dum domum redierant, amotis a brachio emplastris, idem brachium asperserunt, B. Ludovici nomen simul invocantes. Postridie explorandi gratia nudatum brachium penitus detumuisse, sanumque atque omni malo malique vestigio liberum compererunt.

excitas, amentia, 121 Cum Vincentia, filia Gines Martinez, piscatoris Valentini, anno ætatis suæ circiter sexto visum plane amisisset, quædam illius matertera, nomine Casaus, eam ad visitandum B. Bertrandi sepulcrum duxit, ibidemque positæ mandavit, ut precibus insisteret, donec ipsa Missam in sacello S. Vincentii audivisset. Oravit ergo puellula, atque inter orandum aperuit oculos viditque perfecte; plenaque lætitia materteram suam in ecclesia quæritando processit, hæcque una cum ipsa sancto gratias reddidit. Hieronyma Augustina, Francisci Garzia chirurgi uxor, a mense Junio usque ad Octobrim anni MLXCI laboraverat febribus et lethargo,

A. Avignono. go, ex quibus dum convaluerat, tam debilis capite mansit, ut evaserit amens. Tentata quidem sunt multa remedia; sed nihil hisce profectum est. Contigit autem, ut maritus illius in Gestalgar *a*, quo ad aperiendam venam cuidam dominæ graviter ægrotanti accesserat, videri hanc, implorata B. Ludovici ope, subito fuisse sanatam. Hinc et ipse statuit novemdialem devotionem ad ejusdem Beati sepulcrum pro incolumitate conjugis suæ persolvere. Hac devotione inchoata, cœpit etiam sanari mulier, sic ut eadem expleta, perfectum rationis usum receperit. Quare pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentis susceptis, grates sancto reddidit, neque id malum deinde umquam sensit.

a

delirium, crus ruptum, brachium tumidum,

122 Isabella Joanna Lopez, Francisci Bitor notarii conjux, ex gravi morbo rationis usum amisit, ac furibunda vestes omnes, quibus induebatur, lacerabat, eoque ipsius progressa est rabies, ut etiam dentes suos rumperet. Quare oportuit eam ligari ac manicis ferreis constringi : istudque delirium duos supra viginti menses duravit. Quædam autem mariti sui amita vi-
B dens nihil ab humanis remediis sperandum esse, novemdialem devotionem ad B. Ludovici sepulcrum pro infirma aggressa est, ante cujus finem eadem ratione uti denuo cœpit, ac deinceps semper usa fuit. Joanna Eugenia puella nubilis testata est, quamdam suæ amitæ famulam ex equo delapsam crus sibi rupisse, quod male curatum ita contusum ac sensus expers mansit, ut illud per solum protraheret. Sed expleta novem dierum devotione, quam cum eadem Joanna peregit, restitutum suo vigori crus fuit, ac si nullo malo afflictum fuisset. Thomasæ Angelæ Alberola, uxori Cosmæ Morat sutoris, brachium dexterum magno cum dolore intumuerat, tamque nigrum factum fuerat, ut de amittendo timeretur. Accessit illa ad sepulcrum B. Bertrandi, dictumque brachium sepulcro imposuit, Beatum interim viva fide invocans, et sine ulla mora detumuit brachium, abscessit dolor, et color pristinus rediit.

cæcitas, saucium colique strumæ,

123 Angela Colombar et de Barranca vidua, nullo prævio oculorum morbo, sic destituta visu
C fuerat, ut nullum per domum suam passum sine duce movere posset; duravitque hæc cæcitas tribus quatuorve mensibus, quorum spatio varia remedia in vanum tentaverat. Post hæc novem dierum devotionem ad B. Bertrandi sepulcrum inchoavit, duce filia sua Angela, quantumque in ea devotione persolvenda, oculosque oleo lampadum ibidem ardentium ungendo progrediebatur, tantum quoque in restaurando visu proficiebat, ita ut in fine novem dierum perfectam videndi facultatem recuperarit. Joannæ Annæ Chiles, quæ Honophrio Roselli opifici nupta fuit, dum erat novennis, fauces collumque strumis plena fuerunt, isque morbus eam quadriennio Matriti afflixit, adhibitis interim sine ullo profectu pluribus remediis. Deinde Valentiam redux novemdialem devotionem ad B. Bertrandi sepulcrum nudis pedibus perficiens ac quotidie oleo lampadum ibidem pendentium se inungens, ita convaluit, ut completis novem diebus omni malo liberum habuerit.

brachium contractum, fauces impeditæ,

124 Susannæ Magnez et de Montesini, dum aperienda vena erat, læsus nervus fuit; unde brachium quatuor mensium spatio contractum magno cum cruciatu habuit. Consulenti autem cuidam, ut ad B. Bertrandi sepulcrum se conferret, paruit, eumque precata afflictum brachium ter sepulcro admovit, moxque sanum D recepit. Puellula, filia Michaëlis Grau notarii, quod triduo quatriduove nihil deglutire potuisset, ad extrema reducta erat, ac propterea ei jam parabantur funebria, cum Isabella Anna Guimera, Joannis Grau notarii, et puellæ patrui uxor, pro jam desperatæ vita B. Bertrandi opem apud sepulcrum ejus imploravit, Missamque ad altare, in quo ejusdem Beati effigies prostat, dicendam curavit. Domum vero reversa, ut inquireret, an illa jam obiisset, non modo vivam, verum etiam incolumem et lac sugentem, velut nihil mali umquam passa fuisset, invenit.

pedis dolor, alto machi malum, manusque tremor,

125 Domina Maria Castelui et di Martini in uno digitorum pedis tanto dolore correpta, ut nec incedere nec quiescere posset, puellam e domesticis suis, nomine Catharinam Blesa, misit ad sepulcrum B. Bertrandi, oraturam pro se infirma, ac promissuram argenteum digitum, si sanitatem recepisset. Nondum expleta erat novemdialis devotio, cum, cessante omni dolore, bona pristina valetudine gavisa fuit. Sperantia, Jacobi Nager filia, ætatis annorum de- E cem, gravi stomachi malo, manuumque tremore, ut cibum ori suo admovere nequiret, quatuor mensibus laboraverat : cumque nullum ei prodesset remedium, ejus mater Sperantia Villalonga eamdem, utut tam infirmam, peditem ad B. Bertrandi sepulcrum magna cum devotione adduxit, ubi post fusas preces tentavit eam sepulcro admovere, et manus per clathros ferreos inserere; sed præ nimio tremore non potuit. Postridie rediit minus impedita, et sepulcrum tetigit; quod, dum per novem dies continuaret, indies se habuit melius, ita ut confirmatus sit ejus stomachus, et omnis abscesserit tremor.

brachii tumor, lumborum, aurium dolores,

126 Cum fratri Antonino Garro, presbytero Ordinis Prædicatorum, priusquam Religiosum statum amplexus erat, alterum brachiorum intumuisset, ac vehementer doleret, veritus, ne quædam pestis species esset, post varia remedia sine ullo fructu adhibita, novemdialem devotionem ad B. Bertrandi sepulcrum incepit, atque interim brachium illud oleo lampadum ibidem appensarum quotidie inungens, completa devotione, sanatus fuit. Petrum Ortoneda, opificem argentarium, tantus lumbo- F rum dolor subito corripuit, ut movere se nequiret; isque morbus ipsum ultra quatuor menses afflixit. Nihil autem juvantibus medicamentis, ad sepulcrum B. Bertrandi accessit, ubi postquam suas preces fuderat, accepit aliquot flores, qui ibidem erant, eosque magna cum devotione fideque male affectis partibus apposuit, et reversus domum est : postero autem mane se plane incolumem deprehendit. Soror Joanna Marco vehementem aurium dolorem patiens, nec quidquam remedii inveniens, adivit B. Bertrandi sepulcrum, ejusque opem invocans, aures suas oleo lampadum oblevit, moxque omni illo dolore liberata fuit, nec eum deinceps experta.

periculosa manus plaga, manuum rigor,

127 Mariæ Annæ Hernandez, clientulæ dominæ Franciscæ de Mendozza, matris marchionis de Terranova, biennio trienniove post obitum S. Bertrandi, sinistram manum quidam tumor occupavit, unde illa multum patiebatur; quem, ne malum ingravesceret, ex alieno consilio emplastro plumbeo cohibuit; sed cum hinc etiam augeri adverteret, emplastrum istud amovit. Applicatus tum fuit panis calidus, qui tumorem

A tumorem fatiscere fecit, ac periculosam plagam aperuit, cui curandæ nihil profuere, imo etiam nocuerunt medicamenta. Cœpta autem novemdiali apud B. Bertrandi sepulcrum devotione, antequam hæc compleretur, illa sanata fuit. Anna a Jesu, virgo annorum quadraginta novem manus suas nec aperire poterat, nec complicare, aiebantque medici, malum incurabile esse, quod et experientia comprobatum fuit; nam nullum ei profuit remedium. Inchoans autem devotionem novem dierum, primo die manus suas per clathros sepulcri inseruit, easque junctas tenens pro incolumitate obtinenda pias preces obtulit; moxque cœpit easdem posse aperire et claudere, ita ut in fine novem dierum perfectum earumdem usum recuperaverit.

sanguinis effluvium, obsurdescentes aures,

128 Domina Magdalena Marsiglia, Alphonsi de Heredia, equitis Ordinis Montesæ, uxor, dum adhuc puella esset in domo paterna, cœpit copiosum sanguinem ex ore projicere, quem nullo remedio sistere potuerunt. Quam ob rem medici eam pro deplorata reputabant, jamque velum funebre ei suebatur. Ast infirma eo se

B in periculo positam videns, B. Bertrando vovit, se, si sanitati restituta esset, imaginem argenteam ejusdem sepulcro appensuram, ac novemdialem devotionem persoluturam. Paulo post eadem deliquium animi patiente, mater ad ejusdem Beati sepulcrum nudis pedibus accurrit, et post fusas pro sua filia pias preces, reversa domum eam suis sensibus redditam, et cessante sanguinis effluvio, omnino incolumem, comperit. Cum domina Ludovica Borgia, domini Joannis de Cardona conjux, quasi surda effecta fuisset, post exactam ad B. Bertrandi sepulcrum novemdialem devotionem perfectam audiendi facultatem subito recepit.

brachia capta,

129 Petrus Cyprianus auriga, postquam octodecim mensibus captus brachiis fuisset, ita ut semet suis vestibus induere non posset, ac multo etiam minus usque ad os suum eadem attollere, B. Ludovicum precatus est, ut vires sibi ad visitandum illius sepulcrum impetraret; decumbebat enim continue in lecto præ debilitate virium, nec poterat se suis pedibus sustinere. Die Paschatis Resurrectionis, prout valuit, ad ecclesiam Prædicatorum processit;

C sed, cum præ nimia hominum frequentia non potuisset ad sepulcrum B. Ludovici Bertrandi pertingere, eodem rediit postridie, positisque humi genibus, Sanctum precatus, omnes vires suas intendit, ut illius sepulcrum posset attingere; eoque tacto, sensit amborum brachiorum suorum ossa crepuisse cum magno suo solatio, adeo ut in domum suam redux, se sanum esse, expertus fuerit, potueritque pristinam suam vitæ rationem resumere.

brachium luxatum, corporis ulcera,

130 Magdalenæ Castigliana, uxoris Jacobi Castigliano mercatoris, ex lapsu brachium circa pulsum arteriæ tam male luxatum fuit, ut bis conati illud in suum locum restituere, neutiquam potuerint, imo malum etiam auxerint. Elapso itaque fere annuo spatio, cernens illud immedicabile esse, novemdialem devotionem apud B. Bertrandi sepulcrum incepit, cujus die tertio cœpit melius habere, nono autem omnino sana fuit. Ursula Nicolas, uxor Joannis Navarro mercatoris, ab octo mensibus deprehenderat se in tribus diversis sui corporis partibus ulceratam esse, ac post varia remedia frustra tentata devotionem novem dierum in honorem Beati inchoavit, cujus tertio die evasit incolumis.

A. Avignono.

surditas, crurum vulnera

131 Cum Eleonora Monforte virgo, nata in Moreglia, vico primario regni Valentiæ, triennio audiendi facultate destituta Valentiam venisset, per indicia intellecto, aliquem Fratrem (id est, B. Ludovicum Bertrandum) qui multa miracula patrabat, ibidem sepultum esse; ad ejusdem sepulcrum pollicita ei est, se ei persoluturam novemdialem devotionem, habitumque S. Dominici gestaturam, si sanitatem obtinuisset; eaque expleta, voti compos facta est. Melchior Josephus de Castro per scalas ascendens, ruptis aliquot gradibus, suspensus hæsit e gradu separato a pariete, magno cum periculo decidendi; ac præterea habuit crura a proruentibus lateribus vehementer læsa. Votum autem fecit de imagine cerea, si huic periculo ereptus, vulneraque sanata, fuissent, ad B. Bertrandi sepulcrum offerenda. Deinde ac lectum sé contulit plurimum afflictus, ac tribus post mediam noctem horis expergefactus magnum vidit in cubiculo suo splendorem, seque sanum comperit, advertitque, solummodo magnam E cruoris copiam dormienti sibi effluxisse.

urinæ fluxus sanantur, excussique dentibus novi succrescunt.

132 Angela Boluda ab anno ætatis suæ quinto ex timore quodam cœpit urinæ fluxu laborare, laboravitque ad annum circiter tertium decimum; cumque nullum huic malo remedium utile reperisset, ad B. Bertrandum recurrit, et illius sepulcrum invisit, novemdiali devotione promissa. Nocte subsecuta cessavit infirmitas, nec ei deinceps umquam molesta fuit. Cuidam puellæ octo circiter annorum omnes dentes per lapsum excussi fuere. Qua de causa ex consilio sororis Raphaëlis Soler, tertiæ Regulæ S. Dominici, sepulcrum B. Ludovici Bertrandi visens oravit, ut in memoriam gratiæ Dei, per quam Beatus propinatum sibi in Indiis venenum feliciter superaverat, intercederet, ut dentes, qui jam semel renati sibi fuerant, recrescerent. Hisce factis, omnes dentes ei denuo renati fuere.

ANNOTATUM.

a *Vicus est octo leucis Valentia distans ad Duriam fluvium.* F

CAPUT IX.

Miracula per B. Bertrandi rosaria divinitus patrata.

cap. ix. Per rosaria, variis a Sancto donata,

Ut erat B. Bertrandus devotioni sanctissimi Rosarii addictissimus, eamque in sermonibus suis extollebat summis laudibus, ita quo alios ad eamdem magis magisque excitaret, soluerat sæpe donare Rosaria, ac nominatim unum donavit dominæ Agneti Pugiadas, quod post hujus obitum quædam ejusdem clientula, Barbara Abbarca, obtinuit. Unum etiam dedit Catharinæ Espina, virgini annorum sexaginta; uti supra dictum est libri 2, capite ix. Alterum pariter dono dedit domino Joanni Boil de Arenos, toparchæ de Alfasar *a*, alterumque dominæ Annæ de Beluis, sicut libro 2, cap. x legere est. Hisce aliisque Rosariis, quæ Beati fuerant

A. Avignono. fuerant, Deus uti voluit ad multa patranda miracula, quorum partem in hoc capite recensebimus.

febris, 134 Isabella Vincentia Pugiadas de Marrocchi vidua, cum ex acuta febri decumbens a medicis deplorata atque omni humana ope insanabilis censeretur, fecit sibi Franciscanum habitum, in quo sepeliretur, confici. Cumque jam in extremis versaretur, invisit eam Barbara Abarca, suasitque, ut B. Bertrandum invocaret, aitque, se, si ipsa vellet, Rosarium allaturam, ab eodem Beato acceptum; ac jussit eam de recuperanda sanitate certam spem concipere, cum ipsamet ejusdem usu multa miracula fecisset. Infirma, licet loqui non posset, erat tamen sui compos, signisque annuit, seque Beato commendavit. Allatum igitur Rosarium magna cum devotione ac fervidis precibus infirmæ imposuerunt; eaque illico omni febri libera fuit cum vehementi omnium circumstantium stupore.

manus tuber, febres, caput saucium, 135 Anna Vasquez, Antonii Vasquez uxor, graviter cruciabatur ex tubere in manu sua dextra enato, atque instar nucis magno. Postquam varia remedia sine profectu tentavit, commodari sibi petiit a Barbara Abarca Rosarium, quod a B. Ludovico habebat, commendavitque se eidem Beato, dictumque Rosarium afflictæ parti applicavit; et sine mora evanuit tuber, cessavit dolor, ipsaque optime sana permansit. Die xv Decembris anni MDLXXXI Vincentius, nepos Ximenes, scribæ curiæ civilis, cum ardenti frigidaque febribus laboraret, B. Rosarium, a domino Agnete Pugiades acceptum, collo suo appendens, illico convaluit, ac postridie, relicto lecto, ambulavit per domum. Cum Petrus Monclus, litterarum studiosus, laudatæ Dominæ Agnetis cliens, Rosarium istud secum ferens ante quamdam domum transiret, in qua, aliquem periculose in capite sauciatum esse, audiebat, illud huic ostendit, dicens, olim B. Bertrandi fuisse, quod cum ille devotissime acceptum suo capiti imposuisset, e vestigio tanto melius habuit, ut chirurgus obstupesceret, et intra paucos dies vulnus penitus solidatum fuerit.

corporis tumor, ventris tuber, gravis morbus, colli 136 Quædam mulier, apud ecclesiam S. Crucis parochialem in civitate Valentina habitans, ægrota totaque tumefacta, simul atque Rosarium, a supra dicta Catharina Espina sibi commodatum, suo corpori admovit, evanuit tumor, ipsaque salva evasit. Cum Anna Espina virgo, ejusdem Catharinæ cognata, tumore ventris, quem chirurgi incidere volebant, de sua vita periclitaretur, invocato B. Ludovico, acceptoque a sua amita prædicto Rosario, paulo post tuber illud crepans magnam puris copiam effudit, ac sine ullo cerato brevi sanatum fuit. Dum uxor domini de Brugnolo senioris tam graviter ægrotaret, ut ne parum quidem aquæ posset deglutire, medicique de illius vita desperarent, quadam nocte allatum fuit dictum Rosarium, quod ut tetigit, convaluit, ultra modum mirantibus, quotquot aderant. Decreverant chirurgi apostema, quod commendator Perpignano in collo patiebatur, secare; sed cum ille idem Rosariumsuo collo appendisset, eoque male affectam partem pie tetigisset, illico sanatus fuit, ut advenientes ad faciendam sectionem chirurgi eum incolumen compererint.

137 Prædicto malo simile, ac in collo quoque, patiens uxor Blanes assessoris gubernatoris Valentiæ, miserat, qui medicos et chirurgos curandi gratia arcesserent; sed cum Rosarium, de quo supra, illius collo interim admotum fuisset, illico evanuit apostema, ita ut adducti medici non invenirent, quod curarent. Baptista Dionis, operarius Valentinus, mense Septembri anni MDXCIII jam tres menses vehementi febri laboraverat, ita ut medicus, de ejusdem vita desperans, jam desiisset ipsum invisere. Hæc audiens vidua Espina, assumpto Rosario, quod cognatæ illius B. Bertrandus donaverat, ad eum visitandum accessit, et quamquam delirantem offenderet, advertit tamen, illum intellexisse, dum eidem diceret, ut se B. Bertrando commendaret, vidisseque Rosarium suo capiti imponi: nam sanæ menti redditus eumdemBeatum devotissime invocavit, illicoque melius se habuit, adeo ut intra paucos dies receptis viribus, pristinos labores resumere valuerit. *apostemata febris,*

destituta lacte ubera, 138 Magdalena conjux Petri Arbolay, operarii in loco de Alaquas *b*, enixa filium, paucis inde diebus acri febre correpta fuit, per quam ita ejus exsiccatum pectus fuit, ut eum lactare nequiret; et quia non sinebat illius egestas eumdem nutrici committere, vehementer dolebat, tantoque etiam magis, quod remediis videretur sibi ægrescere. Ivit illa Valentiam ad ædes dominæ Angelæ Marti, in quibus educata fuerat; quæ, cum eam tam afflictam conspiceret, persuasit ei, ut B. Bertrandi opem imploraret; ab eo enim certum solatium obtenturam. Fecit hac illa, et per Rosarium, quod domina, a Sancta Catharina Espinæ olim datum, eidem applicavit, paulo post sensit paupercula mulier motum in mamilla sinistra, inspectamque vidit lacte abundare; idque deinde etiam in dextera deprehendit; atque potuit filiolum suum feliciter lactare.

cordis dolor, partus difficilis, guttur obstructum sanantur; 139 Cum domina Anna Beluis virgo in domo avunculi sui Hieronymi Abeglia acri cordis sui dolore, qui nec diu nec noctu eam quiescere permittebat, diebus quindecim cruciata fuisset, adivit avunculus illius B. Bertrandum, obsecravitque, ut illam inviseret. Quod ille benigne præstitit, donavitque eidem Rosarium, quod ex Indiis se apportasse aiebat: et ejusdem usu omnis dolor abactus fuit. Quædam Maura, jam a multo tempore adhuc juvencula matrimonio juncta, cum gravida ad partum pertigisset, ex difficultate pariendi in periculo vitæ versabatur. Hujus sortem prædicta Anna Beluis miserata, Rosarium a B. Bertrando sibi datum super illius ventre posuit; quo facto, illa subito vivum masculum enixa fuit, quod fieri non posse, omnes censuerant. Eidem dominæ Annæ Beluis comesti mali auriaci nucleus transversim inhæserat gutturi horas circiter octodecim cum magno illius cruciatu, ipsaque vi remediorum, quæ ad expellendum tentaverat, sanguinem excreaverat ex ore: sed Rosarii B. Bertrandi recordata illud collo suo, ubi dolebat applicavit, et nucleum facillime deglutivit.

moribundo loquela, 140 In civitate Cæsaraugustana *c* quidam janitor curiæ judicis Aragoniæ ex gravi, qua laborabat, infirmitate loquelam sensusque amiserat, unde medici affirmabant, eum non supervicturum horis viginti quatuor. Quidam vir, Philippus de Torres nomine, vehementer tristabatur, quod sine suscepto pœnitentiæ Sacramento moreretur, maxime quia infirmus ille vitam semper duxerat liberiorem. Quapropter casum domino Joanni Boil de Arenos, qui tunc

A tunc Cæsaraugustæ degebat, habitabatque in vicinia infirmi, exposuit. Is vero respondit, penes se esse B. Bertrandi Rosarium, cujus usu sperabat, non solum loquelam, verum etiam sanitatem infirmo posse restitui. Acceptum igitur Rosarium laudatus de Torres ad ipsum attulit, et simul atque moribundo imposuit, iste peccata sua sacramentaliter confiteri, sacramque Eucharistiam suscipere potuit; paucis vero inde diebus etiam perfecta sanitate potitus est.

ægris sanitas restituitur, parturiens fœtu mortuo liberatur;

141 Aliquod a B. Bertrando Rosarium etiam habuit Francisca Ferreri de Benedetto; et quotiescumque filii sui, utut graviter, ægrotabant, eos, imposito ipsis prædicto Rosario, sanabat, ac peculiariter unum, qui, cum jam mortuus diceretur, ab ea Sancto commendatus, ejusdem Rosarii usu convaluit, et octennio supervixit. Una ejusdem Franciscæ filia gravi morbo ac sanguinis fluxu laboravit, hocque malum multo tempore duravit, et a medicis incurabile censebatur: at, postquam ægrota idem Rosarium collo suo appendit, paulatim convaluit. Cum B Beatrix Penarogia, Philippi de Robolay equitis uxor, gravida esset et vicina partui, proles ex magna matris offensa in utero mortua est, et a pedibus prodire orsa expelli nequivit; unde dicta domina in magnis angustiis vitæque discrimine versabatur. Quod cum illa probe agnosceret, Angelam Bayarri obsecravit, ut acceptum a B. Bertrando Rosarium sibi commodaret. Interea, dum Angela istud e vestigio quæsitura abierat, Beatrix Bertrandum invocavit, ac deinde allatum Rosarium suo ventri apposuit; quod dum faceret, proles retro acta fuit, moxque expulsa foras est mortua, multumque fœtida et ulcerosa, quod jam aliquo tempore ante obiisset. Factum hoc pro notabili miraculo habitum fuit.

sanguinis fluxus sistitur, febris pellitur,

142 Dionysio Montesini ex morbo decumbenti in altera narium aperta vena fuit, ex qua tantum sanguinis profluxit, ut stupori esset, cumque is nullo remedio sisti posset, medici, omni abjecta spe, pronunciarunt, quamdam cordis venam ei ruptam esse. Illius mater Sperantia Godos eo magis afflicta, quod maritus abesset, ad B. Bertrandum recurrit, et postquam curavit, ut infirmus peccata sua confiteretur, C unum ex ejusdem Beati Rosariis super infirmum posuit; eaque ratione subito cessavit sanguis fluere, obdormivit æger, et incolumis factus est. Gratia Benedictæ Joannæ propter vehementem febrim, vena septies secta fuerat, nihil illa inde diminuta. Qua de causa quædam pia mulier Rosarium, quod B. Bertrandi fuerat, ei attulit, dixitque, ut eumdem oraret, et postridie sanam fore; atque ita evenit.

ex ictu lapidis graviter saucius sanitati restituitur.

143 Domina Francisca de Mendoza, marchionissa Terræ-novæ, domi suæ alebat puerum annorum undecim, Franciscum Joannem appellatum, qui ictu lapidis tam graviter percussus in latere fuit, ut in terram afflictus laberetur: destitutus loquela et cruentato latere, cœpit copiosum sanguinem evomere, et pro urina quoque multum coagulati sanguinis essudit; propter quæ vita ejus desperata reputabatur. In quo periculo illum dicta domina conspicata, globulum Rosarii, quo B. Bertrandus quondam usus fuerat, læsæ parti applicavit, monens, ut se eidem Beato commendaret: quod cum ille faceret, cœpit ei dolor subito minui, quamquam ille, dum tollebatur ab eo globulus Rosarii, recrudesceret; ita ista nocte bene quievit, atque intra biduum salvus et incolumis e domo egredi valuit. A. Avignone.

ANNOTATA.

a *Vide Annotata in cap.* IV, *lib.* 3, *lit.* b.

b *Haud procul Valentia et fluvio Duriæ sita.*

c *Aragoniæ primaria, vernacule* Çaragoça.

CAPUT X.

Mortui B. Ludovici Bertrandi intercessione ad vitam revocati.

Supra capite XVIII libri I relatum est miracu- E
lum de puella per B. Bertrandum, dum hic CAP. X. *Sancti precibus resuscitantur filius*
viveret, in Indiis a morte resuscitata: nunc de
mortuis ab eo post ejusdem obitum vitæ restitutis agendum est. Melchiori Joanni Gagliac, civi Xativensi *a*, erat filius, nomine Marianus Joannes, ex morbo eo perductus, ut jam oculos clausos ceteraque mortui indicia haberet, tertioque os aperuerat ad eum modum, quo solent, qui exspirant animam, ut proinde velut mortuus deploraretur. Mater ejus, nomine Anna Tarrega, B. Bertrando plurimum devota, quem pro insigni Sancto colebat, et cui peccata sua sæpe fuerat confessa, dum ille in ejusdem civitatis cathedrali ecclesia sermones Quadragesimales habebat, procumbens in genua sic ipsum compellavit: O pater, frater, Ludovice Bertrande, tibi supplico, ut meum filium resuscites; eaque verba ultra quartam horæ partem repetiit. a

Melchioris Gagliac,

145 Cumque hi clamores et ejulatus modum excedere marito viderentur, dum is ad eam consolandam accedens oculos suos convertit ad lectum, in quo puer mortuus habitus jacebat, vidit ipsum oculos habentem apertos, F clarosque ac hilares, et genas quoque ac labia rubicantia, veluti nullo umquam morbo laborasset, ac denique perfecte sanum conspexit. Quo miraculo cognito, pater materque et quædam clientula, Isabella Sala nomine, quæ aderat, Valentiam se contulerunt ad visitandum B. Bertrandi sepulcrum, eique persolvendas gratias de tanto sibi præstito beneficio, filium suum a morte suscitando; obtuleruntque ibidem imaginem ceream, aliaque devotionis suæ indicia; filius autem iste etiam vivebat anno MDXCVI.

mulieris anonymæ.

146 Catharina Espina, virgo sexaginta annorum, testata est, mulierem, moribundum puerulum in suis brachiis gestantem, ad se accessisse, ut illa ipsum Rosario B. Bertrandi attingeret. Ut petenti gratificaretur, puerulum aspexit; verum cum hic, quo magis illa examinabat, eo magis ipsi videretur mortuus, itaque etiam censerent, quotquot aderant, noluit eumdem aliter attingere. Sed fervidis precibus lacrymisque matris illius victa Rosarium eidem mortuo puerulo imposuit; qui sine mora vixit,

A. AVIGNONO. oculos aperuit, signisque cibum petiit, denique sanus fuit.

Vincentii Valvert *b*

147 Catharina Donat, Vincentii Valvert, operarii in vico Ontinente *b* uxor, tam graviter ægrotabat, ut jam sex dies usu sensuum destituta esset, eoque tandem perducta, ut omnibus, qui eam viderunt, mortua videretur, ac post varia experimenta certo obiisse credita sit, proindeque ejusdem vultus, ut mortuis fieri solet, coopertus fuerit. Hieronyma Segriana, Laurentii Conca uxor, aliique pauperculam defunctæ filiam familiamque miserati, licet jam media nox esset, iverunt ad conventum S. Joannis, Ordinis S. Dominici, in cujus ecclesia erat picta B. Bertrandi effigies, cumque obtinuissent, ut ejusdem ecclesiæ fores sibi aperirentur, coram dicta effigie preces pro vita et salute istius mulieris orarunt. Finitis precibus, ad defunctæ domum reversi, aliquanto post observarunt, eam se movere, vitæque redditam esse.

uxor,

148 Ipsamet prædictam Segriana peculiarem amicam suam advocans, dixit ei secreto, se B fuisse mortuam, et ad Dei tribunal adductam, et, quia maledica mulier fuerat, multosque conviciis suis læserat, hinc dæmones contendisse, eam suam esse, inde vero angelos negasse. In hac vero contentione comparuisse B. Ludovicum, qui Deum precatus, ut eam ad emendandam vitam suam resuscitaret, arrepta manu ejus, dixit : Tu mea es; tumque se vitæ restitutam fuisse. Supervixit autem illa salva et incolumis annis quatuor; et cum antea fuisset terribilis mulier, quæ modo his, modo illis conviciabatur, quadriennio isto pristinos mores suos emendavit, magnaque cum simplicitate charitateque cum omnibus conversata fuit. Eadem Catharina hæc omnia prædictæ Hieronymæ et marito suo sæpius narravit.

soror Annæ Perez,

149 Cum quædam puellula duorum annorum, soror Annæ Perez, tam male haberet, ut nulla illi cura amplius impenderetur, fuit a matre sua ad B. Bertrandi sepulcrum portata, ubi eo in statu visa est, ut circumstantes omnes exanimem crederent. Quam ob rem mater, dolore percita ejulansque et in genua prostrata humi Beatum summo animi nisu pro defuncta infante sua oravit, eaque eodem tem- C poris momento oculos aperuit vitamque recepit, prout communis omnium sententia est. Anno MDXCVII tempore Quadragesimalis jejunii quidam infans novem mensium correptus febri fuit, quæ quatuor hebdomadas ei adhæsit, et ejusmodi erat, ut amplius triduo mamillam non suxerit, nec quidquam liquoris admiserit. In fine hujus tridui pro mortuo habitus fuit, qualem omnia indicia docebant. Postquam eo in statu duabus horis manserat, ingressa domum mulier est, nomine Sperantia Bonanat, uxor Ludovici Pugiol fabri ferrarii, quæ infantem mortuum videns, procubuit in genua, monens, ut id etiam facerent, qui aderant, omnesque B. Bertrandum devotissime precarentur, ut puero vitam redderet; id enim ipsum sine dubio facturum esse. Præstiterunt id omnes devotissime, promiseruntque, se paratum involvendo defuncto linteum ad ejusdem Beati sepulcrum oblaturos. Eodem omnino tempore cœpit infans flere, suxit lac et evasit sanus : pro quo miraculo parentes promissa solverunt.

filius item

150 Puer, filius Joannis Andreæ Armengol, restionis setæ, mense Julio et Augusto anni MDLXXXVIII laboraverat febribus, eoque creve- D rat morbus, ut purpureis maculis infectus etiam convulsiones pateretur, et in phrenesim inciderit, ac denique quindecim dies loquendi facultate destitutus decubuerit, ac propterea a medicis derelictus. Commendavit illum pater ejus variis Sanctis, et Missas aliaque pia opera pro eo fieri curavit; verum ille nihil interim melius, imo pejus habuit. Deinde B. Bertrandi recordatus, ad hunc suas preces direxit, et post has puerum revisens, sine motu, sine halitu, sine ullo vitæ indicio deprehendit.

Joannis Andreæ Armengol,

151 Proinde mortuum agnoscens, ejusdem faciem velavit; et doloris impatiens domo egredi parabat, cum recordatus, conjugis suæ partum in singulas horas exspectari, vim sibi inferens, ne novo damno occasionem daret, pedem retulit, dumque gradus ascenderet, ait : Benedictus sit Deus, quod nec ipse, nec Sancti, quos invocavi, nec frater Ludovicus in tanta afflictione mea voluerint me exaudire, ac denuo B. Bertrandi opem imploravit, ne in tanto mœrore se desereret. Cum ad locum, ubi mortuus jacebat, venisset, elevato linteo velo, E ad novos planctus se parabat; sed eum conspiciens, vidit ipsum suos oculos apertos habentem. Quo repentino gaudio exsultans novis se votis obstrinxit, Missasque celebrandas, ac funebre linteum ad B. Ludovici sepulcrum offerendum spopondit : puer vero oblata sibi alimenta libens accepit, et intra biduum sanus ac incolumis lectum reliquit.

Hieronymi Cabrera,

152 Alter puerulus ætatis viginti ac duorum mensium, filius Hieronymi Cabrera, operari Valentini, multis diebus febricitaverat, cum tandem vespere die XVII Octobris anni MDLXXXV tantum aggravatus fuit, ut sensuum usu privaretur, omniaque mortis signa in eo manifeste apparerent, propter quæ omnium judicio pro mortuo habitus fuit, ac nominatim vicarius parœciæ S. Andreæ dixit : Iste jam obiit; eaque communis opinio duabus horis duravit. Mater igitur afflictissima cum lacrymis et clamore B. Bertrandum obsecravit, ut vitam et sanitatem suo filio impetraret, vovitque, curaturam se celebrandam Missam, et pueri linteum funebre ad illius sepulcrum oblaturam. Aliquæ etiam e mulieribus, quæ aderant, no- F vemdialem devotionem promiserunt. Inter harum omnium preces votaque, ecce, puer mortuus oculos aperuit, flevit, et sanus evasit.

Vincentii Cubegli,

153 Vincentio Cubegli ex Ontinente anno MDCVIII, die XXIX Junii natus est filius ex omnium judicio mortuus. Infantis avia Vincentia Borras miserum hoc spectaculum et afflictissimos parentes conspicata, multis cum lacrymis B. Bertrando vovit, si mortuus rediret ad vitam, tantum ceræ, quantum ille pendebat : quo voto emisso, cœpit infans movere brachia, vitamque recepit, et in sacro Baptismate Petrus Ludovicus appellatus fuit.

puer anonymus,

154 Anno MDCVIII, quo festivitas beatificationis B. Ludovici Bertrandi celebrata fuit die XVII Decembris, quæ Dominica erat, puer quatuor circiter annorum medio die illapsus est in cloacam, DELLA ROVEGLIA dictam, profundissimam et aqua plenam. Quem cum inter alios labentem vidisset Baptista Lazaro operarius in eamdem subito desiliit, ut eum quæreret, invenitque, et eduxit foras; sed, ut videbatur, mortuum; quod jam totum corpus intumuisset, versoque deorsum capite, ut aqua effluere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A effluerat (quæ et copiose effluxit) nullum vitæ indicium daret. Quidam vero actor scenicus, Morales nomine, qui in prædicta festivitate partes B. Bertrandi egerat, circumstantibus dixit: Invocemus B. Bertrandum, ut ipse pro hoc puero apud Deum intercedat, hæcque verba protulit: O sancte Bertrande, modo tempus est, ut ostendas miracula tua; non recedam hinc, priusquam hunc resuscitaveris a morte. Ita pariter fecerunt reliqui, flexis genibus ac devotissime; et eodem temporis momento puer oculos et os aperuit. Quo viso, exuerunt illum madidis vestibus, et domum suam detulerunt: postridie vero submersus puer per plateam ludibundus ivit.

et Francisci Raulerio filius

155 Anno MDCXII, mense Octobri celebrata per universam Flandriam B. Ludovici Bertrandi festivitate, ac nominatim in insigni civitate, nomine Insulis, triduo post, die XII dicti mensis, cum Margarita Bernice, Francisci Raulerio procuratoris, ejusdem civitatis incolæ, uxor, domi suæ esset cum puero annorum trium cum B dimidio, puellaque octodecim mensium, visaque sibi esset ad fores vocari, duobus istis parvulis in culina relictis, processit fores apertura, ac nemine ibi invento, processit foras in plateam inquirendi causa, a quo vocata fuisset. Exortus interim ventus vehemens domus ostium occlusit, ipsaque, quia claves reliquerat intus, nequiit in eam regredi. Inter hæc audivit puerulum ad fores lacrymantem, et imperfectis vocibus dicentem: Mater, veni cito: mea soror! Quibus verbis exterrita mulier vicinum suum Joannem de Moucri advocavit, obsecrans, ut quantocyus in domum penetrare conaretur; quod et fecit simul cum altero, dicto Dionysio Desnoullet, fabro lignario, ope scalarum per fenestram intrans, ub invenit infantem capite deorsum in cacabum aqua plenum prolapsam, subitoque extraxerunt; verum illa sine motu erat, nasumque habebat admodum læsum, ac totum corpus lividum et sine ullo indicio vitæ.

Insulis in Flandria Gallicana.

156 Portarunt illam ad focum, tentaruntque quidquid eidem profuturum putabant; sed tandem ipsi aliique multi, qui accurrerant, asseruerunt omnes, infantem mortuam esse. Inter C hæc afflicta mater, in alio cubiculo suam sortem plorans, in tantis angustiis divinam opem fervide flagitabat, cum quædam mulier, Catharina Dupre nominata, vidua Antonii Prevost, eam monuit, ut commendaret se B. Ludovico Bertrando, cujus festivitatem illis diebus celebraverant, et a quo multa et insignia miracula patrata narrabantur, ac speciatim quidam puer a morte suscitatus fuisse dicebatur; oravitque eam, ut ipsa quoque pro restituenda suæ filiæ vita eumdem precaretur. Fecit hæc omnia mulier devotissime; fecit pariter frater ejus, Jacobus appellatus; eodemque tempore, quo istæ preces fundebantur, infans lacrymans se vivam sanamque exhibuit. Postero mane mater ad ecclesiam Prædicatorum accedens Deo de beneficio per intercessionem B. Ludovici Bertrandi sibi confesso gratias egit, curando Missam ad honorem et gloriam ejus celebrari.

ANNOTATA.

a Xativa *seu* Setabis *Hispaniæ Tarraconensis oppidum est in regno Valentiæ ad fluvium cognomen.*

b *Latine dicitur* Fontinentum, *estque caput tractus cognominis in regno Valentiæ ad Clarianum fluvium.* A. AVIGNONE

CAPUT XI.

Miracula B. Bertrandi in tractu Fontinenti, diœcesi Oriolensi, aliisque regni Valentini partibus facta.

CAP. XI.

In Ontynente, amplo et præstanti tractu regni Valentini *a*, Deus multa miracula per intercessionem B. Bertrandi operatus fuit: nam præter ea, quæ in processum illata fuerunt, sunt alia multa, quæ uno anno post, quo pestilentia sæviit, contigere, litteris consignata a patre Præsentato Roca, relatisque in Processu hic E subnectenda. Bartholomæo Tortosa, ætatis novem annorum, noctu e gradibus domus suæ delapso, fractum brachium fuit. Mater advocavit feminam, ossa locis suis aptare peritam, quæ, inspecto malo, misit, quæ curationi erant necessaria. Interea vero quædam pueri amita illum B. Bertrando commendavit, ac deinde jam allatis medicamentis, brachium nudantes, omnino sanatum compererunt. Mirantibus omnibus eventum, causamque ignorantibus prædicta amita significavit, ipsum a B. Bertrando, quem invocaverat, sanatum esse.

S. Ludovicus Bertrandus fractum pueri brachium, a

158 Beatrix Sabater de Marco vidua, in comitialem morbum sæpe labi solita, aliquando foco assidens, eodem correpta, dum se contorqueret, ambos pedes igni inseruit, dexterumque cum parva parte sinistri, sensus expers, combussit. Quidam filius ejus foris in platea fœtorem odoratus domum ingressus est, et, quod factum erat, conspexit. Sibi vero reddita mulier gravissimum sensit dolorem; quippe quæ etiam os calcis totamque pedis plantam ambustam haberet, et a chirurgo amplius quatuor mensibus medicamentis curata semper pejus habuit, ita F ut eam brachiis bajulare oportuerit, eoque perduxerint, ut voluerint illi pedem resecare. Tam afflictam sese et in dolore paupertateque constitutam videns, ad B. Bertrandum recurrit, crus pedemque cerea ei vovens; neque ulla interposita mora, cœpit melius se habere, ita ut velociter perfecte sanata pedes ire potuerit Valentiam, ultra duodecim leucas inde dissitam, ut miraculum testaretur.

ambustum mulieris pedem.

159 Cum filius Francisci Garzia e gravissimo morbo ad extrema perductus esset, ut eum jam mortuum censerent, et faciem ejus cooperuissent, mater e consilio alterius mulieris eumdem B. Bertrando commendavit, vovens, si ipsi vitam sanitatemque impetraret, fore ut certam frumenti mensuram conventui, in quo ipse sepultus est, donaret. Aliquanto post filium revisens, oculos apertos habentem, ac moventem sese, ac tanto in vigore deprehendit, ut continue proficiens brevi salvus ac incolumis fuerit.

puerum pro mortuo habitum,

160 Petro Hernandez vestiario ex conjuge sua Vincentia Macip natus erat filius, quem cum illa ex inopia lactis educare non posset,

ubera lacte destituta sanat,

A. AVIGNONO. set, nutrici tradiderunt : cumque post duos inde menses Petrus non haberet, unde nutrici solveret, decrevit, etiam conjugis impulsus precibus, Valentiam ire ad visitandum B. Bertrandi sepulcrum, Missam ibidem curandam fieri, orandumque, ut conjugi sat lactis ad nutriendum filium suum concederetur. Advenit ipse Valentiam binis horis post meridiem, oravit ad sepulcrum, et eleemosynam pro celebranda Missa obtulit. Eadem autem hora, qua hæc agebat, uxor ejus continuo sensit magnum in pectore calorem, comperitque, tantam lactis copiam sibi obtigisse, ut filium suum eo alere valeret. Postridie domum redux maritus invenit eam filium lactantem, et intellexit, hoc beneficium eadem hora, qua ipse flagitaverat, collatum fuisse.

felicem mulieri partum, febricitant sanitatem procurat :

161 Uxor Honophrii Urgeglies mœstissima, quod jam quater peperisset exanimes filios, quorum nullus fuerat baptizatus; cum denuo gravida esset, patremque eventum timeret, B. Bertrandum precata est, ut sibi felicem partum, proli vero baptismum procuraret, addidit- B que votum de cera ejusdem cum prole ponderis mittenda. Suo tempore peperit puerum vivum et sanum, qui et baptizatus fuit; ipsaque votum suum magna cum sua totiusque familiæ lætitia persolvit. Cum Vincentius Cubeglis, ætatis annorum duodecim, anno MDXCIII tam acri febri laboraret, ut ex medicorum judicio extremæ Unctionis Sacramento posset muniri; mater eum B. Bertrando commendavit, vovens, si ille sanatus esset, se ornamentum altaris ejus, seu aræ velamen oblaturam, moxque cessavit febris, atque ipse brevi post integræ sanitati restitutus fuit.

manum brachiumque tumidum, oculos male affectos,

162 Magdalenæ Miconi virgini, filiæ Francisci, post diuturnam infirmitatem alterum brachiorum cum manu non sine ingenti cruciatu intumuerat, et post applicata toto octiduo absque fructu varia emplastra mater ejus fraterque ad ecclesiam S. Joannis *b* Ordinis S. Dominici accesserunt, in eaque coram B. Bertrandi effigie pro salute infirmæ oraverunt; promittentes, si illa sanaretur, novemdialem devotionem se persoluturos et brachium cereum oblaturos. Inter orandum illa obdormivit, ac deinde exper- C gefacta nullum dolorem amplius sensit. Puer novem mensium, filius Joannis Ximeno, postquam diutissime fleverat, oculos tam male affectos habuit, ut nil, nisi album in iis appareret. Ex quo gravissime afflicti parentes B. Bertrandi opem implorarunt, puerumque mater, aliquando ad ecclesiam patrum Dominicanorum allatum, ante ejusdem sacram imaginem collocavit : ubi postquam illa precata fuerat, advertit illum suos oculos in eamdem imaginem fixisse; itaque et visus et oculi in pristinum statum reducti fuere.

peste grassante.

163 Isabella Roselli, vidua obstetrix, dum parturienti assisteret, sensit se peste corripi, et, quantum potuit, dissimulans, B. Bertrandum invocavit. Expleto autem ministerio suo, contulit se ad ecclesiam prædicti conventus, et infectam peste partem unxit oleo e lampade, quæ coram ejusdem Sancti effigie ardet; nec mora, subito sanata est, tantaque fuit in eumdem fiducia, ut imposterum, etiam dum cum infectis peste conversaretur, ab ea semper intacta manserit. Sebastianus Martinez et uxor ejus, quod peste correpti essent, jussi sunt e vico excedere. Dixit autem maritus conjugi suæ : Cum B. Bertrandum semper tanta devotione prose- D cuti fuerimus, magnopere confido, nos sanos et incolumes in patriam redituros. Atque ita evenit, licet pene omnes istius domus incolæ peste laborassent. Cessante postmodum peste, cum eorumdem filia, tres circiter annos nata, alio quodam malo correpta esset, iverunt pro ea B. Bertrandi auxilium flagitaturi, et domum reversi eamdem incolumem repererunt.

varios

164 Hieronyma Linares, Ludovici Ubeda conjux, infecta peste ad extrema vitæ pertigerat, imo pro mortua habebatur, jamque præsto aderant vespillones, qui eam sepelirent; cum unus filiorum ejus recordatus insignis beneficii, quod ipse eidem a B. Bertrando alias impetraverat, eum cum voto oravit, ut matrem suam sanaret. Illico infirma se tanto melius habuit, ut intra paucos dies perfecte convaluerit. Aliud autem beneficium, cujus supra facta est mentio, fuit hujusmodi : Erat illa toto corpore sic contracta, ut nec buccellam posset ori suo admovere : ivit iste ad prædictam effigiem Beati, ut hujus opem pro illa exposceret, et ab oratione reversus pristino statui restitutam comperit. E

ad sese confugientes

165 Cum Magdalena Gazet peste correptam se sentiret, ad eamdem B. Ludovici effigiem confugiens intra unicum horæ quadrantem evasit incolumis. Nicolaus Navarro, ejusdem Magdalenæ conjux, eodem malo sub brachio infectus, invocato B. Ludovico, intra tres horas pariter liberatus fuit. Joannes Luca similiter eadem lue febrique ita afflictus, ut a medicis desperata ejus salus esset, Beati auxilium, addito voto, se Missam omnium Sanctorum celebrari curaturum, flagitavit, et in fine Missæ, apertus carbunculus est, abscessit febris, et sanatus fuit. Sperantia Lopez, Tertii Ordinis S. Dominici, die S. Petro Martyri sacra *c* duobus *c* pestilentibus carbunculis etiam laborans, febrique tam vehementi, ut eam sensibus privaret, amplexa, quam habebat, B. Bertrandi effigiem, postquam multis horis velut sensuum impos fuisset, hisce receptis, inventa est cum imagine super pectore suo, atque omni malo libera.

sanitate donat,

166 Eodem malo Joannes Lopez, prædictæ sororis Sperantiæ ex fratre nepos, duorum annorum puer, in inguine afflictus, postquam ali- F quo tempore fleverat, ita quietus jacuit, ut mortuus crederetur. Ast, cum prædicta amita eamdem illam B. Bertrandi imaginem super puerum posuisset, et ad ecclesiam Sanctum pro ipso precatura accessisset, expletaque ante ejusdem altare oratione, non auderet domum reverti præ metu, ne parvulum mortuum videret, nuntiatum ei fuit, puerulum, ea precante, sanitati restitutum esse. Joanni Molina peste laboranti suasum fuit, ut ad prædictam ecclesiam B. Bertrando ante ejusdem imaginem supplicaturus accederet; sed cum fores, quia nox erat, occlusas invenisset, ante eas flexis genibus orans spopondit, se illius festum semel solemnissime celebraturum. His dictis, sensuum usu tota nocte destitutus mansit; mane vero expergiscens nullum dicti mali vestigium in se reperit.

alios eo malo servat

167 Petrus Castagno, erga B. Ludovicum admodum pie affectus, simulatque intellexerat, pestem eo in loco compertam esse, ivit ad conventum, et coram prædicta ejusdem Beati imagine precatus eum est, ut se suamque familiam, quæ solum octo personas numerabat, piis oculis respicere et peste immunes servare dignaretur

A dignaretur, adjecitque votum de una lampade toto anno ibidem alenda. Et vero, quamdiu pestilentia duravit, id est, a die III Martii anni MDC usque ad Januarium MDCI, isti numquam e vico suo recesserunt, nec a consortio peste infectorum abstinuere, nec tamen ullus eorum eadem correptus fuit, quod pro miraculo habitum est.

immunes :

168 Miraculo simile etiam fuit, quod fratres conventus S. Joannis Ordinis S. Dominici, cum B. Bertrando quibusdam votis se obstrinxissent, ne pestem contraherent, Deus ito servarerit, ut eadem infectis omnibus monasteriis, etiam monialium Carmelitarum, in nullo eorum patrum vel minimum ejusdem luis indicium apparuerit : idque etiam tanto mirabilius fuit, quod eorumdem duo Sacramenta peste laborantibus continue administrarent.

CAP. XII. *manus et brachii dolorem, albuginem ex oculo abigit,*

169 Violanta Ruigi, uxor nobilis equitis Vincentii Martini Oriolensis, ex lapsu, in quo manum sub brachio positam habuerat, septem hebdomadum spatio tantum passa dolorem est,

B ut nulla ratione posset quiescere, veritaque, ne chirurgi cruciatum augerent, nollet sese eorum curæ committere. Auditis autem insignibus B. Ludovici miraculis, adivit collegium, quod patres Dominicani ibidem incolunt, petiitque ab his Religiosis, ut aliquas ejusdem Beati reliquias sibi exhiberent. Illi cilicium ejus comiter protulerunt, coram quo cum ipsa flexis genibus oraret, eodemque male affectam corporis sui partem attingeret, visum ipsi est, brachium manumque naturali suo loco restitui, atque omnis dolor abcessit. Domina Isabella de Roccasagli post diuturnum morbum unius oculi visum ex enata in ea albugine amisit, nec quidquam juvantibus plurimis medicamentis, B. Ludovicum invocavit, spondens, se ecclesiam patrum Dominicanorum (cum nullum in ea peculiare ejusdem Sancti altare exstaret) novem diebus invisuram; tertio autem die evanuit albugo, visumque recepit, neque dehinc simile malum passa fuit.

mortiferum ex pulvere pyrio vulnus,

170 Dum Andreas Cafra ex recensione militari, Oriolæ facta, rediret, plures fistulas bellicas nitrato pulvere gravidas baiulans, earum una, improviso concepto igne, sororem illius

C puellam nubilem, Joannam nomine, in collo percussit nervosque truncavit. Quam ob rem, et ob copiam sanguinis, quem effundebat, eam medici morituram pronunciabant. Quidam chirurgus, exempto e plaga globulo, eam linteolis obstruxit, vetuitque se movere, ne universus sanguis effueret. At illa in tanto periculo se constituam videns parum e cilicio B. Ludovici, cui pie addicta erat, vulneri apposuit, et salutem suam ei devotissime commendavit. Postridie vero reversus chirurgus, ut solutis fasciis plagam penitus sanatam solidatamque vidit, alta voce Miraculum ! miraculum ! exclamavit et universa hæc civitas factum mirata est.

oculum male affectum et loco motum,

171 Cum Isabella Gardegna, virgo Oriolensis, octo mensium spatio oculorum malo laborasset, tandem eorum dexter cum strepitu e suo loco prosiluit cum magno omnium, qui aderant, stupore. Erat inter hos Isabella Garzia, devota Ordinis S. Augustini, quæ frustulum habitus B. Ludovici ei dedit, monens, ut ejusdem opem flagitaret. Devotissime id præstitit mulier, dumque Beatum alta voce invocabat, oculus suo loco restitutus fuit. Sed applicato ei nihilominus parum ex ejusdem Beati habitu, tantum viginti quatuor horarum spatio dolorem passa fuit, ut nec cibum capere posset, nec quiescere : amota deinde fascia, idem oculus clarior pulchriorque, quam umquam antea, apparuit. Dominus Gaspar Cabrero Oriolensis gravi febre et costarum dolore afflictus, semel vesperi aliquid ex B. Ludovici habitu suo corpori applicavit, eumdemque pro recuperanda sanitate precatus, sanum se comperit. Præter hæc etiam alia miracula Sanctus Oriolæ patravit, sed ea in capite de apparitionibus ejusdem recensit jam sunt. A. AVIGNONE.

digiti apostema

172 In civitate Alicante *d*, diœcesis Oriolensis, Catharinæ Guilielmæ, clientulæ matris patris magistri, fratris Petri-Joannis Saragozza, in medio digito dextræ manus exortum erat apostema pessimum, quod non permittebat eam quiescere, nec quinque dierum curatione quidquam melius habuit. Contigit, ut prædictus pater magister in domo matris suæ esset, habens penes se aliquid ex habitu B. Bertrandi, quod a sorore Isabella, devota Ordinis S. Dominici, acceperat, et super emplastrum dicto digito applicatum posuit. Quo facto, infirma se E Beato commendavit, eaque prima nocte dormivit : postero autem mane dum inquirit, cur is digitus non amplius sibi doleret, sublato emplastro, etiam totius mali radix prodivit; et quamquam superesset in digito foramen, ex singulari tamen in Sanctum fiducia manus suas, lavandi ceteraque sui muneris obsequia præstandi gratia eadem die aquæ inseruit sine ullo suo malo, et sanata permansit; stupente chirurgo, quod sciret, medicamenta, quibus usus fuerat, tali effectui non esse paria.

febrim, hydropisi pthysique conjunctam, herniam,

173 In eadem civitate Alicante Josepha Estagna diuturna febri, hydropisi, pthysique conflictata, et agnoscens nil sibi prodesse remedia, ad B. Ludovicum recurrit, multis precibus instans, ut quædam illius reliquiæ, quas patres Dominicani habebant, ad se deferrentur : quæque simul ac super eum positæ fuerant, ille melius habuit, et sine altero remedio convaluit. Aliud miraculum, Alicante patratum, jam relatum est cap. I hujus libri, ut et alia multa, quæ brevitatis ergo prætermitto. In oppido Ayora *e*, diœcesis Oriolensis, anno MDCVI parvulus filius uxoris Petri Ortin hernia laborabat, cujus matri, post tentata varia remedia, quidam Religiosus suasit, ut, amotis omnibus medicamentis, aliquid ex habitu B. Bertrandi, quod commodabat, eidem applicaret, ipsique filii sui valetudinem devote commendaret. Fecit ita; ac paucis inde diebus hernia perfecte solidata fuit.

e

urinæ fluxum colli, apostema

174 In Enguera *f*, loco archiepiscopatus Valentini, Maria Anna Perez, ancilla Petri-Joannis Roures, ejusdem loci rectoris, vexabatur vehementi fluxu urinæ, unde semper inquieta et in continuo motu erat. Deinde usa consilio aliquid ex B. Ludovici habitu, a rectore acceptum, penes se gestandi, eodem, quo id fecit, illiusque auxilium imploravit, temporis momento stitit defluxus, et ipsa convaluit. In vico Xabea *g*, diœcesis pariter Valentinæ, Bartholomæus Borruglioperarius habuit filiam duodennem, quæ jam quadriennio apostema in collo circa guttur passa fuerat, et chirurgi, qui illud curandum susceperant, tandem omnes ab eo velut immedicabili malo abstinuerant. His ita constitutis, quidam presbyter Valentia adveniens

f

g

A. Avignono. adveniens ei aliquot miracula a B. Bertrando (quem illa propterea in veneratione habere cœpit) patrata narravit, ac frustulum habitus ejusdem Beati super apostemate ponens, jussit eam quotidie mane ac vesperi semel orationem Dominicam et salutationem angelicam recitare. Quod dum ipsa faceret, ac decimo quinto die vellent inspicere, an apostema melius haberet, perfecte sanatum deprehenderunt.

boas, febres, h 175 Montesæ *h* in Valentina similiter diœcesi, puella trium quatuorve annorum, Vincentia appellata, Ludovici Primo operarii filia, bois laborans, adeo afflictos oculos habuit, ut tribus mensibus clausos tenuerit, nec ullo remedio valuerit aperire : at cum post B. Bertrandi invocationem particulam ex ejusdem habitu quodam vesperi eis alligassent, postero mane inventus eorum unus est apertus, et alter postridie. In eodem oppido etiam alii febribus liberati fuere per ejusdem Beati invocationem solumque reliquiarum ejus attactum, ac specialiter una, jam triduo cum præsenti vitæ discrimine in partu laborans, quæ cum aliquid ex Beati habitu suo corpori applicasset, sine
B mora commode peperit.

morbum comitialem, i 176 In vico Vistabella sub magistratu Montesæ, diœcesis Dertonensis *i*, Maria-Anna Gari, puella octennis, comitiali morbo laborabat, quo sæpissime corripiebatur, ac semel eodem conflictata in focum incidit, adeo ut, nisi ei adfuissent alii, comburenda fuisset. Is morbus ei multo tempore adhæsit, donec pater frater Petrus, insignis servus Dei ex Ordine Prædicatorum, qui sacras conciones eo in loco frequenter habebat, persuasit ei, ut B. Ludovici Bertrandi patrocinium flagitaret. Fecit id devotissime, vovens, si sanaretur, imaginem ceream ad illius sepulcrum offerendam; ei inde ab illa hora deinceps numquam id mali experta fuit.

et pectoris tubera sanat. k 177 In oppido Cerveria *k* sub prædicto magistratu Helena di Zeba quinquennio circiter pectus suum quibusdam tuberibus infectum habuit, ex quo quædam officula attrita velut corporis dudum exanimis prodierunt, medico chirurgoque propterea affirmantibus, malum incurabile esse. Cum autem frustulum habitus B. Bertrandi ad eam forte pervenisset, illud suo
C pectori devote admovit, tantoque se melius habere sensit, ut intra breve tempusfanata fuerit, Sanctique sepulcrum visitaverit.

ANNOTATA.

a *Vide Annotata in cap.* x, *lit.* b.

b *Primum S. Joanni; postquam vero PP. Prædicatoribus sub seculi* XVI *initium cessit, etiam S. Vincentio Ferrerio sacram.*

c *Die* XXIX *Aprilis.*

d Alone *Ptolomæo dicta.*

e *In regno Valentiæ versus Castellæ confinia sito.*

f *Prope Montesam, de qua vide infra lit.* h.

g *Prope Dianium* (Denia) *et Sinum nunc* imperatoris cornu *appellatum.*

h *Distat Setabi seu Xativa leucis duabus, Valentia* XI, *estque cognominis Ordinis militaris caput.*

i Dertona *seu* Dertusa, *Hispanis* Tortosa, *in Catalaunia, qua Valentiam respicit, sita est.*

k *In finibus regni Valentini Catalauniæ vicinis.* D

CAPUT XII.

Miracula S. Ludovici intercessione in aliis regnis facta.

In civitate Cæsaraugustana *a* doctoris Joannis Ran, consiliarii regii, ac deinde judicis Aragoniæ, filius ætatis annorum circiter decem, inter jocandum cum aliis pueris in quodam gradu per fenestram altitudine duorum hominum lapsus in cancellos ferreos, per quos lucem reclpiebat cella vinaria, decidit tam vehementer, ut miser adolescens suis sensibus destitueretur, et copiosum ex ore suo sanguinem vomeret, medicique ac chirurgi, eum mortem evadere posse, negarent. Toto illo die ac nocte E subsecuta eo in statu permansit sine ullo solatio ex medicamentis percepto. Doctor autem Martinus Baptista Della Nuza, nunc Aragoniæ judex, quod puer iste uxoris suæ nepos esset, eumdemque tenere amaret, ipsum B. Bertrando commendavit, vovitque, curaturum se, ut ille, dum convaluisset, ad ipsius sepulcrum invisendum Valentiam iret; atque interim jussit illum gestare pileolum, qui ejusdem Beati olim fuerat. Quod ut ille capiti suo impositum habuit, sine ulla mora cœpit convalescere, ac brevi post sanus fuit, vehementer mirantibus medicis et chirurgis. CAP. XIII. *Sancti intercessione Cæsaraugustæ puer moribundus,*

variolæ; phrenesis animique deliquio, 179 Domina Hieronyma de Palafoix Cæsaraugustana, quæ ex lectis B. Ludovici Bertrandi Gestis et Miraculis magnam erga ipsum devotionem conceperat, tempore Quadragesimalis jejunii anno MDLXXXIV in malignam cum purpureis variolis febrim incidit, atque hinc in delirium ac vehementia animi deliquia; propter quæ velut viribus et spe convalescendi destitutam extrema sacra Unctione munierunt. Recordatæ famulæ illius singularem devotio- F nem, qua ipsa B. Bertrandum prosequebatur, miserunt ad monasterium B. Agnetis, monarcharum Ordinis S. Dominici, ut commodarent sibi frustum ex tunica *b*, quæ ejusdem Beati fuerat, quo super infirmæ corde posito, phrenesis ac deliquia illico cessarunt, eamque noctem ipsa cum omnium domesticorum, medicorum ac aliorum admiratione quietissime duxit, itaque perrexit assidue convalescere, ut post paucos dies omnino incolumis fuerit. *b*

gangræno pectoris, crurum 180 Soror Petronilla Palafoix in prædicto S. Agnetis monasterio, cum jam quinquennio gangrænam in pectore gestasset, ex qua eam intra quindecim dies morituram, judicabant medici, ad B. Ludovici opem recurrens, vesperi particulam tunicæ illius applicavit, et semel orationem Dominicam cum salutatione angelica recitavit, posteroque mane ita cœpit convalescere, ut non multo post incolumis evaserit. Quidam filius Annæ de Aybar viduæ habitum S. Francisci Cæsaraugustæ assumpserat, qui cum quodam malo cruris laboraret, non prætermisit tirocinii magister, frater Andreas Martinez nomine,

A nomine, quin curaret, varia ei medicamenta applicari, dolens, quod nisi sanaretur, cogendus esset eum, qui magnæ exspectationis juvenis erat, ex Ordine dimittere: verum ita auctum malum fuit, ut id compulsus fuerit facere. Mater ejus similiter multa singularia remedia tentavit, sed sine profectu; tandemque ipsum B. Bertrando commendans particulam habitus illius afflictæ parti alligavit, et in fine tridui ille perfecte convaluit.

mala, surditas, febris et lethargus,

181 Cum Martinus Salazar, medicus Cæsaraugustanus, jam a multo tempore affligeretur in crure sinistro, quod cum inflammatione ingentique cruciatu intumuerat (eratque periculum, ne malum in erysipelas verteretur; ut proinde non auderet vehementiora remedia adhibere) filius ejus presbyter memor miraculi, quod B. Bertrandus in sorore Petronilla Palafoix, gangrænam sanando, patraverat, aliquantulum ex ejusdem Beati habitu eidem cruri applicavit; postridie vero evanuit tumor, abscessitque dolor, et intra paucos dies ipse integra sanitate potitus est. Hieronymi Rodiglia, medici Cæ-

B saraugustani, filius amplius anno fuerat surdus. Post varia medicamenta inutiliter tentata, matre ipsi solummodo devote applicante quamdam B. Bertrandi fasciam, auditum recepit. Joannis Sala, medici pariter Cæsaraugustani, uxor febri ac lethargo laborans per impositum ei B. Bertrandi pileolum sanitatem illico obtinuit.

ulcus capitis. febres fluxusque sanantur.

182 Soror Gratia de Espes in monasterio S. Fidei jam sex annis gestaverat ulcus in capite, ex quo cum vehementi pruritu continue tantum puris fluebat, ut fasciis contineri nequiret; nec audebant eam curare, quod tam periculosam partem afficeret. Verum, auditis B. Bertrandi miraculis, aliquantulum ex ejusdem habitu ulceri imposuit, eodemque die ita cœpit convalescere, ut dolor ardorque cessaverint, ac tertio die perfecta valetudine gavisa sit. Erat Gaspari Bertrano, mercatori Cæsaraugustæ, nepotulus sedecim mensium, ex quibus sex febri et fluxu laboraverat. Hujus fronti alligaverunt particulam vestium B. Bertrandi, eique illum Gaspar ejusque uxor, et infantis pater devotissime commendarunt; et sine mora cœpit infans paulatim convalescere et sanus evasit.

C Quidam ejusdem domus vicini habebant filium ex febri et fluxu sanguinis tam prope ad mortem perductum, ut jam inciperent eum pro mortuo deflere; sed impositis ei supra dictis reliquiis, eodem tempore cœpit melius habere, et octavo die omnino convaluit.

in tractu Darocensi gangræna, in diœcesi Cæsaraugustana dæmoniaca,

183 Dominico Salas, ex Horcaggio oriundo, carbunculus, quem habebat in naso, in gangrænam conversus est, quæ extremitatem nasi ejus labiumque superius cum parte oris exedit. Quam ob rem, ne aliis fastidio et horrori esset, eam partem coopertam ferebat, atque ita mendicabat per plateas. Jam duraverat hæc infirmitas triennio, quando, ex consilio confessarii sui et monialium Dominicanarum Darocensium apposita particula fasciæ B. Bertrandi, subito se sensit melius habere, atque intra sex menses perfecte sanatus fuit, nulla interim medicina usus. In oppido Xorcas, diœcesis Cæsaraugustanæ, cum quædam mulier multis annis fuisset a dæmone possessa, advocatus, qui eam exorcizaret, pater frater Joannes Tarino, Ordinis Prædicatorum, aliquid ex habitu B. Ludovici Bertrandi ipsi admovit, ac mox, expulso dæmone, liberata fuit.

A. AVIGNONO. *Borgiæ partus dolores. Teruelæ febris tertiana pelluntur.*

184 In oppido Borja *d* Isabella Ximenez, Jacobi Vera conjux, viginti quatuor horis dolores partus passa fuerat, cum petiit, aliquid ex habitu B. Bertrandi, quem pie venerabatur, sibi afferri; nam sine eo negabat, se posse parere. Simul atque vero hujusmodi frustulum ei fuit impositum, feliciter enixa est puerum, quem quidem mortuum expectaverant; sed vivus prodiit, et baptizatus fuit. Eidem mulieri post alterum infelicem partum accidit fluxus sanguinis, qui ejus vires sex dierum spatio ita exhausit, ut suæ vitæ timeret. Commendavit ergo se B. Ludovico, et prædictas reliquias suo corpori denuo admovit, et eo malo liberata fuit. Cum quidam vir nobilis Teruelensis *e* ex diuturna tertiana febri ad mortem vergeret, nihilque sibi ex humanis remediis sperandum esse, comperiret, ad B. Ludovici patrocinium recurrens, aliquid ex illius habitu suo corpori apposuit; et eodem die omni febri caruit, nec in eam deinceps relapsus est.

d

e

Sanantur cruris fistula et pollex male affectus, mulier gravida, vix non mortua,

185 Erat Hieronymæ Ruiz, uxori Joannis Cavallo, filia, quæ in altero crurium periculosissimam fistulam patiebatur, habebatque unius manus pollicis os tam male affectum, ut ex eo multa frustula exempta fuerint. Medici exiguam de illius vita spem habebant, quod utrumque malum insanabile esset, maxime in corpore exiguarum virium multumque debilitato. Mater ejus, ope B. Bertrandi implorata, os ulceris particula habitus illius attigit, quo facto, prodigiose cœpit sanari, ac brevi convaluit. Joanna de Omiste, Michaëlis Matud uxor, gravida in febrim incidit, et purpureis maculis infecta fuit tam vehementer, ut medici de illius vita servanda desperare inciperent, prolemque jam sex diebus in ejusdem utero mortuam judicarent. Sed cum B. Bertrandum invocasset, atque aliquid ex illius habitu suo corpori admovisset, subito receptis viribus, e lecto descendit, peperitque filium cum omnium adstantium admiratione. Quod vero in periculo vitæ versaretur, eam sacro oleo unxerunt, quia proles omnium opinione mortua credebatur, ac ut talis minime curata fuit. Post spatium vero unius horæ eumdem infantem intuentes masculum vivumque compererunt et baptizarunt; qui tamen intra unam horam migravit ad cælum: F mater autem quarto die penitus convaluit non solum ex ea tam periculosa infirmitate, verum etiam ex parotide, quæ ei in faucibus orta fuerat.

vulnus lethale,

186 Nicaciana Mendozza percussa fuit globulo fistulæ bellicæ, a tergo ejus laxato, qui per humerum penetrans, pressit unam costarum, et per dexteram pulmonis alam transactus transiit, magnum prope pectus vulnus relinquens. Quia vulnus lethale erat, sanctissimis Sacramentis munita fuit. Eo in periculo se constitutam cernens, eoque etiam majori, quod frequentia animi deliquia pateretur, quodque una cum sanguine aliquot pulmonis frustula cum gravissimo fœtore ejiceret (qua de causa certo moritura credebatur) B. Bertrandi patrocinium imploravit, particulam habitus illius suo corpori applicatam ferens, ac singulis diebus (fuerunt hi quadraginta) pias suas preces renovans. In horum fine cœpit ipsa melius habere, et post tres menses et medium ab eo vulnere, aliisque, quibus conflictabatur, malis prorsus convaluit.

187 Cum quidam vir magnæ auctoritatis ac doctrinæ

A. Avignono. *animique anxietas : Matriti gangræna,*

doctrinæ in magnis angustiis tam animæ, quam corporis versaretur, multum eum sua torquente conscientia, quod nesciret, an eam recte exonerasset, nec ne; ad B. Bertrandi opem recurrit, obsecrans, ut sibi certam hujus negotii notitiam procuraret. Intra triduum quædam persona, triginta leucis ab ea civitate distans, eum invisens sua sponte dixit: Memini, decennium esse, ex quo fecit hæc et ista. Quibus dictis, sublatum omne dubium est, quo ille tantopere vexabatur. In regali Matritensi conventu S. Dominici quædam monacha, soror Anna a S. Paulo dicta, jam quinquennio gangrænam passa fuerat in pectore; et quamvis eam celeberrimi aulæ medici curarent, semper ingravescebat malum: at postquam B. Ludovico (cui promisit, se illius commemorationem in dies singulos mane ac vesperi celebraturam) se commendavit, atque aliquid ex ejusdem habitu gangrænæ applicasset, subito sanata fuit, nullo mali vestigio superstite.

et mentis furor ; *f*

188 In eadem civitate Matritensi *f* quidam vir nobilis, nomine Petrus Vidagna, qui erat in obsequiis ducis Nagiara, solus ambulans in campo prope molendinum vento versatile, vidit quemdam amentem, qui e domo sua evaserat, currentem, atque aliquot homines, qui insanum noverant, totis viribus, sed frustra, eumdem detinere conantes. Porro furibundus appropinquavit ad Petrum, qui cum aliquid ex habitu et capillis B. Bertrandi in parva bursa penes se gestaret, ad ipsum, ut potuit, accessit, dictamque bursam ejusdem manui inseruit, moxque ille sanæ menti restitutus Petrum obsecravit, ut partem aliquam illius rei, quam in manum dederat, sibi concederet; sicque accepta ab eo habitus particula, sano cerebro domum reversus est.

Turri Syllana loquela, auditusque redduntur ; *g*

189 In vico Tordesiglias *g* anno MDLXXXIV, mense Augusto quidam ephebus pedissequus illustris domini Ferdinandi de Castro, comitis d'Andrada, postquam a tertiana febri non nihil convaluerat, loquela et auditu subito destitutus et in præsens periculum mortis deductus fuit, nihil juvantibus remediis adhibitis. Quo cognito, jussit comes in cubiculum ejus inferri effigiem B. Bertrandi, et, quotquot aderant, eum devote precari pro restituenda infirmo loquendi audiendique facultate, ut posset peccata sua sacerdoti confiteri, quod in isto morbo nondum fecerat. Orantibus illis, cœpit loqui et audire, et commode confessus est; at dum sanctissimum Viaticum allaturi essent, in idem malum recidit, lingua auribusque captus, multisque horis ita permanens. Cumque viderent, eum mori, sacrum infirmorum oleum attulerunt, quo dum eum ungerent, denuo locutus est responditque; finitaque sacra ceremonia, ipse quoque vitam finivit; quod pro grandi miraculo habitum fuit.

C

morbus desperatus abigitur; Egarx Sanitatem recipit pene mortua,

190 In eodem vico Tordesiglias Kalendis Martii anno MDLXXXV dominus Ferdinandes, domini Ferdinandi de Castro, comitis d'Andrada filius, incidit in morbum, crevitque is morbus usque in diem XIV, quo medicus omni eum sanandi spe excidit. Ea re cognita, mater ejus, comitissa domina Catharina de Zunica, ne morientem videret, ivit ad quoddam monasterium, alligata prius collo pueri particula tunicæ B. Bertrandi, ejusdemque effigie in illius lecto posita. Dum vero ipsa ex ecclesia domum rediit, invenit illum febri liberum et facillime loquentem. In Egarensi oppido *h* diœcesis Barcinonensis Isabella Alavedra, cujusdam medici uxor, post diuturnam infirmitatem, quæ illius vires vehementer exhauserat, mortua credebatur, nullo sensuum indicio in ea amplius apparente. Jamque eam e lecto levabant, ut funebribus induerent; verum illa, quæ vivebat, cognoscebatque, de sepelienda se tractari, geminum mortis dolorem patiebatur, quod nequiret ullum vitæ indicium edere. In tantis angustiis deprehensa B. Bertrandum toto cordis affectu invocavit, promittens, si evasisset, quinquaginta regales ad ejusdem canonizationem promovendam; et illico sanitatem obtinuit. *h*

in Sicilia pedis dolor aufertur,

191 In Sicilia cum ejusdem regni prorex dominus Jacobus Henriquez et Gusman comes d'Alva di Liste anno MDXC acerbos dolores in unius pedis digito diu passus in periculum vitæ deductus esset, ait ipsi comitissa conjux sua, Jacobum Bertrandum B. Ludovici fratrem tunc Valentinæ in Sicilia civitatis syndicum, habere ejusdem Sancti pileolum, jussitque eum afferri; verum abnuit eumdem suo pedi apponere, quod id indecens illi appareret. Tandem tamen dolore victus, id fieri passus; moxque omnis ille abscessit dolor, neque illum deinceps corripuit. E

quibus apud Sinas,

192 In regno Sinensi, civitate Macao, quæ Lusitanorum est, Mexiæ Barrozza, uxori Ruydias de Azevedo, ex gravi febri periculose decumbenti, unus e duobus Religiosis Ordinis Prædicatorum, qui advocati erant, ut Evangelium super ea legerent, suasit, ut B. Bertrandum invocaret, promisitque, se ei missurum reliquias ex ejusdem Sancti cappucio. Illa obsecuta eumdem invocavit, dictisque reliquiis, frustulo chartæ involutis, acceptis, statim se melius habuit, et intra paucos dies integra valetudine potita est. Utque erat tunc solita easdem reliquias semper penes se gestare, contigit, ut inter componendum lectum et linteamina excutienda, eæ lapsæ in humum sint, nemine advertente, et a famula cubiculum verrente simul cum sordibus in ignem, qui propter frigus aderat, injectæ.

ubi etiam ejus reliquiis pepercit ignis,

193 Haud paulo post advertens mulier, se eas non amplius habere, quæsivit diligenter, tandemque post duas amplius horas invenit eam chartulam in medio igne, illæsasque in ea reliquias, imo nec ipsam chartulam, quæ solummodo in locis, ubi complicata fuerat, aliquot tenuia, velut puncturas acuum, foramina habebat, quæ ignis, intactis reliquiis, fecerat. Quod quidem ita permisit Deus, quo manifestius esset miraculum, de quo ac sequenti audita fuere testimonia per ordinarium episcopatus Sinarum die XVIII Novembris anni MDCXVII, allataque ad Sinarum episcopum, dominum fratrem Joannem Pinto, qui die XVII Novembris anni MDCXXII Ulysippone in Lusitania degens cum multorum doctorum virorum consensu hoc sequensque miracula approbavit per instrumentum Gasparis Cardoso, notarii Apostolici, die et anno præmissis. F

similia,

194 In eadem civitate Maccao Lucretia de Costa, Dominici Texeira conjux, vehementibus partus doloribus correpta non poterat eniti, et ad extrema vitæ redacta fuit. Quam ob rem testamentum suum condidit, ante de peccatis suis confessa apud patrem fratrem Antonium de Rosario, Ordinis Prædicatorum, episcopatus Sinarum administratorem, qui eam monuit, ut se

A se B. Bertrando devotissime commendaret, misitque ad eam hierothecam, cui aliquæ ejusdem Beati reliquiæ inclusæ erant ; quam simul atque, illius nomen piissimo affectu invocans, sibi imposuit, sensit intra se magnam commotionem, velut proles se vertisset, et ad prodeundum aptasset. Et reipsa eodem momento temporis peperit, salva et incolumis permanens.

alibique sunt facta.

195 Plurima quoque alia miracula per B. Ludovici Bertrandi patrocinium operatus est Dominus Deus noster in multis aliis regnis, ac nominatim in Italia, et in hac Urbe Romana, quæ hic non recensentur, tum ne prolixitas fastidio sit, tum etiam, quia, licet habeantur relationes eorum, quibus ea obtigerunt, non tamen jurejurando confirmata sunt.

ANNOTATA.

a *Aragoniæ primaria.*

b *Apud Avignonum Italice legitur* : Una pezza da stomacho, stata di esso Beato ; *sed legendum* : Una pezza da tonica : *quemadmodum infra tunicæ, habitus aut vestimenti* S. Ludovici Bertrandi *frequens mentio fit.*

B

c *In Aragonia ad fluvium*, Xiloca *Hispanis dictum.*

d *Diœcesis Tarraconensis in Aragonia.*

è Teruel *urbs episcopalis est in Aragonia sub archiepiscopatu Cæsaraugustano.*

f *Regum Hispanorum sede in Castella Nova.*

g Turrim Syllanam *appellant ; Legionensi regno adscribitur hodie.*

h *In Catalaunia.*

LIBER IV.

S. Ludovici Bertrandi Beatificatio et Canonizatio.

PROLOGUS.

C

Cur et unde de gestis in causa Beatificationis et canonizationis acturus sit, auctor edicit.

Cum in tribus prioribus libris de Vita, Virtutibus et Miraculis B. Ludovici Bertrandi egerim, haud alienum a proposito meo fore putavi, si hunc quartum librum adderem, in quo breviter exponerentur, quæ gesta sunt pro ejusdem beatificatione et canonizatione a sancta Apostolica Sede obtinenda, ut pateat, quanta cum prudentia, quamque maturo judicio sancta Ecclesia in tam gravibus causis canonizationum Sanctorum procedat. Quæ vero hic proferemus, omnia deprompsimus ex Processibus, et Registro, hac super re confecto per Anselmum Dandino, protonotarium Apostolicum, in quo continentur omnia, quæ in hac causa Romæ acta fuerunt usque in diem XXIV Augusti anni MDC ; reliqua vero in Registris deinceps conscriptis.

A. Avignono.

CAPUT I.

Processus primus de Vita et Miraculis B. Ludovici ab archiepiscopo Valentino institutus : Inquisitio summaria de iisdem Sixti V jussu facta : causa Canonizationis S. R. Congregationi commissa.

Instituitur inquisitio in vitam et miracula S. Ludovici in genere Archiep. Valentini jussu

Tot mirabilibus, quæ in B. Ludovici Bertrandi obitu contigisse, libro secundo diximus, innumerisque miraculis, quæ Deus per ejusdem intercessionem assidue operabatur, simul et continua devotione ac frequentia omnis conditionis hominum ad sepulcrum illius accurrentium, moti Jurati *a* civitatis Valentinæ, ne egregia tam boni divinæ Majestatis Servi Gesta silentio et oblivionis tenebris premerentur (maxime cum jam obiissent aliqui, qui cum eo conversati fuerant, multaque de eo scitu digna noverant) mense Novembri, paulo amplius, quam uno mense ac medio post ejusdem Sancti mortem *b*, magnopere obsecrarunt illustrissimum dominum patriarcham et archiepiscopum Valentinum, Joannem de Rivera *c*, ut juberet in vitam ac miracula patris fratris Ludovici Bertrandi inquiri, de iisque processum confici. Supplicationi benigne annuit patriarcha, ac proinde illustrissimo domino Michaëli Espinosa, episcopo Marocano, mandavit, ut testimonia exciperet, quod ille die XIV Decembris dicti anni MDLXXXI facere exorsus duodecim supra centum testes examinavit.

a

b

c

Gregorii XIII tempore,

F

2 Neque his contenta Valentina civitas, scripsit etiam anno MDLXXXIV ad summum Pontificem Gregorium XIII, humiliter supplicans, ut sua Sanctitas dignaretur jubere, processum de servi Dei, fratris Ludovici Bertrandi, vita et miraculis Apostolica auctoritate confici, ceteraque necessaria perquiri, ut posset pro ratione causæ ad ejusdem canonizationem procedere. Utque aliquis adesset Romæ, qui hujus negotii tractandi sollicitandique curam haberet, die V Julii anni MDLXXXIV, cum dictæ civitatis Jurati essent Cosmas Mathias de Cruiglias nobilis eques, Melchior Figuerola civis, Michaël-Angelus Fax, nobilis eques, Franciscus Sanfelice, Joannes de Brizuela et Gaspar Peglizor cives, et Narcissus di Monplau Rationalis, et Joannes Onophrius Dassion syndicus, procuratorem constituerunt patrem fratrem Joannem Bru de la Modelana, Ordinis Prædicatorum, et doctorem Joannem Baptistam Vives Romæ residentem, ut pro viribus causam hanc apud summum Pontificem Gregorium XIII agerent.

quo mortuo, Sixtum V Philippus II rogat,

3 Atque is quidem Pontifex, quamvis auditis, quæ per Servum suum Deus patraverat, miraculis plurimum gauderet, morte præditus nequiit manum operi admovere *d*. Successit ei in Pontificatum Sixtus V *e*, coram quo causa

d

e

A. Avignono. acta fuit, multum conferente Philippo II *f*, Hispaniarum rege, qui pro solito suo pro Deo ejusque servis zelo ad eumdem Pontificem scripsit, suoque legato, domino Henrico de Gusman, comiti d'Olivares, mandavit, ut suo nomine Sanctitati suæ supplicaret, ut juberet instrui processus actaque necessaria ad eam causam ad finem perducendam. Scripsit has litteras rex die VII Octobris anni MDLXXXV Montione *g*, cum curia sua tum temporis in Aragonia degens. Ejus ad legatum suum litteræ hæ sunt.

f

g

ut de illis processum

4 " Rex. Legate, ex personis fide dignis " comperimus, die IX Octobris anni MDLXXXI " in conventu Domini S. Dominici in civitate " nostra Valentia ad meliorem vitam commi- " grasse Religiosum istius Ordinis, dictum fra- " trem Ludovicum Bertrandum, cum opinione, " quod Dominus noster patraverit in vita ejus, " patretque assidue post mortem illius per ejus- " dem patrocinium aliquot miracula, eumdem- " que ab omnibus hujus regni, aliarumque par- " tium in magna devotione haberi; simulque B " rogati sumus, ut, tum propter hæc, tum " quod corpus illius in veneratione sit, ut velle- " mus apud Sanctitatem Suam intercedere, ut " ipsi placeat peculiare canonizationis Breve " concedere, per quod liceat in hac civitate ali- " bique inquisitiones ad hunc finem necessarias " fieri; et, si hæ in nimia mora futuræ essent, " ageretur interim pro ejusdem beatificatione, " ut Officium aliaque de more pro eo peragi " valeant.

instrui jubent:

5 " Cumque negotium hoc ejus generis ma- " gnique momenti sit, mandamus vobis, one- " ramus vos et commendamus, ut illud omni " studio promoveatis, nostroque nomine San- " ctitati suæ supplicetis, ut secundum normam " a sancta Sede Apostolica servari solitam in " notitiam meritorum gestorumque dicti Patris " perveniat, et si vera esse compererit, quæ di- " cuntur, desideratam canonizationem perficere " dignetur ad complementum gaudii, quod " prædicta Valentina civitas cepit ex multis per " eum gestis memoria dignis. Quam ob rem " inclusas hic tuæ fidei commissas ad Sanctita- " tem suam litteras habes: et quidquid hac in C " re diligenter egeritis, gratum nobis servitium " reputabimus. Datum Montione die VII Octo- " bris anni MDLXXXIII *h*. "

h

II.

Sixtus, commisso Cardinalibus aliquot causæ examine,

6 Mandata regis comes d'Olivares omni studio diligenter exsecutus est, ac die XXV Junii anno MDLXXXVI summo Pontifici Sixto V in consistorio secreto supplices preces obtulit, ut dignaretur jubere, causam introduci, ceteraque omnia fieri, ad ejusdem conclusionem usque necessaria. Quod Pontifex libenter concessit, utque in negotio tam arduo debita cum prudentia procederetur, Cardinali Alexandro Farnesio, episcopo Ostiensi ac sacri collegii decano, Cardinali fratri Michaëli Bonello Alexandrino tituli S. Mariæ supra Minervam; Antonio Carafa Cardinali tituli sanctorum Joannis et Pauli; Joanni Baptistæ Castagna Cardinali tituli S. Marcelli, Henrico Caëtano Cardinali tituli S. Potentianæ; Ferdinando Medicæo Cardinali tituli S. Eustachii, et Andreæ Battorio Cardinali tituli S. Andriani, totum causæ examen vivæ vocis oraculo commisit, ut de ejusdem statu ad se totumque sacrum collegium referrent, et secundum leges et consuetudinem Ecclesiæ in eadem procederetur.

7 Inspecta et examinata per dictos Cardinales causa, factaque de ipsa summo Pontifici sacroque collegio relatione, die VIII Julii anni MDLXXXVI mandavit Pontifex Breve expediri, quo jubebat generaliter inquiri de vita, puritate fidei, sanctitate religionis et splendore miraculorum servi Dei, fratris Ludovici Bertrandi, deque devotione populi erga eum ac opinione de ejusdem sanctitate, qui primus processus est, quem summus Pontifex in causis canonizationis solet imperare; nominavitque judices commissarios ad processum instruendum archiepiscopum Valentinum, et episcopos Dertunensem et Terulensem, cum adjecta clausula, ut saltem eorumdem duo recipiendis informationibus præsentes adessent. Breve vero tenoris sequentis est.

auditaque eorum relatione,

8 " Venerabilibus fratribus, archiepiscopo " Valentino, et Dertusen. *i*, ac Terulen. *k* epi- " scopis. Sixtus Papa V.

per commissarios judices hic nominatos i k

" Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam " benedictionem.

" Antiquis sacrosanctæ matris Ecclesiæ insti- " tutis edocemur, ut fidelium animas, beatitu- E " dinis æternæ lætitia perfruentes, debita re- " verentia prosequamur, quas tunc maxime " Creatori suo acceptas, civiumque cœlestium " consortio feliciter aggregatas esse, censemus, " dum illorum meritis fidelibus, eorum suffra- " gia devote implorantibus, divina non dedi- " gnatur subvenire clementia.

processum generalem,

9 " Sane felicis recordationis Gregorio Papæ " XIII prædecessori nostro, et deinde Nobis ad " summi Apostolatus apicem assumptis, crebris " litteris, aliisque diversis publicis attestationi- " bus ac vehementibus instantiis, tam charissi- " mi in Christo filii nostri, Philippi Hispaniarum " regis Catholici, et aliorum principum, quam " dilectorum filiorum, Juratorum aliorumque " civium et incolarum civitatis et regni Valentiæ, " ad Nos Sedemque Apostolicam missis et factis, " expositum fuit, quod, cum in ipsa civitate " Valentiæ, quæ, in citerioribus Hispaniarum " partibus sita, insignis et totius regni Valenti- " ni metropolis existit, fides et religio, cultus " divinus, et singularis erga hanc Sedem devo- " tio maxime vigeat; nostris vero temporibus " civitas præfata, benedicente Domino, perma- F " gnum et uberem afferens fructum, bonæ me- " moriæ fratrem Ludovicum Bertrandum, dum " in humanis ageret, Ordinis Fratrum Prædica- " torum professorem, Virum, non solum S. " Vincentio Ferrerio, in dicta urbe orto, jam " dudum in Sanctorum numero adscripto *l*, san- *l* " guinis cognatione *m*, sed etiam officio pieta- *m* " tis et illius vitæ imitatione conjunctum ha- " buit; qui cum anno Domini MDLXXXI, die " IX Octobris obiisset in Domino, adeo maxi- " mam in Hispaniarum regni, et novi orbis re- " gionibus, in quibus verbi Dei prædicandi " munere functus est, suæ virtutis ac pietatis " admirationem reliquit, ut illarum partium " hominibus persuasum sit, jam cælestia præ- " mia consecutum.

misso ad eosdem

10 " Quam ob rem sanctitatis suæ odorem * " longe lateque hinc inde diffusum *, et dum " in humanis ageret, et post ejus obitum; ac re- " ligione et devotione ducta multitudo ma- " gna ad corpus ejus invisendum et venerandum " accessit; et, ut pie creditur, exoratus Altissimus " dicti Ludovici meritis et intercessionibus quam- " plurima et diversa inter Christi fideles, hujus " Advocati

* odor
* diffusus est

A „ Advocati saluberrimum subsidium votis hu-
„ militer implorantes, ad futurum tamen præ-
„ dictæ Sedis judicium deferentes, operari mi-
„ racula dignatus est. Quod etiam plurimorum
„ fide dignorum testimonio probari posse, af-
„ firmant, de quorum obitu propter eorum se-
„ nium dubitatur; et sic tanti Viri memoria
„ periret, ejusque acta probationum penuria in
„ futurum ævum minus elucesceret, propter
„ quæ ipse Ludovicus non indignus appareat,
„ qui Sanctorum Dei cathalogo adscribatur.

apostolico Brevi,

11 „ Denique dilecti filii, nobilis vir Hen-
„ ricus de Gusman, comes de Olivares, ejus-
„ dem Philippi regis, apud Nos dictamque Se-
„ dem orator, nomine ipsius Philippi regis, et
„ Joannes Baptista Vives, etiam ad Nos et Se-
„ dem prædictam Nuncius specialiter super hoc
„ missus et destinatus pro parte dictorum Jura-
„ torum et regni Valentini, in consistorio no-
„ stro secreto humiliter et instantissime suppli-
„ carunt, quatenus examen de ipsius Ludovici
„ vita et miraculis, ut solet fieri, mandare,
„ illumque, si dignus inveniatur, prædicto Ca-
B „ thalogo adscribere de benignitate Apostolica
„ dignaremur. Nos igitur ad nuncium tam jo-
„ cundum prompto animo respondere volentes,
„ immensas propterea omnipotenti Deo gratias
„ agentes, qui ad confirmandam Catholicæ fi-
„ dei puritatem, et obstinatam hæreticorum
„ pravitatem confutandam, nostris præsertim
„ temporibus, fideles suos et amicos suos velit
„ honorare, hujusmodi supplicationibus inclina-
„ ti, de fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ Cardinalium consilio inquisitionem
„ super vitæ conversatione, meritis et fama ip-
„ sius fratris Ludovici bonæ memoriæ, miracu-
„ lisque prædictis et populi erga illum devotione
„ committendam esse, decrevimus.

cujus hic tenor exhibetur,

12 „ Et ut in tam arduo negotio mature
„ procedatur, venerabili fratri nostro, Alexan-
„ dro episcopo Ostiensi, sanctæ Romanæ Eccle-
„ siæ vicecancellario Farnesio, ac protectori re-
„ gnorum Aragoniæ; ac dilectis filiis Michaëli
„ Alexandrino, sanctæ Mariæ super Minervam;
„ ac Antonio Carrafæ, sanctorum Joannis et
„ Pauli; Joanni Baptistæ Castaneo, sancti Mar-
„ celli; nec non Henrico Caëtaneo, sanctæ Pu-
C „ dentianæ, presbyteris, et Ferdinando de Me-
„ dicis, sancti Eustachii, et Andreæ Battorio
„ sancti Adriani, diaconis, sanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ Cardinalibus, quorum singularem re-
„ ligionis zelum, graveque judicium et præci-
„ puam prudentiam in maximis nostris et Ec-
„ clesiæ negotiis sæpius experti sumus, vivæ
„ vocis oraculo universum super præmissis exa-
„ men, ac plenam, omnimodam et totalem hu-
„ jus negotii cognitionem, Nobis et aliis fra-
„ tribus in consistorio referendam commisimus,
„ ut postmodum, quæ sanctorum patrum dog-
„ mata, sacrorumque Canonum institutiones ac
„ Christiana charitas postulant et requirunt, ad
„ divini nominis laudem, totiusque curiæ cæle-
„ stis honorem efficere valeremus. Super qui-
„ bus omnibus et singulis plenam et omnimo-
„ dam concessimus facultatem: volentes nihilo-
n „ minus *n*, illa, ut præfertur, exequerentur.

confici jubet;

13 „ Nos igitur de ipsorum consilio ac fidei
„ sinceritate, religionis integritate, ac famæ ve-
„ stræ candore, solitaque et debita erga hanc
„ Sedem obedientia plurimum in Domino con-
„ fidentes, fraternitati vestræ per præsentes
„ committimus et mandamus, quatenus vos,
„ vel duo ex vobis, per vos ipsos vice nostra A AVIGNONO.
„ de dicti Ludovici excellentia vitæ, sanctitatis
„ opinione, puritate fidei, religionis sanctimo-
„ nia, miraculorum coruscatione, et populorum
„ devotione ac aliis in genere, fideliter, dili-
„ genter atque prudenter, ut res expostulat,
„ inquiratis, et summariam, ex personis tamen
„ fide dignis et aliis probationibus idoneis, si
„ quæ fuerint, informationem recipiatis, ac in
„ scriptis redactam, clausam vestrisque sigillis
„ munitam, per fidelem nuncium quanto citius
„ ad Nos transmittere curetis, ut, tandem ha-
„ bita condigna relatione, ad ulteriora juxta ri-
„ tum et morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et
„ vestigia prædecessorum nostrorum, sancto-
„ rumque patrum dogmata, et sacrorum Cano-
„ num institutiones in similibus procedere va-
„ leamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum,
„ sub anulo Piscatoris, die VIII Julii MDLXXXVI
„ Pontificatus nostri anno secundo. „

„ Thomas Gualterutius. „

quem, in Hispania confecium,

14 Breve hoc Valentiam allatum pater ma-
gister frater Vincentius Justinianus Antist,
velut Prior conventus Prædicatorum ejusdem
civitatis, die VII Octobris anni MDLXXXVI obtu-
lit illustrissimo domino Joanni de Ribera, pa-
triarchæ Antiocheno et archiepiscopo Valentino,
ac illustrissimo domino Joanni Teres, tunc epi-
scopo Dertusensi; qui mandatis obsequentes
Gasparem Miconi in eadem causa notarium cu-
riæ archiepiscopalis constituerunt, cœperuntque iidem judices sequenti die VIII Octobris exa-
minare testes, et examinarunt nonaginta, inter
quos fuere episcopi, duces, marchiones, comites,
aliique perillustres viri, tum ecclesiastici, tum
laïci. Et quamquam hi solum generaliter de
excellentia vitæ ac virtutum servi Dei, deque
opinione magnæ sanctitatis illius tam ante,
quam post obitum habita, et de fama miracu-
lorum interrogarentur, multi tamen eorum etiam
specialia quædam testati fuerunt. E

CAP. III.
Romamque transmissum,

15 Confectum summariæ inquisitionis de ex-
cellentia vitæ et fama miraculorum B. Ludovici
Bertrandi Processum judices clausum sigilla-
tumque ad curiam Romanam transmiserunt,
isque Sixto V Papæ, quia Cardinalis Alexander
Farnesius, cui ea causa commissa fuerat, jam F
excesserat e vivis, aliique, qui huic additi fue-
rant, Roma aberant, oblatus fuit. Pontifex vero
Congregationi Rituum, quam paulo ante insti-
tuerat, eamdem causam per Breve die XV Julii
anno MDLXXXIX datum commisit cum potestate
dictum Processum resignandi, ceteraque neces-
saria peragendi, ut deinde de statu causæ ad
Sanctitatem suam sacrumque collegium in con-
sistorio referret. Breve hic subjectum habe.

sacræ Rituum Congregationis,

16 „ Venerabili fratri Alfonso episcopo Por-
„ tuensi Gesualdo, ac dilectis filiis nostris, Ga-
„ briëli tituli Sancti Laurentii in Lucina Paleot-
„ to, Nicolao tituli sanctæ Cæciliæ Cremonensi,
„ ac Vincentio tituli sancti Clementis, Montis
„ Regalis, presbyteris, nec non Ascanio sancti
„ Nicolai in Carcere Tulliano Columnæ, et Fri-
„ derico sanctæ Agathæ, Borromeo nuncupatis,
„ diaconis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
„ libus, Sixtus Papa V.

„ Venerabiles fratres, et dilecti filii nostri,
„ salutem et Apostolicam benedictionem.
„ Quod Deus bonorum omnium dator ad maxi-
„ ma, et quidem innumera, beneficia, quibus
„ nos, licet immeritos, quotidie cumulat, his
„ nostris temporibus in Ecclesia sua præclarissi-
morum

A. Avignono. „ morum virorum sanctitatem, quasi novum
„ lumen ad eam magis illustrandam, addat,
„ singularem erga nos pietatem et clementiam
„ suscipimus, et quantum humana infirmitate
„ assequi possumus, laudibus celebramus, atque
„ ut ea ad Catholicæ fidei augmentum et homi-
„ num salutem referantur, precibus et studiis
„ effici curamus.

edito Brevi, 17 „ Cum itaque anno superiori beatum Di-
„ dacum Complutensem Ordinis S. Francisci so-
„ lemni ritu Sanctorum numero adscripserimus
o „ *o*, modo Ludovicum Bertrandum *, e civitate
* *lege :* Ludovicus Bertrandus „ Valentiæ oriundum*, Ordinem Prædicatorum
„ professum *, quem in Hispaniarum, et novi
* oriundus „ orbis regnis magna sanctitatis fama, magna-
* professus „ que miraculorum claritate paulo ante floruis-
„ se, probatissima multorum attestatione acce-
„ pimus, qui solemni Romani Pontificis, cujus
„ id proprium est, declaratione, Sanctorum ca-
„ thalogo adnumeretur, dignus pari ratione vi-
„ detur. Quod profecto clarissimus in Christo
„ filius noster, Philippus Hispaniarum rex Ca-
B „ tholicus, ac plerique Hispaniarum, et præ-
„ cipue Valentiæ, regnorum prælati ac proceres,
„ universusque Prædicatorum Ordo a fel. record.
„ Gregorio Papa XIII primum, et a nobis deinde
„ per litteras sæpius, et novissime per dilectum
„ filium, nobilem virum, Henricum de Guzman,
„ comitem de Olivares, regium apud nos orato-
quod hic „ rem, maximis precibus petierunt.

18 „ At nos sacris præceptis edocti, prisco-
„ que Pontificum exemplo moniti, summam in
„ hujusmodi negotio curam et diligentiam ad-
„ hibendam, cauteque et mature procedendum,
„ censentes, sacris patrum traditionibus, Majo-
„ rumque nostrorum vestigiis inhærentes, ju-
„ stis eorum supplicationibus inclinati de vene-
„ rabilium fratrum nostrorum, sanctæ Roma-
„ næ Ecclesiæ Cardinalium consilio, in ipsius
„ fratris Ludovici vitæ conversationem, famam,
„ merita, miracula, et populi erga illum fidem,
„ pietatis et religionis, quo decet, augendæ
„ studio inquirendum decrevimus; ac propterea
„ bonæ memoriæ Alexandro episcopo Ostiensi
„ Farnesio, ac dilectis filiis nostris, Michaëli
„ sanctæ Mariæ super Minervam Alexandri-
„ no, Antonio sanctorum Joannis et Pauli Car-
C „ rafæ, Joanni-Baptistæ sancti Marcelli,
„ Henrico sanctæ Pudentianæ, Caëtano pres-
„ byteris, et Ferdinando, tunc sancti Eustachii
„ de Medicis, et Andreæ sancti Adriani dia-
„ conis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
„ libus, universum de præmissis examen ac
„ plenam, liberam et universam cognitio-
„ nem habendam, et ad nos et ad fratres
„ nostros in consistorio referendam commisi-
„ mus, ut postmodum, quæ sanctorum patrum
„ dogmata, sacrorumque Canonum constitutio-
„ nes ad Dei laudem et ad virtutis imitationes po-
„ stularent, ad ejusdem divini nominis hono-
„ rem, et ad communem Beatorum lætitiam,
„ atque ad vivorum exemplum statuere possi-
„ mus; ac in his omnibus et singulis plenam
„ et liberam eisdem Cardinalibus concessimus
pariter „ facultatem.

19 „ Idcirco per nostras in forma Brevis lit-
„ teras venerabilibus fratribus, archiepiscopo
„ Valentino, et Dertusensi et Terulensi episcopis
„ mandavimus, ut ipsi, vel duo ex eis per se
„ ipsos in ipsius Ludovici vitæ excellentiam, in
„ sanctitatis opinionem, in fidei puritatem, et
„ religionis sanctimoniam, in miraculorum co-
„ ruscationem, in populorum erga illum fidem, D
„ et in alia id generis gesta fideliter diligenter-
„ que, ut res postulabat, vice nostra inquire-
„ rent, et summariam, ex personis tamen fide
„ dignis, et aliis legitimis probationibus, si quæ
„ forent, ad antiquæ et veræ religionis et san-
„ ctitatis rationem reciperent informationem, et
„ in scriptis redactam, clausam suisque sigil-
„ lis munitam, per fidelem nuntium quanto ci-
„ tius ad nos transmittere curarent; ut tandem,
„ habita condigna relatione, juxta ritum et mo-
„ res sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et vestigia præ-
„ decessorum nostrorum, sanctorumque patrum
„ dogmata, et sacrorum Canonum instituta,
„ in præmissis procedere valeremus, prout in
„ eisdem litteris continetur. Hi vero archiepi-
„ scopus et episcopi, mandatis nostris obtempe-
„ rantes, receptam ab iisdem informationem
„ prædictam, clausam suisque sigillis obsigna-
„ tam ad nos nuper transmiserunt. Quare nos
„ felicibus hujus negotii principiis vehementer
„ in Domino confisi, ad ulteriora, ut par est, E
„ progrediendum duximus.

20 „ Sed quia ex prædictis Cardinalibus, a *exhibetur,*
„ nobis ad id, ut præfertur, nominatim depu-
„ tatis, prior vita functus est, aliique nonnulli
„ a Romana curia vel absunt, vel aliis negotiis
„ distinentur, aut eo munere vacant, et post
„ factam hujusmodi deputationem nonnullas
„ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad cer-
„ ta negotia conficienda Congregationes erexi-
„ mus, inter quas Congregationem sacrorum
„ Rituum instituimus, eique præter alias, de iis,
„ quæ ad Sanctorum canonizationem pertinent,
„ cognoscendi facultatem concessimus, propte-
„ rea vobis, qui eidem sacrorum Rituum Congre-
„ gationi præfecti estis, et quorum religionem,
„ pietatem, fidem et prudentiam in maximis et
„ gravissimis rebus sæpius probavimus, hoc
„ munus demandandum censuimus.

21 „ Itaque motu proprio et ex certa scien- *examini*
„ tia maturaque deliberatione nostris, deque
„ Apostolicæ potestatis plenitudine, ex supra
„ dictis causis primam illam præfatorum Cardi-
„ nalium deputationem revocantes, vos et ve-
„ stros in dicta Congregatione successores in lo-
„ cum dictorum Cardinalium quoad hoc per
„ præsentes subrogantes *, et ad hoc negotium * *subrogamus*
„ deputamus; vobisque de præmissis examen F
„ totum, ac plenam et liberam hujus negotii co-
„ gnitionem, ad nos et fratres nostros in con-
„ sistorio referendam committimus, ut deinde,
„ quod ex antiquis sanctorum patrum traditio-
„ nibus et prisca consuetudine obtineri consue-
„ vit, ad Dei gloriam et Sanctorum exaltatio-
„ nem, ac fidelium salutem conficere valeamus:
„ dantes vobis certam, plenam et universam
„ auctoritatem, potestatem et facultatem infor-
„ mationum, a dictis archiepiscopo et episcopis,
„ ut præfertur, missam aperiendi, examinandi
„ et cognoscendi, actusque omnes juridicos et
„ validos exercendi, processusque per vos, aut
„ mandato vestro per alios, rite et recte confi-
„ ciendi, aliaque omnia faciendi, quæ in præ-
„ missis omnibus et singulis circa ea, quæ ne-
„ cessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

22 „ Volumus autem, et auctoritate Apo- *subjicit.*
„ stolica statuimus, quod, si vestrum aliqui
„ interdum præmissis interesse nequiverint, re-
„ liqui tamen, dummodo duas saltem e tribus
„ partibus constituant, illa, ut præfertur, exse-
„ qui libere et valide possint. Non obstantibus
„ priori

» priori dictorum Cardinalium per nos facta deputatione, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub anulo Piscatoris, die XV Julii anni M. D. LXXXIX. Pontificatus nostri anno quinto.

» M. Vestrius Barbianus. »

ANNOTATA.

a *Magistratus, promovendo bono publico jurejurando obstricti.*

b *Contigit ea anno* 1581 *die* IX *Octobris.*

c *Seu* Ribera.

d *Obiit anno* 1585 *die* X *Aprilis.*

e *Anno eodem et mense die* XXIV *Aprilis.*

f *Qui filium suum, dein Philippum III,* S. Ludovici *opem expertum noverat, ut dictum est lib.* 3, *cap.* 5 *sub initium.*

g *Vide Indicem Geographicum.*

h *Lege* : 1585.

i *Joanni Terez, dein Tarraconensi archiepiscopo.*

k *Jacobo Ximeno.*

l *Pius II ejus canonizationem, a Calixto III factam, promulgavit anno* 1458. *Colitur die* V *Aprilis, ad quem de illo actum est in Opere nostro.*

m *Prœavia ejus fuit Ursula Ferrera e S. Vincentii familia.*

n *Lege ex Roca* : Volentes nihilominus, ut, si qui illorum executioni interesse nequiverint, reliqui illa, *etc.*

o *Nimirum* 1588. *Colitur* S. Didacus a S. Nicolao XII *Novembris.*

CAPUT II.

Processus de Vita et Miraculis B. Ludovici Bertrandi in specie institutus, Romamque missus.

Aperto,

Anno MDLXXXIX, die VII Augusti Laurus Dubliul, actor regis, nomine comitis d'Olivares, oratoris Catholici, et pater magister frater Bartholomæus de Miranda, procurator generalis Ordinis Prædicatorum, ac pater frater Joannes Bru ejusdem Ordinis, velut procurator civitatis Valentiæ supplicarunt prædictis Cardinalibus sacrorum Rituum Congregationi præfectis, ut processum summariæ informationis de fama, sanctitate ac miraculis beati patris fratris Ludovici Bertrandi aperirent et examinarent. Cumque ea sacra Congregatio Anselmum Dandinum, protonotarium Apostolicum, elegisset nominassetque ad omnia hujus causæ Acta conscribenda, citato prius, ut dicti processus apertioni adesset, Joanne Jacobo Panico, Cameræ Apostolicæ Fiscali, domini Cardinales ei mandarunt, ut eumdem resignaret, subscriptionesque ac sigilla judicum commissariorum et notarii recognosceret, productique a causæ procuratoribus testes Benedictus Vagliadolid, Joannes Torresiglia, et Philippus Marc, clerici doctores in Theologia, testati sunt, ea esse genuina notarii et judicum commissariorum sigilla et subscriptiones.

A. Avignono. cap. IV.

examinatoque

24 Post examinatum processum summariæ informationis de fama sanctitatis ac miraculorum B. Bertrandi in Congregatione Rituum decretum fuit, concedi posse litteras Remissoriales ad formandum auctoritate Apostolica processum de vita, virtutibus ac miraculis beati fratris Ludovici Bertrandi in particulari ; ac proinde Cardinalis Gesualdus, episcopus Ostiensis, sacrique Collegii ac Congregationis Rituum decanus, die XXI Martii anni MDXC nomine ejusdem Rituum Congregationis ad Sixtum V retulit, Sanctitatem suam, examinato dicto processu, rebusque in eo contentis rite expensis, posse ulterius in causa canonizationis B. Bertrandi procedere, concedendo litteras remissoriales ac compulsoriales *a* ad conficiendum processum particularem de vita et miraculis beati fratris Ludovici Bertrandi ; et sua Sanctitas ex judicio consilioque Collegii Cardinalium annuit, ut eæ litteræ remissoriales ac compulsoriales concederentur.

a

processu generali, via sternitur ad processum in specie,

25 Decretum Congregationis Rituum sic habet : « Die Mercurii, IX mensis Martii, anno » MDXC in consistorio secreto, apud Sanctum » Petrum habito. Reverendissimus dominus Cardinalis Gesualdus, nomine Congregationis sacrorum Rituum retulit, diligenter examinatum fuisse per reverendissimos D. D. Cardinales, dictæ Congregationis præfectos, Processum ex Hispania transmissum summariæ inquisitionis in genere, factæ per reverendissimos patres archiepiscopum Valentinum, et episcopum Dertusensem, de mandato Sanctissimi Domini nostri, instantibus serenissimo Philippo rege Catholico, ac civitate et regno Valentiæ, super bonæ memoriæ fratris Ludovici Bertrandi miraculorum, tam in vita, quam post mortem, coruscatione, ac populorum erga illum devotione ; eisdemque reverendissimis dominis Cardinalibus visum esse, supradicta omnia in genere sufficienter probari per quamplurimos testes in dicto processu examinatos ; ideoque in eam sententiam ipsos venisse, a Sua Sanctitate decerni posse, ut ad ulteriora procedatur, ac litteras remissoriales et compulsoriales ad partes concedendas fore pro plena et speciali probatione eorumdem omnium recipienda. Qua relatione audita, eadem Sanctitas Sua, exquisitis reverendissimorum D. D. Cardinalium votis, de ipsorum consilio decrevit, ut ad ulteriora procederetur, supradictæque litteræ remissoriales et compulsoriales ad partes expedirentur. »

verum litteræ remissoriales, interveniente trium

26 Mors Sixti V, quæ die XXVII Augusti ejusdem anni MDXC contigit, obstitit, quo minus ille quidquam præterea in hac causa effecerit ; sed ea intellecta, rex Philippus II, tum quod eadem causa ipsi magnopere cordi esset, tum etiam ut patribus Prædicatoribus Valentinis gratificaretur, die XXI Septembris anni MDXC scripsit denuo Romam ad legatum suum, mandans, ut apud novum Pontificem dictas litteras remissoriales expediendas procuraret. Regiæ litteræ sic habent : « Rex. Comes d'Olivares, » nomine Prioris ac conventus Prædicatorum » Valentiæ certior factus sum, eos pro beati » fratris Ludovici Bertrandi canonizatione, facultate per Breve ad preces meas anno » MDLXXXVI hac super re concessum illis facta, » diligenter laborare, jamque post productas vi-

« sasque

A. Avignono. » sasque ab iis, quibus id Pontifex commiserat, » probationes, decretum de altero Brevi ad par- » ticulares de singulis informationes recipien- » das factum fuisse, sed caruisse effectu; sup- » plicantque mihi, ut ego novo Pontifici instem, » ut Breve illud expediat, utque interea, dum » de canonizatione perficienda tractatur, per- » mittat Religiosis dicti conventus Missam alia- » que divina Officia de eodem Beato celebrare » in ea æde, in qua sanctum illius corpus ma- » gno cum decore, veneratione et miraculis » quiescit, quemadmodum etiam de aliis ante » peractam canonizationem celebrare conces- » sum fuit. Cum ejus ponderis id opus sit, volui » id tibi committere, ut id eo studio tractes, » quod ejus dignitas postulat, et meo nomine » apud Sanctitatem Suam, aliosque, prout ne- » cessarium fuerit, officiis et opportunis ratio- » nibus satagas, ut desideratum fortiatur effe- » ctum. Quod si feceris, pro particulari servitio » reputabo. In palatio S. Laurentii die XXI Se- » ptembris MDXC ».

B 27 Quamquam vero laudatus rex ista legato suo scripserit, et enixe mandaverit, ut prædictas litteras remissoriales expediendas curaret, nihil tamen obtineri tunc potuit, quia Sixto V mortuo in Pontificatum suffectus Urbanus VII eum non nisi decem diebus tenuit *b*; successit illi Gregorius XIV, qui mensibus decem totidemque diebus supervixit *c* : post hunc electus fuit Innocentius IX *d*, qui pariter solum duobus mensibus in vivis superfuit; cumque huic successisset Clemens VIII *e*, tot negotia tractanda habuit, ut dictæ litteræ remissoriales et compulsoriales expediri nequierint ante diem V Decembris anni MDXCV, Pontificatus ejusdem anno quarto ; quo die Actor regis, Laurus Dubliul, et doctor Joannes Baptista Vives, velut procurator Valentiæ, et pater magister frater Bartholomæus de Miranda, procurator generalis Ordinis Prædicatorum, Congregationi Rituum obtulerunt articulos, quos probare volebant.

Pontificum morte,

b

c

d

e

tardius expediuntur,

28 Cumque Jacobum Nerottum, Cameræ Apostolicæ procuratorem fiscalem, ad eas litteras remissoriales expediendas antea citassent, fiscus protestatus est, ut in iisdem nominarentur judices non suspecti, usque in examine adesset suus Substitutus, doctor Martinus Andrea Pavorde * (quæ dignitas ecclesiæ archiepiscopalis Valentinæ est) et doctor cathedraticus universitatis ejusdem civitatis, aliusve ex iis, quos dictus Jacobus Nerotto indicasset. Atque ita sacra Congregatio Rituum Remissoriales dedit, judices commissarios nominans archiepiscopum Valentinum, et episcopos Segobrigensem et Marrochianum *f*, addita clausula, ut saltem eorumdem duo in recipiendis testimoniis præsentes adessent. Post hæc die XII Martii anni MDXCVI procurator fiscalis Cameræ Apostolicæ obtulit certa interrogatoria, quibus interrogandi essent omnes testes, ac die XVI ejusdem mensis et anni Substitutum suum nominavit doctorem Martinum Andrea, et alios; clausæque ac sigillatæ litteræ remissoriales et compulsoriales die XVI Martii prædicti anni MDXCVI traditæ sunt in manus Horatii Ciandelier mercatoris, qui eas recipiens juravit, se easdem per securum portitorem missurum Valentiam ad negotiorum suorum procuratorem Marcum Antonium Museffi mercatorem.

C

i. e. *Præpositus

f

29 Hasce litteras remissoriales fida manu Valentiam allatas civitatis syndicus Jacobus Bertrandus, B. Ludovici frater, et magister frater Vincentius Justinianus Antist, velut procurator conventus Prædicatorum ejusdem civitatis, et patris magistri fratris Hieronymi Baptistæ della Nuza, provincialis provinciæ Aragoniæ, ac reverendissimi patris Generalis totius Ordinis Prædicatorum, magistri fratris Hippolyti Mariæ Beccaria Montis-Regalensis, cum litteris procurationis a Christophoro Ferreri, civitatis Valentinæ notario die XII Julii anni MDXCVI acceptis; præsente etiam Marco-Antonio Museffi, mercatore ac negotiorum procuratore Horatii Ciandelier, die XVII Octobris dicti anni laudatas litteras remissoriales ac compulsoriales obtulerunt domino Joanni de Ribera archiepiscopo Valentino, et domino Joanni de Espinosa episcopo Marrocchiano; qui obedientes et acceptantes dictam Apostolicam commissionem, Gasparem Miconi, archiepiscopalis curiæ Valentinæ notarium in eadem causa notarium constituerunt, nuncium vero Joannem Ferreri, recepto ab eis jurejurando de officio suo fideliter peragendo.

cap. v. Valentiamque demum afferuntur anno 1396;

E

30 Cumque die XXVII Novembris ejusdem anni MDXCVI doctorem Martinum Andrea Pavorde ecclesiæ archiepiscopalis aliosque præterea a Jacobo Nerotto, Cameræ Apostolicæ procuratore fiscali, substitutos, tempore locoque præstitutis, ac recipiendos examinandosque testes citassent, processum instruere cœperunt, ac primo eos super interrogatoriis procuratoris fiscalis Cameræ Apostolicæ, deinde super articulis, a procuratoribus canonizationis oblatis examinarunt. Examinarunt autem testes numero ducentos nonaginta unum usque ad diem secundam Decembris anni MDXCVIII, prolixumque ac copiosum processum formarunt. Et quia in litteris remissorialibus mandatum erat judicibus, ut qualescumque probationes vel scripta, ad hanc canonizationis B. Ludovici Bertrandi causam pertinentia, reperirentur, ea processui insererent; procurator causæ pater frater Ludovicus Primo, patris magistri, fratris Vincentii Justiniani Antist substitutus, die XVII Octobris anni MDXCVI hanc in rem obtulit multas alias informationes, variis in locis acceptas, quæ sequentes sunt eo ordine, quo in processu leguntur.

dein debitæ informationes,

F

31 Primo informationes, Valentiæ post B. Bertrandi obitum ab ordinario factæ, in quibus centum ac duodecim testes examinati fuere, ut supra dictum est. Obtulit etiam relationem, authentice a notario die XXV Aprilis anno MDLXXXIII conscriptam, quam Jurati oppidi regii Burriana in regno Valentiæ fecerunt de iis, quæ in Servo Dei observarunt anno MDLXXIV, dum ille sermones Quadragesimales jejunii in eodem loco habuit; alteram item anno MDLXXXIII mense Maio in oppido Montesæ confectam; alteramque in oppido Xabea mense Februario MDLXXXIV; alteram Oriolæ mense Februario anni MDLXXXV; alteram anno MDLXXXIII Carthagine Indiarum, ubi Beatus prædicavit; alteram in oppido de Mompoix pariter in Indiis, ubi etiam prædicavit, factam anno MDXCV; alteram item confectam Matriti anno MDXCVIII; alteram Oriolæ anno MDXCVIII; alteram in oppido Alicante diœcesis Oriolensis anno MDXCVIII; alteram Cæsaraugustæ anno MDLXXXIV;

variis locis factæ sunt,

A MDLXXXIV ; alteram in oppido Daroca, diœcesis Cæsaraugustanæ, anno MDLXXXIV *g*.

g

processusque inde confectus,

32 Has omnes informationes judices commissarii jusserunt processui inseri, scripseruntque ad sacram Rituum Congregationem litteras, ad calcem processus positas, in quibus retulerunt de omnibus, quæ in processu, Apostolica auctoritate de vita et miraculis B. Ludovici formari jusso, acta fuerant ; nominantes in eisdem omnes testes in eodem processu auditos, asserentesque, eosdem esse personas fide dignas. Subscripseruntque eumdem processum judices commissarii propria sua manu, et sigillis suis signarunt, et solita subscriptione et legalitate notarii munitum, clauserunt, forisque sigillatum die x Maii anno MDXCIX tradiderunt in manus Marco-Antonio Museffi, ut secure mitteret Romam ad mercaturæ suæ socium Horatium Ciandelier mercatorem.

CAP. VI.

Romam missus,

33 Post missum Romam supra dictum processum desiderabat regnum Valentiæ, ut causa canonizationis B. Ludovici Bertrandi felicem obtineret effectum, ideoque Electi trium comi-
B tiorum regni, quæ sunt Ecclesiasticorum, Militum ac populi, et deputati regni decreverunt Romam mittere procuratorem, qui eamdem expensis regni promoveret secundum id, quod anno MDLXXXV Montione in curia decretum fuerat ab iisdem tribus ordinibus, ut pro expensis hujus canonizationis concederentur ex communibus redditibus sedecim millia ducatorum, pro beatificatione vero mille. Supra dicti itaque Electi et deputati procuratorem hujus causæ constituerunt multum reverendum patrem magistrum, fratrem Ludovicum Ysteglia (uti constat ex procuratione illi commissa die XIII Julii anni MDXCIX) patrem admodum religiosum et doctum, professorem publicum universitatis Valentinæ, qualificatorem sancti Officii, vicarium generalem totius Ordinis Prædicatorum, sacrique palatii Magistrum, quo in officio obiit. Hic pater Romam adveniens processum una cum litteris Philippi III regis Catholici Clementi XIII Papæ tradidit, in quibus rex sanctitati suæ supplicabat, ut dignaretur jubere videri ac examinari prædictum processum, auctoritate Apostolica formatum, ea-
C que præterea fieri, quæ pro servi Dei Ludovici Bertrandi canonizatione erant necessaria.

una cum commendatitiis

34 Regiæ litteræ sic habebant : « Sanctissime « Pater, Processus gestorum, quem Sanctitas « vestra pro certa notitia et probatione vitæ et « miraculorum beati fratris Ludovici Bertrandi « fieri mandavit, ex mandato et commissione « mei regni Valentiæ, meaque voluntate et as- « sensu ad Beatitudinem tuam affertur per ma- « gistrum fratrem Ludovicum Ysteglia Ordinis « S. Dominici, professum monasterii Prædica- « torum in civitate mea Valentia, virum præ- « stantem doctrina et religione, qui multis « annis Theologiam in universitate Valentina « publice docuit, Priorem monasterii Prædica- « torum, ac nunc temporis qualificatorem sacri « Officii, et in mandatis habentem, ut operam « suam conferat ad illius canonizationem ad fi- « nem usque sollicitandam, quod hæc cessura « sit in gloriam et honorem Dei Domini nostri, « et Sancti, totiusque Christiani orbis generale « beneficium.

Philippi III.

35 « Et ex peculiari devotione, qua eum- « dem Sanctum complector, Beatitudini vestræ « supplico, ut plenam fidem legato meo, ac « magistro fratri Ludovico Ysteglia adhibens, « in mei gratiam mandare dignetur, ut proces- « sus iste summa cum brevitate examinetur, « eademque pariter fiant acta cetera, canoni- « zationi præmittenda. Quod, præterquam sit « opus pietate sanctoque zelo Beatitudinis vestræ « dignum, ego pro singulari gratia ac favore « Sanctitatis Vestræ admittam, cujus sanctissi- « mam personam Dominus noster servet, ejus- « demque vitam ad felicem prosperumque uni- « versæ Ecclesiæ suæ statum proroget. Matriti « die III Januarii anni MDXCIX.

A. AVIGNONO.

« Sanctitatis Vestræ

« Multum humilis ac devotus filius Philippus, « Dei gratia Castellæ, Aragoniæ, Legionis, « utriusque Siciliæ, Jerusalem, Lusitaniæ, Na- « varræ et Indiarum rex, qui sanctissimos ejus- « dem pedes osculatur. »

ducis Nagiaræ,

36 Idem pater magister Ysteglia multas etiam alias principum prælatorumque litteras summo Pontifici obtulit, ex quibus solum hic recensebo ducis Nagiaræ, qui fuerat prorex Valentiæ, quique admodum familiariter cum E servo Dei fratre Ludovico Bertrando egerat, et in iisdem quædam singularia de eodem narravit, ut sequitur : « Beatissime Pater. Ex man- « dato Sanctitatis vestræ vestrorumque decesso- « rum commissum fuit patriarchæ Antiochiæ, « hujus civitatis Valentinæ archiepiscopo, aliis- « que duobus episcopis, ut de vita et morte « patris fratris Ludovici Bertrandi, ac miracu- « lis, quæ Dominus Deus noster in vita ac mor- « te ejus facere dignatus est, inquirerent, ut, « si ille mereretur, Sanctitas Vestra eumdem « honoraret, canonizaretque, eumdem inter « Sanctos referendo. Pater magister, frater Lu- « dovicus Ysteglia ad eam causam agendam « destinatus rogavit me, ut ego pro notitia il- « lius, quam hausi, dum pro domino meo rege « in hac civitate regnoque proregis munere « fungebar, ubi triennii spatio sæpe cum ipso « conversatus fui, Sanctitatem vestram certio- « rem facerem, ipsum eo tempore pro tanto Dei « servo a populo habitum fuisse, ut nomen « Viri sancti promeruerit.

qui Valentiæ prorex

37 « Vidi ipsum multas infirmitates, graves- « que dolores in variis sui corporis membris « magna cum patientia perferentem. Accepi F « ibidem ab eo insignia bonaque consilia, au- « divi ex ipso multa singularia, quæ, ut prædi- « xerat, evenerunt, quæ tamen, quod jam inde « ultra viginti annos effluxerint, Sanctitati ves- « træ speciatim referre nequeo. Solum dicere « possum, ipsum, dum dominus meus rex Phi- « lippus II anno MDLXXX tam prope ad mortem « redactus fuit, ut jam in palatio ejus medici « aulicique eum velata facie velut mortuum « reliquerint, et ego ad hunc Servum Dei « aliosque hujus civitatis accessi, ut regem in « eorum precibus commendarem, multis die- « bus, priusquam tam de desperata salute, quam « de minuto morbo (quibus de rebus solueram « per cursores certior fieri) nuncius allatus es- « set, dixisse mihi, Majestatem suam inde non « morituram, seque intellexisse, id orationibus « precibusque Servorum Dei non sine miraculo « a Domino impetratum esse.

et Sancto familiaris fuerat;

38 « Cumque ego ea, quæ dicebat, ipsius- « met precibus adscriberem, turbatus fuit ac « moleste tulit ultra, quam res exigebat ; quip-

pe

A. Avignono. « pe cui fastidio erat laudari ab eo, quocum « agebat, ac similia sibi attribui. Quia autem « verum est, quod Sanctitati vestræ refero, id- « que inter me ipsumque contigit, obstrictum « me sentio, ut Sanctitati vestræ manifestem, « cujus felicissimos dies Deus servet prosperet- « que ad incolumitatem sanctæ Ecclesiæ suæ « populique Christiani, ex voto Sanctitatis Ve- « stræ. Valentiæ die XXVI Aprilis anni MDXCIX. « Obedientissimus Sanctitatis vestræ filius, qui « ejusdem sanctissimos pedes osculatur. Dux « de Nagiara. »

aliorumque multorum litteris :

39 Scripserunt insuper ad summum Pontificem Clementem VIII Electi trium statuum regni Valentiæ die VII Julii anno MDXCIX admodum facundam epistolam, enixe supplicantes, ut B. Ludovici Bertrandi canonizationem in gratiam hujus regni perficeret. Id ipsum similiter flagitarunt Jurati civitatis Valentinæ, Joannes Baptista Giuliani, Joannes Baptista Colon, Petrus-Antonius Matteu, Gaspar Benedetti et Franciscus Micheli, litteris datis die XXVIII Junii anno MDXCIX. Eadem de causa
B scripserunt dominus Gaspar Punter, Dertusensis episcopus, die X Februarii anni MDXCIX; Jurati oppidi Xativæ, Gaspar Simeon Martini, Josephus Alphonsus Apparicio, Marcus-Antonius Anguerotti, Petrus Aradoni, Monforte Escrivano, die XXIV Januarii anno MDXCIX. Ita quoque fecerunt Oriolenses, Andreas Soler judex et jurati Nicolaus Perez, Ludovicus Maschefa, et Antonius Perez die XVI Februarii anni MDXCIX, capitulum cathedrale Oriolense die XXIII Martii anno MDXCIX.

Processum Clemens VIII

40 Post hæc eidem Papæ Clementi VIII nomine laudati regis, regnique ac civitatis Valentiæ supplicatum præterea fuit, ut juberet Congregationem Rituum aperire dictum processum, ejusdemque interpretationem faciendam, ceteraque ad procedendum in eadem causa necessaria peragenda curare : Pontifex concessit, et congregatio citari fecit Pompejum Moleglia, sacræ Cameræ Apostolicæ procuratorem fiscalem. Proinde Joannes Baptista Bagni cursor illum die XXVIII Junii anno MDC citavit, ut dicti processus super gestis ac miraculis B. Lu-
C dovici Bertrandi auctoritate Apostolica et ad canonizationem peragendam formati, apertioni assisteret; factaque recognitione obsignationis et sigillorum, processus resignatus fuit, et pater magister Ysteglia, causæ procurator, productis testibus probavit, ejusdem subscriptiones ac sigilla esse judicum commissariorum, et notarii Gasparis Miconi, qui processum confecerant.

resignari jubet; Philippus vero III,

41 Huic recognitioni testes adfuerunt doctor Martinus Andrea Pavorde archiepiscopalis Valentiæ, qui postea fuit Romanæ Rotæ auditor, fueratque assistens formationi processus, velut substitutus procuratoris fiscalis Cameræ Apostolicæ; et Vincentius Moregli, doctor in Theologia. Die vero XXIV Augusti ejusdem anni MDC, citato eodem procuratore fiscali, sacra Rituum Congregatio elegit Joannem Hieronymum Rabassa, qui dictum processum interpretaretur et ex Hispanico sermone in Italicum verteret; isque juravit, se eam interpretationem facturum fideliter. Tanto autem rex Philippus III tenebatur desiderio causam canonizationis B. Ludovici Bertrandi perfectam videndi, ut præter jam dictas multas alia ad summum Pontificem, et ad legatum suum, Suessæ ducem scripserit, jubens hunc eam diligentissime sol- D licitare : duas ergo sequentes ceteris adjecit.

mortuo patre, causam Canonizationis S. Ludovici tum Pontifici,

42 Litteræ regis ad Clementem VIII Papam. « Sanctissime Pater. Scribo ad ducem Suessæ, » legatum meum, ut meo nomine Sanctitatem » vestram instanter flagitet, ut quæ ad cano- » nizationem fratris Ludovici Bertrandi Ordinis » S. Dominici pertinent, jubeat peragi; quia » hoc vehementer desidero. Supplico Sanctitati » vestræ, ut dignetur ipsum auscultare, ejus- » demque æquæ petitioni annuere, quia sic » mihi admodum singularem favorem et gra- » tiam præstiterit Sanctitas vestra, cujus San- » ctissimam personam Dominus Noster servet, » ejusdemque vitam proroget ad universæ Ec- » clesiæ suæ prosperitatem. Matriti die XIV De- » cembris anni MDC. Sanctitatis vestræ humilli- » mus et obedientissimus filius. D. Philippus » Dei gratia rex Castellæ, etc. »

tum legato suo enixe commendat.

43 Litteræ regis ad legatum suum. « Legate. » Intellexi, Sanctitatem suam jussisse resignari » processum canonizationis beati fratris Ludo- » vici Bertrandi, ut de eadem tractaretur. Et » quamvis, eo quod ex litteris a rege patre meo » (cui gloria sit) super hoc negotio tibi scriptis E » id recorderis, confidam, te solita tua diligen- » tia ad ejusdem felicem successum celeremque » finem multum conferre conatum esse; nihilo- » minus, quia ego et unum et alterum, tum ob » majorem Dei gloriam inde orituram, tum ob » alias justas causas magnopere desidero, so- » lito vehementius tibi mando, ut meo nomine, » quam maximo potes studio et compendio » utrumque procures; supplicans Sanctitati suæ » (cui hic accelusas ad fidem tibi faciendam litte- » ras trades) ne manum suam ab eo negotio » amoveri patiatur, donec perduxerit ad finem » Admonebitis patrem magistrum, fratrem Lu- » dovicum Ysteglia, ne ab curia absit, ut pos- » sit de eodem negotio agere, et sollicitare ca- » nonizationem eo modo, quo tibi expedire » videbitur. Quod in hoc et in illo pruden- » ter feceris, pro gratissimo servitio reputabo. » Matriti die XIV Decembris anno MDC. Rex. »

ANNOTATA. F

a Litteræ remissoriales *sunt, quibus judicibus inferioribus a judice superiore tribuitur facultas vocandi et examinandi testes, et recipiendi probationes in causis Beatificationis et Canonizationis : quibus vero judex supremus judicibus inferioribus facultatem tribuit, compellendi quoslibet, ut scripturas et instrumenta ad easdem causas pertinentia producant,* Compulsoriales *dicuntur.*

b *Sedem Pontificiam tenuit a die* 15 *usque ad* 23 *Septembris anni* 1590.

c *Electus* 5 *Decembris anni* 1590 *obiit die* 15 *Octobris anni proxime sequentis.*

d *Electus die* 30 *Januarii anni* 1592.

f *Adde his episcopum Oriolanum ex Brevi, quod exhibet Roca pag.* 509.

g *De locis hic, et supra non semel memoratis, consule Indicem Geographicum.*

CAPUT

A

CAPUT III.

Beatificatio Ludovici Bertrandi, cultusque sacer ad totum Ordinem Prædicatorum, clerumque Valentinum extensus.

CAP. VII. *Philippus III, cum negotium Canonizationis lente procederet,*

Cum adverteret rex Philippus III, canonizationem B. Ludovici Bertrandi tanto tempore differri, decrevit ejusdem beatificationem interim postulandam esse; eodemque desiderio accensa regnum Valentiæ hujusque metropolis et conventus prædicatorum eidem regi supplices preces obtulerunt, ut legato suo per litteras mandaret, ut eam a summo Pontifice in-
B stantissime peteret. Proinde anno MDCI, die xx Augusti has sequentes litteras scripsit. " Le-
" gate. Certe recordaris, tibi a rege patre meo
a " dominoque *a* (cui gloria sit) annis elapsis ad
" preces comitiorum regni Valentiæ per lit-
" teras mandatum fuisse de beatificatione patris
" fratris Ludovici Bertrandi, Ordinis S. Domi-
" nici; teque deinde in variis occasionibus la-
" borasse, ut processus solemnis canonizationis
" promoveretur; quod ego quoque tibi impe-
" ravi ex desiderio majorem Dei gloriam pro-
" curandi.

legato suo mandat,

45 " Sed cum modo consideraverim, hoc
" negotium longas posse moras pati, ut in aliis
" similibus propter eorum momentum gravita-
" temque accidisse, vidimus; et intellexerim,
" devotionem erga hunc Patrem indies tam in
" civitate regnoque Valentiæ, quam in omni-
" bus ejusdem Ordinis ædibus tantum crescere
" propter miracula, quæ Deo placet pro illius
" meritis operari, ut desiderent ei posse altaria
" publice erigere, ac peculiares de eo Missas
" celebrare. Quem in finem necesse est (ut
" nostis) eum prius a summo Pontifice inter
C " Beatos referri, ut soluit Sedes Apostolica alios
" Sanctos referre, quos postea solenniter cano-
" nizavit.

ut Beatificationem a Pontifice petat;

46 " Videtur mihi nunc omni opera in-
" standum, secundum id, quod supra dixi,
" tibi a rege domino meo ad preces comitio-
" rum regni Valentiæ injunctum fuisse; ac pro-
" inde, cum id ipsum a me flagitent Religiosi
" Ordinis S. Dominici, multumque intersit di-
" vini servitii, enixe tibi commendo, ut, simul
" atque præsentes acceperis (non tamen de-
" sistens a procurando sollicitandoque, ut
" procedatur ulterius, et, quæ ad processum
" solemnis canonizationis pertinent, terminen-
" tur) Sanctitati suæ tradas litteras, quas pro
" fide tibi facienda ad ipsum scribo, supplicans,
" ut ipsi placeat in gratiam dictæ civitatis regni-
" que ac conventuum Ordinis nunc illum beati-
" ficare ad prædictos fines obtinendos. Quam in
" rem omne studium tuum omnemque operam
" conferes, simul prosequens, quæ ad prædi-
" ctam canonizationem spectant, ut supra di-
" ctum est: nam propter ea, quæ jam memo-
" ravi, sic mihi maxime singulare gratumque
" servitium præstiteris. Datum Vallisoleti die
" xx Augusti anno MDCI. "

A. AVIGNONO.

qua de re etiam ad præfectum Congregationis Rituum,

47 Neque hisce litteris rex Philippus III ad Servi Dei, fratris Ludovici Bertrandi beatificationem cito obtinendam contentus, insuper subsecuto anno MDCII, die XXVII Aprilis alteras in eumdem finem ad illustrissimum Cardinalem Gesualdum, velut Congregationis Rituum præfectum dedit, quas hic subjicio. " Reverendissimo in Christo Patri Cardinali Ge-
" sualdo, carissimo suo multumque dilecto amico
" Dominus Philippus, Dei gratia rex Castellæ
" etc. Reverendissime in Christo pater, Cardi-
" nalis Gesualde, mihi carissime, multumque
" dilecte amice. Jam audieris, me per legatum
" meum Suessæ ducem Sanctitati suæ institisse,
" ut causam sollemnis canonizationis patris fra-
" tris Ludovici Bertrandi, Ordinis S. Dominici,
" e civitate Valentina oriundi, juberet expedi-
" ri; ac novissime, ut interea, dum ea causa
" finiatur, eumdem Beatis adscribere dignetur,
" quo liceat conventibus ejus Ordinis, aliisque
" personis ipsi devotis (quarum numerus con-
" tinue augetur propter miracula, quæ Deus E
" in illius gratiam operatur) eidem publica
" erigere altaria, Missasque particulares de eo
" celebrare.

Cardinalem Gesualdum, scribit.

48 " Quamquam vero confidam fore, ut
" Sanctitas sua hanc mihi concedat gratiam,
" quam petii, quamque universum Valentiæ
" regnum merito exspectat; sciamque, te ope-
" ram tuam eo contulisse ac collaturum pro
" officio tuo debito; nihilominus (ut majori cum
" fervore studioque id facere pergas) volui per
" hasce præsentes tibi significare, me maximo-
" pere desiderare celerem hujus causæ finem,
" utque interea Pontifex dictum fratrem Lu-
" dovicum supra dicta de causa Beatis ad-
" scribat. Itaque enixissime te rogo, ut quan-
" tum ad primum attinet, bona tua officia
" ulterius prosequaris; et quod ad alterum
" spectat, talia præstes, ut illud brevi obti-
" neatur. Persuasum habeto, præterquam quod
" hac ratione divinum servitium multum pro-
" moveris, mihi id a te gratissimum fore; uti
" etiam, si mihi significaveris, quæ in hoc
" negotio feceris. Reverendissime in Christo
" pater, Cardinalis Gesualde, mihi carissime
" multumque dilecte amiee, Dominus noster F
" perpetuo te custodiat. Vallisoleti die VII Aprilis
" MDCII. Ego rex. "

CAP. VIII. *Congregatio sacrorum Rituum, examinata*

49 Beati Ludovici Bertrandi causa beatificationis agebatur in Congregatione Rituum, dabaturque singulis, qui ejusdem Congregationis erant, Cardinalibus summarium et scriptæ instructiones de omnibus, quæ tractanda erant in singulis congregationibus, quæ multæ habitæ fuerunt usque in annum MDCVIII; judex autem, seu Ponens, erat illustrissimus Cardinalis Serafinus. Post examinatam autem primo processus validitatem, qui erat in forma probante, examinatosque juridice testes, ac denique probatis ex Processu insignibus illius virtutibus et heroïcis gestis, multisque ac magnis miraculis, per intercessionem ejus tam in vita ejusdem, quam post mortem a Deo patratis, eadem sacra Congregatio die XIX Martii anno MDCVIII decrevit, posse summum Pontificem Paulum V inter Beatos (si ita ipsi visum fuerit) referre servum Dei fratrem Ludovicum Bertrandum, titulumque Beati eidem concedere, utque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A. Avignono

de eo Missa et officium confessoris non pontificis celebrari valeat; sique sua Sanctitas vellet, ad canonizationem ejusdem, perficiendam posse procedere.

in Beatorum numerum referri posse, censet,

50 Scripsit etiam rex Philippus III ad Paulum V Papam, eamdem beatificationem enixe flagitans, suoque legato Gastoni de Moncada, marchioni d'Aytona, mandavit, ut eamdem postularet. Quibus de causis illustrissimus dominus Cardinalis Pinellus Ostiensis episcopus, sacri Collegii decanus, die XXI Aprilis ad eumdem Paulum V retulit de sacræ Rituum Congregationis hac super re sententia; et sua Sanctitas ex totius sacri Collegii judicio decretum Congregationis approbans, titulum Beati Servo Dei Ludovico Bertrando attribuit, et facultatem concessit, ut in omnibus conventibus ac monasteriis Religiosorum Religiosarumque Ordinis Prædicatorum regni Valentiæ de eodem Missa et officium celebrari possent. Decretum dictæ Congregationis tale est.

ac hujusmodi

51 « Dominicus episcopus Ostiensis, sacri
» Collegii decanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ
B » Cardinalis Pinellus Universis et singulis præ-
» sentes inspecturis, lecturis, et audituris sa-
» lutem in Domino sempiternam. Cum ob ex-
» cellentiam et sanctitatem vitæ bonæ memoriæ
» fratris Ludovici Bertrandi Valentini, Ordinis
» Prædicatorum, atque ob miraculorum coru-
» scationem, quæ omnipotens et misericors
» Deus præter consuetum naturæ usum ejus
» meritis et intercessione, tam dum viveret,
» quam post ejus fœlicem in Domino obdor-
» mitionem, operari dignatus est, serenissimus
» Philippus III Hispaniarum rex Catholicus,
» regnum Valentiæ, nec non universus Prædi-
» catorum Ordo, Sanctissimo Domino nostro
» Paulo Papæ quinto humiliter et iteratis præ-
» cibus supplicaverint, ut ad conservandum et
» augendam populorum devotionem, quæ ma-
» xima ubique existit, et præcipue in Corona
b » Aragoniæ *b*, erga ipsum bonæ memoriæ fra-
» trem Ludovicum ob innumeras ejus meritis
» receptas a Deo gratias, quas specialiter et pe-
» culiariter ipsemet serenissimus rex Catholicus
» se accepisse fatetur, Sanctitas sua dignaretur
» concedere, ut, donec dictus bonæ memoriæ
C » frater Ludovicus in Sanctorum numerum re-
» feratur, Beatus nuncupari possit, et debeat,
» ac de eo, velut de Beato, festum celebrari,
» et Missa atque Officium recitari liceat, tam-
» quam de uno confessore non pontifice in Co-
c » rona Aragoniæ *c*, et per universum Ordinem
» Prædicatorum.

ea de re

52 » Et cum idem Sanctissimus Dominus
» noster negocium hoc mature discutiendum
» et examinandum ad sacram Rituum Congre-
» gationem remiserit, in qua Processus, legiti-
» me et auctoritate Apostolica confecti, de vitæ
» sanctitate, puritate fidei, ac miraculorum co-
» ruscatione ejusdem bonæ memoriæ Ludovici
» præsentati fuerunt, et diligenter ab illustris-
» simo et reverendissimo domino Cardinali Se-
» raphino, de ejusdem Congregationis ordine
» examinati, quorum etiam compendium, sive
» summarium, per manus singulorum domino-
» rum Cardinalium ejusdem Congregationis
» transmissum fuit, audita tandem relatione
» prædicti illustrissimi et reverendissimi D. Car-
» dinalis Seraphini, de præmissis facta in eadem
» Congregatione, die XIX mensis Aprilis, cum ex
» dictis Processibus satis et abundantissime con-
» stet de puritate fidei, sanctitate vitæ, miracu- D
» lorumque operatione ejusdem bonæ mem. fra-
» tris Ludovici Bertrandi, ita ut etiam ex eisdem
» posset ad actualem canonizationem deveniri;
» eadem sacra Rituum Congregatio censuit (si
» Sanctissimo Domino nostro placuerit) ut ipse
» frater Ludovicus imposterum Beatus nuncu-
» pari possit et valeat, deque ipso, tamquam de
» Beato, in civitate et regno Valentino Offi-
» cium et Missa, sicut de uno Confessore non
» pontifice, anniversario ejus obitus die *d* a *d*
» Fratribus, et Religiosis utriusque sexus ejus-
» dem Ordinis licite ac libere recitari possit et
» valeat.

decretum condit;

53 » Et idem Sanctissimus Dominus noster
» Paulus Papa quintus, audita super præmissis
» omnibus relatione, eidem in consistorio se-
» creto a nobis facta, die infra scripto annuit,
» sententiamque Congregationis approbavit, ac
» indulsit et concessit, ut de beato Ludovico
» Bertrando in civitate et regno Valentiæ, in
» omnibus monasteriis et ecclesiis Fratrum at-
» que monialium ejusdem Ordinis Prædicato-
» rum, ab ipsis Fratribus et monialibus, die E
» XIX *e* mensis Octobris, quo die ejus obitus *e*
» solemnis memoria celebratur, singulis annis
» Officium et Missa de Communi unius Confes-
» soris non pontificis, secundum ritum et con-
» suetudinem sui Ordinis, recitari et celebrari
» libere et licite possit et valeat. In quorum
» omnium et singulorum fidem et testimonium
» præsentes per infrascriptum ejusdem Congre-
» gationis secretarium fieri jussimus, et manu
» nostra propria subscripsimus, nostrique soliti
» sigilli appensione muniri fecimus. Romæ in
» palatio nostræ solitæ residentiæ die XXI men-
» sis Aprilis anni MDCVIII. Pontificatus vero
» Sanctissimi Domini nostri Pauli divina pro-
» videntia Papæ quinti anno tertio.
» Dominicus episc. Ostiensis Card. Pinellus.
» J. P. Mucantius secretarius Congreg. »

quod reipsa Paulus V

54 Breve beatificationis beati Ludovici Bertrandi, Pauli V jussu anno MDCVIII die XXIX Julii editum, tale est:

« Paulus Papa V.
» Ad perpetuam rei memoriam.
» In Sede Principis Apostolorum, nullis licet F
» nostris suffragantibus meritis, a Domino con-
» stituti, piis Catholicorum regnum, et aliorum
» fidelium votis, quibus virtutum Dominus in
» Servis suis honorificatur, libenter annuimus,
» et auctoritate Apostolica indulgemus, prout
» in Domino conspicimus expedire. Sane cha-
» rissimi in Christo filii nostri, Philippi Hispa-
» niarum regis Catholici, regni Valentiæ, et
» Ordinis Fratrum Prædicatorum nomine no-
» bis expositum fuit, quod bonæ memoriæ Lu-
» dovicus Bertrandus Valentinus, dicti Ordinis
» Fratrum Prædicatorum professus, multis et
» eximiis virtutibus et gratiis vivens, ac mi-
» raculorum dono a Domino, tam in vita,
» quam post mortem, illustratus fuit; et ideo
» magna est etiam erga ejus nomen et me-
» moriam populorum et Aragonum regni de-
» votio. Quapropter, tam dictus Philippus rex,
» quam regnum et Ordo prædicti, semel et
» iterum nobis supplicari fecerunt, ut, donec
» canonizationis honorem, quem dicto Ludo-
» vico ob excellentia ejus merita aliquando, di-
» vina adspirante gratia, habitum iri sperant, ab
» Apostolica Sede impetrent, eumdem Ludovi-
» cum Beatum vocari, et de eodem Officium
» et

A " et Missam in civitate et regno Valentiæ, tan-
" quam de Confessore non pontifice, agi pos-
" se, auctoritate Apostolica indulgeremus.

exsequitur anno 1628 die 29 Julii.

55 " Quare re prius per venerabiles fratres
" nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales
" sacris Ritibus præfectos, quibus eam examini-
" nandam demandavimus, mature discussa, de
" eorumdem Cardinalium consilio, prædicto-
" rum Philippi regis, regni Valentiæ, et Or-
" dinis Fratrum Prædicatorum supplicationibus
" inclinati, quod imposterum dictus Ludovi-
" cus Bertrandus Beatus nuncupari, de eoque
" in civitatis et regni Valentiæ omnibus mo-
" nasteriis et ecclesiis Fratrum atque monialium
" ejusdem Ordinis Prædicatorum ab ipsis Fra-
f " tribus et monialibus die XIX mensis *f* Octo-
" bris, quæ, ut asseritur, ejus obitus dies est,
" singulis annis Officium et Missa de Communi
" unius Confessoris non pontificis, secundum
" ritum et consuetudinem sui Ordinis, cele-
" brari libere et licite possit et valeat, Apo-
" stolica auctoritate tenore præsentium perpe-
" tuo concedimus et indulgemus. Non obstan-
B " tibus constitutionibus et ordinationibus Apo-
" stolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.
" Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub
" anulo Piscatoris die XXIX Julii MDCVIII. Pon-
" tificatus nostri anno quarto.

" Scipio Cobellutius. "

CAP. IX. *Restrictus*

56 Brevi Beatificationis B. Bertrandi in civitatem Valentiæ allato, magna admodum ac magnifica festa celebrata fuere, tantumque per universum mundum crevit erga hunc Sanctum devotio, ut multi dolerent, quod non possent ipsi quoque ea gratia uti, quam summus Pontifex soli Ordini S. Dominici in regno Valentiæ concesserat; ac præ ceteris clerus Valentinus, aliorumque Ordinum Religiosi. Quam ob rem patriarcha, archiepiscopus Valentinus, pro singulari sua erga Beatum devotione Paulo V Papæ supplicavit, ut in suo Corporis Christi collegio (quod magnifica ædes est, in qua divina Officia solemni pietate peraguntur) liceret Officium Missamque de eo festa ejusdem luce celebrare; eamque gratiam obtinuit. Neque ea contentus archiepiscopus fuit, sed memor arctissimæ amicitiæ, quam cum B. Bertrando
C coluerat, voluit ejusdem festum celebrare in Valentino conventu Prædicatorum, fundato perpetuo reditu, unde ejusdem Beati festivo die sumptuosum, sed religiosum, convivium Religiosis patribus Prædicatoribus præberetur.

primum,

57 Supplicavit præterea eidem Paulo V, ut gratia, solis regni Valentiæ conventibus indulta, etiam ad universum Ordinem Prædicatorum extenderetur, ut ab iis omnibus Officium et Missa de eodem Beato fieri posset, utque eadem facultate clerus aliorumque Ordinum Religiosi in eadem civitate Valentia gauderent. Hanc gratiam etiam dominus Franciscus de Castro, legatus regius, ipsius regis nomine flagitavit, ac similia per litteras petierunt serenissimi Belgii principes Albertus archidux et Hispaniarum Infans domina Isabella.

B. Ludovici

58 Pontifex vero eorum memoriale remisit ad Congregationem Rituum, quæ die XIX Octobris anni MDCX decrevit, posse Sanctitatem Suam (si sic ei placeret) concedere, ut dicta gratia extendatur ad totum Ordinem Prædicatorum per universum mundum; utque Valentiæ, ubi illius corpus quiescit, liceat universo clero omnibusque cujuscumque Ordinis Religiosis Officium et Missam modo præscripto celebrare, factaque hac super re die XXV Octobris ejusdem anni MCCX per Cardinalem Pinellum decanum Sanctissimo Domino in consistorio secreto relatione, idem Pontifex annuit, gratiamque indulsit, ac eodem die XXV Octobris laudatus Cardinalis Pinellus, velut dictæ Congregationis Rituum præses, sequens decretum expediri mandavit. A. AVIGNON.

59 " Dominicus episcopus Ostiensis Sacri *cultus*
" Collegii decanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ
" Cardinalis Pinellus. Universis et singulis præ-
" sentes inspecturis, lecturis et audituris salu-
" tem in Domino sempiternam. Cum ob ex-
" cellentiam fidei, sanctitatem vitæ, et mira-
" culorum coruscationem piæ memoriæ Fratris
" Ludovici Bertrandi Valentini, Ordinis Præ-
" dicatorum, et totius regni Valentini populo-
" rum erga illum devotionem, venerationem et
" concursum ad ejus sepulcrum, instante sere-
" nissimo Philippo III, Hispaniarum rege Ca-
" tholico, et regno Valentiæ, ac universo Præ-
" dicatorum Ordine, sanctissimus Dominus no- E
" ster, Paulus Papa quintus, in sacra Rituum
" Congregatione nostra examinari jusserit Pro-
" cessus, auctoritate Apostolica rite et recte
" confectos, super vita, miraculis et devotione
" populi erga dictum Fratrem Ludovicum Ber-
" trandum, nostraque de contentis in dictis
" Processibus audita summaria relatione, ejus-
" dem nostræ Congregationis sententiam appro-
" baverit, confirmaverit, et laudaverit; ac con-
" cesserit et indulserit, ut in posterum dictus
" Frater Ludovicus Bertrandus BEATUS nuncu-
" pari possit, et valeat, deque eo, tanquam
" de uno Confessore non Pontifice, in civitate
" et regno Valentiæ tantum ab omnibus Fra-
" tribus et Religiosis utriusque sexus Ordinis
" Prædicatorum, in eorum monasteriis et
" ecclesiis, Officium et Missa de Communi
" unius Confessoris non Pontificis, secun-
" dum ritum et consuetudinem ejusdem Or-
" dinis, libere et licite recitari possit, ut in
" dictis nostræ Congregationis decretis et in
" nostris desuper expeditis litteris patentibus,
" sub die XXI mensis Aprilis, latius conti- F
" netur.

ad totum Ordinem Prædicatorum,

60 " Cum autem indies magis ac magis de-
" votio populi Christiani erga dictum beatum
" Ludovicum Bertrandum augeatur, non solum
" in civitate et regno Valentiæ, sed per totum
" etiam orbem in universa Religione Domini-
" cana, ac major quotidie fiat et crescat ex uni-
" versa Hispania et remotis etiam provinciis
" concursus ad ejus sepulcrum ob innumeras et
" magnas gratias, quas Deus fidelibus suis ip-
" sius beati Ludovici meritis et intercessione
" concedere non dedignatur; idem serenissimus
" Philippus III, Hispaniarum rex Catholicus, et
" per litteras, et per suum in Urbe oratorem,
" et totum ipsum regnum Valentiæ, et univer-
" sus Dominicanæ Religionis Ordo, nec non
" etiam serenissimus Flandriæ princeps, iteratis
" precibus apud eumdem Sanctissimum Domi-
" num nostrum institerint, ut dignaretur in-
" dulgere et concedere, ut gratia, concessa Fra-
" tribus et Religiosis utriusque sexus Ordinis
" Prædicatorum in regno Valentiæ tantum, ut
" de dicto beato Ludovico Officium recitare pos-
" sint et valeant, extendatur per universum Or-
" dinem Prædicatorum ubique terrarum, et con-

" cedatur

A. AVIGNONO. „ cedatur, ut in regno Valentiæ, non tantum „ Dominicani, sed etiam omnes alii presbyteri „ et clerici sæculares, ac Regulares, et qui- „ cunque utriusque sexus viri et mulieres vo- „ luerint, ut supra, de Beato recitare, et Missam „ celebrare, sive audire possint.

omnemque clerum Valentinum

61 „ Et cum hoc etiam idem Sanctissimus „ Dominus noster in eadem nostra Congrega- „ tione Rituum examinari jusserit, die XIX præ- „ sentis mensis Octobris, illustriss. et reveren- „ diss. DD. mei collegæ una mecum congrega- „ ti, visis ejusdem Philippi III, Hispaniarum „ regis Catholici, litteris, et instantiis factis „ nomine totius regni Valentiæ, et universæ „ Religionis Dominicanæ, ac principum Flan- „ driæ, censuimus, si Sanctissimo Domino no- „ stro placuerit, ut gratia prædicta possit ex- „ tendi per universam Religionem Dominicanam „ in toto orbe terrarum, et posse concedi in „ civitate tantum Valentiæ, ubi dicti beati „ Ludovi corpus requiescit, ut omnes utrius- „ que sexus viri et mulieres, ac Religiosi Re- B „ gulares, et sæculares possint de dicto Beato „ Officium recitare, et Missam celebrare, vel „ audire.

extenditur.

62 „ Et facta per nos de prædicta nostræ „ Congregationis sententia relatione eidem San- „ ctissimo Domino nostro in consistorio secreto „ hac die infrascripta, Sanctitas sua annuit, et „ sententiam Congregationis laudavit et appro- „ bavit, ac concessit et indulsit, ut de dicto bea- „ to Ludovico per universum orbem a Fratri- „ bus et Religiosis utriusque sexus Ordinis „ Prædicatorum Officium et Missa recitari et „ celebrari possit et valeat, et in civitate Va- „ lentiæ etiam ab omnibus sæcularibus et Re- „ gularibus, qui voluerint, dictum Officium, ut „ supra, recitare, Missam celebrare, sive au- „ dire, libere et licite possint ac valeant. In „ quorum omnium et singulorum fidem ac te- g „ stimonium præsentes per inscriptum *g* ejus- „ dem Congregationis secretarium fieri jussi- „ mus, manu nostra propria subscripsimus, nos- „ trique soliti sigilli impressione muniri feci- „ mus. Romæ in palatio nostræ solitæ residen- h „ tiæ die XXV mensis Octobris MDC *h*. Pontifica- „ tus vero ejusdem Sanctissimi Domini nostri „ Pauli, divina providentia Papæ quinti anno C „ sexto.

„ Dominicus episcopus Hostiensis Car- „ dinalis Pinelius.

„ J. P. Mucantius Secret Congreg. „

ANNOTATA.

a *Obiit Philippus II anno* 1598, *die* 13 *Septembris*.

b Aragoniæ Corona *hic accipitur pro regno Hispaniæ generatim*.

c *Vide lit. præcedentem*.

d IX *Octobris*.

e *Imo* IX.

f *Vide lit. proxime præcedentem*.

g *Seu* subscriptum.

h *Lege* : MDCX, *ut supra num.* 58.

D

CAPUT IV.

Causa Canonizationis B. Ludovici Bertrandi ad finem fere perducta, tandem vero a Clemente X absoluta.

CAP. X. *Causa Canonizationis*

Valentinus Prædicatorum conventus desiderans, ut Processus canonizationis B. Ludovici Bertrandi promoveretur, interea mortuo reverendissimo patre magistro Ysteglia, sacri palatii magistro, ejusdemque causæ procuratore, decrevit unum e Religiosis suis ad curiam Romanam destinare, qui Ystegliæ succedens eam curaret. Proinde dicti conventus Prior, E magister frater Hieronymus Mos, omnium Fratrum consensu patrem fratrem Joannem Baptistam Alzamora, doctorem in Theologia, elegit, tradito ipsi procurationis mandato die IV Februarii anni MDCXV. Is die XIX Octobris ejusdem anni Romam adveniens, nihil prætermisit, quo dictam causam promoveret, obtulitque summo Pontifici Paulo V memoriale, in quo Sanctitati Suæ supplicavit, ut dignaretur causam canonizationis B. Ludovici Bertrandi committere tribus senioribus Rotæ Auditorum, ut hi examinarent Processus ad canonizationem spectantes.

Rotæ auditoribus committitur.

64 Concessit eam gratiam Pontifex, causamque illustrissimo domino Sacrato, archiepiscopo Damasceno, illustrissimo domino Coccino, Rotæ decano, ac reverendissimo domino Manzanedo de Chignones, auditori Rotæ, commisit, quibus hæc commissio oblata fuit die XXII Junii anno MDCXVI. Illi autem, acceptata commissione die XXVII ejusdem mensis, notarium causæ constituerunt Sebastianum Taborino Virodunensem, primoque die Julii ejusdem anni Processus causæ a Congregatione Rituum ad Rotam translati fuere, dictoque notario traditi. F Cumque laudatus pater procurator causæ tria Processus apographa facienda curasset, quorum quodlibet ex bis mille quingentis et quadraginta quinque foliis constabat, die IV Julii ejusdem anni judices commissarii edito decreto mandarunt, ut apographa cum autographo conferrentur, ejus rei cura notario causæ commissa.

ejusdemque procurator constituitur Avignone,

65 Facta hac collatione, unicuique judici suum datum apographum est; sed cum jam inchoanda causa erat, placuit Deo prædictum patrem fratrem Joannem Baptistam Alzamora, causæ procuratorem, ad se evocare, quod mense Aprili anni MDCXVII evenit. Qua de causa nihil præterea actum fuit, donec reverendissimus pater magister, frater Raphaël Rifoz, totius Ordinis Prædicatorum vicarius generalis (postea episcopus Helenensis *a*) ad conventum Prædicatorum Valentiæ scripsit, ut aliquem patrum ad eam causam agendam Romam mitteret. Itaque magister frater Hieronymus Cucalini, tunc ibidem Prior, cum communi omnium patrum conventus consensu jussit me eum

A eum in finem illuc ire cum mandato procurationis, dato die VI Octobris anno MDCXVII.

B. Bertrandi 66 Romam ego adveni die XXVIII Decembris dicti anni, et post exposita a me supra dictis judicibus postulata, traditaque scripta necessaria, habita fuit die XXX Aprilis anno MDCXVIII prima de causa canonizationis B. Bertrandi Congregatio in palatio Apostolico Quirinali, in qua illustrissimi domini judices decreverunt, Processum commissorialem esse in forma probante ad prosequendam canonizationem. Secunda Congregatio Romæ habita fuit in sacristia S. Augustini eodem anno MDCXIII, die XVII Julii, in qua decretum fuit, testes in Processu remissoriali bene ac juridice examinatos fuisse. Die XVIII Septembris ejusdem anni MDCXVIII habita fuit in eadem sacristia Congregatio tertia, in qua decretum fuit, ad canonizationem perficiendam optime probatam fuisse insignem B. Bertrandi fidem, ac pariter constare de ejusdem firmissima spe, et ardentissima charitate et amore Dei ac proximi.

B 67 Ejusdem anni MDCXVIII die XXVI Septembris celebrata fuit quarta Congregatio similiter in sacristia S. Augustini, in qua decretum fuit, recte probatas fuisse B. Bertrandi virtutes, scilicet prudentiam, justitiam, paupertatem, castitatem, orationem et patientiam, ad canonizationem perficiendam. Die V Octobris ejusdem anni MDCXVIII habita fuit Congregatio in Monte Quirinali, decretumque, constare optime de magna temperantia, mortificatione et humilitate B. Bertrandi, atque etiam bene probatum esse communicatum ipsi a divina Majestate donum prophetiæ, magnumque populi concursum, qui post illius obitum ad ejusdem manus pedesque osculandas accedebat, et vestimenta ipsius pro sacris reliquiis auferebat; uti et magnam sepulcri ejus venerationem.

virtutes,

et varia vivi, 68 Eodem anno MDCXVIII, die XV Octobris habita fuit sexta Congregatio in palatio Apostolico Montis Quirinalis, in eaque decretum est, ad canonizationem faciendam bene probata esse duo miracula; videlicet unum de grandi incendio, quod e monte versus vineam in confinibus Albaydæ *b* velociter progrediens Beatus, solo signo Crucis formato, subito penitus extinxit; alterum de strumis Sperantiæ Assensi a Beato, ulcera lambendo, sanatis; quæ sanatio pariter subitanea fuit. Anno MDCXIX, die XVIII Februarii domini judices septimo congregati fuere in palatio Quirinali, approbaruntque pro canonizatione duo miracula, quorum unum fuit multiplicatio panis in conventu sancti Honuphrii, quod ex septem frustis panis ultra triginta Fratres refecti fuerint ad primam mensam, et abunde superfuerit ad secundam: alterum autem miraculum fuit de Vincentia Moregli, quæ, cum omnino contracta esset et ulceribus plena, se ipsam frustulo habitus Beati attingens eo ipso temporis momento convaluit.

b

C

mortuique 69 Die IV Martii anni MDCXIX octava Congregatio habita fuit in eodem palatio, ac tria miracula ad eumdem finem approbata fuerunt. Primum erat lumen supranaturale, quod ex ore Beati prodire visum est eo temporis momento, quo ille animam exspiravit; secundum musica angelorum, post ejusdem obitum audita; tertium de fistula Isabellæ Salon, quæ Beati jam defuncti manu tacta illico sanata fuit. Nona Congregatio in Monte Quirinali habita fuit anno MDCXIX, die XX Martii, in qua approbata sunt duo miracula de duobus pueris graviter ægrotantibus, quorum unus laborabat febri, fluxuque ac gravi hernia; alter vero, præterquam quod etiam gravem herniam pateretur, vomebat sanguinem, qui ambo eodem temporis momento, quo aqua fontis a Beato, dum viveret, benedicti, loti fuere, sanati sunt.

A. Avignone.

miracula 70 Die XV Aprilis anni MDCXIX habita in eodem palatio est Congregatio decima, in qua approbatum fuit miraculum factum in Anna Monforti, quæ cum paralytica esset et vicina morti, ex eodem fonte bibens sanitatem recepit. Die XVII Maii anno MDCXIX in eodem palatio habita fuit Congregatio undecima, duoque miracula approbata fuere; unum scilicet de Gaspare Ramirez cæco, qui Beati sepulcrum invisens, perfectum visum recuperavit; et alterum de puellula pariter cæca, Joannis Sagarra filia, quæ oculos suos aqua prædicti fontis lavans videndi facultatem illico recepit. Die XIV Junii anni MDCXIX duodecima vice judices E cenvenerunt in supra dicto palatio, approbaruntque miraculum Joanni de Pedever claudo concessum, qui cum incedere nequiret sine fulcris, portatus ad Beati sepulcrum, post fusas ibi preces, eodem tempore incolumis evasit.

Rotæ auditores recte probata fuisse statuunt 71 Die III Julii anni MDCXIX in eodem palatio fuit habita Congregatio decima tertia, quæ duo miracula approbavit, unum splendoris supernaturalis, visi in Beati cadavere in ecclesia; alterum supernaturalis odoris, quo idem Beati corpus fragravit. Die XXXI Julii anni MDCXIX decima quarta Congregatio celebrata fuit in Sapientia, in qua tria miracula approbata sunt; videlicet, quod, cum Isabella Vincentia Pugiades vehementi febri correpta, loquendique facultate destituta et morti vicina decumberet, solo Beati Rosarii attactu perfecte sanata fuerit; alterum, quod Andrea Alreus, postquam ter peperisset, omni lacte semper destituta, cum quinque mensibus post tertium puerperium sepulcrum Beati inviseret, lacte abundaverit. Tertium, quod, cum Hieronyma Giner totum caput ulcerosum cuteque ac capillis radicitus nudatum haberet, postquam illud oleo lampadis ad sepulcrum Beati ardentis unctum fuit, sanata fuerit, capillique renati sunt.

F

urgentibus interim causam Philippo III, 72 Dum causa agebatur in Rota, rex Philippus III majori etiam, quam ante, desiderio flagrans, eam brevi terminatam videndi, hasce litteras ad Paulum V Papam scripsit. « Sanctis-
» sime Pater. Scribo ad Cardinalem Borgiam,
» ut meo nomine supplicet Sanctitati vestræ,
» ut jubere dignetur, causam canonizationis
» beati Fratris Ludovici Bertrandi e civitate
» Valentia oriundi, et Religiosi Ordinis S.
» Dominici, quantocyus expediri, multas ob
» causas, multasque rationes id ita exigentes,
» ac singulariter ob solatium, quod hæc civi-
» as et peculiariter Religiosi conventus, in quo
» ille habitum induit, vixit obiitque, et ejus-
» dem corpus quiescit, inde hausturi essent. Ob-
» secro Sanctitatem vestram, ut ipsum audire
» dignetur, eique fidem habere, ac supplicibus
» ipsius precibus benigne annuere, quod ob al-
» legatas rationes pro gratia et singulari favore
» Beatitudini vestræ acceptum referam, cujus
» Sanctissimam personam Dominus noster ad
» prosperum felixque universalis Ecclesiæ regi-
» men servet incolumem. Sanctitatis vestræ hu-
» millimus

A. Avignono. » millimus ac devotus filius Philippus Dei gra- » tia etc., qui ejusdem sanctissimos pedes ac » manum osculatur. Rex. »

variisque civitatibus

73 Eidem summo Pontifici pro eadem canonizatione obtinenda per litteras supplicarunt illustrissimus ac reverendissimus dominus, dominus Isidorus Aliaga, archiepiscopus Valentinus die VIII Novembris anni MDCXVII; Jurati civitatis Valentiæ Joannes Baptista Catalani, Petrus Ludovici Ramos, Balthasar Dalp, Franciscus Artes, Alphonsus Sugner, et Raphaël Darder die IV Novembris anni MDCXVII; Deputati regni Valentiæ die IX Novembris anni MDCXVII; Juratis civitatis Segorbiensis Hieronymus Vincenzo, Joannes Climente et Petrus Climente die XXX Julii anni MDCXIV; et ejusdem civitatis capitulum die VIII Junii anni MDCXIV; jurati civitatis Alicante Jacobus Pastori, Franciscus Camicia, et Martinus Perez die XIII Februarii anni MDCXVIII, ejusdem civitatis capitulum die XIII Februarii anni MDCXVIII; Deputati regni Aragoniæ die VI Novembris anni MDCXIX; illustrissimus dominus comes
B Aranda die XVII Octobris anni MDCXIX; Jurati Cæsaraugustæ die XXVIII Novembris anni MDCXIX, et capitulum ejusdem archiepiscopatus die XXVIII Novembris anni MDCXIX.

CAP. XI. *Oblata Pontifici Rotæ auditorum Relatione,*

74 Postquam domini Auditores Rotæ prædictas Congregationes habuerant, summus Pontifex Gregorius XV initio Pontificatus sui illustrissimum et reverendissimum dominum Franciscum Sagrati, archiepiscopum Damascenum, ob multa sua merita creavit Cardinalem, ac Datarii munere honoravit. Qua de causa cum illustrissimus iste non posset amplius isti causæ vacare, supplicatum Pontifici est, ut alterum judicem in illius locum sufficeret, suffecitque ipse mense Maio anni MDCXXI dominum Jacobum de Cavalier, velut seniorem Auditorum Rotæ, qui Romæ tunc aderant. Postquam hic recognoverat omnia, quæ in hac causa gesta fuerant in Rota, et Relationi ab illustrissimo ac reverendissimo domino Joanne Baptista Coccino, decano Rotæ, compositæ, in qua omnes Sancti virtutes pariterque octodecim miracula in supra dictis congregationibus pro canonizatione probata, prolixe continebantur, una
C cum ceteris judicibus subscripserat (quam Relationem, quia longa est, hic non insero) eamdem prædicti tres judices die XIII Augusti anni MDCXXI summo Pontifici Gregorio XV in Apostolico palatio Quirinali cum opportunis vivæ vocis verbis obtulerunt.

S. R. Congregatio causam recognoscit,

75 Pontifex autem subsecuto mense Septembri eam Congregationi Rituum commisit, ut canonizationis causam donuo examinaret; et ab hac Congregatione commissa fuit illustrissimo ac reverendissimo domino Cardinali Pignatello, ut eadem sacræ Congregationi proponeret. Cumque ei consignatus fuisset totus Processus, omniaque scripta summariaque tradita omnibus dominis Cardinalibus dictæ Congregationis, aliisque, qui intervenerunt, ac nominatim doctori Joanni Baptistæ Spada, summi Pontificis Cameræque Apostolicæ fisco, qui ad singulas congregationes suis temporibus citatus fuit; illustrissimi ac reverendissimi Cardinales in multis congregationibus cum maturo judicio pronuntiarunt, Processus validos esse, recteque probata omnes virtutes ac miracula, quæ Auditores Rotæ examinaverant, et in Relationem ab iisdem summo Pontifici oblatam retulerant. Proinde die XXII Decembris anni MDCXXI causam canonizationis B. Ludovici Bertrandi concluserunt, edito decreto, posse Pontificem, quandocumque ipsi placeret, eumdem Beatum inter Sanctos referre. Decretum hoc sic habet. D

decernitque procedi posse ad canonizationem,

76 « Beati Ludovici Bertrandi die XII De- » cembris MDCXXI. Discussa diligenter ac mature » perpensa, de mandato Sanctissimi Domini no- » stri, in ordine ad canonizationem, causa beati » Ludovici Bertrandi Valentini, Ordinis Præ- » dicatorum; Congregatio sacrorum Rituum, » pluribus desuper habitis sessionibus, illustris- » simo Cardinali Pignatello referente, censuit, » tuto posse Sanctissimum Dominum nostrum, » quandocumque sibi libuerit, ad solemnem » ejusdem beati Ludovici canonizationem juxta » sanctæ Romanæ Ecclesiæ rituum et sacrorum » Canonum dispositionem devenire, eumdem- » que diffinire, Sanctum cum Deo regnantem, » atque universali Ecclesiæ proponere colendum » ac venerandum.

» Franciscus Maria Card. a Monte.

» Locus † sigilli.

» J. Baptista Rinuccinus Secretarius. » E

quam Philippus IV

77 Porro non solus Philippus III *c* rex pro canonizatione B. Ludovici sæpe ad summum Pontificem scripsit, verum Philippus IV, illius non solum regnorum, sed etiam magis pietatis ac virtutum heres, ad Gregorium XV *d* felicis recordationis eumdem in finem se- quentes litteras dedit. « Sanctissime Pater. Scri- » bo ad ducem d'Alburcherche, legatum meum, » ut meo nomine Sanctitati vestræ supplicet, » ut dignetur mandare, causam canonizationis » beati Fratris Ludovici Bertrandi, Ordinis S. » Dominici, breviter expediri ob plurimas ju- » stas rationes, quæ concurrunt, uti idem le- » gatus pluribus exponet. Supplico humiliter, » ut Sanctitas vestra eum auscultet, eique fi- » dem præstet ac benigne admittere dignetur, » quidquid ille hac in parte meo nomine flagita- » verit; quod pro singulari Beatitudinis vestræ » gratia ac favore habebo, cujus Sanctissimam » personam Dominus noster ad prosperum fe- » lixque universæ Ecclesiæ suæ regimen inco- » lumem servet. Matriti die XII Decembris anni » MDCXXI. Sanctitatis vestræ humillimus ac de- F » votus filius Philippus Dei gratia Castellæ, » Aragoniæ, Legionis, Navarræ et Indiarum » rex, qui tuos sanctos pedes manusque oscu- » latur. Rex. »

c

d

iteratis litteris etiam ursit, obtinuissetque,

78 Cum in suo canonizationem ad finem perductam videndi desiderio idem rex semper persisteret, hasce secundas litteras ad eumdem Pontificem dedit: « Sanctissime Pater. Tanta est » devotio, qua ego beatum Fratrem Ludovicum » Bertrandum, Religiosum Ordinis S. Dominici, » prosequor, tantumque meum eumdem Sanctis » adscriptum videndi desiderium, ut, quamvis » die XII Decembris anni elapsi ad Sanctitatem » Vestram hac super re scripserim, pro fide ha- » benda duci d'Alburcherche, consiliario meo » ac legato; nihilominus, cum intellexerim, » quantum jam profecerit, volui, ut ille de- » nuo proponat ea, quæ Sanctitas Vestra ex » ipso auditura est; cui supplico, ut id nego- » tium terminare dignetur, persuasumque ha- » beat, id me pro favore ac singulari gratia » Sanctitatis vestræ habiturum, cujus sanctissi- » mam personam Dominus noster ad prosperum » et felix universæ Ecclesiæ suæ regimen servet. » Ex Pardo *e* die XVI Januarii anni MDCXXIII *. » Sanctitatis

e

* *an* MDCXXII?

A „ Sanctitatis Vestræ humillimus et devotus fi-
„ lius, Philippus, Dei gratia Castellæ, Arago-
„ niæ, Legionis, Navarræ et Indiarum rex, qui
„ ejusdem sanctissimos pedes osculatur. Rex. „

nisi, confecto fere negotio, Pontifex obiisset.

79 Hasce litteras summo Pontifici obtulit illustrissimus et excellentissimus dux d'Alburcherche, ac studiose negotium illud tractavit; Pontifex vero pari cum affectu suam de B. Ludovico Bertrando inter Sanctos referendo voluntatem eidem excellentissimo domino significavit; quod propediem faciendum fuisse certo credebatur, *f* cum, ejusdem Pontificis morte interveniente *f*, *g* nihil effectum fuit *g*.

ANNOTATA.

a Helena, *vulgo* Elna, *urbs parva in comitatu Ruscinonensi, sedem olim habuit episcopalem, quam Perpinianum transtulit Clemens VIII anno* 1604.

b *Consule Indicem Geographicum.*

c *Obiit anno* 1621 *ultimo die mensis Martii.*

d *Paulus V obiit anno* 1621 *die* 21 *Januarii,*
B *in cujus locum mensis sequentis die nono electus fuit Gregorius XV.*

e *Palatio regio, binis circiter leucis Matrito distante.*

f *Obiit anno* 1623 *die octava Julii.*

g *Hactenus Avignonus. Tandem* B. Ludovicum Bertrandum *in Sanctorum numerum retulit Clemens X anno* 1671, *die* 12 *Aprilis, edita, quam Appendicis loco subjungimus, sequenti Bulla.*

APPENDIX

Clemens X B. Ludovicum Bertrandum in Sanctorum numerum refert.

CLEMENS EPISCOPUS

C

SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Inter cultores, quos Deus in vineam suam semper misit,

Cæli, terræque conditor ab ipso mundi exordio usque ad hæc nostra tempora, in quibus seculorum fines devenisse creduntur, nunquam per singulas ætates, tanquam per horas distributas, operarios in vineam suam mittere destitit, qui pondus diei et æstus portantes, labore, sudore ac sanguine illam irrigarent, et omnium cælestium virtutum ac æternæ vitæ fructibus germinare eam facerent, donec juxta divina Scripturarum oracula ex omnibus gentibus, tribubus, populis, et linguis a solis ortus cardine usque ad terrarum limites, omnes ad cœnam Agni providi congregati in regno cælesti vinum novissimum biberent, quod Dei sapientia electis suis miscere consuevit. In excolenda sanctæ Crucis vite omni cura potissimum insudarunt, in operibus diversi, in veritate uniformes, ut etiam per regna et provincias, nostris majoribus antea D ignotas, ita innotuerit ejus virtus, ac vigor in totius orbis victoria, ipsiusque de mundi principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis potestatibus nomen, quod est super omne nomen, sibi jam barbaras nationes subegerit „ et „ in nomine Jesu omne genu flectatur, ac omnis „ lingua confiteatur, qui Dominus Jesus in glo- „ ria est Dei Patris *a*. „

a

ex Prædicatorum Ordine Ludovicus Bertrandus sic excelluit,

2 Plures hujusmodi, et strenuos operarios continuata serie Catholicæ Ecclesiæ Prædicatorum Ordo ministrare non destitit, inter quos novissime egregius Dei servus Ludovicus Bertrandus mirifice claruit, qui ardentissima in ipsum Deum, et proximum caritate flagrans, ceterarum virtutum excellentia, prophetiæ dono, et Apostolico ministerio coruscus, omnium linguarum laudibus merito celebratur, cujus pietas et devotio adhuc in ipsa tenera ætate effulsit, quibus et mundi contemptum, et religiosi status perfectionem jugens, veteranis professoribus admirationi, et exemplo fuit. Postmodum ad Occidentales Indos Evangelicus prædicator missus plurimos ad Christi fidem adduxit. Apo- E stolicis etiam signis, charismatibus, et auctoritate decoratus, et cunctis virtutibus fulgens, inventus est dignus, qui super excelsum candelabrum in sancta Ecclesia collocaretur, ut ceteris, qui in domo Dei sunt, ejus radii elucescant.

ut Sanctorum albo meruerit adscribi.

3 Rationi, et æquitati convenit, ut præclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloria, et animarum salute multos maximosque labores, et ærumnas pertulit, cujus nomen Deus ipse gloriosum effecit, a Nobis quoque, qui ejus vices in terris, licet immeriti, gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur, ut jure merito in Ecclesia militanti populus fidelis et plebs Deo dicata Sanctorum Fastis adscribi, plenius agnoscat, ejus præclare gesta, et eximia virtutum ornamenta, tamquam præcellentia, ad imitandum proponenda duximus, ut Christi nomine decorati gesta sua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes eum in opportunitatibus et tribulationibus advocatum apud Deum Patrem Omnipotentem habere mereantur, atque ut Christi fidelium ora promptius in divinis laudibus exultent, et pietatis fervor erga tantum Jesu Christi Servum magis in dies excite- F tur, ejus admirandam, et omni laude dignam in terris peractam vitam in primis exponere, et brevi inclusam eloquio cunctis patentem reddere decrevimus.

Ejus natale solum ac tempus parentes, pia infantia,

4 Valentiæ igitur in Hispanio Tarraconensi ex piis, honestis, Catholicisque parentibus, Johanne Ludovico Bertrando, et Johanna Anna Exarch *b* editus est in lucem Ludovicus Bertrandus anno Dominicæ Salutis millesimo quingentesimo vigesimo sexto Kalendis Januarii, et ibidem in parochiali S. Stephani ecclesia, eodemque fonte, quo olim S. Vincentius Ferrerius *c* in Christo renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum cui Ludovicus carnali prosapia junctus erat, communi etiam regenerationis propinquitate attingeret *d*. Infans a parentibus eidem S. Vincentio mire devotis, pie, honesteque educatus, necnon optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illa tenera ætate defuerint argumenta futuræ sanctitatis; vagientis enim, ac plorantis lacrymæ nulla re sisti certius poterant, quam Sanctorum imaginibus ejus conspectui oblatis, quarum ad intuitum

b

c

d

domi,

A domi, et in templi mirifice gestiebat. Crescente ætate, crevit pariter virtutum amor, et erga res divinas pronus affectus.

pueritia et adolescentia,

5 Vix pueritiæ limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad solitudinem cubiculi sese recipere, ut geniculans prolixæ orationi incumberet. Illic Dominum in se loquentem audiens, suimet corpusculi robustus domitor evasit; illic spreta delicati cubilis mollitie, aut humi, aut duro in ligno modicum somnum capiebat; illic jejuniis, victuique parcissimo corpus assuescere docuit, ac variis pœnitentiæ austeritatibus extenuare cœpit. Exinde frequentando gymnasio, et litterarum studiis addictus non minus prava consortia, nugas, atque illecebras, quam otii laxamenta, velut bonarum artium ærugines, et virtutum pestes, cautissima sedulitate jugiter evitavit. In simplicitate cordis sui quæsivit Dominum, et invenit illum. In ecclesiis enim, et maxime Ordinis Prædicatorum sæpissime orationi vacans morabatur. Sacris etiam lectionibus, divinisque colloquiis mentem reficiens, invenit, quem diligebat anima ejus; sanctissi-
B mæ Eucharistiæ frequenti, humili, et oculta sumptione delectatus, in Dei, ac proximi amorem totus exarsit. Xenodochia magna caritate visitans, pauperibus tota animi sui demissione inserviebat.

professio in Ordine Prædicatorum, presbyteratus; munia ab eo obita

6 Ut Domini consilium de relinquendis domo, fratibus, et parentibus perfectius impleret, eremi desiderio clam domo aufugit; sed specioso pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis seculi fugam auspicatus, primo clericalem admisit habitum, mox vero non sine magna cum domesticis lucta Ordini sancti Dominici nomen dedit in conventu Prædicatorum Valentino, et Religionis habitu suscepto, præclara S. Vincentii Ferrerii, ejusdem familiæ celeberrimi alumni, vestigia sibi sequenda proposuit. Ejus exemplo in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas, et blanditias invicto animo superavit, et tirocinii anno expleto (in quo regularis militiæ præclara dedit indicia) solemnia Religiosæ professionis vota emisit. Postquam multis, magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem
C integerrimam egerat, cumulavit, sacros Ordines peracto Noviciatu *e* suscepit, et ad sacrum presbyteratus Ordinem promotus *f*, paulo post Noviciorum magister raro exemplo eligitur *g*, quod munus cum pluribus annis magna cum laude exercuisset, Vicarius conventus de Albayda *h*; deinde Prior S. Honuphrii fuit designatus. Demum conventui Valentiæ præfuit *i*, in quibus ceteris fratribus non tam prælatione, quam virtute, et exemplo semper præivit.

e

f

g

h

i

Assidua oratio divinitus illustrata : fames et reverentia sacræ Communionis :

7 Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicæ Passionis mysteria magno cum fervore, et mentis jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis beatissimæ Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his cœlestium illustrationum commerciis persæpe visus est non solum spiritu rapi in ecstasim, sed et corpore a terra sublevari, et luculentis splendoribus conspicue circumfundi. Erga sanctissimum Altaris Sacramentum miro ex intimis præcordiis ardore flagrabat, sciens, hoc esse pulcrum, et optimum electorum frumentum, se vinum germinans Virgines; propterea familiares ad ejus sumptionis, vel saltem visitatio- D
nis frequentiam vehementer hortabatur. Sacrum Missæ sacrificium celebraturus angelicæ puritatis candorem æmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione, et mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus nunquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus sacra Eucharistia reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, et in eo ipse quoque assidue maneret.

mira Viri humilitas eamque

8 Vt cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mira simplicitate in omnibus semper se gessit; magna tamen cum prudentia qua præditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sui nihili cognitione, et vili existimatione perpetuo moraretur. Se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum prædicans, omnibus subesse satagebat; ab ipsis Noviciis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam sæpe imperans. Scipsum Davum perturbantem omnia, ac solum Judæ proditoris, ac dæmonum consortio dignum appellans, innumeris aliis seipsum probris, et conviciis onerabat. Summo mærore cum honorifice aut tracta- E
retur, aut exciperetur, afficiebatur, ita ut procumbens in genua, ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac Paternitatis titulo Prior se honorari inhibuerit. Si quem læsisse sua mœstitia, aut aliter timuisset, genuflexus veniam poscebat. Concionatoribus, etiam ipsis, quos instruxerat, ministrum se jungebat, nec ullius, quamvis ineruditum, sermonem despexit. In ipsis favoribus cœlestibus, et divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus, se in infernum demergi sibi ipsi videbatur, cui timorem filialem a Deo precibus, et pœnis obtentum jungens, mœstus et pavidus continuo apparebat.

aliis persuadendi studium eximia in Deum charitas :

9 Eumdem profundæ humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus superior existens inserere studuit, dicere solitus, Religiosum, perfectionis cupidum, debere spernere se, spernere nullum, spernere mundum, et spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere, dicebat, ut, quamtavis virtute et meritis clarus esset, numquam tamen de se præ-
sumeret, aut se alicui præferret. Magnis æstua- F
vit caritatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquæ extinguere potuerunt : unde et zelo Dei ardens urebatur, si quid contra Dei præcepta moliri, aut videret, aut audiret; quin et sermones ejus, ut faces ardebant, nihil de seculi vanitate mixtum continentes, sed vel ad Dei famulatum, vel ad pœnitentiam et peccatorum detestationem directi erant; frequens fuit in sacræ Scripturæ sententiis, aut Sanctorum gestis enarrandis, magno fervore exaggerans, horrendum esse incidere in manus Dei viventis et irati. Hinc plures re ipsa experti sunt, se ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse.

fuga plausus popularis : desiderium martyrii :

10 Cum nobilis quidam communem vitio-
rum objurgationem ad se singulariter credidisset a B. Ludovico directam, mortem, quam ei comminatus fuerat, nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti, stricto in eum sclopo intentat, illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur, ipso aggressore miraculi vi prostrato, ac venian enixe petente : beatusque Ludovicus suæ humilitati consulens, plus timens laudatum populum, quam sclopum,

A sclopum, suo socio Christophoro de Mora præcepit, signans in ejus pectore Crucem, ut prodigium celaret, usque dum annis triginta transactis interrogatus panderet veritatem. Usque adeo ardens erat in eo martyrii desiderium, ut in tremendi sacrificii elevatione cum Petro Martyre *k* ex intimis præcordiis divinam Majestatem exoraret : « Da mihi Domine, ut pro te « moriar, quemadmodum pro me mori voluisti. » In prospectu etiam imaginis S. Vincentii Martyris *l* eisdem pœnis, et suppliciis, quibus ipse certavit, et, vicit affici vehementer optavit. Audiens pœnas, quibus pro fide Christi sua ætate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilum erumpens eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi, cupiebat.

amor proximi, maxime sæviente peste, etiam miraculis probatus.

11 Eadem caritate etiam erga proximum ardens animarum solatia et progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis duris se flagéllis cædens; quibus et mulierem, honestæ, quoad seculum, conditionis, cujus B peccandi consuetudinem, Deo revelante, noverat, revocavit. Adolescentula etiam ne caderet, orationibus et pœnis a Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset, ad Conventum S. Annæ Albaydæ, quamquam inopia laborantem, ubi tunc munus agebat Superioris, reficiendos adducebat, dicere solitus, Deum nunquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias, et montes procedens, peste extinctos sepultura donabat. In Xenodochiis et domibus infirmos sæpe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, et pro eis deprecans, sanitati restituit, inter quos non sine evidenti miraculo religiosus vir, Franciscus Allemanus, jam morti proximus a B. Ludovico de recuperanda valetudine certior factus, paulo post omnino liber convaluit. In sedandis odiis, et reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri caritas enituit : in carcere etiam detentis, aut morti addictis, ope, et auxilio non deerat, quorum plures e miseriis, et in- C justis vexationibus miro modo, et suaviter liberavit.

In Americam navigans graviter læsum sanat : sermone Hispanico a variis populis intelligitur :

12 His Dei et proximi amoris ardoribus incensus in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur, a quo nec amicorum, vel fratrum, aut sororum artibus, precibus, vel lacrymis dimoveri potuit; omnibus enim magna cum animi submissione non sine fletibus valedicens, pedestre iter Occidentalem Indiam *m* versus arripuit, et Hispali *n* navem ingressus omnibus ædificationi, solatio, et auxilio in opportunitatibus fuit; in qua sui Ordinis Religiosum a cadente ponderosa trochlea gravissime læsum, vulnere aqua loto, sic sanitati pristinæ restituit, ut postridie, mirantibus cunctis, nec vestigium quidem cicatricis apparuerit. Appulit ad Carthagenæ portum, ibique in Conventu sancti Josephi sui Ordinis habitavit, et inde ad diversos Indorum populos missus evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatum, Mompoix, Serram sanctæ Marthæ, Tuncarum, Tenerifem et aliis, ibique plura, et mirabilia perpetravit. Orationibus a Deo obtinuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat, evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis. Vigilias, sitim, famem, æstum et frigora in hoc Apostolico ministerio ferens, semper pedes incedens, et sæpe æger, cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. D

mira patrat, Tubaritas convertit : infantem, Deo providente, baptizat :

13 Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat, quin etiam præter expectationem, ut ei subveniret, apparuit arbor pomifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet, et convivaret; qui postea eum inurbane deserens, misere, sicut ei Vir Dei prædixerat, reliquum vitæ tempus, et finem consumpsit. Visus est etiam sæpe in itinere a via secedens flagellis se cædere. Pluries obvias habuit tigres, aut alias feras, quæ signo Crucis ab eo mites redditæ, itinerantibus illæsis relictis, alio iter arripiebant. Carthagenæ concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire, et auditores nonnisi compunctos, et amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes; neque enim hominis, sed angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter hæc a carnalibus, ac etiam probris et irrisionibus appetitus E gaudebat, quod pro nomine Jesu talia pati dignus haberetur. Tubaram a superiore missus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret, et sanctæ Ecclesiæ Sacramentis initiaret, omnibus illius loci infidelibus, orationibus, jejuniis, flagellationibus, et aliis pœnis, a Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius Dominus noster exequi dignatus est. Dæmonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit, et ululantem abire coegit. Infantem, qui fuit primus, quem sacro fonte abluit, ab Indo, quamvis idolatra, delatum Michaëlem appellavit, ipsomet Indo palam testante, se ab angelo Domini admonitum, consecuturum eum cum baptismo salutem æternam, et ad hoc ipsum B. Ludovicum a Deo illuc directum fuisse.

idola evertit : furentes cohibet : multa suffert : naufrago subvenit:

14 Idolorum etiam tuguria succendi curavit, et tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quemdam ministrum (sola præsentia tumultum sedando) detinuerit. Publicum etiam F ibi adulterum, quamvis potentem, acriter reprehendit, a quo postea armis valide invasus, mirantibus cunctis, telo in terram cadente, incolumis, et intrepidus evasit. Nec ab hominibus solum, sed etiam a dæmonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit; præsertim apud quemdam veteranum idolorum sacerdotem morti proximum, quem sacro baptismate initiavit, et ab ipsorum immundorum spirituum infestatione, fixo apud illum S. Crucis signo, liberavit. Jacobum Raphaëlem Frances ex eo loco prævidit naufragum futurum, quem propterea per diem, et binas noctes natantem, et beatissimæ Virginis Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad littus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus et vestitus expectaverat, et a mortis instantis faucibus eripuit.

in aëra elevatur, in veneratione habetur : multos Indos alibi convertit: mira facit : virus innocue bibit.

15 Ab ipsis Indis visus fuit a terra in ecstasi elevatus, quem postmodum summa veneratione coluerunt, et abeuntem amare deflevérunt; crediturque, populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare, ad cujus hospitium in oratorium commutatum, etiam nunc et Indi et Hispani ad divina beneficia

A ficia ejus patrocinio impetranda accurunt. His similia in oppidis Cipacoe, et Peluati egit, ubi etiam Evangelicam paupertatem servans, lætus in rerum summa inopia et volens, vitam degebat, ac orationibus præter spem optatos obtinuit imbres, et Cinagam fluvium, præ aquarum redundantia impervium, signans Cruce aquas, prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviæ, illo beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum, nec socios attigerunt. Sub monte sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis prædicationibus ad fidem conversa, baptizavit, et non procul inde potentissimum venenum sibi ab Idolorum sacrificulo propinatum ebibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus, seu parvis serpentibus, stomacho ejecit, ac incolumis magno præsentium stupore perduravit.

Alia ab ipso in America patrata.

16 Dæmones visibiliter gentibus illis apparentes, signo Crucis, et miris modis sæpe fugavit
B quibus plures alios ad fidem adduxit. In Oppido Mompoix visi sunt ei genuflexo assistere sancti Doctores Ambrosius et Thomas de Aquino. In Insula Sancti Thomæ dum furentes pagani, arreptis lapidibus, viro Sancto necem intentant, monitus, ut fugeret, constantissime renuit, solaque divini verbi efficacia ducentos ex aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex regionis proceribus, de salutiferæ Crucis arcano mysterio doceri cupientem, repentino miraculo convertit, nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus conspicuam figuram Crucis rudi cortici mirabiliter impressit; eoque ostento tum illi, tum aliis, baptismum in fide vivificæ Crucis persuasit. Sane vir iste Apostolicus non solum juxta promissionem S. Evangelii, quod prædicabat, in nomine Domini Nostri Jesu Christi dæmonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales, visibiliter incolis minaces, abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est; verum etiam pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie, discrimen vitæ superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem, sua zona præcingi jussam, una cum prole
C ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam cum marito, propinquis, ac domesticis, lavacro S. baptismatis ab infidelitate mundavit. Navigans cum aliis in flumine, a Magdalena nuncupato, irruente tempestate navi eversa, cunctisque in aqua immersis, orans emersionem et incolumitatem obtinuit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse, et defunctam ad vitam sanctissimi Rosarii applicatione revocasse, compertum fuit.

In Hispaniam post sedatam tempestatem redux, S. Honuphrii, ac deinde Valentinum conventus

17 Videns, nec impedire, aut ferre valens angustias, quibus ut plurimum violenter a præfectis quibusdam, etiam vulneribus et cæde Indi opprimebantur, obedientia obtenta, in Hispanias rediit. Cumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus tumentes undas tandiu Cruce signavit, donec, optata tranquillitate reddita, omnes ad portum Hispalis incolumes pervenerunt. In Conventu S. Honuphrii post reditum ab Indis ex obedientia præfuit, quem ære alieno gravatum, et inopia, ex annorum sterilitate orta, laborantem invenit, et omnibus satisfaciens, Religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin et plurimis egenis, miserabilibusque personis large eleemosynas suppeditavit, quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, et mirabili- D
ter ei pecunias ministrante; quin et in ædificio ad honorem S. Crucis constructo ostendit, regente Domino, servis ejus nihil deesse. In cœnobio Valentiæ superiorum jussu, licet invitus, Prior constitutus, in cella S. Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans, ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante meruit amplexu honorari, atque elevari.

optime regit: animam e purgatorio liberat: a exlicolis recreatur: per Quadragesimam concionatur:

18 Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam chori, et summam abstinentiam, quibus subditus se exercebat, nec concionando, nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur, accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in sanctis, aut eruditis exercitiis occupatos, quorum e claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: „ Si hominibus placerem, servus Dei „ non essem. *o.* „Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis consilia, fratris familiaritatem, patris benignitatem, viri sancti perfectionem, et omnium virtutum compen- E
dium invenerit. Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim pœnitentis, qui eumdem Beatum verbo læserat, testantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente, et pro ea celebrante; quo facto, sequenti nocte illam in Sanctorum gloria conspexit. Alias etiam Beatorum in æterna felicitate regnantium, et maxime Sanctorum sui patriarchæ Dominici, et Francisci, quin et ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit, sibique omnia sua peccata dimissa fuisse, audivit. Sætabi, vulgo Xativa, a primoribus civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadragesima apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum, et naturaliter impotentem se agnosceret, a Deo et velle, et cursum integrum Quadragesimalium concionum perficere obtinuit.

o

vaticiniis et secretorum cognitione claret

19 Gubernatori Valentiæ Jacobo Ferrerio, indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit, ut et plurimas
F res futuras, tam secundas, quam adversas, tum in spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines, et mortes, quam circa animarum profectus, et mores, sæpissime prænunciarit: nam et S. Theresiæ a Jesu *p* suam Excalceatorum claustralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illustriores S. Ecclesiæ religiones, ut reipsa evenit, connumerandam esse prædixit. Tribus regularibus diversos ipsorum successus et fines, prout contigerunt, prænunciavit. Virum nobilem, injuria prælatum quemdam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore, dixit; quod mors ejus repentina, Domino revelante, ei notum fuisse, demonstravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis, quam in secretis cordium latentia, nuda et aperta fuisse oculis mentis ipsius a Deo illustratæ, stupentibus omnibus, rerum eventus ostensa fuisse*, indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis, ac admirandus fuit. Alia quoque complura naturaliter ignota, tam clare, distincte, et ordinate, prout erant, aut acta, aut cogitata, enarravit, ut solum, Deo revelante, hæc illi innotuisse, compertum fuerit.

p

** binæ illæ voces, ostensa fuisse, hic abundant.*

20 Virtus

multas infirmitates, maxime ultimo biennio heroïce tolerat :

20 Virtus ejus in toto decursu vitæ a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit ; in complexione enim ipsius satis delicata, non solum potentia visiva parum valens, auditus imperfectus inerat, sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos, et vertigine capitis vehementer cruciabatur ; quin et viscerum pravis affectionibus, et aliis occultis infirmitatibus, maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerantem, ut frequenter ex ejus ore verba doctoris sanctæ Ecclesiæ Augustini resonarent : « Domine, « hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum « parcas. » Ubi primum convalescebat, ad mortificationis, et observantiæ communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus et convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur ; quin et saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens, arctam esse viam, quæ ducit ad vitam. Sic infirmando fortior semper redditus agnovit, sibi instare adimpletionem divini promissi, quod olim in festo sanctæ Catharinæ Virginis et martyris *q* obtinuerat, quando ex medio magnæ lucis sponsum ei fuit, tandem ex his tenebris in lucem illam æternam, quæ lucet Sanctis Dei in perpetuas æternitates, migrandum esse.

sacro munitus Viatico, dum potest, Missam celebrat :

21 Nam inter labores concionum, morbo ingravescente, febribus decubuit, et suscepturus pro Viatico sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis sanctæ Fidei Catholicæ accuratam professionem emisit ; imploravit etiam ferventissime Domini Nostri Jesu Christi auxilium, et sanctissimæ Virginis Deiparæ patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, et præcipue sui Ordinis, expressoque nomine sancti Vincentii Ferrerii subjunxit : « Pater mi, currus Israël, et auriga « ejus *r*. » Enixe petiit a circumstantibus, ut simul cum eo Dominum deprecarentur, ne mortis sententiam revocaret, et Johanni Boil mærenti de gravi suæ filiæ infirmitate, eam tunc non migraturam e vita, vere prædixit.

Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad Sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate, assistentem, et sæpissime ministrantem, non sine magna sua confusione et animi demissione, habuit Johannem a Ribera, patriarcham Antiochenum, tunc Archiepiscopum Valentinum, qui, dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in divinæ voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illum dicentem, se pœnas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere, et cariores habere.

invisitur a multis, inter quos monialis illuc divinitus adducta :

22 Ab is cruciatibus, quamtumvis vehementibus, nec detineri, aut retardari potuit, quin per singulos dies per multas horas consuetæ orationi vacaret, et sæpe sacra exomologesi se purificans, divino altaris Epulo reficiebatur, aliisque infirmis horum Sacramentorum frequentiam suadebat, sæpe repetens, hæc divina Mysteria non solum animæ, sed etiam corporis ut plurimum salutem operari. Concentus musicos in ea ægritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique variis remediis, et morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante sancti Dionysii festivitate, qua die ante annum se moriturum esse, prædixerat, plures accurrerunt certatim, cupientes ab eo benedici, vel suis Rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius ducis Gandiæ genuflexus, et pedes ejus lacrymabundus osculatus, benedictionem de vote et singultiens præstolabatur, quod Vir Dei, se quidem maximum peccatorem cum D. Paulo dictitans, et mente ad nihilum suum conversus, humillime præstitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelæ Aguglionæ, virgini Religiosæ Ordinis S. Francisci in perpetua clausura degenti, concessum fuit, dum ex corde optabat præsentialiter Christi Domini Servum venerari ; illico enim (ministerio creditur angelico) ante ejus pedes constituta, et voti compos facta suæ cellæ iterum miraculose reddita fuit.

biduo ante sacro oleo unctus, die, qua prædixerat,

23 Cupiebat interim Ludovicus dissolvi, et esse cum Christo ; nec aliter, quam aut sanctissimi Altaris Sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi imagine colloquiis suas moras solabatur. Feria sexta ante obitum referenti, diem Veneris esse, Benedictus Deus, respondit ille ; adhuc quatuor supersunt dies. Frequenti cælesti sancti Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summa veneratione et imitatione colere studuerat, recreabatur. Biduo ante decessum e vita sacram olei infirmorum unctionem devote petiit, et singulis orationibus respondens, seque sanctis orationibus et mortificationis exercitiis muniens, sanctissimi Crucifixi imaginem frequentibus oculis venerans, et orans in die festo S. Dionysii, ut sæpe prædixerat, hora quinta decima sentiens, se paulatim deficere, assistentem ex more patriarcham pro impetranda benedictione, et sancti Evangelii lectione precatus est, quod amantissimus antistes uberri me lacrymans præstitit.

anno 1581, emissa ex ore luce, moritur, et miraculis illustratur.

24 Cumque commendationis animæ juxta sui Ordinis ritum preces persolverentur, ad illa verba « Ut vinculis carnis exutus pervenire me- « reatur ad gloriam regni cælestis, præstante « Domino Nostro Jesu Christo », spiritum suum in manus Patris vinculis carnis absolutum commendavit, septimo Idus Octobris, anno reparatæ salutis milesimo quingentesimo octuagesimo primo, ætatis suæ quinquagesimo quinto, eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris recta in cælos evibrata totam cellam illuminare, et supra conventum divina claritas fulsit. Quin et in ecclesia pluries militiæ cælestis harmonici concentus a diversis auditi sunt, et pluribus aliis signis Servi sui gloriam omnipotens Deus notam fecit, quibus publica populi veneratio successit, Ludovicum undique Sanctum proclamantis, et certatim Coronis ac Rosariis sacrum corporis pignus attingere tentantis ; misericordiam enim a Domino, ac divina quæcunque beneficia se obtenturos, omnes sperabant, si eum apud divinam clementiam Protectorem et Advocatum obtinere digni forent.

Inter miracula, quæ vivus fecit, signo Crucis ingens incendium extinxit, et strumas sanavit.

25 His accessit Altissimi erga suum Servum assistentia, ita ut ejus suffragantibus meritis, et vivens, et post obitum, populis in necessitatibus per opera mira et prodigia, quibus ipse Deus in Sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector et adjutor semper extiterit. Ex processibus enim confectis, et ad Urbem transmissis, ac aliis auctoritate Apostolica, causam Beatificationis et Canonizationis ejus respicientibus, Congregatio sacrorum Rituum censuit, constare non solum de illorum validitate, et de fama

A fama sanctitatis, deque virtutibus Theologicis et Cardinalibus gradu heroïco, verum etiam concludentes probationes continere insignium miraculorum ejusdem tam viventis, quam defuncti. Cum enim esset Prior Albaydæ, pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, et flamma succrescente, jam ardentibus arboribus in vineis et frutetis, magnum excitandum esse ad destructionem ignem, timebatur, non sine magno conventus detrimento. Accurrit Vir Dei, et, elevatis oculis in cælum, signo Crucis flammam benedixit, quæ illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset. Eædem arbores læsæ, exigua solum linea in signum miraculi apparente, immunes ab adustione visæ sunt remanere. Moncadæ in domo Joseph a Campo neptis hospitis, Speranza Assensia dicta, ab exitiali struma in collo afflicta, cum fœtore horrendo ex ulceribus manante, non solum circumstantibus, sed etiam ipsimet infirmæ intolerabili, facto signo Crucis super parte affecta, et lingua linita * a beato Ludovico veluti a sensibus alienato, et facie ejus luce fulgida remanente, statim ægra convaluit.

* an lincta ?

B 26 Cadaver ipsius quadam veluti chrystallina puritate sic nituit, ut adstantes in ejus virginea carne, velut in limpidissimo speculo, suosmet vultus fuerint conspicati. Toto etiam corpore suavissimus odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos, mirifico peregrinæ fragrantiæ oblectamento adhalavit. Sex circiter mensibus loco humido, ac stillicidiis obnoxio sepultum jacuerat sanctæ Viri cadaver, quando extractum, ut decentiori tumulo inferretur, integrum incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis, repertum est, iterumque mirabili suaveolentia circumstantes implevit. Ursulæ Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omne capillitium radicitus abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum a lampade, quæ coram B. Viri sepulcro ardebat; hujus oleo perunctum caput puellæ, non solum abactis penitus doloribus integram valetudinem, sed et capillos recuperavit. Quædam puella oculis orbata ad fontem loci Ruzafa, e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis, pristinum eorum usum

Cadaver ejus mire splenduit fragavitque. Varix infirmitates

C recuperavit.

27 Gaspar Ramirez cæcus ad tumulum Sancti novenam peragens, ultimaque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito cæcitatis suæ caliginem lætus abstersit. Lactanti Andreveæ Abreus cum aruissent mammillæ, novena ad sepulcrum Sancti exacta, mox pristinam lactis affluentiam impetravit. Isabella Johanna Salon, cum pluribus annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attactu feretri, quod Sancti cadaver gestaverat, perfectæ sanitatis beneficio potita est. Isabella Gerbin in supradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, simul et febrim, et dysenteriam, et herniam incolumis abegit. Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, et morbi violentia situm oris fœdissime distorserat, haustu aquæ ex eodem Ruzafæ fonte, ac invocato S. Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi, restitutum fuit. Hieronymæ Capell filiolus rupto peritonæo, forasque extrusis intestinis, jugiter ejulans, et sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafæ pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre sanus domum reportatur. Vincentia Morell vidua ex nervorum dira attractione per undecim menses decumbens, fœdisque ulceribus undique plena, dum panno, quo Sanctus usus fuerat, nervos et ulcera, successive obsignat eodem ordine et hæc sanari, et illos vivide sensit explicari, sinitaque singulorum obsignatione, vegeta lectum reliquit.

a multis, per illius patrocinium,

D

28 Cum in conventu S. Honuphrii Priorem agens reficiendæ Religiosorum communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quæ solum domi superfuerant, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in prima mensa fratribus triginta, et amplius, in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secunda mensa congrue saturaverint. Johanni de Pedevera, domestico Valentini Archiepiscopi famulo, delapsum ex alto pondus gravissimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menses aliter, quam grallis innixus, moveri non potuerit. In his ægerrime usque ad sancti Viri sepulcrum accedens, fusa oratione, confestim in pedes exiliit, grallisque

qui etiam vivens panem multiplicaverat, mirabiliter abactæ,

E inibi relictis, domum incolumis repedavit. Isabella Vincentia Pujades, acuta febri medullitus exusta, jamque a medicis derelicta, morti appropinquabat. Sed ad contactum Rosarii, quod S. Ludovico, dum vixit, usui fuerat, subito, mirantibus quotquot aderant, febris abscessit.

29 His aliisque non paucis virtutibus ac signis permotus felicis recordationis Paulus Quintus, Prædecessor noster, servum Dei Ludovicum Catalogo Beatorum adscripsit. Exinde aliis processibus rite confectis, approbata insuper fuere miracula, quæ subsequuntur. Primum incorrupti sacri corporis post annos fere octuaginta ab ejus sepultura, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum, aut ullis adversus corruptionem condimentis imbutum. Nihilominus dum anno MDCXLVII transferebatur in pretiosius monumentum, et anno MDCLXI dum a judicibus, auctoritate Apostolica delegatis, visebatur, adhuc integrum, illæsum atque tractabile inveniebatur. Secundum in repentina sanatione pueruli Aloysii Vincentii Montesinos, qui ardentissima correptus febri, exhaustus dyssenteria et vomitibus, scaturiens ver-

A Paulo V PP. Beatis adscribitur, et post probata etiam alia miracula

F mibus, jamque costulis stomacho adunatis, eo deductus erat, ut domesticis plane videretur extinctus, unde mortalibus involucris obfasciatus parabatur ad sepulturam. At mœstissimus parens, facto ad S. Ludovici tumbam recursu, atque ibidem emisso voto, cum festinus domum revertitur, filioli pulsum explorans, vitæ indicium reperit, statimque puer oculos aperiens, ex integro sanus deprehenditur. Tertium in stupenda præservatione quadriennis puellæ, Gesualdæ Gildæ Ramirez, quam currus mole carbonum onustus, rapidoque sex mulorum tractu celer, obterendam humi dejecerat, ac duabus rotis substratam valide opprimebat: sed, implorato S. Ludovici præsidio, surrexit incolumis puella, et in evidentiam miraculi apparuerunt in ejus capite, collo et humeris clavorum signa a rotis leviter impressa. Quartum in Bartholomæo Christophoro Dominguez, quem deformis hernia pendulis intestinis adeo laxaverat, ut, sicubi in genua procumberet, scrotum ulceribus jam erosum ac putrescens humum tangeret. Sed ad invocationem S. Ludovici tota hæc miselli calamitas illico evanuit.

30 His

a Clemente IX decernitur ejus canonizatio, quam Clemens X

A 30 His et aliis deductis approbatisque miraculis, emanavit Decretum a piæ memoriæ Clemente IX, etiam prædecessore Nostro, posse tuto deveniri ad solemnem prædicti Beati Canonizationem; pro qua obtinenda accesserunt carissimorum in Christo filiorum Nostrorum, Leopoldi Primi Romanorum regis, in Imperatorem electi, et Caroli secundi Hispaniarum regis, necnon et Ordinis Prædicatorum preces, quibus a prædictis Romanis Pontificibus, prædecessoribus Nostris, et a Nobis eamdem sæpius postulaverunt. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis exigentibus, et ad prædictorum preces inclinati, cum jam nihil deesset eorum, quæ ad hanc sacrosanctam functionem necessario ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum Canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto, agenda et servanda requirebantur, justum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in cælis, Nos venerationis officio laude-
B mus et glorificemus in terris, hodie in sacrosancta basilica beati Petri principis Apostolorum, in qua solemni ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis Romanæ curiæ prælatis, officialibus et familiaribus Nostris, clero seculari et regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, post trinas pro Canonizationis decreto Nobis nomine dicti Caroli regis per dilectum filium nostrum Ludovicum, tit. S. Sabinæ S. R. E. Cardinalem de Portocarero, pro parte ejusdem regis porrectas petitiones; post sacros hymnos, Litanias aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam.

perfecit, festo ejus annuo diei 10 Octobris affixo, cum indulgentiis ad ejus sepulcrum

31 Ad honorem Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, ad exaltationem S. Fidei Catholicæ, et Christianæ Religionis augmentum, auctoritate D. N. Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione præhabita, et divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, in Urbe existentium, consilio, B. Ludovicum Bertrandum San-
C ctum esse decrevimus, et definivimus, ac Sanctorum Catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus et adscribimus: statuentes, ab Ecclesia Universali quolibet anno die x Octobris memoriam ejus inter Sanctos Confessores, non Pontifices, pia devotione recoli debere. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Eadem auctoritate omnibus utriusque Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S. Ludovici ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos ac totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis, pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Missamque cum ejusdem commemoratione celebravit plenariam Indulgentiam præsentibus concessit,

32 His peractis, Deum Patrem æternum, Regemque Gloriæ Christum Dominum, Patris Sempiternum Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari in honorem B. Ludovici oratione precati sumus per ejusdem merita, adque ad altare S. Petri Apostoli Missam celebravimus cum ejusdem S. Commemoratione, omnibusque Christi fidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium D peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem concessimus. Æquum igitur est, Nos gratias agere, at laudare Deum Patrem Omnipotentem, qui Servum suum benedixit in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et dedit illum universis Christi fidelibus tanquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum et tribulationum nostrarum, ut Ecclesiæ pacem et tranquillitatem, principibus Christianis optatam concordiam, et infidelibus a via salutis errantibus lumen veritatis obtineat.

et fideles omnes ad precandum illius apud Deum patrocinium hortatur.

33 Adeamus igitur cum fiducia Thronum divinæ Pietatis, ore et opere supplicantes, ut S. Ludovicus universo Christiano populo prosit meritis et exemplis, precibus adsit ac patrocinio, et in tempore iracundiæ fiat reconciliatio. Ceterum, quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis tum etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica E constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, definitionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

† Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episc. Loco sigilli.

† Ego F. Episcopus Ostien. Card. Barberinus S. R. E. vicecancell.

† Franciscus M. Episcopus Portuen. Card. Brancatius.

† Uldericus Episcopus Tusc. Card. Carpineus.

†

†

† Virginius Episcopus Albanen. Card. Ursinus. F

†

† Ego Cæsar Presbyter Card. Fachenettus.

†

†

† N. tit. S. Mariæ Transtiberim Card. Ludovisius.

† Alderanus tit. S. Praxedis Card. Cybo.

† Federicus tit. S. Petri in Vinculis Card. Sfortia.

† Benedictus tit. S. Onuphrii Card. Odescalchus.

†

† Aloysius tit. S. Alexii Card. Homodeus.

† P. Cardinalis, S. Marci Otthobonus.

† Laurentius tit. S. Crisogoni Card. Imperialis.

† Ego Marcellus tit. S. Stephani in M. Cælio Presb. Card. Sanctacrucius.

† Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presb. Card. Spada.

† Ego Franciscus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. Albitius.

† Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presb. Card. de Aquaviva et Aragon.

† Ego Carolus tit. S. Priscæ Presb. Card. Pius.

† Ego Carolus tit. S. Eusebii Presb. Card. Gualterius.

† Ego

A † Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Chisius.
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presb. Card. Franzonus.
†
† Ego Petrus tit. S. Calixti Presb. Card. Vidonus.
† Ego Franciscus Maria tit. S. Matthæi Presb. Card. Mancinus.
†
†
†
† Ego Nerius tit. SS. Nerei et Achillei Card. Corsinus.
† Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Card. Bonellus.
†
† Ego Carolus tit. S. Susannæ Presb. Card. Carafa.
† Palutius SS. XII Apost. Presb. Card. de Alteriis S. R. E. Camer.
B † Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presb. Card. Rasponus.
†
†
† Jacobus tit. S. Mariæ de Pace Presb. Card. Ninius.
† Ego Julius tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Spinula.
† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracœli Presb. Card. Rubertus Victorii.
†
†
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Sixti Presb. Card-Rospigliosius.
† Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presb. Card. Portocarrero.
†
†
† Ego Johannis tit. S. Bernardi Card. Bona.
† Ego Federicus tit. S. Augustini Presb. Card. Borromeus.
† Ego Camillus tit. S. Mariæ in Domnica Card. Maximus.
C † Ego Gaspar tit. S. Pudentianæ Presb. Card. de Carpineo.
† D
†
† Fridericus S. Agathæ Diaconus Card. Hassia.
†
† Ego Carolus S. Cæsarei Diaconus Card. Barberinus.
† Decius S. Eustachii Diaconus Card. Azzolinus.
† Paulus S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Sabellus.
†
† Ego Sigismundus Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Chisius.
†
†

Visa de Curia S. de Pilastris.
J. G. Slutius.
Loco † Plumbi. D. Ciampinus.
Registrata in Secretaria Brevium.

ANNOTATA.

a *Ad Philipp.* 2, ỳ. 10 *et* xi. E
b *Vide Comment. præv.* § 2, *num.* 20.
c *Actum de eo fuit in Opere nostro die* v *Aprilis, quo colitur.*
d *Provia ejus fuit Ursula Ferrera; uti in Annotatis ad cap.* i, *pag.* 471, *lit.* m *jam dictum fuit.*
e *Habitum Prædicatorum induit anno* 1544.
f *Presbyter factus est anno* 1547.
g *Tyronum magisterium suscepit anno* 1549 *seu potius* 1551.
h *Sub annum* 1557.
i *Anno* 1570 *conventui S. Honulphiri: Valentino vero præfectus est anno* 1575.
k *Colitur* xxix *Aprilis.*
l *S. Vincentium levitam et martyrem, Valentiæ passum ac ad diem* xxii *Januarii Mrl. Romano inscriptum, hic puto intelligi.*
m *Seu Americam.*
n *De hoc et sequentibus Americæ locis, quorum frequens in superioribus facta est mentio, consule Indicem Geographicum.*
o *Ad Galatas* i, ỳ. 10.
p *Colitur* xv *Octobris.*
q *Colitur* xxv *Novembris.* F
r *Regum* 4, *cap.* 2, ỳ. 12.